UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D. Thomam De Beatitvdine. De Actibvs Hvmanis. De Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censvris. Prælectiones Theologicæ Posthvmæ

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi In III Partem D. Thomæ De Sacramentis Et Censvris Prælectiones Theologicæ Posthvmæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-72898

Visual Library

R. P.

LEONARDI LESSII

E SOCIETATE IESV THEOLOGI

IN III PARTEM D. THOMÆ

DE

SACRAMENTIS

ET

CENSVRIS

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ

POSTHVMÆ.

OLIM IN ACADEMIA LOVANIENSI

Anno M. D. LXXXVIII. & M. D. LXXXIX. primùm,
iterùm M. D. XCVI. & M. D. XCVII. propositæ.

ET

Tam in vita, quàm à morte Auctoris
plurimorum votis ad prælum
expetitæ.

R. P.

LEONARDI LESSII

E SOCIETATE IESV THEOLOGI

IN III PARTEM D. THOMÆ

DE

SACRAMENTIS

ET

CENSVRIS

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ

POSTHVMÆ.

OLIM IN ACADEMIA LOVANIENSI

Anno M.D.LXXXVIII. & M.D.LXXXIX. primùm,

iterùm M.D.XCVI. & M.D.XCVII. propositæ.

ET

Tam in vita, quàm à morte Auctoris

plurimorum votis ad præsens

expetitæ.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

QVÆSTIO LX.

De Essentia Sacramenti.

In Octo Articulos diuisa.

1

NOTANDVM Primò, Sicut D. Thomas in 1. Par. post explicationē diuinæ naturę, tractat opus creationis mundi, Angelorum & hominum, quod est proprium opus diuinitatis: ita in hac 3. Parte post explicationem mysterij Incarnationis agit de Sacramentis, quæ sunt proprium opus Verbi incarnati. Quæ tractatio etsi non videatur tam sublimis, quàm ea, quæ de diuina natura est, & de mysterio Incarnationis; non tamen est minùs vtilis; quin potiùs est magis necessaria; ijs præsertim, qui aliquando Pastores, aut directores conscientiarum futuri sunt. Nam per Sacramentorum legitimum vsum & applicationem, Ecclesia formatur, crescit, alitur, sanatur, propagatur & perficitur. Sacramenta enim sunt fontes illi, quos fons vitæ, verbum Dei Saluator noster, in Ecclesia sua perenniter scaturire fecit, vt omnes ex ijs aquam vitæ salientem in vitam æternam haurire possint; iuxtà illud Isaiæ 12. v. 3. & 4. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris; & dicetis in die illa, confitemini domino & inuocate nomen eius, notas facite in populis adinuentiones eius.* Sunt item septē Columnæ *quas sapientia excidit*, vt super eas sibi *Domum*, id est, Ecclesiam suam *ædificaret*. Prou. 9. Per hæc, vt Concilium Tridentinum sess. 7. in procœmio, ait; *Omnis vera iustitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur*. Per hæc, lex noua præstat veteri: nam ratione Sacramentorum, est lex Gratiæ. Sine his, non magis confert gratiam lex noua, quàm vetus. Denique, per hæc potissimùm nobis Christi merita applicantur. Quæ etiā caussa est cur nulla ferè Theologiæ pars studio diaboli magis per hæreticos sit oppugnata. Sacramentis enim abolitis, status noster, parum vel nihil differt à statu legis veteris. Quare tria nobis præstanda sunt. Primò, vt cuiusque Sacramenti naturam & vim explicemus. Secundò, vt ea quæ ad legitimum vsum & administrationem eorum pertinent, aperiamus: quæ pars tota moralis est. Tertiò; vt hæreticorum errores & nouitates refutemus.

Necessitas Doctrinæ de Sacramentis.

Trident.

2

Notandum Secundò, Nomen *Sacramenti* accipi à *Sacro*; & variè accipi, sed potissimùm tripliciter. Primò, pro *Iuramento solenni*. Nam iuramentum fit per contestationem rei sacrę. Sic iusiurandum quo milites se obligant suo duci, vocatur *Sacramentum militare* apud Auctores latinos. Et Iuramenta quibus se obstringunt puberes, *Sacramenta puberum*. Quomodo etiam in Iure Canonico vsurpatur, vt patet Canone. Paruuli. 22. q. 5. vbi prohibetur ne periuri ad Sacramentum ampliùs accedant, id est, ad dicendum iusiurandum. Simili quodā modo D. Hieronymus epist. ad Heliodorum sub finem, promissionem illam, quam Christo in Baptismo damus, qua veluti ad Christianam militiam nos adstringimus, vocat Sacramentum.

Sacramentum accipitur Tripliciter.

Primò.

Secundò, Accipitur pro *Arcano*: quasi dicas, Sacrum arcanum, aut Sacrum secretum. Quomodo Sacramentum Incarnationis & Sacramentum Trinitatis dicitur. Et hoc modo, Sacramentum ferè idem est quod *mysterium* apud Græcos. Quo nomine passim vtitur Scriptura: 1. Corint. 13. v. 2. *Si nouerim mysteria omnia*, id est, omnes arcanas veritates, Scripturarum inuolucris comprehensas. 1. ad Timoth. 3. v. 16. *Manifestè magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne*. Ad Ephes. 1. v. 9. *Vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ*. & Sapient. 2. v. 22. *Nescierunt Sacramenta Dei*. Extenditur etiam interdum ad ea, quæ non sunt Sacra; sunt tamen occulta: vt Sacramentum bestiæ & mulieris Apocalypsis 17 id est, res illa occulta significata per bestiam & mulierem. Sacramentum somnij: Danielis 4. v. 6. *Omne Sacramentum non est impossibile tibi*. Hæc omnia dicuntur Sacramenta, vel quia in se Sacra sunt & arcana; vel quia instar rerum Sacrarum, inuolucris quibusdam diuinitus obtecta. Verùm hoc modo non vsurpatur ab Auctoribus prophanis.

Secundò.

Tertiò, Accipitur pro signo aliquo, præsertim ex diuina institutione vel ordinatione, rem arcanam designante, etiamsi ea res sacra non sit. Quomodo hæretici & persecutores Ecclesiæ, sunt Sacramentū seu mysteriū Antichristi. 2. ad Thes. 2. Et Arbor quā vidit Nabuchodonosor Daniel. 4. & aliæ omnes symbolicæ visiones, sunt Sacramenta rerum significatarum. Mulier & bestia Apocal. 17. Sacramentum sunt vrbis Romanæ, & imperij eius. Sic Augustinus lignum vitæ vocat Sacramentum Christi lib. 8. de Genes. c. 4. & 5. & panem benedictum Catechumenorum, non esse quidem corpus Christi, esse tamen Sacramentum, nempe corporis Christi, id est, sacrum signum. Ita lib. 2. de Peccatorum meritis & remiss. c. 26. His & alijs similibus locis Sacramentum nihil est aliud, quàm signum quoddam rem arcanam significans. Sicut enim res ipsa arcana significata vocatur Sacramentum, vt patet ex secunda acceptione, ita etiam ipsum signum rem illam significans, Sacramentum dicitur.

Tertiò.

3 Strictiùs accipitur pro Cæremonia.

Verùm hæc acceptio est valdè generalis. Strictior magisque propria erit, si illud signum sit cęremonia quędã solennis, religiosa, aliquid occulti mysterij significans. Quomodo Augustinus lib. 4. De symbolo ad Catechumenos cap. 1. omnia Sacramentalia vocat Sacramenta; vt exorcismos, insufflationes, & alia huiusmodi, quę Sacramentorũ administrationi sunt annexa. Et simili modo accipitur in illa sententia D. Augustini lib. 19. cõtra Faustũ c. 11. *In nulla religione siue vera siue falsa, homines inter se posse colligari absque aliquo signaculorum seu Sacramentorum consortio:* id est, absque externis cęremonijs. Nos tamen hoc loco non tam generatim de Sacramentis disputamus; sed de ijs solis quæ sunt cęremonię ad homines sanctificandos, & ad res sacras designandas, siue in lege noua, siue in lege veteri sint institutæ. Hæ namque cæremoniæ in religione principatum tenent: vnde nomen Sacramenti præ ceteris sibi vindicant.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Sacramentum sit in genere signi?

4 REspondetur, Sacramentum pro vt hîc accipitur, esse in genere signi: id est, esse speciem signi. Potest enim aliquid dici Sacramentum, vel quia in se habet sanctitatem occultam, vel quia est signum occultæ sanctitatis, & ita hîc accipitur.

Petes, Cur potiùs Sacramentum est in genere signi, quàm caussæ, cùm etiam sit caussa?

Respondeo, De ratione Sacramenti in genere non est esse caussam sanctitatis perfectæ, quâ anima sanctificatur: tamen de ratione eius est, esse saltem signum huius sanctitatis.

5 Sacramentum aliter dicitur à sacro, aliter medicamẽtum à medicina.

In Resposione Ad 1. Aduerte aliter Sacramentum dici à sacro, aliter medicamentum à medicina. Medicamentum enim dicitur à medicina, tanquam medicinæ instrumentum; vnde ex vi suæ originis designat habitudinem caussæ efficientis ad sanitatem, sicut medicina. Sacramentum autem dicitur à sanctitate tanquam à termino extrinseco quem respicit: quæ habitudo potest esse varia; scilicet vel signi, vel caussæ, vel effectus: vnde ex vi suæ originis non significat habitudinem caussę efficientis veram sanctitatem animæ; absolutè tamen significat aliquam habitudinem caussæ efficientis, vel formalis, respectu sanctitatis in genere. Sicut enim vestimentum dicitur quo vestimur, & ornametum quo ornamur; ita Sacramentum, quo aliquo modo sacramur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm omne signum rei sacræ sit Sacramentum?

6 REspondetur, Non omne signum rei sacræ esse Sacramentum; sed signum rei sacræ sanctificantis hominem: id est, signum quod significat rem sacram, quatenus illa actu sanctificat hominem secundùm animam, vel aliquando sanctificatura est.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Sacramentum sit signum vnius rei tantùm?

REspondetur, Non vnius rei tantùm, sed 7
multorum est signum. Est enim signum cõmemoratiuum Passionis Christi præteritæ; demonstratiuum sanctificationis præsentis; & prognosticon gloriæ futuræ.

Notandum est, Hoc solùm esse verum in Sacramentis nouæ legis. Nam Sacramenta vetera non significabant præsentem animæ sanctificationem, neque etiam gloriam futuram, nisi valdè remotè. Vnde non est hoc de ratione præcisa Sacramenti in genere; sufficit enim significatio sanctitatis iuxtà 2. Articulũ: quamuis caussas huius sanctitatis, scilicet efficientem & finalem non expresè designet.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm omne Sacramentum sit res sensibilis?

REspondetur, Omne Sacramentũ est res ali- 8
qua sensibilis. Vbi nomine rei sensibilis non solùm intelligitur res permanens; vt aqua, oleum, panis: sed etiam vsus eius; vt ablutio, vnctio &c.

Circa hos Articulos explicanda est breuiter Sacramenti definitio.

DVBIVM.

Quæ sit integra Sacramenti ratio & definitio?

CAluinus lib. 4. Institut. c. 14. in principio sic 9 Caluiniana Sacramenti definitio.
definit: *Sacramentum est externum symbolum, quo Deus beneuolentiæ erga nos suæ promissiones conscientijs nostris obsignat, ad fidei nostræ imbecillitatem sustinendam.* Vbi Caluinus, vt patet ex illo cap. quatuor requirit ad Sacramentum. Primò, Diuinam beneuolentiã qua nos diligit ab æterno propter Christum. Secundò, Promissionem qua Deus in Scripturis promisit nobis huius beneuolentiæ effectum (scilicet iustitiam imputatiuam) exhibitũ iri per fidem, vel parentũ (vt fit in parvulis Christianorum, qui iudicio Caluini nascuntur sancti propter fidem parentum:) vel propriam cuiusque; vt in ijs qui non sunt nati ex Christianis. Tertiò, Requirit externum symbolum quo Deus nobis testetur hanc suam beneuolẽtiam & promissionis exhibitionẽ. Quartò requirit vt credamus si antè non credebamus, vel certè vt firmiùs credamus nos esse prædestinatos, & ex vi diuinæ promissionis iustificatos, quæ nobis applicata est per fidem nostram præcedentem, vel parentum nostrorum. Hinc apud Caluinistas, ei qui Sacramentum susceperus est, primùm leguntur aliquæ diuinæ promissiones, qualis est illa Genes. 17. v. 7. *Ero Deus tuus, & seminis tui post te.* Et Marci 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit:* quas promissiones susceperus Sacramentũ debet credere sibi applicatas; deinde vt hoc firmiùs credat, applicatur illi symbolum externũ, quod est velut sigillũ diuinũ confirmans promissiones apud conscientiã hominis. Nihil ergo aliud est Sacramentũ apud ipsos, Comparat sigillo.
quàm signum quoddam externum nobis applicatum, vt firmiùs credamus nos antèà à Deo propter

pter Christum esse electos, prædestinatos & iustificatos. Sicut enim litteris Regijs appenditur Regium sigillũ vt maior ipsis fides habeatur; ita diuinę promissioni anteà à Ministro recitatæ adiungitur Sacramentum, vt maior fides ipsi habeatur.

10 In hac definitione plurimi sunt errores. Primò, Quia vult Sacramentum esse nudum & aridum symbolum, nihil homini conferens, sed solùm testificans fauorem diuinum antè præstitum.

1. Error in definitione Caluiniana.

Secundò, Quia vult Sacramentum esse signum diuinæ erga nos beneuolentiæ, quam Deus tantummodò habet erga Prædestinatos, iuxtà Caluinum. Vnde sequitur primò, Solos prædestinatos suscipere Sacramenta: si enim reprobans suscipiat externum symbolum, hoc non erit Sacramentum, quia non erit signum diuinæ beneuolentiæ erga illum. Sequitur secundò, Peccare Ministros, qui applicant Sacramenta ijs, de quibus ignorant an Deus illâ beneuolentia prædestinationis eos prosequatur: si enim applicent reprobis, facient Deum testem mendacij. Et cùm de nemine certi sint, semper exponent se periculo sacrilegij, quando illud sigillum applicabunt.

2. Error.

3. Error.

Tertiò, Quia vult Sacramentum esse signum diuinæ promissionis nobis applicatæ. Vnde sequitur primò hominem esse iustum, antequam veniat ad baptismum: imò Deum vnicuique baptizando promisisse per verbum suum iustitiam ante baptismum, alioqui baptismus esset falsarum litterarum obsignatio. Sequitur secundò, Nullam requiri dispositionem in suscipiente; quia Sacramentum solùm significat nos iam esse consecutos diuinam promissionem. Sequitur tertiò, Illam promissionem, vt in nobis effectum habeat, nihil aliud requirere, quàm vt ipsi credamus, vel ex Christianis parentibus nati simus.

4. Error.

Quartò, Vult istud symbolum externum nostris Conscientijs obsignare diuinas promissiones; id est, facere vt firmiùs credamus illas nobis esse applicatas. Vnde sequitur Primò, Baptismum parvulorum & amentium nõ esse Sacramentum: quia non habent Conscientiam propriè, cùm non habeant vsum rationis: quod tamen est contra Caluinistas, qui parvulos baptizant. Secundò, Eos, qui non credunt talibus promissionibus, non suscipere vllum Sacramentum; ac proinde esse postea repabtizandos. Tertiò sequitur, Verbum Dei nos reddere minùs certos, quàm ipsum Sacramentum: nam si Sacramentum sustentat imbecillitatem fidei nostræ, efficiens vt firmiùs credamus id quod anteà per verbum Dei credebamus: ergo Sacramentum dat firmitatem verbo Dei; quod est absurdum: nam omnis auctoritas Sacramenti est ex verbo Dei. Quod confirmatur, Quia verbum Dei debet credi fide diuina & certissima, nam essem infidelis, si vllo modo de eo dubitarem: ergo Sacramentum non potest me reddere certiorem, quàm verbum Dei. Confirmatur Secundò, Quia cùm Minister ignoret diuinum consilium circa me, non potest Sacramentum, quod mihi ab ipso præbetur, me reddere certiorem de diuina erga me beneuolentia, quàm ipsum verbum Dei, quod scio esse profectum ab ipso Deo.

Comparatio Caluini reijcitur.

Vnde patet, Caluinum perperam comparare diuinam promissionem diplomati, Sacramentum Sigillo: Quia diploma sine Sigillo nullam habet auctoritatem; verbum autem diuinæ promissionis est summæ auctoritatis, etiam sine omni Sacramento. Deinde, Sigillum secundùm se est summæ auctoritatis, nam habet auctoritatem immediatè à Rege, non à diplomate: Sacramentum autem sine promissione est nullius auctoritatis, vt ipsi Caluinistæ docent.

Ex his facilè potest refutari definitio Lutheranorum: *Sacramentum est ritus habens Dei mandatum, & annexam promissionem gratiæ & remissionis peccatorum apprehensam per fidem in Christum.* Quæ definitio nõ multùm differt à definitione Caluinistarum: vult enim Sacramentum nihil nobis conferre, sed solùm in nobis excitare fidem specialẽ, qua credamus nos propter Christum iustificari. 11 Lutherana Sacramẽti definitio.

Inprimis contra hanc definitionem facit, quod ad rationem Sacramenti non requiratur, vt in Scripturis exstet mandatum de eius vsu; possunt enim esse quædam Sacramenta libera. Similiter, Neque vt exstet promissio gratiæ & remissionis peccatorum: nam conditio & natura Sacramenti non pendet à verbo Dei, quatenus scriptum est; sed ab ordinatione diuina etiam non scriptâ. Denique, Non requiritur vt hęc promissio fide apprehendatur; alioqui baptismus parvulorum & amentium non esset Sacramentum, nec haberet vllum effectum. Nã quod Lutherani dicunt vsum rationis in infantibus, dum baptizantur, diuinitus dari, ridiculum est. Item, Qui non apprehenderet, aut non crederet illam promissionem dum baptizatur, non reciperet verum Sacramentum; ac proinde esset rebaptizandus, quod est hæreticum. Adde; Lutheranos in hac definitione supponere Sacramenta nihil operari, nisi excitando nostram fidem, vt apprehendamus diuinam promissionem Sacramento annexam, id est, vt credamus nobis per Christum peccata remitti. Vide Concilium Tridentinum sess. 7. Can. 5. 6. & 8. vbi damnatur definitio Lutheranorum & Caluinistarum. Reijcitur.

Sed Objicitur à Caluino: Apostolus ad Romanos 4. v. 11. Circumcisionem, quę erat figura Baptismi, appellat σφραγίδα, id est, Sigillum seu Signaculum: ergo nostra Sacramenta nihil sunt aliud, quàm sigilla pacti & promissionis diuinę. 12 Obiectio Caluini.

Respondeo, Apostolus non vocat Circumcisionem sigillum pacti, seu promissionis, sed iustitiæ fidei. Data enim est Abrahamo Circumcisio, vt ipse per eam tamquam per diuinum sigillum consignaretur; & declararetur, quod propter fidẽ suã, qua credidit, & obediuit Deo, sit iustificatus, & meruit fieri Pater multarum Gentium, & Pater populi Israëlitici; vt rectè exponit Chrysostomus in hunc locum. In alijs enim Circumcisio nõ fuit huius rei signaculũ: sicut Baptismus non est eiusdem rei signum in nobis & in Christo. Vide Augustinum lib. 4. contra Donatistas cap. 24. Circumcisio quare data Abrahamo.

His reiectis, Vt Sacramentum in genere describatur:

Nota, Ad Sacramenti rationem duo requiri. Primò, Vt sit cæremonia aliqua sacra, vi sua sanctimoniã aliquam conferens; non enim solùm ad significandum, sed etiam ad sanctificandum instituta sunt. Sed differentia est inter noua & vetera. Quòd Sacramenta legis Veteris conferrent vi sua sanctitatem quandam legalem & corporalem, quę non pertingebat ad animam: vt patet ex Apostolo ad Hebræos 9. vbi vocat ea *Iustitias tantùm, quæ Conscientiam non possunt purgare*; Sacramenta 13 Discrimen Sacramentorum veteris & nouæ Legis.

autem nouæ legis vi sua sanctificent animam. Vtraque tamen in hoc conueniunt, quòd ex vi diuinæ institutionis, & ex opere operato sanctitatem aliquam conferant vel corporalem vel spiritalem. Sicut ergo sanctitas est analogum ad sanctitatem animæ & corporis; ita Sacramentum hac ex parte est analogum ad vetus & nouum Sacramentum; vt insinuat Magister art. 4. dist. 1. & D. Thomas ibidem q. 1. art. 1. ad 3. Secundò, Requiritur vt significet veram animę sanctitatem; vt colligitur ex D. Thoma art. 2. ad 3.

Sacramentū in genere.

Poterit ergo in genere sic describi. Sacramentum *Est cæremonia externa, seu signum sensibile, ad homines quodam modo sui vsu sanctificandos, & veram animi sanctitatem significandam institutum.*

Debet esse sensibile.

Primò, Sacramentum est *Signum sensibile, seu cæremonia externa*: quia licet potuissent signa spiritualia ad homines sanctificandos institui, v. g. actus fidei, attritionis, orationis; tamen non fuissent humanæ naturæ accommodata, sed potiùs Angelicæ: nam signum humanum debet esse sensibile. Nam *Signum est, quod præter speciem, quam sensibus ingerit, aliquid aliud facit in cognitionem venire*; Vt inquit Diuus Augustinus lib. 3. de Doctrina Christiana c. 1. Vnde consentaneum erat, vt ea, quibus Sanctificamur, in rebus sensibilibus instituerentur. Cuius plures sunt rationes; quarum prima est: quia homo compositus est ex anima & corpore, natura sensibili & intelligibili: vnde sicuti spiritualibus & Angelicis naturis diuina Mysteria & munera traduntur nudè & spiritualiter, ita hominibus tradi debebant sensibilibus signis obtecta; vt per sensibilia, ea possent cognoscere, æstimare & amplecti; vt docet Dionys. c. 1. cæl. Hierarchiæ. Vnde Chrysost. homilia 83. in Matthęum. *Si esses incorporeus, nudè ipsa dona incorporea tibi tradidisset; sed quia Corpori iuncta est anima tua; ideò in rebus sensibilibus tibi intelligenda traduntur.* Secunda ratio est, Quia non tantùm anima, sed etiam corpus animæ instrumentum peccato inficitur. Vnde vt vtrumque expiaretur, debebat in re corporali virtus spiritualis constitui. Ita Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioannem cap. 42. Tertia est, Vt homo non solùm animo, sed etiam corpore Deum coleret: nam administratio & susceptio Sacramentorum, sunt actus Religionis. Quarta, Vt homo, qui per peccatum à spiritualibus descisceus, se rebus sensibilibus subiecerat, ijsdem seruire cogeretur, & subesse; tum ad humilitatis exercitium, tum ad spiritualium bonorum recuperationem. Ita D. Thomas quæst. 61. art. 1. Quinta, Vt populus Dei per hęc signa ab alijs populis distingueretur, & firmiùs in vnam Religionem coalesceret. Nam sine talibus signis externis non possunt homines in vnum nomen siue veræ, siue falsæ religionis conspirare; vt docet Diuus Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 11. Vnde etiam falsæ sectæ suas cæremonias habent. Sic circumcisio data fuit Iudæis, vt in vnam religionem conuenirent, & ab alijs distinguerentur, vt passim docent Patres. Idem facit Baptismus, cum reliquis Sacramentis in noua lege; vnde Gregorius Nazianzenus, oratione in sanctum Baptisma, dicit Baptisma vocari *Sigillum*, quia est *significatio Domini*, id est, quia significat cuius Domini simus famuli & cultores. Vide D. Thomam lib. 4. Contra gentes cap. 56. Ex his sequitur, neque Contritionem, si nullo signo externo prodatur; neque corpus Christi in Eucharistia, nisi accipiatur simul cum ipsis speciebus, esse propriè Sacramentum.

Cur Baptisma dicitur Sigillum.

14 Debet sui vsu sanctificare.

Secūdò, Dicitur in definitione: *Ad homines quodammodò sui vsu Sanctificandos*; nam Sacramenta instituta sunt, vt conferant aliquam sanctitatem dum applicantur, vel corporis vel animæ: Hinc excluduntur primò, omnia illa signa, quæ non sunt instituta ad vsum, vt illis tamquam cæremonijs vtamur; vt Mare rubrum, columna nubis, lignum vitæ. Secundò, Ea quæ non sunt instituta ad sanctificandum: vt Serpens æneus, manna, aqua de petra, & similia. Item omnia Sacrificia, quà talia sunt; quia non ordinantur ad sanctificandum, sed ad colendum Deum: in hac enim ordinatione ratio sacrificij consistit. Possunt tamen hæc sacrificia sub alia ratione esse Sacramenta, quatenus iam oblata mystico modo consumuntur ad sanctificationem vtentium; vt patet in Eucharistia: in qua consumptione, est ratio sacrificij, quatenus fit in honorem Dei; & est etiam ratio Sacramenti, quatenus fit ad sanctificationem hominis. Idem videre est in multis sacrificijs veteris legis.

Ablutio pedum est Eucharistię præmissa.

Item excluditur Ablutio pedum: etsi enim ea ablutio, qua Christus pedes Apostolorum abluit, aliquam illis sanctitatem contulerit; vt indicatur Ioan. 13: *Nisi lauero te, non habebis partem mecum*, tamen Christus non instituit hanc cæremoniam, vt ex ea homines sanctificarentur; sed potiùs per eam dedit exemplum charitatis, & humilitatis; voluitque nobis insinuare puritatem animæ ad Sacramentum Eucharistiæ requisitam; vt D. Ambros. lib. 6. *De his qui mysticè initiantur*; & Bernardus sermone de Cæna Domini. Et ratione huius sanctificationis idem Ambrosius lib. 3. de Sacramentis c. 1. vocat hanc ablutionem *Mysterium*. Et quia deuotus vsus huius cæremoniæ etiam valebat ad remissionem peccatorum venialium, vt docet Cyprian. sermone de Ablutione pedum, ideò vocatur ab eodem Ambrosio *Sanctificatio*, & à Cypriano *Sacramentum*: nam significabat sanctitatem animæ necessariam ad sumptionem Eucharistiæ; & eam ex deuotione sumentis quodammodò conferebat. Verùm quia non habebat hanc vim ex opere operato, ideò verè non erat Sacramentum: vnde numquam in Ecclesia Romana fuit vsitata.

Denique excluduntur ea, quæ Christus tantùm vsurpauit ad hominū sanctificationē. Vt Luc. 7. hæc verba, *Remittuntur tibi peccata tua*; etsi enim haberent hæc vim sanctificandi, vt à Christo prolata; tamen non sunt instituta, vel lege aliqua sancita, vt nos illis vtamur. Similiter Insufflatio Domini, & linguæ igneæ, quibus sanctificati Apostoli, & alia huiusmodi, non sunt Sacramenta; quia nulla lege stabili sunt ordinata, vt homines illis vterentur; sed Deus tantummodò his vsus est.

15 Debet sanctitatem significare.

Tertiò dicitur in definitione, *Ad veram animæ sanctitatem designandam.* Nam Sacramentum debet rem arcanam & sacram designare; externa autem sanctitas non est arcana, nec multum sacra; vnde D. Thomas a. 2. ad 3. dicit, ea vocari Sacramenta, quæ significant humanę sanctitatis perfectionem, & Concil. Florentinum dicit Sacramenta veteris legis significasse gratiam per Christum dandam

Hinc

Hinc excluditur aqua benedicta: quia etsi sit cæremonia sacra, & ad aliquam sanctificationem instituta (præsertim si vi sua delet peccata venialia, vt multi censent) tamen non designat gratiam sanctificantem vel actu dari, vel dandam per Christum. Similiter prima Tonsura non est Sacramentum, licet aliquam sanctificationem conferat. Idem dico de Manus impositione facta Catechumenis, Signatione Crucis eorundem, Vnctione in vertice, Professione religionis Monachorum, Absolutione ab excommunicatione, Dispensatione irregularitatis, &c. Hæc enim & huiusmodi, Sacramenta non sunt; quia non significant veram sanctitatem conferri, aut conferendam per Christum. Quam ob caussam Ecclesia nõ potest instituere Sacramenta: quia cùm non possit gratiam per se conferre, non potest etiam cæremonias instituere, quę significent illam, vel actu conferri, vel aliquando conferendam.

Ecclesia non potest instituere Sacramẽta.

Dices: Sacramentum est signum practicum: ergo si significat veram sanctitatem, etiam eam operatur.

Cur dicatur Practicum.

Respondeo, Sacramentum in genere non dicitur signum practicum, quasi operetur omne id quod significat; sed quia saltem aliquid operatur, per quod significet alterum. Sacramenta enim vetera operantur sanctitatem corporalem, per quam significant spiritalem. Itaque, omne Sacramentum operatur sanctitatem animæ; vel figuram eius, per quam, ipsam veram sanctitatem designet.

16 Sacramenti ratio nouis & veteribus vniuoca, & analoga.

Ex his patet Primò, Rationem Sacramenti non eodem modo conuenire nouis & veteribus Sacramentis. Nam in veteribus Sacramentis principale est significare, secundarium est sanctificare: ideò enim sanctificant, vt per hanc sanctitatem significent veram animæ puritatem dandam per Christum. In nouis autem Sacramentis principale est sanctificare, secundarium significare. Itaque, etsi vniuocè videantur conuenire in ratione significandi, eò quòd vtraque significent sanctitatem spiritualem, vel præsentem, vel futuram; non tamen in ratione sanctificandi. Vnde si Sacramentum dicatur à significando rem sacram, sunt vniuocè Sacramenta; si autem à conferendo sanctitatem, analogicè sunt Sacramenta. Nam Sacramenta vetera conferunt sanctitatem corporalem, noua verò spiritualẽ; quæ analogicè conueniunt in ratione sanctitatis; sicut vmbra & veritas, imago & exemplar.

Soluitur Obiectio.

Dices, Sacrificia veteris Legis non dicuntur analogicè sacrificia respectu sacrificij noui; vtraque enim sunt perfecta sacrificia: ergo nec Sacramenta vetera dicuntur analogicè Sacramenta respectu nouorum.

Respondeo Negando Consequentiam; Quia ratio sacrificij consistit in eo, quòd diuinæ maiestati summus cultus externus offeratur in agnitionem summi dominij, quod vnicum est; vnde omnia sacrificia sunt eiusdem rationis: At ratio Sacramenti cõsistit in cæremonia qua sanctificantur homines. Sanctificatio autem duplex est, scilicet corporalis & spiritualis; quę analogicè conueniunt in ratione sanctitatis; sicut vmbra & veritas in ratione exemplaris. Confirmatur; quia Concilium Forentinum & Tridentinum distinguunt Sacramenta vetera à nouis, quòd vetera solùm significent veram sanctitatem; noua non tantùm significent, sed etiam conferant: atqui id quod dicitur tale, solùm quia est signum, est analogicè tale cum eo comparatum quod est tale, quia causa: sicuti vrina & medicina dicuntur sana analogicè. Hinc tamen nõ sequitur Sacramenta vetera abusiuè dici Sacramenta; quia nomen Sacramenti multa significat, & vsitatè dicitur de eo quod solùm est signum sanctitatis: vt patet ex D. Augustino suprà.

Patet Secundò, Quomodo Sacramenta legis veteris & legis nouæ possint definiri. Sacramentum legis veteris, est *Cæremonia sacra, per corporalem sanctificationem quam confert, veram animæ sanctitatem per Christum conferendam, significans.* Sacramentũ nouæ legis, est *Cæremonia sacra veram animæ sanctitatem non solum significans, sed etiam conferens.* Hinc etiam intelligitur definitio Magistri dist. 1. vbi definit Sacramentum nouæ legis: *Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, eiusdem gratiæ similitudinem gerens & causa existens:* vbi per similitudinem, intelligit proportionem illam naturalem, quæ est in materia & forma Sacramenti, ad significandum effectum Sacramenti: Exempli gratia, Ablutio corporalis habet proportionem quamdam ad spiritalem, vt eam possit significare accedente institutione diuina. Similiter verba accepta cum significatione, quam habẽt ex hominum instituto, sunt idonea ad significandam animæ ablutionem, accedente eadem diuina institutione. Simili ferè modo definit Catechismus Cõcilij Tridentini: *Sacramentum est inuisibilis gratiæ signum visibile, ad nostram sanctificationem institutum.*

Definitio Sacramenti veteris & noui.

Patet Tertiò, Sacramentum formaliter non esse entitatem aliquam realem seu physicam, sed inuoluere aliquid morale; sicut pecunia inuoluit æstimationem hominũ ex impositione Principis. Materiale in Sacramento est aliquid reale, sicut in pecunia aurum & argentum; scilicet cæremonia sacra exterior: Formale autem est duplex; Primò, Ratio signi, fundata partim in ipsa rerum & verborum analogia cum rebus sacris; partim in diuina institutione, qua ratio signi completur.

Sacramentum an & quomodo sit aliquid reale.

Dices: Ergo Sacramentum est ens rationis.

Non est ens rationis.

Respondeo Negando Consequentiam; Sicut nec pecunia est ens rationis: quia ens rationis solùm est dum intelligitur, Sacramentum autem est etiamsi nemo de illo cogitet. Et ratio est, quia esse signum ex institutione significans, non est esse ens rationis, sed includere denominationem extrinsecam à reali institutione seu impositione; dicit enim rem sensibilem quatenus subest deputationi ad aliquid significandum, ex qua deputatione accipit moralem quamdam aptitudinem, ad excitandam cognitionem rei significatæ in ijs, qui institutionem norunt: & in hoc consistit ratio signi. Simili modo esse Regem, Dominum, Doctorem, non sunt entia rationis, sed dignitates morales pendentes intrinsecè ab aliquo actu reali, à quo subiecta extrinsecè denominantur. Et hæc ratio signi complet rationem veteris Sacramenti, quatenus excludit vlteriorem perfectionem, scilicet causalitatem gratiæ: Respectu autem Sacramentorum nouę legis, est ratio generica. Vnde alterum formale, quõ completur ratio Sacramenti noui, est esse causam sanctitatis animæ: & per hanc rationem causæ, veluti propriam differentiam, constituitur vltima ratio Sacramenti nouæ legis.

ARTICVLVS V.

Vtrùm requirantur determinatæ res ad Sacramenta?

HIc Articulus dupliciter potest intelligi. Vnde

17 Cur tam in veteri quàm in noua lege decuerit in Sacramentis res determinatas esse.

Respondetur Primò, Suppositâ diuina institutione, qua Sacramenta sunt nunc instituta, non possumus vti quibusuis rebus in Sacramentis, sed ijs dumtaxat quas Deus stata lege ad hoc determinauit. Ratio est, Quia ordinatio diuina non potest immutari per homines.

Respondetur Secundò, Conueniens fuit, vt Deus nõ relinqueret liberum mortalibus vti quibusuis rebus, sed vt ipse eas pro sua sapientia determinet. Primò, Quia oportuit, vt præcipuæ Religionis cæremoniæ, quibus religio Christiana constat, populus Dei sanctificatur & ab alijs distinguitur, à nullo alio, quàm ab ipso Deo instituerentur: nam ipse solus optimè nouit quibus rebus coli, quâ notâ populus eius insigniri, quibusue cæremonijs sanctificari debeat. Secundò, Quia consentaneum etiam est, vt primaria rerum sacrarum signa ab ipso instituantur, qui est primarius hominum doctor. Quæ duæ rationes etiam locum habent in Sacramentis Legis veteris, quæ certis quoque rebus constabant; nec erat in hominum potestate his vel illis sanctificari secundùm carnem, aut ab immunditia legali purgari: sicut nec ab humana lege pendebat illa immunditia. Similiter non erat in hominum potestate instituere signa rerum futurarũ, vt passionis Christi, & sanctificationis per ipsum conferendæ, quę veteribus Sacramentis significabatur.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm in significatione Sacramentorum requirantur Verba?

18 REspondetur, Consentaneum fuisse, vt rebus sensibilibus iungerentur verba, tamquam formæ Sacramentorum, quibus rerum significatio determinaretur. Notandum est; Hunc Articulum, & duos sequentes pertinere tantummodò ad Sacramenta nouæ Legis; quia, etsi aliquando in quibusdam Sacramentis veteribus adhibita fuerint verba, ea tamen non erant de substantia Sacramenti.

Quinque rationes.

Probatur Conclusio, Primò, Quia consentaneum erat, vt Sacramenta nouæ Legis referrent suum Auctorem, qui est Verbum Dei vnitum carni sensibili.

Secundò, Quia decebat, vt Sacramentum etiam homini assimilaretur, cui exhibetur, qui constat corpore sensibili & anima, qua Verbum intelligat. Dices, Ergo etiã vetera Sacramenta debebant constare verbis, quia sunt data hominibus. Respondeo Negando Consequentiam; Quia sicut status illius legis imperfectus erat, ita & Sacramenta. Vnde non debebant habere tam expressam significationem quàm nostra Sacramenta, sed in rebus mutis debebant institui.

Tertiò, Quia Sacramenta nostra debent expressè diuina mysteria significare, vtpote iam exhibita, & sua virtute præsentia: atqui hoc maximè fit accessione verborum, quæ inter signa principatum tenent, teste D. August. lib. 2. doctrinæ Christianæ cap. 3. vnde Apostolus ad Hebræos 10. ait, legem Veterem habuisse vmbram rerum futurarũ, Nouam autem habere ipsam rerum exhibitarum imaginem.

Quartò, Quia in nostris Sacramentis præcipuè consistit externus cultus Dei: atqui hic potissimũ verbis fit & lingua, in qua benedicimus Deum: Iacobi 3. vnde Deus non solùm omnia nostra Sacramenta verbis perfici voluit, sed etiam ipsum nostrum sacrificium.

Quintò, Quia Sacramenta nostra conferunt gratiam internam; quod est opus valdè supernaturale: ergo verbis perfici debebant: tùm, quia Christus omnia pęnè opera sua miraculosa verbis perfecit; vt excitare mortuos, sanare infirmos, eijcere dæmonia, remittere peccata, dare Spiritum sanctum, compescere ventos & maria: tùm, quia verba maximè accommodata sunt, vt in animam penetrent: vnde homines animos inuicem mouent mediantibus verbis. Sed est

DVBIVM.

Vtrùm omnia Sacramenta conficiantur rebus & verbis?

REspondeo, Certum est omnia rebus & verbis confici. Ita expressè Concil. Florentinum, quod sic habet: *Hæc omnia* (scilicet septem Sacramenta) *tribus perficiuntur, scilicet rebus, tamquam materia; verbis, tamquam formâ; & personâ Ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.* Hęc ibi. Et quidẽ de quinque Sacramentis satis constat; nam in illis prẽter verba, est etiam sensibile aliquod elementum; vt in Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, Ordine, extrema Vnctione.

19 Tria ex Concil. Florent. requisita ad substantiam Sacramenti.

Sed difficultas est, de Pœnitentia; Nam in hoc Sacramento interdũ non videtur esse nisi verba: nam confessio fit verbis; similiter contritio verbis manifestatur: satisfactio etiam sæpè verbis fit: denique absolutio semper fit verbis. Similiter in Matrimonio tantùm videntur esse verba; imò interdum ne verba quidem; nam per nutus contrahi potest.

Respondeo, Cùm dicimus omne Sacramentum rebus & verbis confici, non ita strictè res & verba accipimus; sed nomine *rei* intelligitur omnis actio sensibilis quæ verbis supponitur. Vnde in Sacramento Pœnitentiæ, res, sunt actus pœnitentis, scilicet contritio, confessio, satisfactio; sunt enim hæc quasi materia, vt inquit Concil. Florentinum: per accidens autem illis est, quòd verbis fiant. In Matrimonio autem, res, sunt corpora contrahentium: hæc enim sunt materia contractus; sicuti res quæ permutantur, sunt materia contractũs permutationis. Pari modo, nomine *verbi*, intelligitur non solùm verbum vocale, sed etiam æquiualens, quod eius loco supponitur; vt scriptura & nutus, quæ in Sacramento Matrimonij sunt instar verborum: cùm tamen in cæteris omnibus Sacramentis requirantur verba propriè dicta.

Etiam in Pœnitentia & Matrimonio sunt res & verba.

ARTI-

ARTICVLVS VII.

Vtrùm requirantur determinata verba?

20 REspondetur, In Sacramentis nouæ legis requiruntur determinata verba. Primò, Quia res sensibiles in Sacramentis sunt diuinitus determinatæ: ergo multò magis ipsa verba, quæ habent rationem formæ. Secundò, Quia cæremoniæ antiquæ erant diuinitus determinatæ, quæ tamen erant valdè imperfectæ: ergo multò magis nostra Sacramenta, quæ sunt primariæ cæremoniæ, quibus lex noua constat. Tertiò, Quia alioquin verba non essent de substantia Sacramenti: nam cùm Deus sit Auctor Sacramentorũ, si nullam formulam verborum instituit, non poterit ad rationem Sacramenti esse necessaria.

DVBIVM I.

Qualia verba in Sacramentis requirantur?

21 *Caluinus.* CAluinus lib. 4. Institut. cap. 16. in Sacramentorum administratione requirit quidem verbum, sed vult illud non esse rituale, sed concionatorium; neque esse partem Sacramenti, sed præuium Sacramento; nempe concionem illam quam Minister ante susceptionem Sacramenti præmittit, vt alter qui susceperturus est Sacramentum, credat diuinas promissiones sibi applicari, aut esse applicatas. Vnde reprehendit Ecclesiam, quòd in Sacramentis vtatur concepta quadam & solemni formula verborum: *Quia* inquit, *hoc magicum est.*

Verbum aliud Concionatoriũ aliud Cæremoniale. Catholici autem docent esse duplex Verbum, scilicet concionatorium seu doctrinale, de quo loquitur Caluinus, quo instruantur susceperturi Sacramentum; sicut Catechismus, & alia quæuis pia instructio ante Baptismum; & hoc verbum non habet certam formam: Et cæremoniale seu rituale, quod certâ formulâ constat, & non profertur ante Baptismum; sed in ipso actu quo adhibetur elementũ: & hoc verbum est intrinsecum Sacramento, per quod ipsum elementum consecratur, ita vt sine eo sit prophanum.

Dicendum igitur, In Sacramentis nouę legis non requiri Verbum concionatorium, sed rituale seu inuocatorium certâ formulâ constans, quo Sacramentum perficiatur.

Concionatorium non requiritur. Prior Pars probatur, Quia sufficit, vt adulti Sacramentum susceperturi sint sufficienter instructi, generatim in rebus fidei, & speciatim in ijs quæ pertinent ad vsum & fructum Sacramenti percipiendi: ergo non est necessarium vt immediatè ante Sacramentum audiant concionem. Patet ex vsu totius Ecclesiæ Catholicæ. Secundò, Ad substantiam Sacramenti non requiritur vlla instructio aut fides in suscipiente; quamuis ad fructum in adultis fides sit necessaria tanquam dispositio: ergo nec concio antecedens. Confirmatur, quia alioqui infantes & stulti non baptizarentur verè. Similiter nec hæretici verè baptizarent, cùm eorum concio repugnet verbo Dei: nec verè baptizarentur; quia non habent fidem. Tertiò, Quia concio non requiritur secundùm Caluinum, nisi vt generet fidem: atqui fieri potest, vt quis firmissimam fidem habeat sine concione: quorsum ergo concio?

Altera Pars, Scilicet requiri verbum rituale seu inuocatorium. *Sed* Rituale

Probatur Primò, Ex vsu vniuersalis Ecclesiæ, quæ semper in Sacramentis certâ verborum formâ vsa est. Disputare autem contra id, quod vniuersalis Ecclesia facit, insolentissimæ insaniæ est, vt inquit D. Augst. epist. 118. Probatur Secundò, Ex Concilio Florentino, vbi singulorum Sacramentorum formulæ, vt à maioribus sunt acceptæ, præscribuntur. Nam vt Dionysius Areopagita cap. 7. de Ecclesiastica Hierarchia parte 3. ait, consecratoriæ inuocationes non debent scripto exponi, neque earum arcanum in publicum efferri, sed traditione conseruari. Tertiò, Probatur ex Scripturis. In particulari de Baptismo. Matt. 28. *Euntes docete omnes gentes: Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis:* Hîc apertè Dominus distinguit verbum rituale & inuocatorium à concione, & illud requirit in Baptismo. Patet hoc prius, quia dum dicit, *Docete omnes gentes*, indicat verbum concionis, cùm autem ait, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, præcipit verbum rituale, sub quo conferendus Baptismus. Patet hoc Secundò, Quia Dominus præcipit hîc duos actus, scilicet docere & Baptizare: sed illud *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, non potest esse modus afficiens actum docendi, quasi diceret, *Docete eos in nomine Patris & Filij &c.* ergo debet coniungi cum *Baptizantes*, sicut ordo verborum postulat; vt sensus sit, *Baptizantes eos in nomine Patris:* ergo præcipit vt sub hac formula verborum detur baptismus; quę formula manifestè significat inuocationem: vnde exprimitur Trinitas personarum, quæ sanctificat Baptismum, & illi vim regeneratiuam tribuit. Idem facilè probari potest de Confirmatione, Eucharistia, Pœnitentia, extrema Vnctione, & Ordine. Sed de his suis locis. Postermò probatur & Patribus, quorum plurimos adfert Bellarminus. Cyprianus sermone de Baptismo; *Verborum ait, solemnitas, & sacri inuocatio nominis, & signa institutionibus Apostolicis Sacerdotum ministerijs attributa, visibile celebrant Sacramentum.* D. Augst. lib. 5. de Baptismo contra Donatistas cap. 20. *Audit*, inquit, *Deus homicidam deprecantem vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus imponit.* Vbi manifestè Augustinus agit de verbo rituali, seu inuocatorio.

Ex vsu Ecclesiæ. Ex Florent. Ex Script. Ex Patribus.

22 Obiectio *Caluini* ex *Augustino.* Sed Obijcit Caluinus Augustinum tractatu 20. in Ioannem, vbi explicans hæc Domini verba, *Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis*, querit cur non potiùs dixerit Dominus, *Iam mundi estis propter baptismum quo loti estis*, sed dixerit, *Mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis? Et*, Respondet nempe August. *quia & in aqua verbum mundat*; deinde illud verbum, quod in aqua mundat, vocat sermonem Christi, & verbum fidei, de quo Apostolus ad Rom. 10. *Hoc est verbum fidei quod prædicamus.* Atqui (subsumit Caluinus) sermo Christi & verbum fidei sunt verbum concionis & doctrinæ: ergo hoc est verbum, quod mundat in Baptismo, & vnde Baptismus habet efficaciam. Quod Confirmat, Quia ibidem dicit Augustinus hoc verbũ mundare, non quia dicitur, sed quia creditur; sed verbum quod creditur

est verbum concionis: ergo concio est id, quod mediante fide, mundat in baptismo.

Soluitur. Respondeo, D. Augustinus loquitur in genere de verbo Christi, vt extendit se ad verbum doctrinale & rituale: vult enim probare omnem mundationem animæ, siue in Sacramento, siue extra, fieri per verbum Christi. Dupliciter enim verbum Christi mundat; Primò, Extra Sacramentũ, cùm prædicatur doctrina Christi, & ab audiente toto animo, scilicet intellectu & voluntate suscipitur: & sic sæpè mundãtur adulti. Secundò, mundat verbum Christi in Sacramento, non quia dicitur, sed quia creditur; id est, non externo sono, sed virtute rei significatę, quę sola fide percipitur: Aliud enim in verbo est sonus transiens, aliud virtus manens, inquit Augustinus: & hoc est verbum rituale; quod verbum cùm accedit ad elementũ, fit etiam ipsum Sacramentum quasi quoddam visibile verbum, id est, fit visibilis fidei confessio. Vocat autem hoc *verbum*, verbum quod prædicamus; quia formula Baptismi continet breuiter totam doctrinam fidei: hæc enim tota reducitur ad mysterium Trinitatis, quæ expressè in illa formula inuocatur. Citat etiam Scripturam ad Rom. 10. & Actorum 15. & 1. Petri. 3. vt probet in genere verbum Christi habere vim mundandi; hoc enim ipsi propositum erat. Similiter illud Ioannis 15: *Iam vos mundi estis, propter sermonem, quem locutus sum vobis,* non restringit hîc ad verbum cõcionis, sed generatim accipt.

Augustinus agnoscit verbum Rituale Quòd autem D. Augustinus non loquatur hîc solùm de verbo concionis, sed etiam Rituali, patet Primò, Quia dicit *hoc verbum accedere ad elementum*; at verbum concionis nõ accedit, sed antecedit elementum; nam instructio debet præmitti: Secundò, Quia per hoc verbum dicit Baptismum consecrari, & accipere vim mundandi: Tertiò, Quia per ipsum dicit sanctificari infantem, etiam antequam possit credere; quorum neutrum conuenit concioni. Quòd etiam nolit dicere, verbum ideò mundare, quia à suscipiente creditur, patet; quia infans non potest credere, quem tamen dicit sanctificari. Neque etiam quia creditur à conferente Baptismum; quia lib. 3. de Baptismo, cap. 15. ait, *Si verbis Euangelicis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentũ, licet eiusdem fides sub illis verbis aliud opinantis non esset integra.* Neque etiam, quia creditur ab offerentibus; vt expressè docet epist. 23. ad Bonifaciũ: vult ergo tantùm dicere, verbũ mundare in Baptismo, *non quia dicitur*, id est, non ratione externi soni, *sed quia creditur*, id est, ratione internę virtutis significatę, quæ sola fide percipitur. Vnde subdit, *nam in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud est virtus manens*; quæ virtus nihil est aliud quàm potentia Trinitatis seu virtus Spiritus sancti, ratione cuius, homo dicitur renasci ex aqua & Spiritu sancto.

Obiectio secunda reijcitur. Obijcitur Secundò, Nulla est conuentio Christi ad Belial, sed dæmon & incantatores in omnibus magicis solet vti certo carmine & determinatis verbis: ergo in Christi institutis non oportet talibus vti.

Respondeo Primò, Cur ergo ipsi Caluinistæ vtimini? nã in formula vestra sic habetur: Infũdat Minister aquam proferendo hęc verba, *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Respondeo Secundò, Dæmonẽ imitari Christiana sacra in suis ritibus; quia & ipse Deus haberi vult. Docet hoc Tertullianus de Præscriptione hæreticorum; *Diabolus*, inquit, *ipsas res Sacramentorum diuinorum in idolorum Mysterijs imitatur; tingit & ipse quosdam, expiationem peccatorum de lauacro repromittens.* &c.

Respondeo Tertiò, Horribilẽ id esse blasphemiam. Aliud enim est virtutẽ habere ex pacto diuino, aliud ex diabolico. Quòd autem Christus talia verba potuerit instituere, patet Numerorum 5. Vbi Deus instituit aquam & verba, quibus dictis, adulteri morerẽtur, si aquam illam execratam biberent.

DVBIVM II.

Vtrùm Res & verba in Sacramentis se habeant instar Materiæ & formæ?

23 Respondeo habere aliquam Analogiam cum materia & forma. Vnde Concil. Florentinũ in decreto Eugenij IV. & omnes Doctores scholastici rem sensibilem seu actionem vocant materiam, verba autem formam. Ratio est; Quia sicuti materiâ secundùm se est indeterminata ad quamuis speciem rerum, sed per formam determinatur ad hanc vel ad illam; ita aqua seu ablutio secundũ se est indeterminata ad hoc vel illud significandum, ad hunc vel illum vsum; accedente autem hac formula verborum, *In nomine Patris* &c. determinatur ad significandam animæ ablutionẽ. Item sicut materia sine forma nullam vim habet, sed eam concipit per formam; ita aqua sine verbo nullam vim habet, sed accedente verbo consecratur, & virtutẽ mundandi concipit. Vnde D. Aug. tractatu 80. in Ioannem *Detrahe*, inquit, *verbum, quid est aqua, nisi aqua?*

Forma Sacramenti alia externa, alia interna. Sed aduerte; Hanc formam esse externam & partialem; & prẽter hanc esse aliam internam totalem & vltimam, respectu cuius quidquid est sensibile in Sacramento, siue res, siue verba, sunt materia. Hęc forma interna est significatio ipsius Sacramenti & virtus operatiua: significatio enim est in rebus & verbis, sed potissimùm in verbis, & est quid spiritale; tum quia ex diuina institutione, tum quia res significata est spiritualis. Similiter virtus operatiua constituitur in rebus & in verbis, licet principaliùs in verbis; & est quid spirituale, ex deputatione diuina proueniens. Itaque omne Sacramentum constituitur non solùm ex materia & forma sensibili, sed etiam ex materia sensibili & forma intelligibili. Sicut homo non solùm cõstat ex materia prima, & forma carnis, ossis, aliarum partium, sed etiam ex carne & osse tamqam materiâ, & anima rationali veluti ex forma. Externam illam formam, vocat Augustinus sonum transeuntem; internam & spiritalem, vocat virtutem permanentem. Idem insinuat Dominus Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*, indicans compositionem ex sensibili & intelligibili in Sacramento.

24 Ex dictis etiam constat; Etsi Sacramentum interdum habeat nomen ab altera sui parte, vt Baptismus ab ablutione; sola tamen vna pars non est Sacramentum, vt quidam volunt: sed Sacramentum intrinsecè includit vtrumque tanquam partem componentem (excepta Eucharistia, vbi verba sunt causa efficiens Sacramenti.) Quod patet Primò,

Sacramentum omne, excepta Eucharistia, intrinsecè includit rem & verba.

Primò, Quia id postulat appellatio materiæ & formæ, qua dicuntur cõstare. Secundò, Quia vtraque concurrit ad significandum & sanctificandum; ac proinde ad componendum vnum perfectum Sacramentum perfectè significans & sanctificans. Denique altera alteram determinat, sicut forma materiam: non tamen idcircò necessarium est, vt hæc materia & forma aliqua sui parte simul existant, sed sufficit vt habeant eam coniunctionem, quæ satis sit tum ad formæ veritatem, tum vt forma censeatur talem materiam determinare secundùm moralem æstimationem. Vnde in Baptismo, si ablutionem statim sequatur forma, vel formam ablutio, erit verus Baptismus, modò ita coniuncta sint, vt humano more verum sit, *Ego te Baptizo* &c. Idem in cæteris. In Matrimonio tamen & Pœnitentia longè plus temporis potest intercedere, quia Matrimonium sequitur rationem cõtractuum, Pœnitentia iudiciorum.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm liceat aliquid addere verbis Sacramentalibus?

25 REspondetur, Non licet aliquid addere vel adimere verbis Sacramentalibus: Sacramentum tamen non destruitur, nisi illa additio vel detractio peruertat sensum formæ. Hæc est communis doctrina Patrum: & docet apertè Basilius lib. de Spiritu sancto ad Amphilochium cap. 12. vbi dicit eum à vita excidere qui aliquid præscriptæ formæ Baptismatis addit. Dydimus lib. 2. de Spiritu sancto, paulò post initium, *Qui vnum de præceptis nominibus prætermittit, nec Sacramentum perficit, nec hominem à peccatis liberat.* D. Augustl. lib. 6. de Baptismo contra Donatistas cap. 25. *Certa sunt verba Euangelica, sine quibus non potest consecrari Baptismus.* Idem patet ex dictis circa articulum 7. Sed est

DVBIVM I.

Quot modis fiat mutatio in forma?

REspondeo, Generatim sex modis. Primus, Quando verba formæ transferuntur in aliã; idq; dupliciter. Primò, In aliam linguã; vt si quis gallicè; vel partim gallicè, partim latinè Baptizet: quæ mutatio nihil officit, vt notat Caietan. art. 7. Secundò, In synonymum eiusdem linguæ; vt, pro *Baptizo*, *tingo*, *abluo*; pro *In nomine Patris, & Filij, &c. In nomine genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque*. Vtrùm verò etiam possit dici pro *Baptizo*, *mergo*, dubium est, & magis an *purgo*, *mundo* &c. non enim idem valent, quod *Baptizo*; nec significant conferri gratiam per modum ablutionis. Aduertendum autem hic est, synonymũ distinctè debere idem significare; non enim sufficit *Ego te Baptizo in nomine Trinitatis*. Quòd si nomen sit æquiuocum, modò intendas eo vti in significatione qua æquialet nomini formæ, non vitiatur Sacramentum; nam omne ferè nomen habet aliquam æquiuocationem.

26 1. Transfiatione, Verborum.

2. Corruptione.

Secundus modus est, Cùm verba corrumpuntur: quod fieri potest tripliciter. Primò, Ex impedimento linguæ, vel mala consuetudine: Secundò, Ex ignorantia; sicut is, qui ex ignorantia linguæ latinæ baptizauit *In nomine Patria, & Filia, & Spiritua sancta*; qui modi corruptionis non officiunt Sacramento; nam qui sic baptizauerat, validè baptizauit, vt rescripsit Zacharias Papa sancto Bonifacio Apostolo Germaniæ: habetur de consecratione dist. 4. capitulo *Retulerunt*. Ratio est; Quia qui ita pronuntiant, intendunt facere quod facit Ecclesia; & verba illa cum talibus circumstantijs prolata, satis clarè ex communi hominum intelligentia significant diuinas personas, & habent sensum quẽ habet forma incorrupta. Tertiò, Ex affectata malitia; vt si quis sciens & prudens sic baptizaret; tunc distinguendum: Si id faceret animo aliud significandi, quàm ordinaria forma, verbi gratia, *Deum habere Filiam* (quod D. Thomas ait, *Animo inducendi errorem*) certum est non fore validum Sacramentum; quia non intendit facere, quod facit Christi Ecclesia; & ipsam formam reddit falsam; nam ex ipsius intentione determinatur ad falsam significationem. Quòd si intendat significare id quod Ecclesia significat, tamen ita pronuntiet ex motiuo aliquo superstitioso vel vano, erit validum Sacramentum; quia omnia necessaria adsunt.

3. Additione. Tertiò, Mutatur forma additione; idque tripliciter: Primò, Si addas vera, vt *Ego te Baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filij redemptoris, & Spiritus sancti Paracliti*; validum erit Sacramentum: Secundò, Si addas falsa; vt *In nomine Patris creatoris, & Filij à patre creati, & Spiritus sancti à Filio creati*; qua forma vtebantur Eunomiani teste Epiphanio Hæresi 76. Talis etiam est illa Colarbasiorum apud Irenæum lib. 1. contra Hæreses cap. 18. *In nomine ignoti Patris omnium* &c. & tunc irritum est Sacramentũ. Tertiò, Si addas dubia; vt *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & beatæ Virginis*: tunc si intendas significare beatam Virginem esse etiam causam principalem consecrationis Baptismi cum diuinis personis, nihil efficietur, quia forma erit falsa: Si autem velis significare Baptismum conferri in honorem beatæ Virginis, aut per eius intercessionem, ratum erit.

4. Detractione. Quartò, Mutatur forma detractione verborum; quæ detractio, si non peruertat aut mutilet sensum, non officit Sacramento: vt si omittas particulam (*Ego*) in forma Baptismi; vel particulam (*enim*) in forma Consecrationis Eucharistiæ. Si autem mutiles sententiã, nihil efficietur, vt si detrahas nomen *Patris* aut *Filij* &c.

5. Transpositione. Quintò, Per transpositionem verborum; hæc sola non vitiat Sacramentum, modò debita intentio idem significandi adsit, & illa transpositio non sit talis quæ sententiæ repugnet. Vt, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti ego te Baptizo: valet. Si verò sic, Baptizo Patris, & Filij, & Spiritus sancti nomine, ego in: nihil valet.

6. Disiunctiones. Sextò, Per disiunctionem partium formæ; quę disiunctio, si tanta sit vt ex modo proferendi non censeatur vna oratio, vna integra sententia, non efficitur Sacramentum; vt si quis dicat *Ego te Baptizo*, & post horam addat, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Secùs est, si parua sit intermissio.

Regulæ duæ valde notandæ. Pro omnibus his, & similibus formæ mutationibus notandæ sunt hæ duæ regulæ. Prior est: nulla mutatio verborum retinens eandem sententiam, siue ex vi verborum siue ex vsu hom-

num, vitiat Sacramentum. Altera est; Omnis mutatio verborum, non retinens aliquo modo eamdem sententiam, irritat Sacramentum.

DVBIVM II.

Quando Intentio Ministri vitiet Sacramentum?

27 D. Thomas videtur velle intentionem Ministri tunc irritare Sacramentum, quando in ipsa mutatione formæ intendit introducere novum ritum in Ecclesiã, & quando de industria corruptè profert verba, quæ tamen non videntur vera.

Intentio bona. Respondeo & Dico Primò, Intentio Ministri necessaria ad Sacramentum est ea, quæ intendit facere id quod facit vera Christianorum Ecclesia quæcumque demum illa sit, siue id quod Christus instituit. Patet ex Concilio Florentino.

Intentio mala. Dico Secundò, Si Minister aliud intendat significare verbis formæ, quàm Ecclesia significet, nihil efficitur, etiamsi formam integrè proferat; vt si per *Filium* in forma Baptismi distinctè intendat significare aliquam excellentem creaturam, iuxtà sententiam Arianorum. Ratio est, tum quia deest legitima intentio; non enim intendit facere, quod facit Ecclesia, hoc est, idem Sacramentum, eodem sensu & intelligentia; tum quia forma mutatur, non quidem materialiter, cùm eadem verba pronuntiet, sed formaliter, quatenus est significatiua: vnde non exhibet signum, quod Christus instituit, sed aliud quod ipse excogitat. Nomen enim *Filij* est æquiuocum ad *verum Filium* & *adoptiuum*, & per intentionem proferentis determinatur ad significandum *Filium adoptiuum*. Secùs esset si per *Filium* distinctè non intenderet *Filium adoptiuum*, sed generatim *Filium Dei*, de quo Scripturæ & Christus loquuntur, licet ipse apud se existimaret hunc esse creaturam; tunc enim esset verus Baptismus, vt colligitur ex Concilio Arelatensi primo. Canone 8. Sic enim quidam Ariani baptizabant. Ratio est, Quia hîc est legitima forma, & legitima intentio; nam verè intendit baptizare in eodem *Filio*, in quo Ecclesia. Nec obstat quòd putat hunc esse *Adoptiuum*, vel creaturam; quia hic est error priuatus, qui per accidens formali intentioni coniunctus est.

28 Si addat aliquid falsi. Dico Tertiò, Si quis ad integram formam addat aliquid falsi tanquam partem formæ, non efficiet Sacramentum: vt si in consecratione Eucharistiæ dicat, *Hoc est Corpus meum, quod è cælo sumptum est*, nihil efficit; quia facit formam falsam. Si tamen non addit illam falsam particulam tanquam partem, sed solùm vt explicet suam sententiam de Christi Corpore, verè consecrat, etiãsi errorem nitatur inducere. Et ratio est, Quia illa intentio est distincta ab intentione consecrandi & faciendi quod Christus instituit; nec in eam influit; & actio illa distincta est ab actione consecrandi, solumque per accidens iunguntur.

Si addat aliquid non necessarium. Dico Quartò, Si quis addit aliquid ad formam tãquam necessarium ad illam, putans sine eo non confici Sacramentum, si tamen hoc verum sit, & intendat facere id quod facit vera Christi Ecclesia, efficitur Sacramentum: vt si quis putet formã Græcorum, *Baptizetur seruus Christi*, esse necessariam, & nitatur hunc ritum tanquam necessarium inducere in Ecclesiam latinam. Similiter si putet esse dicendum *In nomine Patris omnipotentis &c.* aut illa verba, *Noui & æterni Testamenti &c.* esse necessaria &c. Ratio est, Quia verè intendit facere, quod facit Christi Ecclesia; & vtitur forma quæ in substantia idem valet; & quamuis putet hæc vel illa verba esse necessaria, quę tamen non sunt, hoc non obstat; quia non excludit legitimam intentionem faciendi Sacramentum per ea quę reipsa necessaria sunt. Non enim Minister tenetur semper scire, quæ verba sint de substantia formæ, vel non.

Dices, Quid si sciret veram Christi Ecclesiam sentire illa verba non esse necessaria ad substantiã Sacramenti, imò prohibuisse ne addantur, & ipse nihilominùs vellet addere tanquam necessaria.

Mens D. Thomæ. Respondeo, Tunc præsumitur non habere legitimam intentionem. Et sic intellige D. Thomam in *Corpore*, cùm ait; *Si per illam additionem vel diminutionem intendat inducere ritum qui non sit ab Ecclesia receptus, aut de industria corrumpat verba, non videtur perfici Sacramentum*; nempe quia præsumitur non habere legitimam intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Si tamen talis intenderet generatim facere, quod Christus instituit, & eatenus adhibere omnia, quatenus Christus requirit (quamuis id rarò fiat) verum conficeret Sacramentum, etsi putaret illam additionem esse de substantia, & vellet hunc ritum inducere in Ecclesiam. Idem dico, Si detrahat aliquid non necessarium, putans esse necessarium, modò prædictam intentionem habeat saltem conditionatè, nempe faciendi quod Christus instituit si quid fieri possit. Vnde patet non esse verum, quod ait Dominicus Soto scribens in hunc Articulum: Si Ecclesia damnaret ritum Græcorum, Græcos nihil effecturos; nam possunt Græci habere intentionem requisitam, & Ecclesia non potest facere, vt id quod erat legitima forma, desinat esse forma Sacramenti.

Petes, Quale peccatum est, aliquid mutare in formis Sacramentorum? 29

Quando possimus vti dubio Sacramento. Respondeo Primò, Si de industria, aut ex crassa negligẽtia fiat tanta mutatio, vt Sacramentũ reddatur irritum vel ambiguum, erit mortiferum sacrilegium. Idem dicendum de Materiæ mutatione. Ratio est, Quia est grauis irreuerentia irritum reddere Sacramentum; vel etiam exponere se huic periculo, quando id potest vitari. Quòd si id vitari nequeat, & alioqui salus proximi postulet, potes vti dubio Sacramento: Siue dubium sit ratione Materiæ; vt cùm quis absoluitur in extremis cum solis signis contritionis; Item, Si Confirmatio detur in solo oleo benedicto, eò quòd nusquam possit reperiri balsamum: Siue ratione subiecti; vt cùm infans baptizatur in solo digito, eò quòd reliquæ partes attingi nequeant: Siue ratione formæ; vt si egeas extremè baptismo, vel pœnitentiæ Sacramento, & Minister ex ignorantia vtatur forma ambigua. In his casibus necessitas excusat, ne censeatur irreuerentia.

Dico Secundò, Si tamen ex parua negligentia hęc mutatio fieret, esset solum veniale, quamuis Sacramentum esset irritum.

Dico Tertiò, Si ex distractione, potest esse nullum peccatum; nempe quando distractio est omnino inuoluntaria, & naturaliter accidit.

Dico

Dico Quartò, Si autem mutatio non irritet Sacramentum, nec etiam reddat ambiguum, non videtur esse peccatum mortiferum, etiamsi fieret ex crassa aliqua negligentia, modò absit contemptus, scandalum, intentio introducendi nouum ritum in Ecclesiã, vel damnandi ritum receptum. Vide Sotum dist. 1. quæst. 1. art. 8. Idem docent alij recentiores. Ratio est, Quia omnis talis mutatio censetur leuis.

QVÆSTIO LXI.

De Necessitate Sacramentorum.

In Quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Sacramenta sint necessaria ad humanam salutem?

1 REspondetur, Sacramenta esse necessaria; id est, valdè vtilia & congrua ad hominum salutem: Loquitur autem D. Thomas potissimùm de natura humana secũdùm se spectata, id est, secundùm naturalem suam conditionem, qua præscindit à statu peccati, & à statu supernaturali innocentiæ. Probat tribus rationibus. Prima, Quia humana conditio postulat ex sensibilibus ad spiritalia perduci. Secũda, Quia decuit, vt homo qui per peccatum se sensibilibus rebus subiecit, eisdem in pœnam & humilitatis exercitium subiacere cogeretur. Tertia, Quia præcipuum studium & affectio hominum est in rebus externis: vnde vt salubriter in illis occuparentur, decebat sub illis res spirituales tegi. Vnde Magister has tres causas complectens, ait Sacramenta instituta *propter instructionem, humiliationem, & exercitationem hominis in diuino cultu.*

Explicatur mens D. Thomæ.

ARTICVLVS II.

Vtrùm antè peccatum fuerint homini Sacramenta necessaria?

2 REspondetur, Ante peccatum, nempe in statu innocentiæ, Sacramenta non fuere homini necessaria, id est, multùm conuenientia.

Notandum est; Quosdam recentiores existimare in statu innocentiæ futurum Sacramentum Eucharistiæ, & consequenter etiam Sacramentum Ordinis. Addunt aliqui etiam Sacramentum Matrimonij. Ratio est, Quia existimant Christum venturum in carne, etiamsi Adam non peccasset; cuius Incarnatio fuisset significata per Sacramentum Matrimonij; & vnio nobiscum tanquam capitis cum membris per Eucharistiam; quæ etiam tunc fuisset sacrificium, tale enim sacrificium decebat talem statum.

Quidam existimãt.

3 Sed longè probabilius & verius est, in statu innocentiæ nulla futura Sacramenta gratiam conferentia. Primò, Quia hæc est communior sententia Doctorum. D. Thomæ hîc, & in 4. dist. 1. vbi Bonauentura, Richardus, Gabriel, Paludanus, Maior, & alij. Secundò, Quia probabilius est Christum non venturum in carne, si status ille perseueraſſet; vti dictum est in Tractatu *De Incarnatione*, qu. 1. art. 3. vnde illa Sacramenta non habuissent fundamentum meritorum quibus niterentur. Quod patet; Idcircò enim nostra Sacramenta sunt instituta, vt sint veluti instrumenta quibus applicentur nobis merita Christi: at in illo statu non fuissent vlla merita nobis applicanda, ratione quorum daretur gratia; ac proinde nec fuissent instrumenta applicatoria. Tertiò, Quia generatim ideò Sacramenta sunt instituta, quòd homini difficile sit rebus spiritualibus intendere, perfectè ad iustitiam se disponere, & opera supernaturalia meritoriaque facere; vnde necessarium erat institui Sacramenta, quibus facilè posset iustificari, & in iustitia crescere; alioqui paucissimi fuissent saluati, & hi valdè imperfecti. In statu autem innocentiæ omnes fuissent nati in iustitia originali, & ita non eguissent disponi ad iustitiam: facillimum quoque illis fuisset rebus spiritualibus insistere, & functiones omnium virtutum supernaturalium, quibus gratia assiduè creuisset, obire; quare non opus erat Sacramentis, quibus in iustitia crescerent. Sic explicari potest ratio D. Thomæ: Non enim decebat hominem in illo statu rebus inferioribus subijci, quibus ipse debebat dominari, aut per eas in gratia vel cognitione diuinorum mysteriorum perfici: nam in gratia per dignitatem operum facillimè creuisset, & cognitionem mysteriorum fidei traditione parentum facilè accepisset: Hæc enim pauca fuissent, vtpote connaturalia gratiæ; nec vllum fuisset obliuionis periculum. Denique non fuissent necessaria ad hoc, vt homines cognoscerent quando diuinitus sanctificarentur; nam hoc singuli sciuissent ex operum suorum cognitione. Quartò, Quia omnia nostra Sacramenta instituta sunt: vel in remedium peccati, vt Baptismus, Pœnitentia, & Vnctio; & Matrimonium quatenus est in remedium concupiscentiæ: vel ad augmentum gratiæ & robur contra tentationes, vt Confirmatio, Eucharistia: vel ad alia Sacramenta conficienda, vt Ordo. Sed in statu innocentiæ non fuisset opus Sacramentis ad remedium; quia abfuisset morbus peccati & concupiscentiæ: nec etiam ad augmentum gratiæ; quia gratia facillimè creuisset per opera: nec ad tentationum victoriam; quia tentationes internæ nullæ fuissent; externæ autem facillimè potuissent repelli.

Verius negatur.

Ratio cur generatim omnia Sacramenta instituta.

Dices, Sacramenta in eo statu fuissent necessaria ad alios fines; nempe ad cultum Deo corpore & animo exhibendum; ad fidei protestationem, & ad conspirandum in vnam religionem: ob quas causas credibile est futura sacrificia publica, & fortè etiam imagines maximè hominum & Angelorum.

Respon-

In statu innocentiæ fuissent certæ cæremoniæ.

Respondeo, Ad hos fines valdè probabile est in illo statu futuras certas cæremonias diuinitus inspiratas, & in toto humano genere seruandas; vt rectè docet Durandus dist. 1. quæst. 2. & insinuat D. August. lib. 8. de Genesi ad Literam c. 4. cùm ait, *Nec sine Mysterijs rerum spiritualium corporaliter præsentatis voluit Deus hominem in Paradiso viuere:* hæ tamen cæremoniæ non debebant idcircò esse Sacramenta, quia non contulissent gratiam internam aut externam ex opere operato; quod necessarium est ad rationem Sacramenti. Quòd si in eo statu aliqui peccassent, satis fuisset remedium contritionis; nam pauci lapsi fuissent, & hi facilè resipuissent per gratiam præuenientẽ, suâ miseriâ & aliorum felicitate edocti.

ARTICVLVS III.

Vtrùm post peccatum ante Christũ debuerint esse Sacramenta?

4 Respondetur Affirmatiuè. Ratio est, Quia homo post peccatum non potuit saluari, nisi per fidem Christi: ergo debebat hanc fidem quibusdam cæremonijs externis protestari; quæ cęremoniæ dicuntur Sacramenta. Patet consequentia: Quia debebant colere Messiam futurum, & excitare eius desiderium & sanctificationis per ipsum conferendæ; denique eius fidem & cognitionem fouere: hoc enim totum auctori salutis est debitum.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm post Christũ debuerint esse aliqua Sacramenta?

Respondetur, In lege noua debebant esse aliqua Sacramenta distincta à Sacramentis legis Veteris. Probatur Primò, Quia aliter debent præfigurari futura, aliter repręsentari iam prędentia vel exhibita. Atqui Sacramenta legis Veteris præfigurabant mysteria Christi futura, nostra autem debent repræsentare iam exhibita: ergo debent esse distincta. Vide D. Augustinum lib. 19. contra Faustum c. 13. & 16. Secundò, Quia status nouę legis est perfectior tùm cognitione, tùm gratia: ergo & eius Sacramenta debent esse perfectiora tùm in significando, tùm in efficiendo. Tertiò, Sacramenta vetera tantummodò erant idonea ad pædagogiam infantium in fide: ergo inepta statui nouæ legis, qui est virilis. Quartò, Quia illa Sacramenta erant vmbræ, figurę, parabolæ instantis temporis, exemplaria cœlestium, ad Hebręos 9: ergo debebant euanescere, veritate succedẽte, & alia institui quæ verè essent cœlestia. Quintò, Quia homini difficillimum est disponere se ad gratiam, insistere rebus spiritualibus, & operibus supernaturalibus vitæ æternæ meritorijs: ergo necessarium fuit illi subuenire quibusdã cæremonijs externis, quibus sine magno labore gratiam consequeretur; alioqui pauciſsimi saluati fuissent; quod non est consentaneum statui nouæ Legis, qui est status gratiæ & misericordiæ. 5 Affirmatur

QVÆSTIO LXII.

De principali effectu Sacramentorum, qui est Gratia.

In Sex Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Sacramenta sint causa Gratiæ?

1 Error cõmunis hæreticorum nostri temporis.

Respondetur Affirmatiuè. Notandum est, Omnes Hæreticos huius temporis consentire, quòd Sacramenta non conferant gratiam, sed sola fides: Sacramenta autem esse dumtaxat cæremonias quasdam, quibus fidem nostram coram Ecclesia profitemur: ita Swinglius & Buccrus. Vel symbola quędam bonorum operum; Exempli gratia, Baptismum esse signum afflictionum, quas Christiani debent perferre; & ob hunc finem dumtaxat Baptismum sumi; ita Anabaptistæ. Vel esse signa, quę significent nos iustificari per fidem, qua diuinas promissiones apprehendimus, dum applicantur Sacramenta: ita Lutherani. Vel denique esse signa & figilla, quibus Deus testetur conscientijs nostris nos anteà esse iustificatos per fidem vel nostrã vel parentum: ita Caluinistæ. Vnde omnium Hęreticorum sententiâ, Sacramenta per se nihil conferunt, sed sola fides: ipsa autem sunt nudæ cæremoniæ, & arida signa, non minùs quàm cęremonię veteris Legis; quod olim tenuere Caiani apud Tertullianum, contra quos scripsit librum de Baptismo; & Armeni, teste Guidone, verbo *Armeni.*

Dico Primò, Sacramenta nouę Legis non sunt causa primaria gratiæ nec efficiens, nec meritoria: primaria enim efficiens est solus Deus per diuinitatem; meritoria est Christus Dominus per humanitatem. a

Dico Secundò, Certum tamen est de fide, omnia Sacramenta nouæ Legis per se & ex opere operato conferre gratiam sanctificantem non ponentibus obicem.

Vbi nota; Sacramenta dici conferre gratiam ex opere operato, ob duas causas: Prima, Quia eam conferunt non quà opus hominis, sed quà opus Dei; id est, quatenus sunt opus à Deo institutum: vnde *Ex opere operato* idem est, ac si dicas, *Ex diuina institutione:* quomodo etiam actus internus, vt nuda fides, vel attritio conferret gratiam ex opere operato, si Deus decreuisset hominẽ per tales actus sanctificare. Secunda, Quia Sacramenta gratiam Conferunt gratiam ex opere operato.

gratiam conferunt, non ratione operis interni, vt fidei, vel deuotionis ministri, aut suscipientis, sed ratione operis externi: actus enim internus respectu operis externi est veluti opus operās, actus externus est opus operatum, quia procedit ab interno. Significantur itaque, hoc modo loquendi, Sacramenta conferre gratiam, non ex deuotione, fide, aut merito aliquo suscipientis vel ministri, sicut oratio, elcëmosyna, ieiuniū, quæ solùm ex deuotione suscipientium sanctificant: sed ex ipso opere externo diuinitus instituto ad sanctificandum: quod D. Augustinus significat, cùm ait; *Parvulum vi Sacramenti sanctificari:* lib. 1. de Peccatorum meritis & remiss. cap. 18. Item cùm ait; *Sacramentum ipsum per seipsum in parvulis valere plurimum:* lib. 4. de Baptismo cap. 24. Vnde etiamsi hæc locutio *Ex opere operato* dumtaxat à quadringentis annis vsurpata fuerit, tamen Patres idem alijs verbis significarunt.

Non excluditur fides &c. in suscipiente Sacramenta.

Aduerte tamen, non excludi fidem, deuotionem, pœnitentiam, similesque bonos motus in adultis; quia sunt dispositiones subiecti necessariæ vt Sacramentum vim suam exerceat. Sicut enim in rebus naturalibus, vt forma introducatur à generante, requiruntur certæ dispositiones in subiecto; ita quoque vt Sacramenta producant in nobis illam diuinam formam, qua efficimur iusti & similes Deo, requiritur in adultis quædam dispositio.

3

1. Probatur ex Concilijs.

His positis. Probatur Propositio Primò, Quia hæc veritas definita est in Concilio Tridentino sess. 7. can. 6. *Si quis dixerit Sacramenta nouæ Legis non continere gratiam, quam significant; aut gratiam ipsam, non ponentibus obicem, non conferre, quasi signa tantùm sint externa accepta per fidem gratiæ aut iustitiæ, Anathema sit.* Et Can. 8. *Si quis dixerit ipsa nouæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferre gratiam, sed solam fidem diuinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, Anathema sit.* Idem tanquam dogma Ecclesiæ traditur à Concilio Florentino: *Nouæ legis*, inquit, *sunt septem Sacramenta, quæ multùm differunt à Sacramentis antiquæ Legis: hæc enim non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam esse figurabant: nostra, & continent gratiam, & eam dignè suscipientibus conferunt.* Eadem veritas constat ex Concil. Constantinopolitano primo, in cuius Symbolo habetur *Credimus vnum Baptisma in remissionem peccatorum.*

2. Ex Scripturis, de singulis Sacramentis.

Probatur Secundò ex Scripturis de singulis Sacramentis. De Baptismo, Ioannis 3. vers. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei:* vbi regeneratio tribuitur Baptismo & Spiritui sancto, quia Spiritus sanctus in Baptismo regenerat. Respondet Caluinus aquam accipi pro Spiritu sancto, hoc sensu, *Ex aqua*, id est, *Ex Spiritu sancto*, qui *Spiritus sanctus* dicitur *Aqua*; quia irrigando fideles animas, vice aquæ fungitur; sicut, inquit, Matth. 3. v. 11. dicitur de Christo, *Ille est qui baptizat in Spiritu S. & igne*, vbi *Ignis* est ipsemet *Spiritus sanctus*. Sed fallitur Caluinus, nam omnium consensu *Ignis* hîc propriè accipitur: loquitur enim Ioannes de aduentu Spiritus sancti; qui in igne descendit super Apostolos. Deinde est contra omnes Patres, qui ex illo loco Ioannis 3. necessitatem baptismi colligunt. Tertiò, Quia ineptissima esset ista locutio: quis enim sapiens ita loqueretur, *Baptizabit vos aqua & Spiritu sancto*, id est, *aqua, quæ est Spiritus sanctus*. Item *Baptizabit Spiritu sancto & igne*, id est, *Spiritu sancto, qui est ignis*. Vnde manifestum est Dominum loqui de vera aqua, eamque facere causam regenerationis. Quod confirmatur ad Titum 3. vers. 5. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti:* vbi Apostolus videtur alludere ad illa Christi verba, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto.* Similiter ad Ephesios 5. vers. 26. *Mundans eam*, nempe Ecclesiam, *lauacro aquæ in verbo vitæ*. vbi per lauacrum nos mundari à Deo apertè dicitur. Actorum 2. vers. 38. *Baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* 1. Petri 3. vers. 21. *Quod & vos nunc similis formæ saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium*, id est, non quia sordes carnis abluit, *Sed bonæ conscientiæ interrogatio in Deum*, id est, quia bonam Conscientiam erga Deū gignit, per quā cum fiducia tractamus cum Deo.

Soluitur obiectio Caluini de Baptismo.

Secundò, De Confirmatione. Actorū 8. & 19. Per manuum impositionē datur Spiritus sanctus.

Tertiò, De Eucharistia. Ioannis 6. vers. 54. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*, id est, Ius ad vitam æternam.

Quartò, De Pœnitentia. Ioannis 20. vers. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Quintò, De extrema Vnctione. Iacobi 5. v. 16. *Si in peccatis fuerit, remittentur ei.*

Sextò, De Ordine. 2. ad Timòt. 1. vers. 6. *Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum.*

De Matrimonio suo loco probabimus. Omitto Patrum sententias quas Hæretici non negant, sed dicunt eos hyperbolicè loqui.

4

3. Ratione.

Probatur Tertiò Ratione: Sacramenta vetera præter significationem operabantur iustificationē carnis; vt patet ad Hebr. 9: ergo nostra operantur iustificationem animæ; quia ita se habent nostra ad conscientiam, sicut illa ad carnem. Vide Chrysost. homil. ad baptizandos tomo 5. Secundò, Quia per nostra Sacramēta dicimūr *Induere Christum, commori Christo, accipere remissionem peccatorum, regenerari, renasci, saluari, accipere vitam æternam*, vt patet ex varijs Scripturæ locis; quæ tamen nunquam tribuuntur Sacramentis veteribus: ergo non sunt nuda signa, sed efficiunt quod significant; alioqui dici posset etiam Iudæos per suas cæremonias fuisse iustificatos; quod est apertè contra Apostolum ad Hebræos 9. Tertiò, Quia parvuli per totam Ecclesiam baptizantur, & in illis baptismus ipse *Per se valet plurimū*, vt inquit August. lib. 4. de Baptismo cap. 24. & tamen non habent fidem parvuli: ergo Baptismus non habet suam efficaciam per fidem. Quòd autem Lutherani dicunt in parvulis accelerari vsum rationis, nimis ridiculum est.

DVBIVM I.

Vtrùm Sacramenta aliquando conferant primam gratiam iustificationis?

5

Sententia negans.

QVidam Doctores negant in adultis Sacramenta posse conferre primam gratiam; quia existimant in eis semper requiri veram contritionē, nempe quæ procedit ex dilectione Dei super omnia, qua posita statim datur gratia iustificationis, etiamsi reipsa absit Sacramentum.

Reijcitur.

Sed Dico Primò, Hæc sententia non est probabilis. Probatur; Quia Baptismus, & Pœnitentia sunt instituta ad tollendum peccatum mortiferũ, & quasi ad viuificandũ mortuum: ergo aliquando debent tollere peccatũ mortiferum, & consequẽter conferre primam iustificationem; alioquin nunquam haberent effectum primarium, ad quem sunt instituta. Dices, Conferunt remissionẽ peccati in voto, cùm quis iustificatur per contritionem antecedentem. Contrà; hoc non sufficit, quia dum quis iustificatur per contritionem cum voto Sacramenti, ipsum Sacramentum nihil confert ex opere operato, sed sola contritio iuxtà suam mensuram; ac proinde Sacramentum ex opere operato nunquàm conferet primarium suum effectum, sed semper eum supponet. Hinc etiam fiet, vt remissio peccatorum non sit facta facilior per Sacramenta, quàm erat olim in lege veteri: quod est apertè contra Scripturas.

6 Omnia Sacramenta possunt conferre primam gratiam iustificationis.

Dico Secundò, Etsi non omnia Sacramenta sint instituta, vt conferant primam iustificationem; tamen omnia in euentu possunt eam conferre. Prior pars patet de Confirmatione, Eucharistia, Ordine, Matrimonio: hæc enim postulant, vt suscipiens non sit in peccato mortifero, vel saltem vt bona fide se putet non esse; vnde dicuntur Sacramenta viuentium. Altera pars est D. Thomæ passim, & communior sententia Doctorum. Ratio est, Quia omnia Sacramenta vi sua conferunt aliquem gradũ gratiæ: ergo si subiectũ habeat eam dispositionem, per quam infusionis gratiæ est capax, & aliunde non obijciat actuale impedimentum, semper illum conferent. Atqui homo per attritionem est capax infusionis gratiæ, vt patet in Baptismo; & cùm bona fide putet se habere veram contritionem, non ponit actuale impedimentum: ergo omne Sacramentum tunc confert primam gratiã iustificationis. Confirmatur Primò, Quia non requiritur maior efficacia ad infusionem primæ gratiæ iustificantis, quàm ad augmentum: ergo quod per se confert augmentum, etiam poterit conferre primam gratiam, si ex parte subiecti non sit repugnantia. Confirmatur Secundò, Quia sicut Sacramenta instituta ad primam gratiam cõferendam, tribuunt augmentum, si primam inueniant collatam; vt patet cùm quis accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ cum vera contritione: ita Sacramenta, instituta primariò ad augmentum, conferent primam gratiam, si eam non inueniant. Dicuntur autem tunc *Per accidens conferre primam gratiam*, quia primariò instituta sunt ad augmentum, ita vt ad hoc solùm ex intentione possint adhiberi. Voluit tamen Dominus, vt si adhiberentur bona fide ad augmentum in subiecto vacuo, habẽte tamen dispositionem non repugnantem, tunc etiam primam conferrent præter primariam & directam intentionem suscipientis.

Cur dicuntur per accidens eam conferre.

DVBIVM II.

Quando Sacramenta conferant gratiam?

7 SVppono; Sacramenta non conferre gratiam ex opere operato ante realem susceptionem; alioqui conferrent etiam characterem, & cum attritione sola iustificarẽt. Ratio est, Quia instituta sunt, vt suo vsu externo sanctificent: hoc enim est *Ex opere operato sanctificare*. Et colligitur Ioannis 6. v. 54. *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternã.* Et Marc. 16. v. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Nec obstat, quòd Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ dicuntur in voto conferre gratiam: sensus enim est, contritionem non conferre gratiam sine voto expresso vel implicito Baptismi vel Pœnitentiæ: tota tamen gratia datur ratione dignitatis & perfectionis illius contritionis, non secùs ac in lege veteri. Neque tunc Sacramentum aliquid confert, nisi quatenus obiectiuè potest facere actum internum nobiliorem. Dicitur tamen in voto conferre gratiam, quia võtum Sacramenti ex præcepto diuino positiuo annexum est contritioni. Similiter non obstat, quòd Doctores dicunt effectum Sacramenti interdum recipi per Sacramenti votum; quod etiam insinuat Concil. Trident. sess. 13. c. 8. solùm enim volunt talem gratiã conferri, qualis Sacramento confertur; quæ gratia dicitur effectus Sacramenti, non relatione effectûs, sed similitudine naturæ: sicut dicimus effectum ignis etiam produci à sole. Hoc posito: & omissis varijs sententijs:

Quid sit, Baptismum vel Pœnitentiam in voto dare gratiam.

8 Gratia confertur in primo instanti completionis Sacramẽti.

Dico, Sacramentum cõferre gratiam in primo instanti, quo vltima syllaba formulæ est prolata, dum illa adhuc sonat & sensibilis est. Ratio est, Quia tunc primùm significatio est perfecta, & ipsum Sacramentũ essentialiter completum, etiãsi illa syllaba solũ per vnum instans sonaret. Quòd autem detur tale instans; Probatur; Quia sonus non est motus, sed qualitas quædam orta ex collisione duorum corporum; quę collisio terminatur in instãti, & in eodem instanti videtur esse sonus. Quòd si dicas, Sonum non esse in eodem instanti, in quo terminatur collisio, eò quòd motu aëris debeat diffundi; nihilominùs fatendum est dari primum instans, in quo sufficienter est diffusus, vt sit sensibilis; & in hoc gratia confertur. Nec obstat, quòd iste sonus posteà per aliquod tempus duret; quia id per accidens est Sacramento; sicut per accidens est quòd aqua magnam vel paruam corporis partem tangat; datur enim aliquis minimus contactus necessarius ad rationem Sacramenti. Aduerte tamen; Si ablutio, vel vnctio sequatur vltimam syllabam formæ, qua significatio completur, gratiam conferri in instanti contactus sufficientis materiæ. Ratio est, Quia tunc primum Sacramentum completur: vniuersaliter enim verum est gratiam conferri in primo instanti completionis Sacramenti.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Gratia Sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum & donorum?

9 RESpondetur, Addere quoddam diuinum auxilium ad consequendum Sacramenti finem. Notandum est; Quosdam existimare, Sacramenta conferre nouos quosdam habitus distinctos à virtutibus & donis Spiritus sancti, per quos instaurentur in nobis varij defectus peccatorum. Sed est contra communem sententiam Doctorum. Vnde

Dico Primò, Per Sacramenta non producuntur in nobis aliqui habitus gratiarum distincti à gratia habituali & virtutibus seu donis: excipio tamen

Per Sacramenta non producuntur noui habitus à gratia & donis S. Spiritus distincti.

tamen Characterem, de quo modò non est sermo. Est communis sententia Doctorum præter Paludanum dist. 2. quæst. 3. Probatur Primò, Quia fortasis non est possibile aliquod donum habituale gratum faciens distinctum ab habitibus gratiæ & virtutum. Secundò, Quia gratia cum annexis virtutibus abundè disponit animam & eius potentias ad omnes functiones Christianæ vitæ, & instaurat defectus potentiarum: ergo non requiritur alia interior dispositio, sed sufficit auxilium speciale, quo ad has functiones vires animæ excitentur & adiuuentur. Dices; Actiones Sacramentales sunt distinctæ ab actionibus virtutum; quia non poterant obiri à iustis veteris testamenti, etsi omnibus virtutibus instructis. Respondeo: Omnes functiones Sacramentales pertinent ad virtutes ordinarias, scilicet ad virtutem Religionis, Iustitiæ, Charitatis. Quòd autem iusti veteris testamenti eas obire nequiuerint, est propter opus externum, quod non habet rationem Sacramenti, aut effectum, nisi ex institutione & singulari operatione diuina.

10 Quid addat gratia Sacramentalis supra habitus gratiæ & virtutum in singulis Sacramentis.

Dico Secundò, Gratia Sacramentalis supra habitum gratiæ & virtutum, addit quandam peculiarem ordinationem Dei ad consequendum proprium effectum Sacramenti, & præterea auxilium speciale ad eundem finem. Ita D. Thomas cum Caietano hoc loco, & reliqui Doctores dist. 1. qui in hoc omnes conueniunt.

Explicatur in singulis Sacramentis. Gratia Baptismi nihil est aliud quàm habitus gratiæ & virtutum, quatenus ordinatur ad primam sanctificationem in vita: & proinde ad regenerationem spiritualem, seu ad primum esse spiritale hominis; quod quia perfecto modo confertur in lege noua Euangelica, tollitur non solùm omnis culpa mortifera & venialis, sed etiam omnis reatus pœnæ. Quòd si contingat hominem anteà esse iustificatum per contritionem & charitatem, id per accidens est; nam Baptismus ex sua primaria institutione respicit hunc effectũ: vnde quando sine Baptismo quis iustificatur, non tollitur omnis reatus. Addit præterea Baptismus auxilia quædam specialia ad seruandam vitæ nouitatem, quia est diuinæ legis professio, sicut Circumcisio erat professio legis veteris: & ad alia Sacramenta ritè suscipienda; quia est ianua Sacramentorum.

Gratia Confirmationis, Est habituale augmentum gratiæ & virtutum, ordinatum ad constanter retinendam fidem, eiusque professionem; & auxilium speciale ad eumdem effectum.

Gratia propria Eucharistiæ, Est habituale augmentum gratię & virtutum, quatenus ordinatur ad actus charitatis, & deuotionis, & spiritalis cõsolationis; præterea auxilium speciale ad eumdem finem.

Pœnitentiæ gratia, Est habitus gratię & virtutum, quatenus ordinatur ad primam sanctificationem post lapsum à baptismo, seu ad resurgendum à peccato post baptismum commisso: vnde non datur per modum regenerationis, sed spiritalis curationis à morbo lethali: Præterea, dantur auxilia quædam ad efficaciùs dolendum de peccatis, vitam emendandam, & satisfactionem præstandam.

In extrema Vnctione datur gratię & virtutum habitus, ad reliquias peccatorum abstergendas, ad animi alacritatem, & ad robur contra tentationes in extrema illa lucta: præterea auxilium speciale ad eumdem finem.

In Ordine datur augmentum habituum, & auxilium speciale ad sacrum ministerium.

In Matrimonio, Ad mutuum amorem coniugũ, ad fidem coniugalem, prolisque educationem.

Ex his patet propositio: Quia cùm Sacramenta ordinentur ad varios effectus, (frustrà enim alioqui esset ista varietas) necesse est dona habitualia, quæ per illa producuntur, ad illos effectus ordinari: Et quia habitualia dona non sufficiunt, addunt etiam diuersa auxilia specialia ad eosdem fines, quæ consistunt in actuali motione Spiritus sancti. Quod confirmatur, Quia cùm omnia Sacramenta conferant primariò gratiam, & consequenter dona habitualia annexa (vt colligitur ex Concil. Tridentino sess. 7. de Sacramentis in genere can. 6. 7. 8. vbi definit *Omnia Sacramenta conferre & continere gratiam*; loquitur autem de gratia iustificationis, vt patet can. 4. quæ gratia iustificationis continet habitum gratiæ & virtutum annexarum, vt colligitur sess. 6. cap. 7.) non possent commodè ad diuersas functiones & effectus referri, nisi conferrent diuersa auxilia specialia: Nam hæc sunt quibus magis ad hoc opus, quàm ad illud inclinamur. 11 Explicatur Ratione.

Dices Primò, Sacramenta conferunt suos effectus, dum applicantur; sed ista auxilia specialia non dantur tunc, sed postea quando opus est, & Deo videtur: ergo non sunt effectus Sacramenti.

Quando & quomodo dentur specialia auxilia per Sacramẽta. Respondeo; Quando Sacramentum suscipitur, dantur ista auxilia in actu primo; in actu verò secundo, dantur suo tempore. Dicuntur autem in actu primo dari, quia incipiunt adesse homini quasi per modum habitus: Deus enim singulari modo assistit paratus dare auxilium ad cõsequendum & retinendum Sacramenti finem pro loco & tempore; ita vt quodammodò in hominis potestate sit habere illud in actu secundo: sicut virtus miraculorum, & donum Prophetiæ adest Sanctis in actu primo, etiam dum non prophetant, aut miracula faciunt.

Dices Secundò, Ipsis habitibus debitum est per se auxilium speciale necessarium ad operandum; sicut omni rei & virtuti creatæ debitum est lege ordinaria auxilium necessarium ad eius functionem: ergo hoc auxilium speciale non datur ratione Sacramentorum, sed ratione habituũ quæ per Sacramenta dantur.

Solutio notanda. Respondeo; Auxilium speciale debitum ipsis habitibus per se consideratis, est valdè exiguum; & fortè non est aliud quàm auxilium concomitans, seu diuina cooperatio. Vnde est omnino insufficiens & ad illos habitus in tam fragili subiecto conseruandos, & ad functiones illorum saltem per longum tempus obeundas; vt docet D. August. de Corrept. & gratia c. 12. vnde oportebat, vt daretur maius auxilium, quàm ipsis habitibus per se sit debitum, scilicet auxilium præueniens, quod hominem excitet & corroboret; & hoc auxilium datur propter Sacramenta, per quæ Christi merita ad varios effectus nobis applicantur, quæ sunt causa meritoria omnium illorum auxiliorum.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Sacramenta nouæ Legis contineant gratiam?

12 RESpondetur, Continent gratiam tanquam signa, & causæ gratiæ.

Notandum est, hanc propositionem, *Sacramenta continent gratiam*, esse de fide. Est definita in Concilio Florentino, & expressè in Tridentino sess. 7. can. 6. Significat autem Sacramenta non esse nuda, & arida signa, sed fœcunda, vt quæ in seipsis gratiam tamquam causæ instrumentales contineant. Cùm enim contineant Christi merita, necessariò etiam continent gratiam illis meritis debitam. Ratione huius continentiæ dicuntur *Vasa gratiæ* phrasi Scripturæ, quæ instrumenta vocat *Vasa*; vt *Vasa mortis* Psalmo 7. id est, instrumenta, quibus Deus mortem infert: Psalmo 70. *Vasa Psalmi*, id est, Psalteria: Iudith 16. *Vasa bellica*, id est, gladij & quæuis alia instrumenta. Vel dicuntur *Vasa gratiæ*: quia sicut pixis vnguentaria non habet à se medicamentum quo sanet, sed à medico; ita Sacramenta non sua virtute sanant, sed virtute medicamenti impositi, id est, sanguinis & meritorum Christi, quod medicamentum Christus medicus in eis posuit.

Sacramenta dicuntur vasa Gratiæ.

Hinc patet Calumnia hæreticorum, qui hunc modum loquendi traducunt, tamquam velimus ipsam gratiam reipsa esse in Sacramentis, sicut liquor est in vase. Ita Caluinus lib. 4. Institut. dist. 14. §. 17.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm in Sacramentis sit aliqua virtus Gratiæ causatiua?

13 QVidam existimant in Sacramentis esse aliquam vim supernaturalem creatam, quæ gratiæ, vel certè dispositionis ad gratiam, sit effectrix. Sed hæc sententia passim ab omnibus reijcitur: tùm quia non videtur talis vis creata possibilis, præsertim quæ possit inhærere sono verborum; tùm quia nulla est dispositio, ad quam necessariò sequatur gratia, præter contritionem vel dilectionem Dei super omnia, quæ sunt actus vitales; vnde nō possunt à causa externa immitti. Omitto alia. Vide quæ dicta sunt suprà in materia de Incarnat. quæst. 13. art. 2. dub. 1. 2. & 3. & Durandum dist. 1. quæst. 4. qui optimè hanc sententiam refutat.

Vis intrinseca effectrix Gratiæ.

Reijcitur

14 Alij censent non dari Sacramentis vim aliquam extrinsecùs; sed ipsam materiam & formam, v. g. ablutionem externam, & sonum verborum habere imò esse potentiam obedientialem actiuam ad producendam gratiam, & quidquis aliud, Deo singulari modo concurrente & cooperante.

Potentia obedientialis.

Sed hæc sententia est noua, & ex parte refutata suprà qu. 13. estque contra communem Doctorum veterum, & etiam recentiorum sententiam.

Præter rationes suprà allatas, probatur alijs & proprijs. Primò, Actio Sacramentorum est actio signorum; id enim efficiunt Sacramenta, quod significant: vnde etiam fit, vt non efficiant, nisi completa significatione. Atqui actio signorum non est per modum potentiæ actiuæ realiter influentis, sed per modum causæ moralis, scilicet mediante intellectu & voluntate eius, qui illa signa instituit: vt patet in illis signis, quibus conferuntur dignitates, dominia, possessiones; item in signis Magicis. Ergo impertinens, & aliena à ratione Sacramenti est illa actio per sonum materialem verborum; nam hæc actio non conuenit sono, quatenus est significatiuus, sed sono quatenus est sonus quidam moralis. Confirmatur ex D. August. tractatu 80. in Ioannem, vbi ait verbum Sacramentale operari, *non quia dicitur*, id est, non sono externo, *sed quia creditur*, id est, per rem significatam.

Refutatur Rationibus

1. Ratio.

Secundò, Actio Sacramenti debet fieri per totum Sacramentum, scilicet per formam verborū, & materiam; atqui illorum sententiâ solùm fit per sonum vltimæ syllabæ, vel per indiuisibilem terminū illius soni, qui non est de substantia Sacramenti: ablutio autem & vnctio nunquā concurrit iuxtà illos, nisi simul in eodem instanti compleatur cum forma verborum; quod nunquam vel rarissimè contingit: ergo ille modus operandi nō est Sacramentalis. Respondent, Actionem per totum Sacramentū censeri fieri, quia fit per vltimum terminum, vt habet ordinem ad omnia antecedentia. Sed contrà; Hoc nihil est aliud, quàm totum Sacramentū facere causam moralem, præter vltimum terminum, qui non est Sacramentū, nec pars Sacramenti, iuxtà illorum sententiā: sicut terminus motus non est pars motus: vnde frustrà attribuitur illi actio propria & influxus realis.

2. Ratio.

Tertiò, Id quod agit per influxum physicum, debet formaliter esse quid physicum & reale, totū simul existens, & præsens subiecto in quod agit. At Sacramentū formaliter est quid morale pendēs ex lege diuina & institutione extrinseca, cuius materia & forma tum in seipsis fluxa sunt, tum inter se possunt etiam tempore distare: vt patet tum in cæteris, tum in Pœnitentia & Matrimonio: & habent effectum in rem distantissimam; vt patet in contractu Matrimonij, & fortè etiam in Sacramento Pœnitentiæ; quæ omnia sunt signa non habere influxum physicum.

3. Ratio.

Quartò, Sacramenta sunt instituta, vt per ea applicētur nobis Christi merita; quę, nisi sic applicentur, effectum in nobis non habent, scilicet remissionem peccatorum & iustificationem: vnde Christi merita dicuntur operari in Sacramentis & per Sacramenta, quia ex diuina ordinatione merita ijs annexa nobis applicantur; sicut calor impressus aquæ applicatur nobis per aquam, & est id quod in aqua & per aquam operatur in nobis. Atqui merita Christi non sunt causa gratiæ influxu physico, sed morali; sicut merita nostra non sunt causa augmenti gratię vel glorię influxu physico: ergo neque Sacramenta, quæ solùm operantur quatenus hęc merita applicant. Cōfirmatur: Quia alioqui Sacramenta perfectiori modo nos sanctificarent, quā Christi merita & sacratissima Passio. Quòd autem quidam dicunt, quòd Christi merita, etiamsi præterita sint, diuinitus possunt assumi vt instrumenta physica, quia aliquando realem existentiam habuerunt, passim reijcitur tanquam contradictionem implicans. Nam vt aliquid realiter habeat influxum, debet habere esse reale; hoc enim omnibus supponitur; alioqui aliquid posset seipsum in esse primo producere.

4. Ratio.

Quintò,

5. Ratio. Quintò, Sacramenta sæpè conferunt suos effectus, postquã desierint esse: vt patet cùm quis baptizatus est in proposito peccati mortalis, qui gratiam baptismi posteà accipiet, quando de hoc peccato dolebit: quod est signum causalitatem Sacramentorum nõ esse per realem influxum ipsorum. Similiter auxilium speciale est etiam effectus Sacramentorum, quod tamen non confertur totum dum Sacramentum suscipitur, sed posteà suis temporibus.

6. Ratio. Sextò, Sacramenta dicũtur esse instrumenta humanitatis Christi: atqui nõ possunt esse instrumẽta physica, quia potentia obediẽtialis nulli creaturę est subiecta; non enim potest vna res creata alterã effectiuè eleuare ad productionẽ effectus supernaturalis, quia non potest ei concursum supernaturalẽ supplere; hic enim concursus est causa principalis supplens id quod instrumento deest.

15 Respondeo igitur, Probabilius videri Sacramenta non habere virtutem aliquam creatam, qua gratiam conferant; nec ipsam actionem materialẽ, aut sonum verborum habere influxum realem in effectum Sacramenti: sed duplicem in Sacramentis esse virtutẽ gratiæ productiuã. Prior est moralis, scilicet Christi meritum, quod ipse singulis Sacramentis attribuit, vt per ea nobis applicetur. Sunt enim Sacramenta veluti vasa quędã plena Christi sanguine & merito, cuius virtute nos sanctificant; vnde non sunt nuda signa, ad quorum præsentiam Deus sanctificet, sed simul repræsentant, & reipsa exhibent ipsum pretiũ: vnde ab huiusmodi signis differunt, sicut bursa auro plena à Chyrographo; & sicut Chyrographum cum Hypotheca à Chyrographo nudo. Altera est virtus Dei increata intimè prędens Sacramentis, quę in ipsis, & per ipsa operatur. Nec obstat quod hæc virtus sit in omnibus rebus: quia non est in omnibus determinata ad conferendã gratiam, sed in solis Sacramentis: vnde in cæteris se habet, ac si in eis non esset: in Sacramentis autem se habet, tanquam in illis verè & propriè existens, sicut propria illorum virtus. Hoc videtur significare D. Augustinus, cùm ait Tract. 80. in Ioan. *Vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud est virtus manens.* Hæc *virtus manens* non videtur alia, nisi *virtus diuina*, vel certè *virtus meritorum Christi*. Nec obstat, quòd hanc potiùs assignet *verbo*, quàm *elemento*; quia non operatur hæc virtus, nisi *verbo accedente ad elementum, fiat Sacramentum*, vt ipse ait.

Sacramenta causant gratiam, moraliter per merita Christi, physicè per virtutem diuinam assistentem.

Augustin.

Idem Confirmatur ex alijs Patribus; Cyrillo Ierosolymitano Cathechesi 3. Illuminatorum, *Aqua*, inquit, *simplex, per inuocationem Trinitatis virtute accepta sanctitatem consequitur*; quod non potest intelligi de virtute creata, nec de potentia obediẽtiali, quæ semper adest; sed de virtute diuina, vel meritis Christi. Chrysostomus homilia 35. in Ioannem ait, Baptismum esse plenum potestatis & gratiæ, & purgare peccata. Hieronymus Dialogo contra Luciferianos, *Neque est aqua*, inquit, *quæ lauat animam, sed prius ipsa lauatur à Spiritu S. vt alios lauare spiritaliter possit*, scilicet dum virtutem ex Christi meritis concipit. D. August. tum alibi, tũ lib. 19. contra Faustum c. 17. *Aqua & omnis illa actio corporalis quæ agitur, tum cùm baptizamur, fit & transit; virtus tamen, quæ per ipsa opera operatur, iugiter manet, & donum spirituale æternum est*: vbi videtur loqui de virtute meritorum Christi. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioan. cap. 42. *Quemadmodum viribus ignis aqua intensius calefacta, non aliter vrit, quàm ipse ignis; sic Spiritus sancti operatione, aqua, qua baptizati corpus aspergitur, reformatur ad diuinam virtutẽ & potentiam.* D. Leo sermone 4. de Natiuitate, *Eodem Spiritu sancto repleri fontem baptismatis, vt ex eo homo regeneretur; qui repleuit vterum Virginis, vt Christus conciperetur.* Beda in 3. c. Lucæ; *Aquam ex contactu carnis Christi vim regenerationem accepisse.*

Confirmatur ex Patribus. Cyrill. Chrysost. Hieron. Augustin. Cyrill. Alex. Leo. Beda.

Sed contrà. Obijcitur Primò, Si Sacramenta non conferunt per se influxum aliquem realem in gratiam, sed solus Deus: ergo non propriè dicentur *sanctificare, mundare, viuificare*, sicut Patres loquuntur; neque *causare, conferre gratiam*, vt Concil. Tridentinum & Florentinum loquuntur: erunt enim duntaxat *conditiones sine quibus non* iustificamur, vt vult Durandus. 16

Respondeo Negando Consequentiam; Quia etiam Christi meritum, eiusque sanctissima Passio nos *sanctificat, mundat, lauat, gratiam confert*; & tamẽ non habet influxum physicum. Similiter Chyrographum est causa solutionis; pacta sunt causæ multarum actionum; & tamen sine influxu physico: nam causa moralis, & causa suo modo applicans principale agens, verè & propriè dicuntur causæ. Sacramenta igitur rectè dicuntur *Causare gratiam, & sanctificare*, quia tanquam causæ morales efficaciter nobis applicant Christi merita; ac proinde mouent Deum, vt gratiam conferat, idque infallibili lege, & absque vlla mora. Item applicant diuinam virtutem intimè præsentem ad causandum, perinde ac si in eis esset virtus creata per se subsistens quam applicarent. Hoc tamen totum pendet ex pacto & immutabili ordinatione Dei vbique præsentis; qui, vt est in vna re, potest se determinare ad aliquid operandum in homine, quod non faciat vt est in altera.

Verè & propriè gratiam causant

Obijcitur Secundò, Patres dicunt esse valdè mirabile, quod Deus per infimas creaturas nostram salutem operetur. Insinuant igitur res illas infimas realem influxum habere; alioqui non esset mirabile.

Saluantur locutiones SS. PP.

Respondeo, Patres solùm intendunt id quod fides docet, scilicet nos per Sacramenta saluari, abstrahendo à modo quo hoc fit. Verè enim mirabile est Deum nostram salutem ita rebus infimis alligasse, vt sine illis salui esse nequeamus, per illas statim saluemur: cuius exemplum manifestissimum est in parvulis moribundis. Dicimur autem per illa saluari, non quòd virtus diuina per illa diffundi debeat; aut quòd proprium influxum habeant sub Deo; sed quia necessariò debent interuenire, vt Deus gratiam conferat. Ratio est, Quia Deus non statuit nos iustificare, nisi propter Christi merita nobis applicata: quæ applicatio fit per Sacramenta, & ita per Sacramenta nos saluat.

Excellentia Sacramentorum in quo consistat.

Obijcitur Tertiò, Pertinet ad maiorem excellentiam nostrorum Sacramentorum, & maiorem commendationem diuinæ potentiæ, si dicantur physicè influere: ergo hoc est dicendum.

Respondeo, Excellentia Sacramentorum non est æstimanda ex physica aliqua seu reali perfectione, sed morali: summa autem excellentia moralis est, quòd contineant pretium nostræ salutis,

id est, Christi sanctissima merita, eiusque veluti sanguinem pro nobis effusum; & hæc nobis efficaciter applicent nostraque efficiant; & sic infallibili lege sanctificent. Adde, eos, qui ponunt hanc causalitatem physicam, nihil addere ipsis Sacramentis; nec vllam dare tenuem formalitatem, nisi fortè relationem quamdam resultantem ex actione; quæ relatio, si est, parui est momenti: nam est posterior ratione Sacramenti, cùm per accidens resultet ex actione.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Sacramenta nouæ legis habeant virtutem ex Christi Passione?

17 REspondetur Affirmatiuè. Est fide tenenda. Patet ex dictis suprà de Christi merito: vbi ostensum est remissionem peccatorum & iustificationem esse ex Christi meritis: atqui hæc conferuntur per Sacramenta: ergo. Vide Concil. Trident. sess. 6. cap. 3. & 7. In huius signum ex latere Domini fluxit aqua & sanguis, quæ sunt symbola Baptismi & Eucharistiæ; nempe præcipuorum Sacramentorum. Vnde Patres passim docent ex Christi latere fluxisse Sacramenta. Ita D. Augustinus lib.15. de Ciuitate cap.26. Chrysostomus homilia 84. in Ioannem, & alij.

Notandum est circa rationem, qua D. Thomas probat hanc veritatem: *Sacramentum* (inquit) *est instrumentum diuinitatis separatum, humanitas autem coniunctum: atqui virtus ab instrumento coniuncto descendit ad instrumentum separatum: Sicuti ab anima per manum descendit vis in baculum, gladium &c. ergo omnis virtus salutifera Sacramentorum descendit à diuinitate per humanitatem Christi in ipsa Sacramenta.* Quæ ratio est valdè bona, si intelligatur de virtute & causalitate morali, vt explicuimus: nam humanitas Christi est causa meritoria nostræ iustificationis, quæ merita nobis applicantur per Sacramenta: vnde Sacramenta sunt instrumenta humanitatis Christi, quatenus humanitas per ipsa nobis applicat sua merita: sicut humanitas est instrumentum diuinitatis, quatenus diuinitas nos per carnem assumptam sibi reconciliauit. D. Thom. explicatur.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Sacramenta veteris Legis gratiam causarint?

De quo vide D. Thomam, & infrà q. 70.

QVÆSTIO LXIII.

De effectu Sacramentorum, qui est Character.

In Sex Articulos diuisa.

ARTICVLVS I. & VI.

Vtrùm Sacramenta imprimant Characterē; & quænam ex illis?

HÆretici nostri temporis negant, & rident Characterē; sicuti Ioannes Wicleff l.4. sui Trialogi, cōtra quem agit Thomas Waldensis tomo 2. c. 109. & 110.

1 Per quædā Sacramēta imprimi Characterem, est de Fide.

Respondeo & Dico Primò, Fide tenendum est, quibusdam Sacramentis imprimi quoddam signum spirituale & indelebile animis nostris, distinctum à gratia gratum faciente, & ab externo Sacramento, quod rectè dicitur Character.

Probatur Primò, Nam hæc veritas definita est ab Innocentio III. Capitulo *Maiores*, de Baptismo & eius effectu: & traditur à Concilio Florentino in instructione Armenorum, tamquam doctrina Ecclesiæ: *Inter Sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ Characterem, id est, spirituale quoddam signum à cæteris distinctiuum imprimunt in anima indelebiliter.* Et Concilio Tridentino sess. 7. can.9. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, scilicet Baptismo, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, id est, signum spirituale & indebile, vnde ea reiterari non possint, Anathema sit.*

Probatur Secundò ex Scripturis; 2.ad Corinthios 1. vers.22. *Qui vnxit nos Deus, qui & signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris:* hîc cùm vnctio ad gratiā pertineat, necesse est signationem seu sigillationem ad Characterem pertinere. Et confirmatur ad Ephesios 4. v. 30. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis*; Græcè est, *sigillati.*

Probatur Tertiò ex Patribus; & potissimùm ex S.Augustino, qui clariùs cæteris hanc veritatem docet lib. 6. de Baptismo contra Donatistas cap. 1. *Quem, quæ foris errabat, & foris recipiebat Dominicum Characterem, redeuntem corrigimus; sed Characterem non improbamus Dominicum in ea, quem Characterem multi lupi multis lupis infigunt:* vbi *Character* distinguitur à gratia, quæ non infigitur lupis; & ab ipso Sacramento externo, quia hoc in se non infigitur, sed statim transit. Et lib. 2. contra Epistolā Parmeniani cap. 13. ait, *Sanctitatem Sacramentorum etiam in peruersis hominibus, siue intus, siue foris, impollutam & inuiolabilem permanere:* Quod non potest intelligi de gratia; neque etiam de externo Sacramēto, quia hoc non permanet; sed necessariò intelligitur de *Characterē*, quem *Characterem* vocat Sacramenti sanctitatem, quia per illum diuino cultui dedicamur, & à Sacramento efficitur. Ibidem. *An* (inquit) *minùs inhærent Christiana Sacramenta, quàm corporalis hæc nota?* (scilicet nota militaris.) Et lib.1. de Baptismo cap. 1. ait, Baptismum & Ordinem nunquam amitti, sed vtrumque in malis permanere, scilicet secundùm suum effectum, qui est *Character.* Ibidem ait malos semper gerere sacramentum suæ ordinationis. Lib. 2. contra Epist. Parmeniani cap.13. dicit Ordinem & Baptismum non posse iterari, quia vtrūque Augustin.

que *quadam consecratione homini datur*, id est, quadam interna sanctificatione, qua homo consecratur diuino cultui. Ex his patet hoc signum rectè vocari *Characterem*, quia est instar notæ cuiusdam distinctiuæ, per quam ad certum aliquod munus deputamur, qualis est nota militaris.

2 Per tria tantùm Sacramẽta Character imprimitur.

Dico Secundò, Tria tantummodò Sacramenta characterem imprimunt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo. Patet ex Concilijs citatis. Ratio est, quia per hæc Sacramenta homo deputatur ad actus quosdam religionis extra ipsum Sacramentum obeundos: sed hæc deputatio fieri debet non solùm per externam denominationem, sed per alicuius qualitatis conuenientis impressionem, alioquin non esset perfectior, quàm deputatio militis ad bellum, & ducis ad suum officium; quod non est consentaneum potentiæ Christi, & perfectioni legis nouæ. Et confirmatur, quia sicut Deus, cùm diligit, facit hominem interiùs bonum, & cùm vult ab illo diligi, tribuit interius potestatem diligendi: ita cùm aliquem deputat ad aliquid, tribuit etiam illi aliquid quo deputetur; præsertim quando hoc passim ad omnes pertinet: hæc enim est differentia inter Deum & homines, quòd hominum dilectio & deputatio sit inefficax; Dei verò sit efficax.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Character sit spiritalis potestas?

3 Affirmatur

OMissis opinionibus, Respondeo, Characterem esse quamdam potentiam spiritalem actiuam vel passiuam, non physicè, sed moraliter. Quòd sit potentia quædam, docet D. Thomas hoc loco, & plerique Doctores, Albertus, Bonauentura, Gabriel dist. 6. Quòd autem non sit actiua physicè, patet ex dictis de causalitate Sacramentorum. Et confirmatur, quia minister non producit immediatè gratiam, sed solùm mediante Sacramento. Denique quod moraliter sit actiua vel passiua, probatur: Quia est qualitas, seu signum spiritale, cum quo Deus constituit concurrere ad alia Sacramenta suscipienda vel conferenda. Quod sic patet; nam per Baptismum homo aggregatur familiæ Christi, vnde Deus imprimit animę quandam spiritalem notã, quæ Primò, est magnum animæ ornamentum & veluti insigne familię Christi. Secundò, per ipsum distinguitur ab alijs, qui non sunt de Christi familia. Tertiò, tribuit hæc nota ius percipiendi reliqua Christi munera, quę propria sunt domesticorum. Quartò, Deus quodammodò se obligat per illam ad hominẽ singulari modo iuuandum, & ad rẽliqua ipsius dona ritè suscipienda: & hoc modo potest dici potentia passiua, quia per eam redditur idoneus ad reliqua Sacramenta.

Character Baptismi.

Character Confirmationis.

Per Confirmationem homo efficitur veluti Christi miles, ad intrepidè eius fidem coram aduersarijs profitendam: vnde imprimitur illi veluti nota quædam militaris, quæ Primò, est magnum animæ ornamentum, & veluti insigne militum Christi. Secundò, distinguitur per eam ab alijs nondum ad Christi militiam adscriptis. Tertiò, quia per illam Deus quodammodò se obligat ad præbendum auxilium, & robur necessarium ad fidei professionem; & hoc modo potest dici potentia actiua.

Character Ordinis.

Denique per Ordinem homo efficitur veluti dux militiæ Christianæ, vel potiùs efficitur particeps sacerdotij Christi, ad conficienda conferendaque Sacramenta; quæ sunt primariæ functiones sacerdotij Christi: vnde infigitur animæ nota quædam spiritalis, per quam ad hoc munus deputetur; quæ similiter animam exornat, ab alijs distinguit; & Deum obligat quodammodò, vt in functionibus Sacramentalibus sua omnipotentia concurrat; & hoc sensu dicitur potentia actiua: habenti enim hoc signum spiritale, ex diuina ordinatione debetur concursus supernaturalis ad Sacramentorum functiones.

Huic explicationi fauent Concilia, quæ hunc Characterem vocant *Signum spirituale*; quo verbo satis indicant non habere vim agendi vel patiendi, nisi per modum signi aut pacti. D. Augustinus comparat illum vbique Characteri militari, qui non est actiuus physicè, sed solùm ornat, distinguit, & ius tribuit ad functiones militares. Hinc patet, in qua specie qualitatis sit *Character*: non enim est in secunda specie, vt quidã ex D. Thoma tenent; quia non est vis agendi vel patiendi more naturali: sed in prima, est enim habitus quidam animi, non operans, sed exornans, & benè afficiens, & quodammodò ad gratiam disponens; sicut gratia, multorum sententia, est in animæ essentia, ipsam exornans & Dei formem efficiens.

In qua specie qualitatis sit Character.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Character Sacramentalis sit Character Christi?

4 REspondeo, Dicitur Character Christi, sicut nota militaris dicitur Character ducis, & nota famulorum est character Domini: per characterem enim Baptismi adscribimur Christi familiæ; & accipimus ius ad fruendum bonis, quæ in domo eius sunt, id est, ad alia Sacramenta percipienda. Per characterem Confirmationis efficimur Christi milites. Per Characterẽ Ordinis efficimur participes eius sacerdotij. Simili ferè modo Antichristus seruos suos certo quodam charactere signabit, Apocal. 13. & 16.

Assimilat nos Christo.

Sed aduerte, quòd character Ordinis nos assimilet Christo in potestate muneris sacerdotalis, quam potestatem Christus non habet per characterem, sed per vnionem hypostaticam. Sicut Præfectus prætorij per insigne acceptum ab Imperatore, assimilatur Imperatori in potestate regẽdi, qui hanc potestatem habet non per aliqua insignia, sed primario iure. Character autem Baptismi & Confirmationis non propriè nos assimilat Christo; sicut nec miles per suum insigne assimilatur Imperatori, nec seruus Domino; sed alio sensu dicuntur Christi character, quia nos de familia & militia Christi efficiunt, redduntque idoneos ad functiones sacerdotij eius excipiẽdas.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Character sit in Potentijs Animæ sicut in subiecto?

5 Scotus

SCotus dist. 6. qu. 11. putat Characterem esse in voluntate. Ratio est, Quia gratia est in voluntate; Character autem est dispositio ad gratiam.

D. Thomas.

D. Thomas autem hic ad 3. cum suis, putat esse in intellectu. Ratio ipsius est, quia Character est potestas recipiendi vel conferendi Sacramenta: sed recipere vel conferre Sacramenta est protestatio fidei, fides autem in intellectu: ergo Character est in intellectu.

Est in essentia Animæ.

Sed verius est esse in ipsa Animæ essentia. Ita Gabriel dist. 6. qu. 2. art. 3. Marsilius qu. 4. artic. 1. & alij plerique. Probatur Primò, Quia non potest esse in intellectu vel voluntate: ergo debet esse in essentia. Antecedens probatur, Quia nihil est in intellectu, quod non iuuet ad intelligendũ; alioquin ibi esset frustrà: atqui Character non iuuat ad intelligendum: ergo non est in intellectu. Maior probatur, Quia, quidquid est in intellectu, est ibi vt perficiat intellectum, vel ex parte potentiæ, vt lumen & habitus scientiarum; vel ex parte obiecti, vt species intelligibiles. Imò valdè probabile est, intellectum non esse alteriùs qualitatis capacem, cùm tota eius essentia consistat in inclinatione ad actum intelligendi. Atqui Character nec est habitus intellectiuus, nec species intelligibilis. Similiter in voluntate nihil ponitur, nisi quod inclinet ad functiones voluntatis, & perficiat eius pondus in obiectum: atqui Character non inclinat voluntatem in aliquod obiectũ. Probatur Secundò, Quia Concilia dicunt Characterem imprimi animæ, non autem intellectui & voluntati. Quod confirmatur; quia ipsa animæ essentia est, cui primò conuenit *deputari*, *ornari*, *distingui*, quod fit per *Characterem*. Probatur Tertiò, Quia ostensum est, Characterem non esse vim aliquam operatiuam physicè, sed solũ moraliter instar signi, ac proindè nõ debet poni in potentia.

6 Responsio ad rationes Scoti & D. Thomæ.

Ad rationem Scoti; Respondeo, Donum illud, quod peculiariter vocatur gratia, non esse in voluntate, sed in essentia animæ; vt multis probari potest: vnde commodiùs Character ponitur in animæ essentia, tanquam præparatio ad gratiam. Deinde, esto sit gratia in voluntate, non tamen ideò Character ibidem esse debet; quia Character non est physica dispositio, sed solùm moralis, sicut fides est dispositio ad gratiam: talis autem dispositio non debet esse in eadem potentia, in qua forma, ad quam disponit.

Ad rationem D. Thomæ facilis est responsio; Multis enim actibus profitemur fidẽ, qui non eliciuntur ab intellectu; vt iciunio, Martyrio, & multis alijs actibus religionis, qui actus non sunt ab intellectu, nisi vt à dirigente. Simili modo functiones Sacramentales non sunt ab intellectu, nisi eo modo, quo omnes aliæ actiones sacræ & profanæ. Accedit, quòd Character non concurrat physicè ad receptionem vel collationem Sacramentorum, vt dictum est, ac proinde non debeat poni in aliqua potentia.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Character insit Animæ indelebiliter?

REspondetur; Fide tenendum est, esse indelebiliter in Anima. 7

Affirmatur

Probatur Primò, Ex definitione Concilij Tridentini & Florentini suprà. Idem docet D. August. lib. 3. contra Epist. Parmeniani cap. 13. *An fortè minùs hærẽt Christiana Sacramenta, quam corporalis nota?* Ratio est, Quia est in essentia animæ, quæ est incorruptibilis, & caret contrario tam moraliter quam physicè: Physicè quidem, quia inter participationes diuinarum perfectionum nulla potest esse repugnantia: Moraliter etiam nõ habet contrarium, sicut gratia habet; quia Character potest consistere cum quouis peccato.

Quomodo sit dispositio ad Gratiam.

Dices, Est dispositio ad gratiam: ergo tolletur per ea peccata, quibus homo se reddit prorsus indispositum. Respondeo, Non est dispositio propriè dicta: sed dicitur dispositio, quia est magnum animæ ornamentum, ratione cuius homo aptior & propinquior est gratiæ, quàm nudè consideratus.

Probatur Secundò, Quia Character est consecratio quædam ad diuinum cultum; omnis autem consecratio durat, quamdiu res manet integra: patet in calicibus, altaribus, templis.

Probatur Tertiò, Quia est quædam participatio sacerdotij Christi, vel capacitas ad eius functiones recipiendas: atqui Christus est Sacerdos in æternum.

8 Manet post hanc vitã.

Petes, An maneat post hanc vitam. Respondeo, Non esse omnino certum. Facilè enim Deus potest subtrahere influxũ suum Characteri in dãnatis, sicut fidei; nam Concilia possunt exponi de indelebilitate in hac vita. Tamen longè probabilius est & verius, manere; quia Deus rei ex se incorruptibili non subtrahit influxum, nisi id aliqua causa vel dispositio contraria postulet: sed nulla est talis dispositio in damnatis; secùs est de fide; nam damnati eliciunt actus contrarios, ob quos etiam in hac vita perit fides. Manet igitur Character post hanc vitam, in bonis ad gloriam, in impijs ad dedecus & signum ingratitudinis; sicut in militibus post pugnam manet Character, ita vt victoribus sit honori, victis ignominiæ. Insinuat D. August. lib. 2. contra Epist. Parmen. cap. 13.

QVÆ-

QVÆSTIO LXIV.

De Ministro Sacramenti.

In Decem Artículos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm solus Deus operetur interiùs ad effectum Sacramenti?

1 REspondetur; Solus Deus operatur interiorem effectum Sacramenti, vt agens principale: Minister autem, per modum instrumenti. Vbi

Minister nos verè Deo reconciliat. Notandum Primò, Contra Hæreticos huius temporis, Ministrum Sacramenti reconciliare nos Deo, & remittere peccatum, non solùm tanquam concionatorem, sed per veram potestatem ministerialem. Patet hoc Matth. 16. v. 10. *Tibi dabo claues regni cælorum, quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis.* & Matth. 18. v. 18. *Quæcumque ligaueritis super terram, &c.* Quæ verba non possunt intelligi de concione; quia quiuis valens concionari, potest sic remittere peccata. Ioannis 20. v. 22. *Insufflauit* in discipulos suos, *& dicit eis; Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto* (inquit Concil. Trident. sess. 14. cap. 1.) *& verbis tam perspicuis, potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, vniuersorum Patrum consensus semper intellexit.* Ratio est; Quia Sacramenta conferunt gratiam ex opere operato, vt suprà ostensum est. Atqui minister est causa Sacramenti, scilicet secundariâ & ministerialis: ergo simili modo est causa gratiæ. Vnde

Non autem eius Character. Notandum Secundò, Ministrum non esse causam gratiæ aut remissionis peccatorum, nisi mediante Sacramento, quatenus nimirum illud conficit & applicat; contra quosdam, qui imaginantur Characterem habere immediatũ influxum in animam eius, cui confertur Sacramentum. Patet ex D. Augustino lib. 4. de Baptismo cap. 22. *Sacramentum* (inquit) *ministrorum operâ corporaliter adhibetur; sed Deus per illud, hominis consecrationem spiritaliter operatur.* Et lib. 3. contra literas Petiliani Donatistæ cap. 54. *Ad dispensandum & ministrandum verbum ac Sacramentum, aliquid est,* (minister scilicet): *ad mundandum verò ac iustificandum, non est aliquid; quia hoc non operatur in interiore homine, nisi per quem creatus est totus homo:* Intellige, non operatur immediatè, ac proprio influxu, sed benè mediate.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Sacramenta solùm sint ex institutione diuina?

NOtandum est; Quosdam existimasse, non omnia Sacramenta esse immediatè à Christo instituta; sed Confirmationem sub hac Materia & forma institutam à Concilio Meldẽsi circa annum Domini 845. Ita Halensis 4. parte qu. 24. membro 1. quem sequitur Bonauentura in 4. dist. 7. q. 1. Et Magister dist. 23. videtur sentire extremam Vnctionem institutam à beato Iacobo; quamuis possit hoc benignè explicari, *institutam* pro *promulgatam.*

2 Dico Primò, Fide tenendum est, omnia Sacramenta nouæ legis immediatè à Christo domino esse instituta. Est definita in Concil. Tridentino sess. 7. can. 1. *Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non fuisse omnia a Christo instituta, Anathema sit.* Omnia Sacramenta nouæ legis sũt à Christo immediatè instituta.

Dices; Hoc intelligendum generatim de institutione mediata vel immediata: quod enim Apostoli, vel Concilia instituerunt, à Christo censetur institutum. Sed contrà: Primò, Quia nemo de tali institutione potuit dubitare. Secundò, Quia Conc. Trident. sess. 14. can. 1. de extrema Vnctione hanc responsionem excludit, definiens extremam Vnctionem à Christo domino esse institutam & ab Apostolo Iacobo promulgatam: vbi Apostolo relinquit solùm nudã promulgationem, Christo tribuens immediatam institutionem. Idem potiori iure sentiendum de Confirmatione, quia est Sacramentum perfectionis imprimens characterem. Tertiò, Quia eodem modo Christus diceretur instituisse omnes cæremonias Ecclesiæ; quia saltem mediatè instituit per Ecclesiam, cui hanc auctoritatem dedit: quod tamen negat Concil. Tridentinum sess. 21. c. 2.

Rationes congruentiæ. Nunc Probatur aliquot Rationibus. Prima, Cùm Sacramenta ex vi suæ institutionis conferant gratiam, oportebat vt immediatè ab ipso auctore gratiæ instituerentur. Secunda, Sacramenta veteris legis omnia fuerunt immediatè à Deo instituta; multò ergo magis Sacramenta nouæ legis, quæ infinitis partibus superant vetera. Tertia, Quia Christus est auctor nouæ legis: ergo & Sacramentorum eius, quæ sunt veluti præcipuę bases, quibus lex noua, & forma reipublicæ Christianæ constat. Quarta, Ceremoniæ & ritus ab Apostolis instituti, possunt ab Ecclesia mutari: vt expresè docet Concil. Tridentinum sess. 21. cap. 2. de communione sub vtraque specie: Atqui nullius Sacramenti materia, forma, aut virtus potest ab hominibus mutari; vt ibidem insinuat Concilium: ergo nullum Sacramentum institutum est ab hominibus. Quinta, Fauet Scriptura 1. ad Corinth. 4. vers. 1. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Vnde Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. *Auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus* IESVS?

Instituit ea quà homo potestate excellentiæ. Dico Secundò, Christus est auctor Sacramentorum per naturam humanam, seu per potestatem excellentiæ, quam habebat in natura humana ex vnione ad personã Verbi. Probatur Primò, Quia per naturam humanam satisfecit pro peccatis nostris, & omne bonum spirituale nobis promeruit; vt patet ex suprà dictis de Merito Christi. Atqui per Sacramenta applicantur nobis Christi merita: ergo

ta: ergo conueniens erat per eamdem naturam Sacramenta instituere. Secundò, Quia Sacramentorum institutio pertinet ad munus Sacerdotij Christi; nam per Sacramenta nos sanctificat: atqui Christi est Sacerdos per naturam humanam: ergo &c. Tertiò, Quia Christus per naturam humanam habebat auctoritatem remittendi peccata, & sanctificandi homines, etiam absque Sacramento: vt patet Matthæi 9. v. 6. & Marci 2. v. 10. *Vt sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra remittendi peccata, &c:* ergo etiam poterat externa signa instituere, quorũ applicatione homines sanctificarentur.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Christus vt homo habuerit potestatem operandi interiorem effectum Sacramentorum?

4 REspondetur, Christus quâ Deus habet potestatem auctoritatis: quâ homo habet potestatem excellentis ministerij, respectu interioris effectus Sacramenti.

Potestas Auctoritatis, & excellentis ministerij.

Vbi nota, Potestatem Auctoritatis, esse potestatem causæ principalis, non dependentis ab vlla superiore; quæ potestas est solius diuinitatis. Potestas autem excellentis ministerij cõsistit in quatuor, iuxtà D. Thomam. Primò, Quòd ab eius meritis Sacramenta omnem vim acceperint. Secundò, Quòd in eius nomine consecrentur. Tertiò, Quòd ipse solus ea potuerit instituere. Quartò, Quòd absque Sacramentis possit conferre gratiam, etiam vt homo. Vide dicta suprà de Incarnatione qu. 22. ar. 6. dubio 1. vbi paulò plenius hanc potestatem explicuimus, comprehendentes hæc quatuor sub secunda parte huius potestatis.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm potuerit Christus suam potestatem ministris communicare?

5 REspondetur; Potestatem Auctoritatis non potuisse alicui communicare; quia est ipsi propria secundùm diuinitatem. Potestatem autẽ excellentis ministerij potuisse communicare.

Aduerte tamen, non decuisse vt reipsâ hæc Potestas excellentis ministerij alicui communicaretur; tùm, ne essent duo summa Capita in Ecclesia eiusdem generis, habentia parem potestatem: tum, ne in alio quàm in ipso spem nostram collocaremus.

Sancti potuerunt Indulgentias mereri non Sacramenta.

Dices, Merita Sanctorum operantur in Indulgentijs vnà cum meritis Christi: cur non similiter in Sacramentis? Respondeo, est dispar ratio. Primò, Quia Sacramenta sunt fundamenta religionis, & radices meritorum quæ sunt in Sanctis; vnde oportebat vt ex solo fonte gratiæ Christo vim haberent. Secundò, Quia Sancti non potuerunt alijs mereri ex condigno gratiam & remissionem culpæ, qui est effectus Sacramentorum: potuerunt tamen remissionem pœnæ temporalis, qui est effectus Indulgentiarum.

ARTICVLVS V.

Vtrùm per malos Ministros possint Sacramenta conferri?

NOtandum est, Hìc agi de malis ministris Catholicis; nam de hæreticis agitur articulo 9. Donatistæ senserunt sacerdotes, qui essent manifestè peccatores, carere omni potestate administrandi Sacramenta; & ideò, si attentent, esse irrita. Refert hoc D. August. lib. 2. contra Cresconium cap. 17. & 18. Hunc errorẽ posteà secuti sunt Waldenses, idem quoque sentientes de occulto peccatore: vt refert D. Antoninus 4. parte Summæ. tit. 11. cap. 7. §. 2. Denique Wiclef & Hus, addentes etiam præscitos, id est, reprobos, quantumuis videantur iusti, omni potestate carere. 6 Donatistæ & alij negant.

Sed fide tenendum est; Per malos ministros & perditæ vitæ, si nihil aliud ex requisitis deest, Sacramenta legitima conferri, & suscipientes per illa sanctificari. Est definitum in Concilio Constantiensi sess. 8. vbi damnantur Articuli Wiclef, inter quos quartus est, *Si Episcopus vel Sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non Baptizat.* Et sess. 15. vbi damnantur Articuli Ioannis Hus, inter quos octauus est, *Mali ministri carent omni potestate.* Idem definitur in Concilio Trident. sess. 7. can. 12. *Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem (modò omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum & conferendum pertinent, seruauerit) non conficere, aut non conferre Sacramentum, Anathema sit.* Affirmatur

Probatur Primò, Ex Scripturis. 1. ad Corinth. 4. v. 2. *Hìc iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur:* ergo potest esse dispensator, qui non sit fidelis. Ex Script.

Probatur Secundò, Testimonijs Patrum. D. Augustinus probat id septem libris contra Donatistas. Tract. 5. in Ioannem ex eo quòd Scriptura dicit, *Hìc est qui Baptizat*; sic ait. *Si Christus Baptizat principaliter in omni Baptismo, cũ ipse sit eximiè sanctus, poterit per quemuis etiam sceleratum, alium sanctificare:* & adfert exemplum: *sicut aqua non manet, sed transit per canalem lapideum ad irrigandum areolas; ita gratia per ministrum.* Nazianzenus oratione in sanctum Baptisma, probat hac similitudine; Quia tam benè per annulum ferreum imprimitur figura Regis in cera, quàm per annulum aureum. Chrysostomus homil. 8. in epist. 1. ad Corinthios. Vide apud Gratianum 1. qu. 1. Canone. *Multi secularium*, qui desumptus est ex Gregorio Papa: & 15. qu. 8. Canone *Scisciantibus*, ex Nicolao primo ad Consulta Bulgarorum. Ex Patribus, August. Nazianz. Chrysost.

Probatur Tertiò, Ratione: Quia Sacramenta non conferunt gratiam ex meritis ministri, sed ex meritis Christi: ergo demerita ministri non possunt Sacramenti virtutem impedire. Confirmatur, Quia sicuti ministris sua merita non conferunt potestatem, ita nec demerita potestatem auferre debent, cùm hæc potestas non detur propter ipsos, sed propter Ecclesiæ vtilitatem. Hoc argumento crebrò vtitur D. August. vt tractatu 5. in Ioannem, & lib. 3. contra Cresconium cap. 6. Ex Ratione.

Secundò,

Secundò, Quia Deus alia multa dona confert peccatoribus, præter eorum meritum in aliorum vtilitatem: Prophetiam contulit Balaam & Sibyllis: Gratiam miraculorum ijs, quibus in die iudicij dicet, *Non noui vos*; qui tamen in nomine Christi multa signa fecerunt: Iurisdictionem in populum suum Scribis & Pharisæis peccatoribus, de quibus ait, *Super Cathedram Moysi sederunt* &c. Denique dona naturalia sunt iustis & impijs cõmunia. Ergo nihil mirum, si potestatem Sacramentorum concessit etiam peccatoribus.

Tertiò, Quia alioqui parum consuluisset suæ Ecclesiæ: cùm enim sint multi ministri mali, infiniti homines sine sua culpa in negotio salutis deciperentur; & semper essemus anxij, an fortè minister non fuerit in peccato mortali.

Dices, Etiam incerti sumus de eius intentione, quæ tamen est necessaria. Respondeo, Non sumus; hæc enim satis per actionem externam proditur, vt possit nos moraliter certos reddere, præsertim cùm nulla sit ratio cur non intendat facere, quod facit Ecclesia, & quod Christus instituit.

Quartò, Minister in Sacramentis solùm est instrumentũ applicans illud quod sanctificat: ergo non requiritur, vt in se sanctitatem habeat. Sicut patet insimili de Medico infirmo, qui tamen suis medicamentis optimè curat ægrum, cùm nec ipse sanus sit, nec vim sanandi in se habeat, sed solùm artem conficiendi & applicandi medicamenta, quæ à Deo vim habent.

7 Obiectiones soluuntur.

Sed contrà. Obijcitur Primò, qu. 1. Canone *Non sanat*, dicitur *Baptismus perditorum, non mundat, sed polluit*. Respondeo, Iste Canon sumptus est ex Ambrosio lib. de ijs, *qui mysterijs initiantur*, vbi loquitur de Baptismo Arianorum, qui non vtebantur forma legitima.

Obijcitur Secundò, Ibidem. Can. *Qui perfectionem*; vbi Innocentius primus ait, *Qui perfectionem Spiritus sancti, quem perdiderunt, non acceperunt, dare alijs plenitudinem non possunt*. Respondeo, Loquitur de hæreticis, qui cùm sint excommunicati & suspensi, non possunt licitè Ordinum potestatem exequi; & ordinati ab eis, sunt irregulares.

Obijcitur Tertiò, *Non potest arbor mala bonos fructus facere*. Matth. 7. v. 18. nec malus Minister bonum fructum Sacramenti. Respondet D. Augustinus, fructum Sacramenti non esse ministri, sed Christi: similiter soluit illud, *Ab immundo quis mundabitur?*

Obijcitur Quartò, Malac. 2. v. 2. vbi de malis Sacerdotibus dicitur, *Maledicam benedictionibus vestris*. Et confirmatur, Quia oratio peccatoris volentis manere in peccato, Deo non placet. Respondeo; Propheta loquitur de benedictionibus, quæ vim habent ex affectu & sanctitate benedicentis. Ad confirmationem. Oratio peccatoris non placet Deo, quia oratio vim habet ex affectu orantis; Sacramentum autem non tam est oratio seu actio peccatoris, quàm ipsius Christi.

Obijcitur Quintò, Ecclesiastici 34. v. 30. *Qui Baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio illius?* Respondeo: Iste locus non facit ad propositum; significatur enim nihil prodesse homini lotionem à peccato, si rursus se inquinet.

8 Decet vt Minister Sacramenti sit sanctus.

Dico Secundò, Vt tamen conuenienter & pro dignitate conferantur Sacramenta, necessaria est vitæ sanctitas ministri. Ita Augustin. l. 3. contra Cresconium c. 6. & Dionysius c. 1. Ecclesiasticæ Hierarchiæ dicens; *Improbis fas non est Symbola Sacra contingere*. Ratio est, Primò; Propter ipsum Deum, cuius est minister; decet enim vt minister sit conformis & similis suo domino; iuxtà illud Ecclesiastici 10. v. 2. *Secundùm iudicem populi, sit & minister eius*. Secundò, Propter effectum Sacramenti: decet enim vt qui alios mundat, ipse mundus sit: vt Num. 19. v. 19. dicitur; *Mundus lustrabit immundum*. Et Christus Apostolis dedit sanctum Spiritum, antequam mitteret eos Baptizare gentes. Tertiò, Propter ipsum populum: nam, vt rectè ait Waldensis Tom. 2. de Sacramentis, *Quãuis minister Sacramenta administrans, non pascat Ecclesiam moribus, sed ritibus; tamen commodius illam pascit Sacramentis, si etiam pascat moribus.*

ARTICVLVS VI.

Vtrùm mali administrantes Sacramenta peccent?

9 Administrans in mortali, peccat mortaliter.

REspondetur, Administrare Sacramenta in peccato mortifero, est nouum peccatũ mortiferum contra virtutem Religionis. Probat hoc D. Thomas duobus testimonijs Dionysij; sed prius testimonium non conuincit: loquitur enim Dionysius de Infidelibus, quibus fas non est Sacramentalia symbola contingere. Secundum testimonium ex Epistola ad Demophilum, ad rem facit. Idem probatur ex D. August. lib. 2. contra epist. Parmeniani cap. 10. *Omnia Sacramenta obsunt indignè tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus.* Vide plura alia testimonia apud Gratianum 1. q. 1. Canone *Omnia Sacramenta*. D. Hieronymus in illud Sophoniæ 3. v. 4. *Sacerdotes eius polluerunt sanctum*, dicit necessaria esse bona merita Sacerdotis; & impium esse aliter sentire. Ratio est; Quia Minister speciali modo est consecratus ad Sacramentorum administrationem, tamquam ad primarias functiones sacerdotij Christi, eximiam sanctitatem Christi in se continentis; & vt hoc conuenienter faciat, datur ei gratia sanctificans: ergo ex hac consecratione trahit obligationem administrandi in gratia. Confirmatur: Quia alioqui, quantum in se est, contaminat sanctitatẽ Sacramentorum, & sanguinis Christi, qui in illis est; quod sæpè Patres inculcant.

Dices: Ergo etiam erit peccatum mortiferum, si Episcopus in statu peccati mortalis consecret Chrisma, calices, altaria; quia fungitur Sacerdotio Christi. Item si Diaconus cantet Euangelium, & Subdiaconus Epistolam solemni ritu.

Episcopus conficiens Chrisma, &c. Et Diaconus, cantans Euangelium in mortali, non peccat mortifere.

Respondeo, Omissis varijs opinionibus, probabilius est nõ peccare mortiferè. Ratio est, Quia hæ functiones non sunt primariæ illius Ordinis, neque continent eximiam illam sanctitatem, quæ est in Sacramentis. Ita sentit Caietanus de Episcopo tom. 2. opusculo 1. & Dominicus Soto scribens in hunc articulũ, & colligitur ex D. Thoma hoc loco. Idem, & potiori ratione, dicendum de Diacono & Subdiacono canentibus solemni ritu Epistolam & Euangelium: tùm, quia hæ functiones sunt secundariæ illorum Ordinum; tum, quia nullam in se continent sanctificationem; vnde censetur materia leuis. Ita Dominicus Soto, Victoria, & alij multi recentiores, contra Nauarrum, Siluestrum, Angelum, qui etiã in Minoribus ministran-

ministrantem dicunt peccare mortiferè? si sit in statu peccati mortalis.

Nec Concionator.

Simili ratione, non est peccatum mortiferum, si concionator in peccato mortali concionetur, modò absit scandalum; quidquid dicat hîc Caietanus, quem sequitur Nauarrus in Enchiridio. Ratio est; Quia concionari non est per se actus Ordinis; nec constat aliqua consecratione: vnde etiam Laicis ali quando concessum. Patet ex Concil. Carthaginensi 4. cap. 98. quare Caietanus in Summa sententiam mutauit verbo *Prædicator.*

Quomodo tamen supradicti peccent mortaliter

Aduerte tamen; Si Episcopus, Diaconus, vel Subdiaconus statuat expresse, vel interpretatiuè, frequenter aut longo tempore has functiones in peccato obire, omnino videri peccare mortiferè: quia hoc obiectum ita sumptum, est res grauis; & tale propositum videtur aliquem contemptum ipsius sacri muneris continere Ita Suarez. Capitulum tamen quod citat, non vrget.

10 Sacerdotes Veteris Testamenti sacrificãdo in mortali, non peccabant mortaliter,

Vtrùm autem Sacerdotes Veteris legis peccauerint mortaliter, sacrificando in peccato mortali; non est ita certum. Quòd peccauerint mortaliter, videtur indicare D. Augustinus l. 2. contra Epistolam Parmeniani c. 5. ex testimonio Isaiæ 66. Alij tamen putant non peccasse, & alium esse sensum illius capitis. Primò, Quia potissimùm exigebatur mundities corporalis ab illis; vt patet Leuit. 19. & 21: ergo quando hanc præstabant, videntur satisfeciisse. Secundò, Quia sacrificare est opus bonum, sicut alia bona opera externa; vnde nisi aliunde habeat quandam eximiam consecrationẽ, sicut nostra sacrificia, non videtur esse mortalis irreuerentia. Tertiò, Quia orare, psallere Deo in peccato mortali, non est mortiferum: ergo neque sacrificare &c.

DVBIVM I.

Vtrùm peccator administrans Sacramentum in extrema necessitate peccet Mortaliter?

11 Responsio est negans de baptizãte non solemniter,

REspondeo, & Dico Primò, Peccator, administrans Baptismum in extrema necessitate sine solemnitate, non peccat mortiferè, etiamsi sit in statu peccati mortalis. Ita D. Thomas hîc ad 3. Caietanus, & Sotus in hunc artic. Nauarrus cap. 25. num. 72. & plerique recentiores: etsi Duradus dist. 5. cum Paludano & Capreolo contrarium sentiant. Ratio est; Quia non gerit se tanquam ministrum Ecclesiæ in illo actu; ille enim actus Baptizandi, non est actus Ordinis, aut specialis potestatis; sed est communis omnibus hominibus in proximi necessitate, diuina dispensatione ob necessitatem proximi, concessus. Vnde non est credibile hominem sub tam graui obligatione teneri esse in statu gratiæ, dum id officij proximo præstat, cùm nullam consecrationem aut gratiam ad illud accepit. Dices; Censetur polluere ipsum Sacramentum, quod in se eximiam sanctitatem habet. Respondeo; Non censetur: quia ad hoc ministerium non est institutus, nec gratiam ad hoc accepit, nec voluntariè illud capessit, sed solùm quasi compulsus necessitate proximi. Vnde, cùm contritio illa subita sit valdè difficilis, non censetur grauem irreuerentiam cõmittere, aut sanctitatem Sacramenti contemnere, si eam non concipiat. Et hæc vera sunt, siue Minister ille sit laicus, siue sacerdos; quia sacerdos sine solemnitate Baptizans, non vtitur potestate peculiari sui ministerij, quam accepit in ordinatione: quamuis sacerdos ob decentiam in casu necessitatis sit laico præferendus, sicut & vir mulieri.

An saltem venialiter peccet ve-nialiter sic baptizans.

Petes; An saltem venialiter peccet talis Minister? Respondet Franciscus Victoria qu. 29. de Baptismo affirmatiuè; quod est satis probabile, præsertim si ei sit facile contritionem concipere. Alij tamen absolutè sentiunt, non peccare; quod etiam est probabile; quia ordinariè contritio est difficilis. Facilè tamen committitur veniale ex defectu reuerentiæ: vnde saltem deberet dolere de sua indignitate.

Leuari à peccatore hostiam S. è terra, non est peccatũ.

Ex his etiam patet; Parũ esse probabilem sententiam Adriani, dum ait esse peccatum mortiferum, si peccator hostiam consecratam è terra leuet. Non enim ad hoc datur vlla consecratio, nec est Sacramenti administratio, nec confectio. Vnde omnes hoc tenentur facere, quando non est alius, qui digniùs id præstet. Imò si cum reuerentia fiat, videtur esse actus Religionis potiùs quàm irreligiositatis: sicuti si peccator cum reuerentia Christum dominum adhuc viuentem tetigisset honoris caussa, certè laudabiliter fecisset. Nec contra facit exemplum Ozæ; quia ille ob aliam caussam percussus est. 2. Regum. 6.

12 Administrans Sacramenta in mortali, peccat mortaliter.

Dico Secundò, In Baptismo solemni, & in ceteris Sacramentis, si administrentur in statu peccati mortalis, etiã in extrema necessitate, est peccatum mortale. Nisi fortè in quibusdam pertur-batio aut inconsideratio sui status excuset. Est communis Doctorum. Ratio est, Quia ad hæc primariò collata est singularis quædam & sacratissima potestas, quæ est participatio sacerdotij Christi, & gratia sanctificans, vt suprà dictum: sunt enim primariæ functiones sacerdotij Christi: ergo ex dignitate talis muneris tenentur ministri in statu gratiæ ea administrare. Neque articulus necessitatis excusat, modò non impediantur perturbatione aut temporis angustiâ. Hoc ipso enim quo quis ministerium istud sponte suscipit, suscipit etiam obligationem cum debita sanctitate, quantum in se est, illud obeundi, siue in casu necessitatis proximi Sacramenta administret, siue extra.

Necessitas nõ excusat.

Dices, Ad Sacramentum Matrimonij minister non accepit aliquam consecrationem: ergo huius administratio non erit peccatum mortale, si fiat in statu peccati mortalis.

Susceptio matrimonij requirit sanctitatẽ.

Respondeo, Huius Sacramenti ministri sunt cõtrahentes, qui etsi non peccent mortiferè vt Ministri; tamen peccant vt sunt suscipientes, si in statu peccati mortalis contrahant: nam saltem ratione susceptionis requiritur in ipsis sanctitas.

DVBIVM II.

An liceat interdum à Ministris peccatoribus Sacramentum suscipere, si noueris statum illorum?

13 Si alterius ministri nõ copia,

REspondeo & Dico Primò, Si alterius ministri non sit copia, in multis casibus licet à peccatore Ministro Sacramenta suscipere; & etiam petere, inducendo non paratum. Primò, In extrema vel graui necessitate Baptismi, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, extremę Vnctionis. Secundò, Quando vrget

do vrget præceptum Ecclesiasticum ad audiendũ Missam, potes illum inducere ad celebrandum, modò sine scandalo possit celebrare. Tertiò, Si vrget præceptum Ecclesiasticum communionis. Quartò, Si magna aliqua vtilitas confessionis, aut communionis inuitet, quæ alioquin multum esset differenda. Colligitur ex D. Aug. epist. 154. ad Publicolam, vbi ait, Licitum esse exigere iuramẽtum ab eo, quem scio iuraturum per falsos Deos, ad confirmandos contractus, quando aliter horũ fides haberi nequit: Talis enim non se sociat peccato mali illius iuramenti, sed bono pacto seruandi fidem. Ratio est, Quia ego peto id quod valdè bonũ est, quodque ipse mihi licitè potest præstare (potest enim contritionem concipere:) ergo non teneor cum tanto meo incõmodo abstinere à fructu spiritali, ne ipse peccet. Confirmatur; Quia si ob commodum temporale possum exigere iuramentum ab infideli per falsos Deos iuraturo; & petere mutuum ab vsurario, quem scio vsuras exacturum; multò magis ob tantum commodũ spiritale, possum petere Sacramentũ à Ministro peccatore. Dices; Tu istum Ministrum scandalizas; nam das occasionem ruinæ. Respondeo; Est scandalum passiuum, quod nõ teneor cum tanto meo incõmodo vitare. Accedit; Quod rarò possit constare, an Sacerdos nunc sit in peccato; & si sit, num ante administrationem sit pœnitentiã animo concepturus. Vnde in praxi non est hic magnus scrupulus faciendus.

14 Si alterius sit copia.

Dico Secundò, Si alterius Ministri sit copia, qui sine peccato sit administraturus, nõ potes inducere peccatorem non paratum, siue sit tuus Parochus siue non. Ratio est, Quia est contra charitatẽ non impedire proximi peccatum, quando commodè potes; & multo magis, contra charitatẽ est inducere illũ ad aliquid, quod sine peccato non faciet, quãdo nulla ratio te ad id premit. Et aduerte hoc peccatum inductionis posse esse mortiferũ, si ille nullo modo esset paratus, & tu sine incommodo posses vti altero. Nec obstat, Quod ille sit tuus Parochus, & ius habeas ab eo petendi; quia non semper licet vti suo iure, nempe quando inde sequeretur grauis proximi læsio, & tua non magno pere interesset. Sotus tamẽ non putat esse mortale, si petatur à parocho; quod ordinariè verũ est. Quòd si non posses sine notabili incommodo vti altero Ministro, non esset mortale: imò posset incommodum esse tantum, vt nullum sit futurum peccatum: vt si alter procul absit; si sit asperior, si ignarus casuum, & difficultatum, quas habes.

Si sit tuus Parochus.

Si cum tuo incommodo.

DVBIVM III.

An liceat aliquando accipere Sacramẽta à Ministro præciso ab Ecclesia per excommunicationem aut suspensionem?

15 In extrema necessitate petere Baptismum & Pœnitentiã à quocumque.

Respondeo & Dico Primò, In casu extremę necessitatis potes ab excommunicato etiam non tolerato per Ecclesiam (id est, qui nominatim est denuntiatus, vel manifestus percussor Clerici, ita vt nulla tergiuersatione possit negari) petere Sacramentũ Baptismi & Pœnitentiæ. De Baptismo docet D. Aug. lib. 2. contra epist. Parmeniani c. 13. & lib. 1. cõtra Donatistas c. 2. de Pœnitentia. Indicat Concil. Trident. sess. 14. c. 7. quia ait, *In articulo mortis omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes posse absoluere:* & tenent plerique Doctores post Concilium, inter quos Nauarrus in Enchiridio c. 27. n. 271. & ante Concilium Syluester verbo *Confessor.* primo, q. 20. qui citat Paludanũ, Aureolum, & Archidiaconum. Ratio est, Quia periculosissimum est sine his Sacramentis ex hac vita discedere: vnde non debuit vllus Minister aliquo modo idoneus, in hoc articulo excludi. Vnde etiam fit, vt talis Minister neque peccet, (si saltem vt absoluat, contritionem concipiat) neque irregularitatem incurrat.

Non tamen Viaticum aut extremam Vnctionem.

Dico Secundò, A tali Ministro nõ potest peti viaticum communionis, aut extrema Vnctio. Ita cõmuniter DD. Nam, vt ait Nauarrus suprà, ante Conc. Trident. communis sententia erat, solum baptismum in extrema necessitate à talibus peti posse: & post Concil. idem plerique tenent de Confessione; non tamen de alijs Sacramentis. Ratio est; Quia hæc Sacramenta non sunt tantę necessitatis.

16 Si sit toleratus & tuus Parochus, pete omnia Sacramenta.

Dico Tertiò, Si Minister ille excommunicatus, sit ab Ecclesia toleratus (id est, si nõ est denuntiatus nominatim, aut manifestus Clerici percussor) & sit tuus Parochus, potes ab eo liberè Sacramẽta petere, non solùm tempore necessitatis, aut præcepti; sed etiam ob magnam vtilitatem spiritalem; modò alterius Ministri nõ sit tibi facilis copia. Ita Dom. Soto, & alij passim. Ratio est; Quia iste Minister, quamdiu ab Ecclesia toleratur, non est tibi magis vitandus, quàm si non esset excommunicatus. Vnde, si sit tuus Parochus, potes ab illo petere Sacramenta, & etiam eum cogere administrare, nam habes ius petendi: ergo ipse potest tibi sine omni peccato administrare, si velit: nemo enim obligatur ad aliquam actionem, quã sine peccato nequit obire. Sufficit autẽ, vt in eo casu concipiat contritionẽ, & procuret absolutionem à censura si potest: quòd si non potest, permittitur Sacramẽta administrare, nec cõtrahet irregularitatem. Secùs, Si facilè poterat interim absolui. Aduerte tamen talem Parochum nõ se posse offerre aut ingerere; tunc enim grauiter peccaret, & irregularis fieret. Ratio est, Quia nõ potest administrare, nisi subdito petente & vrgente, vt ostendemus in tractatu de Excommunicatione.

Si non sit Parochus.

Petes, An possim ob huiusmodi causas etiam petere Sacramenta ab eo, qui non est Parochus, tamen excommunicatus est & toleratus? Respondeo, Non posse me petere, nisi ipse interim possit obtinere absolutionẽ censuræ, vel nisi sit extrema necessitas. Ratio est, Quia non possum petere aliquid ab alio, quod ille sine peccato non potest mihi præstare. At ille Sacerdos nõ potest sine peccato Sacramenta administrare, nisi excuset extrema necessitas, vel in potestate eius sit interim obtinere absolutionem.

Si expositus.

Quidam tamen existimant, Si iste Sacerdos sit expositus, actu confessiones aliorum audiens, vel Eucharistiã administrans, posse me accedere; quia in hoc casu non censeor petere. Quæ sententia, etsi sit probabilis, videtur tamen falsa, præsertim de Confessione. Qui enim accedit confessurus, manifestè petit & exigit sibi impendi absolutionem: vnde intercedit hîc saltem aliqualis inductio & petitio ad hunc actum indiuiduum, qui est necessariò peccatum. Idem videtur de Communione, etsi minor sit ratio.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm Angeli possint Sacramenta ministrare?

17 Angeli non possunt ordinariè.

RESpondeo & Dico Primò, Secundùm legem ordinariam non posse. Colligitur ex Scripturis, in quibus hæc potestas solis hominibus committitur. Ioan. 20. v. 23. solis hominibus dicitur, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Luc. 22. v. 19. solis hominibus dicitur, *Hoc facite in meam commemorationem.* Matth. vlt. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos.* soli homines mittuntur ad baptismũ. Deinde ad Heb. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumitur:* atqui Sacramentorum administratio est opus Pontificum. Vnde Chrysost. hom. 83. in Ioan. *In his quæ à Deo donata sunt nobis, neque Angelus, neque Archangelus, quidquã potest.* Ratio est, Quia Sacramenta sunt sensibilia: oportuit ergo, vt Minister quoque sensibilis esset. Hoc enim differt hierarchia Ecclesiastica à cœlesti, quòd Ecclesiastica per sensibilia symbola, purget, illuminet, perficiat; cœlestis per spiritualia. Confirmatur; Quia Sacramenta immediatè vim habent à Christi humanitate: ergo per homines applicanda fuere.

Nec anima Sacerdotis separata.

Hinc sequitur animam Sacerdotis separatam à corpore, non posse Sacramenta administrare; quia non est homo, nec sensibilis. Probabile tamen est, resumpto corpore, etsi glorioso, posse ministrare, Deo permittente. Ratio est, Quia Characterẽ habet, estque homo; & insinuat D. Th. in resp. ad 2.

Potest id Angelus per Dei dispensationem.

Dico Secundò, Per diuinã tamen dispensationẽ Angelus potest esse Sacramenti Minister; nõ enim Deus huic vel illi Ministro est adstrictus. Sic S. Amphilochius Iconij Episcopus, in locis solis degens, ab Angelis admirabili modo consecratus & ordinatus dicitur Episcopus: vt refert Nicephorus lib. 11. histor. cap. 20. Sic etiam in historia S. Remigij legimus Chrisma per columbam allatum fuisse ad Clodouæi baptismũ, quam credibile est

Non Diabolus.

fuisse Angelum. Diabolo tamẽ in tali ministerio non est credendum, quia Deus hoc nunquam ei cõmittet. Vnde errat Lutherus lib. de Missa priuata, vbi docet diabolum etiam consecraturum, si verba Christi proferat.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm Intentio Ministri sit necessaria ad perfectionem Sacramenti?

18 Triplex Intentio.

RESpondetur Affirmatiuè. Notandũ est; Tria posse à Ministro intẽdi. Primò, Hanc actionem externã, & verborum prolationẽ. Secundò, Conficere Sacramentum, seu cæremoniam quam Christus instituit, seu, quod Ecclesia Christianorũ facit. Tertiò, Sanctificare suscipientẽ per hanc cæremoniam.

Hæretici.

Hæretici existimant primam sufficere intentionẽ; docent enim, sat esse, vt suscipiens vera fide & intentione suscipiat, etiamsi Minister ioco det. Quæ sententia optimè sequitur ex eorũ fundamento; nam quacũque intentione fiat actio externa, semper valet ad excitandam fidem; quod apud illos sufficit. Ab hac sententia non multum abest Catherinus Opusculo de Intentione Ministri, qui putat sufficere intentionem effundendi aquam super homines, & proferendi illa verba, etiamsi hoc non intendas, quatenus est actus Sacramentalis, sed animo ludendi, aut refrigerandi faciem. In eadem sententia videtur esse Syluester verbo *Baptismo* 3. n. 12. & inclinat Palud. dist. 6. Ratio horum est, Quia nisi hæc intentio sufficiat, semper erimus anxij de valore Sacramenti.

Catherinus. Syluester, Paludanus.

19 Sententia Catholica.

Verùm fide tenendum est, Non sufficere primã intentionem; sed præterea requiri intentionẽ faciendi, quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit. Patet ex Concilio Florentino in decreto vnionis Armenorũ; & Tridentino sess. 7. Can. 11. *Si quis dixerit in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, non requiri intentionem, saltem faciendi quod facit Ecclesia, Anathema sit.* Vbi Concilium contra hæreticos definit requiri certam intentionem, quam ipsi negabant requiri; qui tamen non negabant illam Catherini esse necessariam: quia hæc non potest abesse; si homo voluntariè operetur.

Probatur Primò ex Scripturis Matth. vlt. v. 18. *Ite & baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij* &c: hîc non vulgarem ablutionem iniungit, sed mysticam, quam ipse instituerat. Ioan. 20. v. 23. cùm ait, *Quorum remiseritis peccata* &c. dat illis potestatẽ, & ponit in eorum arbitrio. Iacobi 5. dicitur, vt *Oret super infirmum:* debet igitur intendere orare. Matth. 26. *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis:* hîc Dominus instituit Ministros Eucharistiæ, & certam intentionẽ requirit. Vnde Cyprianus serm. de cœna Domini: *Ex quo à Domino dictũ est, Hæc est caro mea, Hic est sanguis meus; quotiescumque his verbis & hac fide,* id est, *intentione actũ est, simul & medicamentum & holocaustum fit.*

Probatur Secundò, Ratione: Quia homo in administratione Sacramentorũ est Christi Minister: ergo debet intẽdere facere id quod Christus instituit; alioquin enim non operatur vt Minister eius, cùm non vtatur potestate ab ipso accepta. Quod maximè patet in ijs Sacramentis, ad quæ data est peculiaris potestas. Qui enim nõ intendit vti potestate consecrandi vel absoluendi, sed solũ illa verba materialiter vel historicè pronuntiare, nõ exhibet se Ministrum Christi; quia nullo modo intendit vti potestate, per quam Minister eius dicitur; sed sola facultate, quam naturaliter habet ad effectum merè naturalem, qui est pronuntiatio illorum verborum. Idem patet in baptismo: vt enim aliquo modo censearis agere tanquam Minister Christi, debes vt minimũ intendere facere id quod Christus ordinauit; alioqui nullo modo te illi tanquam Minister subijcis.

Administrans Sacramentũ, est minister Christi.

Dispensator & Iudex de legatus.

Et Confirmatur Primò, Quia Ministri Sacramenti nõ sunt veluti nudi executores, sicuti nuntius deferens literas; sed sunt dispensatores, habẽtes potestatem sub Christo; vt patet ex Apost. 1. ad Corinth. 4. & veluti iudices delegati; vt patet Ioannis 20. *Quorum remiseritis peccata.* Atqui Iudex debet intendere ferre sententiam, tanquam Iudex, & vti sua potestate: Similiter dispensator voluntariè dispensare res sui domini: nam vsus potestatis moralis pendet essentialiter ab intentione.

Confirmatur Secundò, Quia non decebat, vt Christi merita applicarẽtur per illas actiones quomodolibet obitas; v. g. ad solum iocum, irrisionẽ, imitationem, ad docendũ vel dicendum &c. aut, vt Deus illis assisteret, quomodolibet cõtingeret illas

illas existere in rerũ natura : sed si fierent vt institutæ à Christo : sic enim ad Christum pertinent, vt eius instituta. Atqui hoc pendet ab intentione Ministri ; intentio enim est quæ hanc rationem & respectum confert actui externo : non enim illa actio habet rationem cęremonię Christi, nisi quatenus manat à tali intentione, & ab ea quodammodò informatur.

20 Baptismus mimicus Genesij fuit validus.

Sed contrà. Objcitur Primò, Ado Viennensis, & alij in Martyrologio die 25. Augusti referunt Genesium Martyrem mimicè in scena baptizatũ, interiùs fuisse conuersum & mutatum; quod signũ est fuisse verum baptismum; & tamẽ non videtur ille Mimus habuisse intentionem faciendi, quod facit Ecclesia.

Respondeo; Hic fuisse legitimam intentionem, etiamsi totũ referretur ad ludũ. Dupliciter enim potest aliquid fieri intẽtione ludendi seu mimicè. Primò, Si quis simulet se aliquid facere, quod reuerà non facit : vt si simulet se irasci, gaudere, interficere seipsum vel alium: & talis non habet intentionem faciendi ista reipsâ. Secundò, Si verè aliquid faciat, & hoc totum referat ad ludum & risum: sicut si quis in scena comedat, percutiat alterum : item si verus Sacerdos habens in theatro personam Sacerdotis, iocandi causa verè intendat celebrare, aut consecrare, aut baptizare, conficiet vera Sacramenta, etsi hoc totum vlteriùs ad ludum referat : quamuis enim vltima intentio sit lusus, proxima tamen est intentio faciendi quod Christus instituit, seu, quod Christiani faciunt.

Item pueri Athanasij.

Hinc etiam patet, Quomodo baptismus ille verus fuit, quo Athanasius adhuc puer quosdam Catechumenos in ludo puerili baptizauit, adhibita legitima forma & materia: intendebat enim facere, quod viderat Episcopum Alexandrinum facientem, vt refert Sozomenus lib. 2. historiæ c. 16. & Nicephorus lib. 8. c. 44. Simile quid accidisse in Ecclesia Constantinopolitana suo tempore refert idem Nicephorus lib. 3. cap. 37.

Augustinus.

Objcitur Secundo, D. Aug. lib. 7. de Baptismo c. 53. dubitat de baptismo mimicè & ioculariter collato, & censet diuinum iudicium per reuelationis oraculum tunc implorandum, vel sententiam Concilij plenarij requirendam.

Respondeo, In praxi nulla opus est reuelatione; quia facillimè Sacramentum sub conditione potest iterari. Speculatiuè autem D. Augustinus dubitat; quia eo tempore non erat ita præcisè explicatum, quæ intentio esset necessaria, sicut est modo per Concil. Florentinum & Tridentinum.

Objcitur Tertiò, Si talis intentio requiratur, valdè erimus incerti, sitne Sacramentum ratum.

Respondeo, Non erimus moraliter incerti; quia Minister non habet vllam rationẽ, cur excludat intentionem Ecclesiæ aut institutionis Christi. Secùs est de sanctitate Ministri; hæc enim facilè potest abesse, & non est necessaria ad operandum humano modo, sicut intentio.

DVBIVM I.

Vtrùm efficiatur Sacramentum, si in Ministro sint Intentiones aliquo modo contrariæ?

21 REspondeo & Dico Primò, Si Minister intẽdat facere quod instituit Christus, nõ tamen quod Ecclesia Romana, eò quòd putet ipsam errare, conficit verum Sacramentũ. Ratio est, Quia hæc voluntas, seu volitio profecta ex errore, implicitam habet conditionẽ; scilicet, si ipsa fallitur. Vnde non potest perimere formalem & absolutã intentionem faciendi quod Christus instituit. Et confirmatur, Quia iste, omnibus cõsideratis, censetur absolutè velle. Secùs esset, si nollet facere, quod Ecclesia Romana, etiãsi fortasis ipsa Christi institutionẽ sequeretur: tunc enim nihil efficeret, quia nõ haberet intentionem faciendi quod instituit Christus, nisi sub conditione falsa: id est, nisi aliud sit quod Christus instituit, aliud quod Ecclesia Romana facit. Verùm talis intentio vix haberi potest, nisi ex diabolica quadam malitia.

Intendens facere quod Christus, non tamen quod Ecclesia Romana.

Dico Secundò, Si intendat conferre Sacramentum sine effectu Sacramenti, cõferet nihilominùs verum Sacramentũ & etiam effectum. Ratio est, Quia Sacramenti intentio est prior & absoluta: vnde est sufficiens ad ponendum Sacramentum: Sacramentum autem positum, quasi naturaliter & necessariò producit effectum, si subiectum sit dispositum : vnde Minister non potest illũ inhibere.

Vel Sacramentum sine effectu

Dico Tertiò, Si Minister intendat gratiã conferre, non tamen Sacramentũ, nihil efficiet. Ratio est, Quia deest intentio primaria & essentialis.

Vel effectũ sine Sacramento.

Dico Quartò, Si duo baptizati intendunt contrahere Matrimonium, nullo tamen modo velint facere Sacramentum; idq; vel in odiũ Christianæ religionis; vel ne Matrimonium habeat illã summam insolubilitatem, quam ex vi Sacramenti accipit, non erit Sacramentum. Ratio est, Quia intentio contraria obstat. Vtrùm autem futurus sit contractus, suo loco dicemus.

Vel matrimonium sine Sacramento.

DVBIVM II.

Qualis Intentio Ministri requiratur?

NOtandum est, Esse variam Intentionẽ. Alia enim est Cõditionata, eaque triplex, scilicet Conditione de præsenti, vel de præterito, vel de futuro. Alia est Absoluta, & hæc quadruplex. Actualis, Virtualis, Habitualis, Interpretatiua. 22

Dico Primò, Non sufficit Intentio Conditionata, nisi talis sit, vt statim transeat in absolutam. Ratio est, Quia sola intentio absoluta, est efficax. Si tamen transeat in absolutam, sufficit: quod fit, quando conditio est de præsenti, vel de præterito, & reipsa inest; vt, *Absoluo te, si es Catholicus, si credis, si restituisti.* Nec refert, siue mente tantùm, siue verbis exteriùs hæc conditio apponatur. Quòd si conditio non subsit, iam destruitur tota intentio; tunc enim Minister nullo modo intendit. Hinc patet, Si quis ita dicat, *Ego te baptizo, si tu es Catholicus; non baptizo, si es hæreticus*, &c. fore verum baptismũ, modò sit Catholicus: quod est contra Dominicum Soto dist. 1. q. 1. a. 8. Ratio est; Quia conditio inest, & sic intentio conditionata transit in absolutam.

Intentio condionata, quę efficax, quæ non.

Quòd si cõditio sit de futuro, suspendit intentionem; vnde in præsenti nihil efficit: sed nec postea quando conditio impletur quidquam efficit. Ratio est, Quia nullum tunc ampliùs est signum sensibile, quod sit Sacramentum. De Matrimonio fortè est alia ratio.

Conditio de futuro.

Dices, Quid si Minister intẽdat nunc absoluere sub hac conditione, *Si nunc verum est quod restitues*; quia propositio de futuro etiã nunc determinatè vera est, etsi à nobis ignoretur: Deus enim intuetur ipsius determinatam veritatem?

Respondeo, Etsi hæc conditio præsens esse videatur, eò quòd veritas rei futuræ videatur præsens, quatenus est rei futuræ; humano tamen more non censetur præsens; quia non est humano more cognoscibilis in præsenti; sed solùm dum fiet. Vnde talis intentio ministri nõ videtur sufficiens, & saltem sub conditione tale Sacramentum esset iterandum, præter grauissimum sacrilegium quod committeretur.

Intentio interpretatiua.

Dico Secundò, Nõ sufficit etiam Intentio Interpretatiua, qualẽ habet is qui voluntariè se inebriat, & nouit se in ebrietate solere actus Sacramentales facere. Ratio est, Quia hæc est intentio remota, & in causa tantùm: ipsum autem Sacramentum in se debet intendi.

Intendens in somno consecrare.

Dices, Quid si distinctè intendat quis cõsecrare in somnis, & ex vi huius intentionis id faciat; hoc enim videtur fieri posse: nã imaginatio potest hoc reducere in memoriam, & mediante appetitu mouere potentiam executiuã; sicut multi noctu surgunt, ambulant, canunt, & alia peragunt.

Respondeo, Non fore Sacramentũ; debet enim intendi non solùm vt obiectum, sed etiã vt actio humana, humano more procedens à tali intentione. Hîc autem nõ sic procedit, sed merè naturaliter, & necessariò: non enim ex vi huius intentionis homo liberè se applicat ad hanc actionem, sed ex vi imaginationis necessariò, sicut bruta.

Habitualis.

Dico Tertiò, Non sufficit etiam Intentio Habitualis tantũ. Ratio est, Quia hęc intentio nullo modo influit in actum externum, estq; merè otiosa. Quòd si actio Sacramentalis fortè fiat, intentio habitualis solùm comitanter se habet.

23 Actualis.

Dico Quartò, Actualis Intẽtio sine dubio sufficit; & est omnium optima. Aduerte tamen ad hanc non requiri, vt sic cogites, *Ego volo absoluere, ego volo consecrare*; nã hæc est reflectio intellectus supra actum voluntatis; quæ reflexio superuenit actui voluntatis: sed sufficit, vt cogites de Sacramento administrando, & in actu exercito velis administrare.

Virtualis.

Dico Quintò, Etiam Virtualis Intentio, omnium Doctorũ iudicio, sufficiens est: talis est, cùm quis anteà actu proposuit baptizare, consecrare, absoluere; & ex vi huius propositi humano more se applicat ad agendum; tamen postea dum agit mente distrahitur, nec cogitat quid faciat; & hanc vocat D. Thomas habitualem. Hinc patet; Si Sacerdos minores formas seu hostias initio Sacri apposuit consecrandas, quamuis in cõsecratione earum non meminerit, nihilominùs verè fore consecratas; nam in actu consecrationis habet intentionem virtualem; virtus enim & efficacia prioris intentionis manet secundùm æstimationẽ moralem in operatione externa: nam ex vi illius, se ad externam actionem liturgicam applicuit, & hæc ex illa procedit. Sicut quando quis intendit ire Bruxellam, & ex vi huius intentionis se applicat itineri; in tota illa profectione manet vis intẽtionis, donec peruentum sit ad terminum, vel donec actio impediatur, vel intentio mutetur, etiamsi nihil ampliùs de profectione cogitet.

Hostiæ consecratæ ex virtuali intentione.

Quæri tamen hîc posset (de quo nuper consultus) *Si* Sacristanus Sacerdote celebrante apponat hostias inter puluillum & Corporale, & Sacerdos id aduertat & consecrare intendat: mox tamen omnino obliuiscatur, ita vt pyxidẽ non attingat, nec super Corporale transferat: Quæri inquam posset; Vtrùm tales hostiæ verè censendæ sint consecratæ, ob illam intentionem precedentem?

Respondeo, Mihi videri eas non esse consecratas: quia illa intentio non videtur influere, cùm nec actu, nec virtute videatur manere. Quòd actu non maneat, per se manifestum est: quia actualis intentio non potest stare cum obliuione & defectu cognitionis. Non manere etiam virtute, inde videtur apertè colligi, quia nullus ex ea effectus sequitur, qui tendat determinatè ad illas paruas hostias. Semper enim cùm est intentio virtualis, debet ex actuali intentione præuia, sequi aliqua series actionum tendentium ad illum effectum, qui virtualiter dicitur intentus. Cùm enim intentio in se non maneat, debet manere in effectu suo vlteriùs tendente vsque ad ipsum opus: vt multis exemplis ostendi potest. Alioqui nulla est ratio cur dicatur virtualiter manere. At in proposito nulla talis series actionum ostendi potest. Nam continuatio Missæ vsque ad Consecrationem, non sequitur ex vi intentionis consecrandi paruas hostias, sed ex consueta intentione celebrandi & consecrandi magnam, quam habet in patena, & sumit in manus, &c. Neque dici potest, illas actiones omnes ideò hîc & nunc fieri ab isto Sacerdote, quia constituit consecrare paruas hostias; sed solùm, quia intendit more consueto offerre sacrificium. Itaque intentio consecrandi paruas hostias, nullam omnino variationem fecit circa consuetas actiones. Secùs esset si propter paruas hostias citiùs se applicasset ad faciendum Sacrum: tunc enim illa actio tota quatenus hîc & nunc fit, sequeretur ex vi intentionis circa paruas hostias. Item secùs esset, si quando erat consecraturus paruas hostias, solebat adhibere certam seriem actionum, quam aliàs non adhibebat, v. g. extendendo cruces, quas facit super oblata, ad pyxidem; vel applicando pyxidem calici circa tempus consecrationis, vel illam tunc aperiendo, etiamsi id fiat cum magna distractione, nihil distinctè cogitando de paruis hostijs.

Confirmãtur hæc omnia, Quia qui aliquid intendit virtualiter, ita est dispositus & affectu & imaginatione quadam confusa circa id quod facit, vt si reflectat mentem super suam actionem, statim sit animaduersurus distinctè quid agat, & cuius rei causa agat; adeò vt si rogetur quid hac actione intendat, statim absque alio discursu responsurus sit, se, hoc intendere, hoc moliri, v. g. Proficiscì Romam, ædificare domum, offerre sacrificium, &c. Itaque si quis duos fines intendat, alterum primariò, alterum secundariò, & ita oblitus est finis secundarij, vt si rogaretur quid sua actione intenderet, solùm responderet de primario, non video quomodo ille dici possit habere intentionem virtualem circa secundarium.

Idem varijs exemplis declarari posset. Vadit quis Romam eo fine, vt à Summo Pontifice obtineat beneficium: in itinere positus cogitat se ibi habere amicum, quem proponit, cùm Romæ fuerit, salutare: sed paulò pòst statim ita obliuiscitur, vt toto itinere ei in mentem non veniat. Quis dicat hunc hominem toto itinere intendere virtualiter salutationem amici, & totam hanc profectionem ab illo fieri, vt amici illius colloquio fruatur? Ob hæc & alia multa, puto hanc sententiam esse veram. Non tamen damno contrariam.

Excipe casũ quo nullo modo potest à Sacerdos ad eas reflectat.

ARTI-

ARTICVLVS IX.

Vtrùm fides Ministri sit de necessitate Sacramenti?

24 Sententia Hæretica affirmat,

PRimus qui docuit fidem necessariam ad Sacramenti perfectionem, videtur fuisse Agrippinus Carthaginẽsis Episcopus ante tempora Cypriani; quem secutus est posteà Cyprianus, & plurimi Africæ Episcopi. Pro qua sententia stabilienda Cyprianus coëgit tres Synodos in Africa, quarum meminit D. Augustin. lib. 2. de Baptismo. cap. 9. & lib. 3. cap. 1. Idem posteà cum pertinacia tenuêre Donatistæ, & alij artic. 5. citati.

Catholica negat.

Verùm fide tenendum est, Baptismum ab hæreticis collatum, & alia Sacramenta, si nihil ex necessarijs desit, legitima esse. Hanc veritatem admittunt hæretici nostri temporis.

Probatur Primò, Ex vniuersalis Ecclesiæ traditione, & consuetudine, quæ vbique vsque ad tempora Agrippini perseuerauit, qui primus cæpit illam mutare, baptizatos ab hæreticis rebaptizans: vt docet Stephanus Papa epist. ad Cyprianum; & D. Augustinus lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 8. & Vincentius Lirinensis in suo Opusculo, vbi ait, *Primus omnium mortalium* (scilicet Agrippinus) *contra diuinum Canonem, contra vniuersalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem & instituta maiorum rebaptizandum esse censebat*, scilicet baptizatum ab hæretico.

Concilia.

Probatur Secundò, Ex Concilijs. Nam statim post mortem Cypriani hæc veritas definita est in Concilio plenario, vt testatur D. Augustin. multis locis, scilicet lib. 2. de Baptismo. cap. 3. 4. 5. 7. 9. quod Concilium videtur fuisse Nicænum, nam etiã Hieronymus in Dialogo cõtra Luciferianos sub finem, dicit Concilium Nicænum recepisse eos, qui ab hæresi redirent, singulos in suo gradu, præter Paulianistas, de quibus habemus in Canone 19. vbi Paulianistæ & Cataphryges iubentur rebaptizari, eò quòd non vterentur legitima forma. Canone tamen 8. recipiuntur Nouatiani absque iteratione baptismi, quia scilicet legitimâ formâ vtebantur, etsi essent hæretici. Idem probatur ex Concilio Arelatensi I. can. 8. & Carthaginensi I. can. 1. Denique ex Constantiensi sess. 8. quatenus damnat Articulum 4. Wiclefi. Et ex Tridentino sess. 7. can. 4.

Ratio.

Probatur Tertiò Rationibus artic. 5. allatis. Præcipua ratio est, Quia Sacramenta habent efficaciã ex institutione & meritis Christi; vnde parum refert, qualis sit minister, siue fidem habeat siue non. Sicut enim Ministri merita non tribuunt Sacramento virtutem, ita nec de merita adimunt. Vide D. Augustin. tractatu 5. & 6. in Ioannem.

25 Extra Ecclesiam non est salus, & quomodo.

Sed contrà. Objciuntur varia testimonia ex Scripturis, quę refert & soluit D. Augustinus septem libris contra Donatistas, potissimùm duobus posterioribus. Præcipua sunt ea, quę probant, extra Ecclesiam non esse salutem: sicut nec extra Arcam Noë, quæ Ecclesiæ erat figura.

Respondeo, Qui est extra Ecclesiam, non potest saluari, sicut neque extra Arcam: tamen qui est in Ecclesia, fidem Ecclesiæ tenens, potest accipere ea per quæ saluatur, ab eo qui est extra Ecclesiam. Sicut si hæreticus alicui traderet Ecclesiæ doctrinam, illum faceret fidelem: ergo pari ratione, si traderet ei Ecclesiæ Sacramenta, faceret Christianum: non enim hæresis in illas functiones influit; sicut nec morbus Medici in curationes ægroti, quare nec vitiat eas.

Vnum Baptisma, & quomodo.

Nec obstat; Quòd sit vnum Baptisma; quia hæreticorum Baptisma, est Baptisma Christi. Vnum enim dicitur Baptisma, quia ab vno institutum & ab vno vim habet, cuius nomine in vna forma & materia celebratur, nec variatur pro meritis Ministrorum. Reliqua testimonia, si quid efficerent, non minùs probarent de Sacramentis, quæ conferuntur à malis Catholicis, quàm quæ ab hæreticis: vnde non minùs contra Cyprianum faciunt, quàm pro illo, qui per malos, si fideles sint, sentit conferri vera Sacramenta.

ARTICVLVS X.

Vtrùm intentio recta Ministri requiratur ad perfectionem Sacramenti?

Hic Articulus intelligitur ex dictis Articulo 8.

QVÆSTIO LXV.

De Numero Sacramentorum.

In Quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm debeant esse septem Sacramenta Ecclesiæ?

1 Discrepãtia Hæreticorum.

HÆretici huius temporis in eo conueniunt quòd nolint esse septem Sacramẽta; sed discrepant & à seipsis interdum, & alij ab alijs in statuendo numero Sacramentorum. Lutherus de Captiuitate Babyl. fol. 65. *Neganda mihi sunt septem Sacramenta, & pro tempore ponenda tria; Baptismus, Pœnitentia, Panis.* Paulò post fol. 88. rigidè loquendo dicit tantùm esse duo, Baptismum & Panem: quia hæc sola constant signis visibilibus, & habent diuinã promissionem. Pœnitentia autem caret signo visibili diuinitus instituto. Alibi, scilicet lib. ad Waldenses, dicit propriè & more Scripturæ loquendo esse tantùm vnum, scilicet Baptismum. Philippus Melanthon in locis communibus anni 1522. ponit duo tantùm, nec plura inueniri dicit apud

Augustinum, scilicet Baptismum & Panem. Anno 1530. in Apologia confessionis Augustanæ, tria; Baptismum, Panem, Absolutionem. Anno 1552. & 1558. in locis, quatuor; Baptismum, Panem, Absolutionem, Ordinem. Bucerus lib. 1. de Regno Christi c. 7. tria; Baptismum, Cænam, & Ordinem. Caluinus lib. 4. Instit. cap. 18. §. 19. & 20. tenet Baptismum & Cænam tantùm. C. 19. §. 31. Ordinē presbyterij recipit pro Sacramento. Et in c. 19. Actorum admittit Confirmationem tempore Apostolorum fuisse Sacramentū. Zuinglius lib. De vera & falsa religione cap. de Matrimonio, admittit Matrimonium esse Sacramentū, & illud cæteris præponit. Ibidem c. de Sacramentis ponit tantùm duo; Baptismum & Cænam.

2 De fide est, esse septem Sacramēta.

Respondeo & Dico; Certum est de fide, Septem esse verè & propriè dicta Sacramenta nouæ legis, nec plura nec pauciora. Est definitū in Concil. Trident. sess. 7. can. 1. & Florentino in decreto vnionis Armenorum.

Ex Script.

Probatur Primò, Ex Scripturis. De Baptismo quidē & Eucharistia Hæretici nobiscum sentiunt. De Confirmatione dicitur Actor. 8. & 19. quòd Apostoli *imponebant manus super eos* (scilicet baptizatos,) *& accipiebant Spiritum sanctum:* vbi videmus signum externum, & gratiam Spiritus sancti; quæ duo requiruntur ad Sacramentum. De Absolutione & Pœnitentia, Ioannis 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* De Ordine, 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij.* De extrema Vnctione, Iacobi 5. *Infirmatur quis in vobis,* &c. De Matrimonio, ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est* &c.

Obijciunt Hæretici: Nullibi in Scriptura dicuntur esse septem Sacramenta.

Responsio Hæreticorū refellitur.

Respondeo Primò, Nullibi etiā dicuntur esse duo, vel tria, vel quatuor, vt Hæretici volunt. Secundò, Satis est, vt possint colligi ex varijs locis, in quibus fit horum mentio. Tertiò, Etsi non possit omnino apertè conuinci ex Scripturis esse septem Sacramenta, non tamen ideò iste numerus est, negandus. Nam neque ex Scripturis vllo modo colligi potest numerus librorum Canonicorum, & tamen Hæretici etiam confidenter ponunt numerum certū eorum, vt patet manifestè in quatuor Euangelijs: nam de fide est esse quatuor Euangelia; & tamen hoc nullibi asseritur in Scriptura, neque ex ea colligi potest. Quartò denique, Dico ex Scriptura sumi multas coniecturas, ex quibus probabiliter colligi potest septenarius numerus Sacramētorum. Nam significatur hic numerus Prou. 9. per *Septem columnas*, quas Sapientia, scilicet Christus, excidit in domo Ecclesiæ, idque etiam secundùm Caluinum, qui lib. 4. Inst. cap. 14. dicit, *Sacramenta esse Fidei & Ecclesiastici ædificij columnas.* Similiter per *Septem sigilla* quæ vidit Ioannes Apoc. 5. nam vt etiam omnes hæretici fatentur, Sacramenta sunt quædam sigilla. Item per *Septem stellas*, quas Filius hominis in dextera tenebat, Apoc. 2. nam per Sacramenta Christus Ecclesiam illuminat. Per *Septem tubas*, quas Angeli habent Apoc. 8. Angeli enim sunt Christi Apostoli, iuxtà vaticiniū Isaiæ 52. v. 7. *Quā pulchri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem:* qui septem istis Sacramentis fidem propagarunt. Per *Septem oculos*, quos vidit Zacharias c. 4. super lapidem, id est, Christum:

3 Septenarius Sacramentorum numerus præfiguratus.

quia Sacramenta meritis Christi nituntur. Per *Septem lucernas*, quibus constructum erat candelabrum templi: quia domus Dei, scilicet Ecclesia, septem Sacramentis illustratur. Per *Septem lotiones*, quibus Naaman leprosus, id est, peccator, in Iordane, nempe in sanguine Christi, mundatus est à lepra. Per *Septem buccinas*, quibus euersa est Iericho, id est, ciuitas peccatorum. Per *Septem spicas plenas*, quas vidit Pharao. Denique *septem diebus*, fiebat peccatorū expiatio & sanctificatio. Deut. 15. & 16. & Exodi 29. Hæ figuræ valdè probabilem & rationi consentaneum faciunt hunc numerum Sacramentorum.

4 Ex Concil.

Probatur Secundò, Ex Concilijs Florentino & Tridentino suprà allatis. Antiquiora non habemus, quæ definiant hunc numerum; quia nondum fuerat hæresis quę hoc directè negaret. Nam etiam Ioannes Hus, quem nostri Hæretici ferè in omnibus sequuntur, apertè sensit esse septem Sacramenta, vt patet in Cōcilio Constantiensi sess. 16. art. 8. Accedit quòd in tota Ecclesia Catholica hic numerus semper fuerit seruatus, nec potest ostendi à quo Concilio, vel Pontifice sit introductus: quod est certissimum signum esse ex traditione Apostolica, iuxtà regulam D. Augustini epist. 118. & lib. 4. de Bapt. c. 24. Idem docent omnes Doctores Scholastici.

5 Duplex Ratio conuenientiæ.

Probatur Tertiò, Ratione. Ratio à priori est, sola Christi voluntas. Possunt tamen adferri optimæ congruentiæ & coniecturæ, quibus ostendatur hunc numerum esse valdè rationi consentaneum. Prior est, Quia Sacramentis formatur & perficitur Ecclesia, & vita spiritualis. Baptismo enim regeneramur in vitam spiritalem. Confirmatione, corroboramur & instruimur ad pugnā. Eucharistiâ, alimur in vita spirituali. Pœnitentiâ, curamur à morbis spiritualibus. Extrema Vnctione, tolluntur reliquiæ morborum spiritualiū. Ordine, constituuntur Duces militiæ spiritualis. Matrimonio, propagatur Ecclesia secundùm carnem. Secunda est, Quia Sacramenta respondent septem virtutibus: Baptismus, Fidei; extrema Vnctio, Spei; Eucharistia, Charitati; Ordo, Prudentiæ; Pœnitentia, Iustitiæ; Confirmatio, Fortitudini; & Matrimonium, Temperantiæ.

6 1. Obiectio hæreticorū ex Augst.

Obijciunt Hæretici quædam testimonia Patrum. Primò, Caluinus lib. 4. Inst. c. 19. §. 12. dicit Augustinum tantùm agnoscere duo Sacramenta, epistola 118. ad Ianuarium, vbi sic ait; *Sacramentis numero paucissimis, obseruatione facillimis, significatione præstantissimis, societate noui populi colligari; sicut est Baptismus & Communicatio corporis & sanguinis Domini, & si quid aliud in Scriptura Canonica commendatur.*

Soluitur.

Respondeo; D. Augustinus si non existimasset esse alia præter hæc duo, non dixisset, *Et si quid aliud* &c. Deinde, non dixisset *Sicut est Baptismus & Communicatio*, quasi exempli loco illa adferens: sed dixisset, Quæ sunt, Baptismus & Communicatio; nimirum enumerando omnia Sacramenta, quibus populi Christiani Societas colligatur. Deinde, ex alijs locis constat D. Augustinum sensisse esse plura Sacramenta, quàm duo vel tria. Nam Concione 1. in psal. 103. sic ait: *Munus Sacramentorum, in Baptismo, in Eucharistia, in cæteris sanctis Sacramentis, quale munus est?* Vnde patet Augustinum præter hæc duo, ponere aliquot alia. Deinde l. 5. de Baptismo c. 20. expressè numerat quatuor,

dicens;

dicens; *Quomodo exaudit homicidam deprecantem vel super Aquam Baptismi, vel super Oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus imponitur?* id est, qui absoluuntur à peccatis. De extrema Vnctione vide eundem lib. 2. de Visitatione infirmorum c. 4. qui liber, etsi non constet omnino an sit Augustini, tamen non potest probari contrarium. De Matrimonio clarè lib. de Bono coniugali c. 7. 15. 18. & 24. vbi docet Matrimonium esse indissolubile, & non amitti per diuortium, quia est Sacramentum: sicut Ordo nō amittitur, quia est Sacramentum. De Ordine c. 24. eiusdem libri & 1. de Bapt. cap. 1. vbi dicit Ordinem esse Sacramentum, sicut est Baptismus.

7 Secundò, Obijcit Kemnitius & alij Hæretici, 2. Obiectio, quòd Patres nunquam numerent septem Sacramenta. Quòd Patres cùm sermonem de Sacramentis ex professo instituunt, nunquam numerant Septem Sacramenta, neque tractant de septem, sed tantùm de tribus vel duobus: vt Dionysius, Iustinus, Cyrillus Hierosolimitanus & Ambrosius.

Soluitur. Respondeo Primò, Istud argumentum est ab authoritate negatiuè, quo quidvis probari potest. Secundò, Illis Patribus non erat propositum tractare de omnibus Sacramentis, sed tantū de quibusdam quæ ad illorum propositum pertinebant. Dionysius Areop. lib. de Ecclesiastica Hierarchia tractat tantùm de quatuor; nempe de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, Ordine: tamen epistola ad Demophilum meminit expresè Pœnitentiæ. Ratio est, Quia ipsius mens non erat agere de omnibus vel de solis Sacramentis: nam agit etiam de Vnctione mortuorum, & consecratione monachorum, quę non sunt Sacramenta: sed tantùm agit de illis in quibus maximè cernitur officium Pontificis, & functio hierarchica: vt patet ex initio libri. Cyrillus autem & Ambrosius & etiam Iustinus tantùm agunt de illis Sacramentis quæ in initio recipi solent, quando aliquis cooptabatur in Ecclesiam: quæ sunt, Baptismus, Confirmatio & Eucharistia. Patet hoc ex præfationibus & initijs ipsorum librorum. Cyrillus enim Neophytos alloquens, dicit se velle tractare de ijs quę iam experientia edocti fuerant. Et Ambrosius, *De Sacramentis*, inquit, *quæ accepistis, sermonem adorior.* Vnde patet ex Patribus nullum esse testimonium quo vel in speciem hic numerus refellatur. Quamuis enim non numerent ex ordine septem Sacramenta tamen apud illos omnia varijs locis reperiuntur, vt fusiùs ostendetur cùm agemus de singulis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Sacramenta conuenienter ordinentur secundùm modum prædictum?

8 Docet hoc articulo hunc esse ordinem Sacramentorum: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, extrema Vnctio, Ordo, Matrimonium. Quo ordine etiam à Concil. Trident. sess. 7. can. 1. & à Florentino in Instructione Armenorum enumerantur. Vide D. Thomam. Hîc solùm notandū, hunc ordinē esse assignatū iuxtà ordinem procedendi, quo Ecclesiæ membra perficiuntur, primò in seipsis, deinde respectu aliorū.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Sacramentum Eucharistiæ sit potissimum?

Respondeo: Sacramentum Eucharistiæ esse præstantissimum. Est definitū à Conc. Trident. sess. 13. c. 3. Et sess. 7. can. 3. definit Sacramenta non ita esse inter se paria, vt nulla ratione aliud alio sit dignius. Quod est contra Caluinistas, qui volunt omnia Sacramenta esse paria, quia vbique par est verbi Dei dignitas, quo Sacramenta constant. 9

Ratio Conclusionis est, Quia Eucharistia continet ipsum fontem omnis gratiæ, cum tota plenitudine suorum meritorum: reliqua Sacramenta tantùm continent portionē quandam meritorum Christi, & certam gratię mensuram. Deinde, reliqua Sacramenta consistunt in vsu & motione quadam transeunte; non enim sunt, nisi dum suscipiuntur: Eucharistia autem est Sacramentum permanens. Vnde à Dionysio c. 3. parte 1. de Ecclesiastica Hierarch. rectè vocatur Τελετὴ τελετῶν, id est, *Initiatio initiationum*, seu Sacramentum Sacramentorum. Adde duas alias rationes, quas habet D. Thomas. Itaque Tertia Ratio est, Quia reliqua Sacramenta ordinantur ad Eucharistiam, tamquam ad finem. Quarta est, Quia omnia Sacramenta in Eucharistia consummantur. Quadruplex Ratio.

Quòd ad reliqua Sacramenta attinet: Notandum Primò, Singula habere quandam propriam excellentiā, quâ cæteris præstent: nam Baptismus excedit effectu: dimittit enim peccatum originale & omnem pœnam. Confirmatio excellit gratiæ plenitudine, quæ datur ad fidei professionē. Pœnitētia excellit quatenus excitat mortuos, & quia lapsis est vnicum remedium. Extrema Vnctio excellit quatenus tollit reliquias peccatorum; & etiā interdum præstat effectu corporalem sanitatem vi Sacramenti. Ordo excellit dignitate Ministri, & quia hominem in sublimi gradu collocat. Matrimonium excellit ob significationem: significat enim duplicem Christi vnionem, hypostaticam nempe & charitatis. 10 Singula Sacramēta propriam habent excellentiā.

Notandum Secundò, Cùm D. Thomas ait, *Extremam Vnctionē esse dispositionem ad Eucharistiā*, non velle ipsum dicere extremam Vnctionem necessariò præcedere, antequā Eucharistię sumamus viaticum: nam extremo loco solet Sacramentum extremę Vnctionis infirmis conferri. Sed hoc dicit propter effectū Sacramēti extremę Vnctionis, qui est, tollere reliquias peccatorū: quibus sublatis, homo reparatur ad actionem Christo coniunctiorem, qui proprius est Eucharistiæ effectus. 11

ARTICVLVS IV.

Vtrùm omnia Sacramenta sint ad salutem necessaria?

Respondet D. Tho. Baptismum esse omnibus absolutè necessariū: Pœnitentiam omnibus lapsis in peccatum mortiferum post Baptismum: Ordinem non singulis, sed Ecclesiæ. Reliqua autem Sacramenta non absolutè esse necessaria, sed vt cōmodiùs ad salutē perueniatur. De hoc plura cùm de singulis deinceps tractabimus. 12

DE SACRAMENTIS IN SPECIE.

DE BAPTISMO.

QVÆSTIO LXVI.

Quantum ad ea, quæ ad ipsum Baptisma pertinent.

In Duodecim Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Baptismus sit ablutio?

1

REspondetur; Baptismum esse externam ablutionẽ sub præscripta verborum forma.

Varia Baptismi nomina, & vnde.

Notandum est; Sicut Christus Baptismi auctor, ob suam perfectionem multis nominibus appellatur; ita etiam Baptismus. Et primò dicitur *Baptismus* quia animam abluit à peccatis. Dicitur *Lauacrum aquæ in verbo vitæ* ad Ephes. 5. v. 26. quia confertur cum verbo spiritualiter viuificante. Dicitur *Lauacrum regenerationis* ad Tit. 3. quia per illud, nouum esse & nouam vitam accipimus: Dicitur *Indumentum*, quia per illud Christũ induimus, & velamus nostram ignominiam, ad Gal. 3. Dicitur *Illuminatio*, quia animã fide illustrat, ad Hebr. 1. Dicitur *Circumcisio non manu facta*, quia cor circumcidit, resecans omnia peccata, ad Colloss. 2. Denique dicitur *Crucifixio & sepultura cum Christo.* ad Rom. 6. quia homo moritur peccatis, & quodammodò censetur cum Christo crucifigi, mori, sepeliri, secundùm vitam peccatorum.

DVBIVM I.

Quid sit Baptismus?

2 Baptismi definitio.

RESpõdeo; Varijs modis posse describi, vt patet ex D. Thoma. Vt, *Baptismus est Sacramentũ regenerationis.* Est, *Lauacrũ aquæ in verbo vitæ* &c. Breuissimè tamen, & plenissimè sic: *Baptismus est Sacramentum ablutionis sub inuocatione Trinitatis.* Dico *Sacramentum*, quia est genus Baptismi. Dico *Ablutionis*, loco differentiæ.

Vbi aduerte, Dupliciter Sacramentum Baptismi posse dici Sacramentum Ablutionis: Primò, Vt sensus sit, *Baptismus est Sacramentum, quod est ablutio:* Secundò, Vt sensus sit, *Baptismus est Sacramẽtum constans ablutione & inuocatione Trinitatis, sub qua fit ipsa ablutio:* Priorem sensum amplectitur Sotus dist. 3. artic. 1. Censet enim Sacramentum Baptismi esse solam ablutionem; quatenus tamen ordinem habet ad illam verborum formam, ita vt forma illa non sit pars Sacramenti, ex qua ipsum intrinsecè constet, sed solùm circumstantia quædam externa significationem ablutionis determinans ad aliquid spiritale designandum, & efficiens vt sit cæremonia religiosa. Vnde etiam vult totam significationem Sacramentalem esse in sola ablutione; quamuis ratio, cur conueniat ei talis significatio, sit ordo ad formulam verborum. Sed hæc sententia suprà refutata est qu. 60. vbi ostensum est, Sacramenta constare materia & forma tanquam partibus intrinsecis. Et Confirmatur in proposito; Quia ablutio non solùm habet necessarium ordinem ad verba, sed etiam ad Ministrũ, & eius intentionem, & ad suscipientem: ergo si verba dicuntur forma, vel pars Sacramenti, eò quòd Sacramentum habeat necessarium ordinem seu habitudinem ad illa; etiam Minister, eiusque intentio, & suscipiens poterunt dici pars & forma Sacramenti; quod tamen nemo dixerit.

Sotus. Soti opinio refutatur.

Sacramentum ergo Baptismi non est sola ablutio; vt rectè Scotus dist. 3. qu. 1. sed ablutio cum inuocatione Trinitatis, sub qua ipsa ablutio peragitur. Vnde cùm dicitur, *Baptismus est Sacramentum ablutionis sub inuocatione Trinitatis,* non significatur ipsam inuocationem non esse partem Sacramenti, aut solùm in obliquo respicere Sacramentum: sed significatur ordo, quem vna pars Sacramenti habet ad alteram; Ablutio scilicet ad Inuocationẽ. Sacramentũ enim constat ex ablutione, & inuocatione, talem inter se ordinem habentibus, vt ipsa ablutio fiat sub inuocatione Trinitatis. Nec obstat, quòd Sacramentum Baptismi rectè dicatur *Ablutio*, quia per Synechdochen pars rectè dicitur de toto, & contrà: quomodo etiam Sacramentum Pœnitentiæ vocatur Pœnitentia, licet maxima ex parte consistat in Absolutione.

Explicatur definitio Baptismi.

DVBIVM II.

Vtrùm ista Ablutio consistat in actione, an in passione?

3

RESpondeo; In Ablutione quatuor posse considerari: Aquam, Corpus, Contactum aquę quo aqua dicitur contingere corpus, & Contactum corporis quo corpus aquam tangit.

Ablutio igitur consistit, non in contactu, quo corpus tangit aquam, (quia hic contactus identificatur corpori, & sic corpus esset materia proxima

xima Baptismi :) sed in contactu aquæ, quo aqua contingit corpus, qui nihil est aliud quàm contiguitas ipsius aquæ ad corpus. Sic D. Augustinus Tractatu 80. in Ioannem. *Vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat?* Hinc patet Ablutionem non esse aliquam Physicam actionē aut passionem, (cùm non terminetur ad aliquam qualitatem) sed modum quemdam ipsius aquæ, qui modus non distinguitur realiter ab aqua, sed est ipsa aqua, sic se habens; id est, corpori applicata, & quodammodò à corpore excepta, per quam formaliter corpus dicitur *tangi, abluí*, denominatione extrinseca: & sic habet modum quemdam passionis, licet non sit passio. Vnde Ablutio est pars Sacramenti, quatenus habet modum cuiusdam passionis; debet enim considerari quatenus ab ea *corpus* dicitur *abluí*: sic enim & non aliter mundat aqua: cuius signū est, quod Sacramentū Baptismi multiplicetur pro diuersitate corporum suscipientium; non autem pro diuersitate actuum Ministri, cùm vna actione multi possint Baptizari.

Ablutio Baptismi consistit in contactu aquæ ad corpus, instar passionis.

Aduerte tamē; Ablutionē ordinariè fieri cum quodam motu, vel aquæ per corpus, vt in perfusione; vel corporis per aquam, vt in immersione: vnde est contactus aquæ successiuus. Fieri tamen potest, vt aqua simul partem aliquam sufficientem tangat, & tunc fit in momento; vnde absolutè non est de ratione ablutionis, vt successiuè fiat.

Non est necesse vt fiat successiuè.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Baptismus sit institutus post Christi passionem?

4 REspondet D. Thomas, Baptismum esse institutum, quando Christus in Iordane baptizabatur: Cæpisse autem obligare post passionem & resurrectionem, cessantibus legalibus.

DVBIVM I.

Quando Baptismus sit institutus?

Multorum Patrum sententia post Resurrectionem esse institutum.

MVlti Patres sentire videntur institutū post resurrectionem Matt. 28. v. 28. cùm dictum est Apostolis, *Euntes docete omnes gentes, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Eum verò Baptismum, quo discipuli Christi ante passionem baptizabant, fuisse Ioannis. Ita sentire videtur Tertull. lib. de Baptismo c. 11. Chrysost. hom. 28. in Ioan. explicans illud Ioan. 7. v. 39. *Nondū erat Spiritus datus, quia* IESVS *nondū erat glorificatus*: & Theophilactus in caput 3. Ioannis. Hieronymus Dialogo contra Luciferianos explicans eundem locum: & D. Leo epist. 4. ad Episcopos Siciliæ cap. 3. Rationes sunt. Prima, locus iste Ioannis 7. *Nondum erat Spiritus datus* &c. Ergo nec Baptismus institutus, quo datur Spiritus S. Ita Chrysost. Secūda, Quia Baptismus vim habet à passione & morte Domini: ergo anteà erat inefficax; ac proinde non erat Christi Baptismus sanctificans; sed Ioannis. Tertia, Quia Apostoli nondum erant instituti sacerdotes, vt possent baptizare: hoc enim factum, vel post resurrectionē, Ioannis 20. vel certè in vltima Cœna. Quarta, Quia forma Baptismi nusquam inuenitur expressa, nisi post resurrectionem: ergo &c. Quinta, Quia per Baptismum conformamur morti & resurrectioni Christi. Atqui ante Christi mortem & resurrectionem non poteramus illi conformari: exemplar enim prius est, quàm eius imitatio. Verùm his nil obstantibus, altera sententia est longè verior. Probatur

Dico Primò, Probabilissimum est Christi Baptismum esse institutum antè Passionem. Est cōmunior sententia cum Magistro dist. 3. & expressè D. Augustini epist. 108. ad Seleucianum, vbi ait, Christum Baptizasse non suis manibus, sed per Apostolos; vt intelligamus ipsum Baptizasse præsentiâ Maiestatis, ipsiusque fuisse Baptismi Sacramentum, Apostolorum autem dumtaxat Ministerium. Et infrà docet Apostolos à Christo Baptizatos. Idem tractatu 15. in Ioannem ait, Christo adhuc in carne agente ita Baptizasse Apostolos, sicut modo Baptizant Apostolici Sacerdotes; & ita per eos tunc mundasse peccata, sicut modò facit. Idem insinuat Cyrillus lib. 2. in Ioannem cap. 76. & Alcuinus in cap. 4. Ioannis, apud D. Thomam in Catena.

5 Baptismus institutus est ante Christi Passionem.

Probatur Primò, Ioan. 3. dicitur quod Christus Baptizauit, nempe per discipulos suos, vt explicatur cap. 4. quo significatur ipsum fuisse auctorem illius Baptismi (vt inquit D. Augustinus) eiusque vicem Apostolos in Baptizando gessisse. 2. Ibidem Ioannis 3. dicitur discipulos Ioannis Baptistę conquestos, quòd Christus Baptizaret, quasi per hoc Ioannis gloria videretur obscurari. Quod euidens signum est Christum suo Baptismo fuisse vsum, qui pluris æstimaretur quàm Ioannis Baptismus. Si enim fuisset vsus Baptismo Ioannis, non fuisset occasio querimoniæ, sed potiùs gratulationis: nam hoc in Ioannis commendationē cessisset. Tertiò, Quia indignum erat Christi maiestate, vt Ioannis Baptismo vteretur, qui solùm præparatorius erat ad Christi Baptismum, totus sterilis, nihilque gratiæ conferens: ergo vtebatur suo, de quo Ioannis 1. v. 33. *Hic est qui Baptizat in Spiritu sancto.* Quartò, Apostoli facti sunt sacerdotes ante Christi mortē, & perceperunt Eucharistiam: ergo iuxtà legem Christi oportebat iam esse Baptizatos. Cur enim in hac lege Christus dispensauerit sine necessitate? Et confirmatur, Quia Baptismus est fundamentum nouę legis, initium Sacramentorum, & ianua in Ecclesiam. Atqui Christus ante mortem inchoauit nouam legem, & Ecclesiam suam, & alia quædam Sacramenta instituit: ergo oportuit etiam antecedere Baptismum.

Hinc patet, Baptismum Christi ante mortem fuisse completè institutum quoad vim suam intrinsecam, & quoad significationem. Erat enim Baptismus in spiritu idem omnino atque noster; nec erat vlla ratio, cur tunc incompletè institueretur. Nec obstat, quòd tunc non posset cælum aperire: hoc enim non erat ex defectu virtutis Baptismi; sed quia lege diuina sancitum erat, vt Christus primus *per proprium sanguinem introiret in sancta*, ad Hebræos 9. v. 12. & vt pretium nostræ redemptionis integrè persolueretur; quò fiebat, vt quamuis daretur eadem gratia, quæ nunc datur, non tamen post mortem statim daretur vita æterna. Similiter non obstat, quòd re significata per Baptismum nondum esset completa, scilicet mors & resurrectio Christi; quia non minùs perfecta est significatio futuri, quàm præteriti.

Ad

Respondetur obiectionibus.

Ad Argumenta in contrarium: Respondetur Ad Primum, Spiritus sanctus ante Christi mortem non fuerat datus, nempe in ea plenitudine, & cum signo visibili, sicut post Ascensionem. Ita D. August. tractatu 3. in Ioannem; & Cyrillus lib. 12. in Ioannem cap. 56. & Alcuinus loco citato: alioqui certum est multis ante Christi mortem inuisibiliter datũ Spiritum sanctum, scilicet omnibus iustis. Adde, Si hoc argumentum valeret, Baptismum non fuisse instituendum ante aduentum Spiritus sancti: quod nemo dixerit. Ad Secundum, Baptismus non solùm ex Christi morte, sed etiam ex alijs eius meritis vim habere potest, cùm singulæ eius actiones sint infiniti pretij, quamuis vim habere potuerint à morte futura, etiam à Christo acceptata à primo instanti conceptionis. Ad Tertium, Non requiritur vt fuerint sacerdotes, quando Baptismum administrabant: nam quiuis est minister baptismi. Ad Quartum, Statim dicam. Ad Quintum, Qui baptizabantur ante Christi mortem, configurabantur morti & resurrectioni futuræ, quæ in diuina præordinatione & Christi acceptatione iam antecesserat.

6 Institutus est in Christi baptismo probabiliter.

Dico Secundò, Probabile est, Baptismum institutum, dum Christus in Iordane baptizaretur. Ita D. Thomas, & eius sectatores: & Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis. Parte 6. cap. 4. Probatur: Quia tunc designata est materia. Nam vt Patres docent, Christus tunc suo baptismo aquas sanctificauit, vt idoneæ baptismo essent: vt docet D. Augustinus serm. 29. 36. & 37. de Tempore. Ambrosius lib. 2. in Lucam cap. vlt. Hieronymus dialogo contra Luciferianos. Chrysostomus homil. 12. in Matth. & passim Interpretes in 3. cap. Matth. Vnde passim docent Christum contactu carnis suæ aquis vim regenerati-uam contulisse. Quod in terminis docet D. Augustinus sermone 36. & Beda lib. 1. in Lucam cap. 10. Similiter designata est tunc forma, per hoc, quod tota Trinitas tunc apparuit: & effectus, per descensum Spiritus sancti in specie columbæ: ergo totum Sacramentum baptismi tunc est institutũ. Aduerte tamen, hanc rationem non conuincere aliud, quàm tunc Mystico modo materiam & formam baptismi Christi designatam. Vnde

7 Verosimilius, post.

Dico Tertiò, Probabilius videri non tunc precisè esse institutum, sed aliquamdiu post, quando post ieiunium suum Dominus discipulos habere cœpit. Insinuat apertè Scotus dist. 3. qu. 4. Ratio est; nam ad institutionem requiritur efficax voluntas & ordinatio, vt ex certo momẽto incipiat esse Sacramentum, id est, constare tali materiâ & formâ, cum tali virtute, & significatione; sicut fit in impositione aliorum signorum. Deinde requiritur, vt hæc voluntas etiam exteriùs aperiatur, & forma materiaque exprimatur: consentaneum enim est, vt signorum sensibilium institutio fiat per actum externum & sensibilem. At credibile est, hæc Dominum non fecisse cùm ipse baptizaretur, & nullos adhuc discipulos haberet, sed posteà collectis discipulis qui hanc institutionem perciperent. Confirmatur; Quia sic videmus instituta reliqua Sacramenta, Eucharistiam, Pœnitentiam, Ordinem. Ad Patres autem facilè responderi potest; illorum mentem non esse, tunc propriè Baptismum Christi esse institutum, quando ipse baptizabatur; sed designationem & deputationem materiæ & formæ baptismi, propediem instituendi, mysticè factam. Nihilominùs non repugnat Baptismum institui per actum merè internum: vnde etiam tunc fieri potuit hæc institutio.

Respondetur obiectioni à Patribus.

DVBIVM II.

Quando Lex Baptismi cœperit obligare?

OMissis varijs sententijs (hæc enim quæstio ad tractationem de Legibus spectat, sicut & illa de cessatione legalium.) Respondeo; Quemque in particulari cœpit obligare, quando Euangelica prædicatio ei plenè innotuit, vel certè potuit humano more innotuisse, spectato temporis spatio, & prædicationis vicinitate aut celebritate. Colligitur ex D. Bernardo epist. 77. quæ est ad Hugonem de Sancto Victore. 8

Quæ legis promulgatio inducat obligationem.

Ratio est, Quia promulgatio legis inducens obligationem, debet esse talis, vt innotescat; vel saltem ex se sit sufficiens; & necessarium habeat interuallum vt humano more in omnium notiam possit venire. Atqui humano more fieri nequit, vt promulgatio vno loco facta, possit eodem tempore in omnium hominum notitiam venire: ergo talis promulgatio non inducit obligationem. Vbi aduerte, Non requiri ad promulgationis sufficientiam, vt in omnium notitiam veniat; sed, vt ex se sit sufficiens, quæ in omnium passim cognitionem possit peruenire, spectata humana diligentia, & tanti vel tanti temporis decursu. Quòd si actu nõ peruenient ad omnes, id per accidens est ipsi promulgationi; ac proinde non idcircò cẽsenda est nõ obligare. At vt promulgatio vno loco vel vno tempore facta, eodem tempore in omnium notitiam veniat, per se absque miraculo est impossibile: vnde non est accommodatum, vt omnibus hominibus tunc obligationem inducat; & talis modus inducendæ obligationis nõ est humanæ naturæ consentaneus. Hinc fit, vt expressa cognitio Trinitatis & Incarnationis nõ cæperit statim eodem momento apud omnes esse in præcepto, aut medium ad salutem necessarium: sed sensim, prout sensim in varijs prouincijs censebatur Euangelium satis promulgatum. Idem dicendum de Baptismo.

Expressa Trinitatis & Incarnationis notitia quando cœperit esse necessaria.

Sed contrà. Obijcitur Primò, Ioannis 3. v. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*: de quo loco D. Augustinus epist. 108. ad Celeucianum: *Postquam à Domino dictum est, nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. graue peccatum est non baptizari*: ergo &c. Respondeo, Illa verba respicere tempus futurum: significat enim Dominus quidnã post Euangelij promulgationem esset futurum. Ita D. Bernardus epist. citata 77. Similiter intellige D. Augustinũ, vt sensus sit, Post illud tempus, quod Dominus designauit, cùm dixit, *Nisi quis renatus* &c. graue peccatum est non baptizari. Simili modo loquitur Dominus Ioannis 6. v. 53. de Eucharistia, *Nisi manducaueritis carnem, & biberitis sanguinem* &c. 9 Soluuntur obiectiones. Prima.

Obijcitur Secundò, Per mortem Christi, quãdo dixit *Consummatum est*, cessauere legalia: ergo tunc cœpit obligatio baptismi. Respondeo Negando Consequentiam; Etsi enim tunc cessauerint quoad præcipuam rationem institutionis, quæ est, vt essent vmbra futurorum; tamen adhuc licitè seruabantur vsque ad integrã in tota gente Iudaica Secunda.

Iudaica Euangelij promulgationem. Nec est necesse, vt cessante obligatione legis veteris statim inciperet in toto mundo obligatio legis nouæ.

Tertia. Obijcitur Tertiò, Matth. 28. Dominus dedit Apostolis præceptum *Baptizandi omnes gentes*: sed hoc non poterat commodè fieri, nisi eas obligando ad Baptismum: ergo ex eo tempore omnes cæperunt obligari. Respondeo, solùm remotè & mediatè obligauit tunc gentes; nempe quatenus præcepit Apostolis, vt legem suam omnibus promulgent, & baptizent omnes; posita enim promulgatione, vult omnes obligare. Sicut si Rex præcipiat proregi, vt exigat à singulis certum tributum, non obligat subditos ad soluendũ, nisi posita exactione.

Quarta. Obijcitur Quartò, Lex noua videtur promulgata in Pentecoste, quãdo impletis omnibus fidei mysterijs, descẽdit Spiritus S.; & Petrus solemniter Christum prædicauit. Respondeo, tunc cæpit quidem solemniter promulgari per Apostolos; sed hæc promulgatio non erat sufficiens vt simul vniuersum mundum obligaret. Deinde, hæc promulgatio solùm pertinebat ad Iudæos; vt colligitur ex cap. 2. Actorum: nam ad gentes non fuit facta, nisi aliquot annis post, quando Petrus missus fuit ad Cornelium. Actorum 10.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Aqua sit propria Materia Baptismi?

10 Errores hæreticorũ circa materiam Baptismi.

REspondetur affirmatiuè. Notandi sunt aliquot errores antiquorum hæreticorum circa materiam Baptismi. Primus est *Gnosticorum*, qui negabant aquam sensibilem baptismo necessariã, teste Irenæo lib. 1. contra hæreses cap. 18. Hos secuti *Manichæi*, qui putabant aquam, sicut & reliquas res corporeas esse à malo principio; teste D. Augustino hæresi 46. & *Seleuciani*, qui etiam Baptismum in aqua non recipiebant; teste Augustino hæresi 59. Hi omnes volunt *aquam* in illis verbis Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* &c. metaphoricè sumi: sicut accipitur cap. 4. cùm Dominus ait, *Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.*

Secundus error est *Iacobitarum*, qui exorti sunt circa annum 590. Hi imprimebant candente ferro frontibus hominum figuram Crucis; quia scriptũ est, *Ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igne.* Testatur Bernardus Lutzenburgensis in Catalogo; & Sanderus lib. 7. visibilis Monarchiæ.

Tertius error fuit *Flagellantiũ* in Gallia & Germania circa annum 1350. Hi volebant materiam Baptismi esse proprium sanguinem flagello elicitum: contra quos Gerson fecit quemdam tractatum.

11 Sententia Catholica, & de fide.

Sed fide tenendum est, Baptismi materiam esse veram sensibilem & vsualem aquam. Definitur in Cõcilio Lateranensi Capitulo *Firmiter*. Et in Florentino in decreto vnionis Armerorum: & in Tridentino sess. 7. can. 2.

Probatur ex Scripturis: Primò, Ex nouo Testamento, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*: quæ verba sub pœna anathematis vetat Conciliũ Tridentinũ detorqueri ad metaphoras. Et cõfirmatur Act. 8. v. 36. *Ecce aqua*; (inquit Eunuchus) *quis prohibet me baptizari?* Et ad Ephes. 5. v. 26. *Mundans eã lauacro aquæ in verbo.* Vnde Apost. ad Corinth. 10. comparat Baptismum mari Rubro: Et Petrus epist. 1. cap. 3. comparat Diluuio.

Secundò, Idem probatur ex veteri testamento. Ezechielis 36. v. 25. *Effundam super vos aquam mundam.* Et Zachariæ 13. v. 1. *In illa die erit fons patens domui Dauid in ablutionem peccatorum.* Quod vt Deus præsignaret, multa admiranda per aquam ab initio effecit; vt pulchrè ostendit Tertullianus lib. de Baptismo, & Hieronymus epist. ad Oceanũ, & alij Patres. Primò, In exordio mundi, *Spiritus sanctus ferebatur super aquas*, fouens eas: Genes. 1. v. 2. Secundò, Collocata est magna pars aquarum super firmamentum: ibidem. Tertiò, Aquis datum est primum præceptum, seu prima benedictio vt animas proferret, teste Tertulliano & Hieronymo. Nam quinto die dictũ est, *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile*; quo insinuatum est, benedictione & imperio Dei Baptismum sensata pennataque animalia in cælum volantia editurum. Quartò, Per aquam delentur peccata, seu peccatores in Diluuio, & saluantur iusti: Genesis 7. & 1. Petri 3. Quintò, Saluantur Israëlitæ per mare Rubrũ, & submerguntur Ægyptij: Exod. 14. Sextò, Mundatur Naaman à lepra; 4. Reg. 5. Septimò, Curantur omnes languores in probatica Piscina: Ioannis 5. Octauò, Dominus primum Miraculum fecit in aquis, conuertens eas in vinum in nuptijs. Ioannis 2. Et similiter vltimum, quando ex latere *Fluxit sanguis & aqua*, Ioannis 19.

Miranda facta in aquis.

Congruentiæ inter effectus aquæ & Baptismi.

Tertiò Probatur; Ex proprietatibus aquæ, quę aptissimæ sunt effectis baptismi significandis: vt ostendit Iustinus Apolog. 2. & Leo serm. 4. & 5. de Natiuitate Domini. Primò, Aqua ignẽ extinguit; vnde baptismus rectè significat cupiditatum exstinctionem. Secundò, Maculas corporis eluit. Tertiò, Animantia suffocat: vnde rectè designat & peccatorum abstersionem, & irrationalium concupiscentiarum interitum. Quartò, Perspicua est ad illuminationem: vnde significat illuminationem animæ. Quintò, Emollit indurata: ita baptismus cor durum emollit. Sextò, Est fœcunda: nam omnia semina habent vim aquę. Vnde ad generandum nouum hominem aptissima. Hinc Tertullianus lib. de Baptismo, *Primus liquor, quod viueret, edidit; ne mirum sit in baptismo, si aquæ animare nouerunt.* Septimò, Mergendo hominem in aqua, optimè Christi sepulturam exhibemus. Vide D. Thomam. His adde; Aquam vbique præsto esse, & facillimè ab omnibus haberi; vnde etiam hac ratione erat aptissima Baptismi Sacramento, quod cùm inter omnia sit maximè necessarium, debet esse maximè promptum, & expeditum.

12

Sed Contrà. Primò, Scriptura comparans Baptismum Ioannis cum baptismo Christi, semper dicit *Ioannem baptizare aquâ, Christum Spiritu sancto & igne.* Patet Matth. 3. Lucæ 3. Ioannis 1. Ergo Christi Baptismus nõ fuit in *aqua.*

Quomodo Baptismus Christi sit in Spiritu sancto & igne.

Respondeo; Census est; Baptismum Ioannis *esse in aqua tantum*, nec dare Spiritum sanctum. Quòd autem locis illis dicitur, *Ille baptizabit Spiritu sancto & igne*, significatur Spiritum sanctum effundendum in Apostolos sub specie ignis seu linguarum ignearum; ita Hieronymus in cap. 3. Matth. vel, Christum baptizaturum suos *Spiritu sancto*; id est, purgaturum copiosa Spiritus sancti effusione,

effusione, idque, tum in Baptismo, tum in reliquis Sacramentis, tum etiam igne Purgatorij, si quid superfit purgandum, vt ibidem Hieronymus & Origenes hom. 24. in Lucam. *Baptizare* enim idē est aliquando quod *Purgare*. Potest etiam per *Ignē* intelligi generatim omnis afflictio, qua purgamur siue in hac vita, siue futura: & hic videtur verus sensus huius loci.

An in arena quandoque queat baptizari.

Dices Secundò, Nicephorus lib. 3. histor. cap. 37. refert, quemdam Iudæum in magno morbo cùm desiderio Baptismi flagraret, & aqua deesset, fuisse arenâ perfusum, & subitò conualuisse: ergo in necessitate non sola aqua est materia.

Respondeo, Quòd conualuerit, accidit ex magno desiderio Baptismi, Deo operante miraculū; non quòd Baptismus ille ratus esset; nam posteà fuit aquâ baptizatus; vt ibidem Nicephorus.

ARTICVLVS IV.

An debeat esse Aqua simplex?

13 Respondetur, debere esse veram aquam, ita vt speciem seu naturā aquæ vsualis habeat.

Est de fide. Est fide tenendum. Definitur in Concilio Tridentino sess. 7. can. 2. de Baptismo. Quæ autem sit vera aqua, & quæ non, est Philosophorum & Medicorum disceptatio.

Regulæ duæ circa dubiam aquam in Baptismo.

Duæ tamen regulæ, hac in re, sunt considerandæ. Prior est; quando dubiū est, sit ne vera aqua, an non, nullo modo esse adhibendam baptismo, nisi in extrema necessitate, quando alioquin homo sine Baptismo esset moriturus: tunc enim etiam dubia materia adhiberi debet, v. g. aqua rosacea, vel cereuisia. Quia non omnino constat, an specie differat ab aqua: vnde non constat talem Baptismum esse inualidum; ac proinde in extrema necessitate esset adhibendus: hæc enim necessitas postulat, vt omni ratione licita succurramus. Atqui hîc nullum peccatum est; nam extrema necessitas excusat à sacrilegio, quod hîc alioquin esse possit. Sacrilegus enim est, qui adhibet incertam materiam, dum certæ copia est; non autē, qui adhibet incertam, quando alia haberi nequit, & res sine periculo salutis æternæ nequit differri. Altera regula est: qui baptizatus est materiâ ambiguâ, debet posteà, si superuiuat, rebaptizari sub conditione.

14 Petes; Vtrum *Niue* possit conferri Baptismus? Respondeo, Etsi *Nix* videatur eiusdē naturę cum *Aqua*; tamen non potest fieri Baptismus in *Niue* nisi liquefacta, quia non potest per eam fieri ablutio; *Aqua* enim dumtaxat ratione ablutionis est materia baptismi. Vnde res omnis, quæ non habet naturam *Aquæ*; vel si habet, non tamen est in statu idoneo ad abluendum, non potest esse baptismi materia. In extrema tamen necessitate, quando alia ratio non suppeteret, posset & deberet infans *Niue* perfundi cum solita verborum formula. Nā quidam existimant, inter quos *Ioannes Maior*, sufficere ad essentiam Baptismi aquæ contactum, etiamsi nulla sequatur ablutio.

An Niue possit baptizari.

ARTICVLVS V.

Vtrùm hæc sit Forma: Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Respondetur Affirmatiuè. 15

Notandum est, Fuisse varios errores circa formam baptismi. Primus est eorum, qui tempore Apostolorum baptizabant *In tribus sine initio Principijs*, vel *In tribus Filijs*, vel *In tribus Paraclitis*: vt patet ex can. 48. Apostolorum. Secundus est Gnosticorum; qui baptizabant *In nomine ignoti Patris omnium, & veritatis omnium Matris, & in nomine descendentis* IESV *ad vnctionem & redemptionem, & communionem virtutum*; teste Irenæo lib. 1. contra hæreses cap. 18. vbi vide & alias formas. Tertius error est Paulianistarum & Cataphrygum, qui non baptizabant *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, vt refertur 1. qu. 1. Can. *Cataphryga*. Quartus fuit multorum Arianorum, qui etiam non seruabant veram formam; inter quos quidam Deuterius ita baptizabat, *Baptizetur Barrabas in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto*; sed aqua, quæ erat in lauacro, repentè euanuit: vt refert Nicephorus lib. 16. cap. 35. Quintus fuit Eunomianorum, qui baptizabant *In Christi mortem*, teste Socrate lib. 5. cap. 23. Sextus est hæreticorum nostri temporis, qui etsi vera forma vtantur, tamē dicunt illam non esse necessariam; concionē enim sufficere. Contra quos actum suprà.

Errores circa formam Baptismi.

Contra hos errores, fide tenendum est, legitimam & necessariam formam esse, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Colligitur Matthęi 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; iuncta Ecclesiæ traditione, & Patrum interpretatione. Definitur etiam in Concilio Florentino; & colligitur ex Tridentino sess. 7. can. 4. de Baptismo: estque sententia omnium Patrum & Doctorum. 16

Catholica assertio.

Aduerte tamen, Non omnia verba huius formæ esse necessaria ad Sacramenti substantiam; licet sint necessaria, vt seruetur Ecclesiæ præceptū Si tamen prætermitteretur *Ego*, vel nullum esset peccatum, vt vult Albertus; vel solùm veniale, vt vult Sotus: expressio enim ministri nec implicita nec explicita est necessaria; vt patet ex forma Græcorum. Ratio est: quia nihil facit ad significandum Sacramenti effectum. Sed occurrunt aliquot dubia.

Quale peccatum omittere *Ego* in forma Baptismi.

DVBIVM I.

Vtrùm Actio Baptizandi sit necessariò exprimenda?

Hæretici & Catholici omnes admittunt actum baptizantis exprimendum; quod definitū est ab Alexandro III. Cap. *Si quis puerum.* de Baptismo & eius effectu. *Si quis*, inquit, *puerum in aquam immerserit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & non dixerit, Ego te baptizo, puer non est baptizatus*. Idem patet ex Florentino, vbi hæc forma præscribitur. Ratio est; Quia si non exprimeretur actus baptizandi, forma non significaret effectum Sacramenti: & proinde significatio Sacramen- 17

Est de fide.

cramenti esset indeterminata. Ablutio enim ipsa per se non satis significat spiritalem animæ ablutionem, nisi per verba ad id determinetur, sicut materia per formam determinari debet.

Actus baptizandi quomodo possit exprimi.

Aduerte tamen; Actum baptizandi variè posse exprimi: sufficit enim, vt exprimatur, quatenus actu exercetur: vt, *Baptizo te, Baptizaris, Baptizatur*; vel (vt dicunt Græci) *Baptizetur seruus Christi, in nomine Patris, & Filij* &c. qui tamen verum baptisma conferunt, vt definitur in Concilio Florentino: ab antiquissimis enim temporibus hac forma vsi sunt.

Innocentij IV. opinio refutatur.

Quòd autem Innocentius IV. in cap. 1. *de Baptismo & eius effectu*, putat, si Latinus diceret, *Baptizet te Christus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; eum nihil effecturum, eò quòd apud Latinos talis forma non sit recepta; apud Græcos tamen, vbi hæc forma toleratur, fore ratum baptisma: fundamẽto caret, & benè refutatur ab Adriano qu. de Baptismo art. 3. dub. 2. Ratio est, Quia vbicumque locorũ & à quocumque adhibeantur omnia, quæ sunt de essentia Sacramenti, conficietur Sacramentum; neque consuetudo, vel prohibitio Ecclesiæ essentialia potest mutare. Et confirmatur in proposito: quia si expressio solius Ministri exercentis actum sufficit ad essentiã Sacramenti, vt patet apud Latinos; cur non expressio solius Christi sufficiet sine Ministro inferiore, cùm ipse sit Minister principalis, qui in omnibus Sacramentis semper operatur? Vnde etiam in Sacramento Confirmationis ad essentiam Sacramenti sufficit, *Consignet te Christus*: in Pœnitentia, *Absoluat te Christus*: sicut in extrema Vnctione, *Indulgeat tibi Deus*. Quòd autem idem Innocentius ait, non fore baptismum; si quis dicat *Ego Paulus baptizo te*, vel *baptizetur seruus Christi à me*, minus habet apparentiæ.

DVBIVM II.

Vtrùm necesse sit exprimere personam quæ baptizatur?

18 REspondeo, Omnium consensu id esse necessarium. Videtur definitũ ab Alexandro III. loco citato. Colligitur Matth. 28. *Baptizantes eos.*

Affirmatur. Ratio est; Primò, Quia alioqui actus baptizandi non significabitur, quatenus hîc & nunc fit in particulari; quod tamen est necessarium: nam Sacramentum consistit in actu particulari, qui hîc & nunc fit circa certum subiectum, vt homo intelligat se hîc & nunc sanctificari. Secundò, Quia effectus baptismi non est remissio peccatorum in communi, sed huic collata: ergo vt Sacramentum significet huic conferri gratiam & remissionem, debet exprimi persona cui confertur. Quam ob causam etiam in Sacramento Confirmationis, Pœnitentiæ, Ordinis, & extremæ Vnctionis exprimẽda est persona suscipiens. Tertiò, Quia baptismus est spiritalis quædam regeneratio: generatio autem requirit distinctionem inter generans & genitum; quam distinctionem oportebat exprimi. Hinc fit, vt nemo seipsum baptizare queat: vt definitum est ab Innocentio III. Cap. *Debitum.* de Baptismo & eius effectu. Potest autem hæc persona exprimi, vel dicendo *Baptizo te*; vel vt Græci, *Baptizetur seruus Christi*. Rectiùs tamen Latini: quia meliùs sic explicantur causæ baptismi, effectus eius, & ipse actus, vt hîc & nunc obitus. Accedit; Quòd is, qui baptizatur, nondum sit seruus Christi, sed per baptismum fiat.

Quomodo exprimenda sit Persona quæ baptizatur.

DVBIVM III.

Si quis sic diceret, Ego te Paulum baptizo &c. *& hic non esset Paulus, sed Petrus: vtrùm esset validus Baptismus?*

19 REspondeo, Sine dubio esse ratum, modò baptizans nõ ita determinet suam intentionem ad Paulum, vt intendat excludere Petrum. Affirmatur. Ratio est, Quia primò & directè intendit baptizare hunc hominem præsentem, quem priuato errore existimat esse Paulum: sed hic priuatus error non potest elidere intentionem per se sufficientẽ, cui intentioni per accidens coniungitur; nam intentio eius nullo modo ab illo errore pẽdet. Nec refert, quòd falsum sit, *Ego baptizo te Paulum*; quia ex intentione ipsius verum est: sensus enim verborum est, *Ego baptizo te, quem puto esse Paulum*: qui sensus est verus; & sic oratio ista ab omnibus in hoc casu acciperetur. Secùs res habet in Sacramẽto Matrimonij; quia intentio contrahentis ita figitur ad hanc personam, vt excludat aliam. Ratio est, Quia Matrimonium non solùm est Sacramentum, sed etiam quidam contractus ciuilis, in quo est quædam permutatio rerum & corporum: vnde postulat vt fiat cum persona determinata, & inter res determinatas.

DVBIVM IV.

Vtrùm necesse sit dicere In nomine, *non* In nominibus?

20 REspondeo, Id esse necessarium, adeò vt si dicatur *In nominibus*, nihil efficiatur. Est cõmunis sententia Doctorum. Ratio est, Quia non solùm Trinitas personarum, sed etiam vnitas naturæ hoc Sacramẽto profitenda est, cùm sit Christianæ fidei professio; ad quam non minùs vnitas naturæ, quàm Trinitas personarum pertinet. Si autem dicatur *In nominibus*, significabitur diuersitas naturæ, saltem numeralis.

In nomine, quid significet.

Notandum autem illud *In nomine*, potissimùm tria insinuare. Primò, *Virtutem & auctoritatem*. Ita D. Thomas, & Cathechismus Pij V: quæ virtus & auctoritas, vna est in tribus personis.

In Baptismo est solũ vna inuocatio Trinitatis.

Secundò, Insinuat *Inuocationem*. Ita Magister dist. 3. quomodo etiam interpretari videtur Clemens lib. 3. Recognitionum; & Auctor de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 34. vnde Patres Sacramentorum formas vocant *Inuocationes*; vt patet ex Dionysio cap. 2. parte 2. & cap. 7. par. 3. de Ecclesiastica Hierarch. Et Cyrillo Hierosolimitano Catechesi 3. Illuminatorum. Dices, Tres sunt inuocationes diuinarum personarum: vnde Ecclesia aliquando Patrem, aliquando Filium, aliquando Spiritum sanctum inuocat: ergo *In nomine*, nõ potest esse *In inuocatione*. Respondeo; Dupliciter potest Trinitas inuocari. Primò, Secundũ propria personarum: & sic sunt *Tres inuocationes*. Secundò, Iuxtà communia; & sic est *Vna tantùm inuocatio*; quomodo inuocatur in Baptismo. Ratio est, Quia inuocatur Trinitas ad sanctificandum; sanctificare autem conuenit Trinitati secundùm perfectionem essentialem & communem, quæ vna eademque est in tribus. Vnde Hieronymus in cap. 4. ad Ephes. *Non in nominibus, sed in nomine, quia vnus est Deus*. Idem docet Ambrosius lib. 2. de Sacram. cap. 7.

Tertiò, Insinuat *Professionem Trinitatis*. Aduerte tamen si diceretur, *In nomine Patris, & in nomine Filij, & in nomine Spiritus sancti*, nihilominùs constare baptismum. Ratio est, Quia hæc repetitio non insinuat distinctionem virtutis; sicut neque cùm dicimus *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus*.

DVBIVM V.

Vtrùm præpositio (In *) & coniunctio (* Et *) sint de essentia formæ?*

21 REspondeo, Non esse: quia illis omissis sensus constat, iuxtà communem intelligentiam. Imò omissio earum nõ videtur, nisi venialis; censetur enim materia leuis. vt rectè Sotus d. 3. a. 5.

Sabelliani. Si tamen prætermitteretur coniunctio, ad insinuandum illa tria esse vnam personam tribus facultatibus instructam, vt volebant Sabelliani: vel si omitteretur coniunctio inter Filium & Spiritũ sanctum, vt significetur Filium, & Spiritum sanctum esse vnam personam (sicut quidam hæretici faciebant in illo versiculo, *Gloria Patri* &c. dicentes, *Gloria Patri, & Filio Spiritui sancto*; cõtra quos agit Vigilius Papa circa annum 525. epistola ad Eutherum c. 2.) nihil efficeretur; quia corrumperetur formę veritas: significaret enim Filium esse Spiritum sanctum.

DVBIVM VI.

Vtrùm valeat Baptismus In nomine Genitoris, Geniti, & procedentis ab vtroque?

Negat D. Thomas. D. Thomas hîc putat non valere; cui plerique Doctores consentiunt. Ratio eius est, Quia in forma Baptismi debent poni ea nomina, quibus vsitatiùs solent personæ diuinæ exprimi: nam sicuti materia eius est vsitatissima, sic etiam forma esse debet.

Scotus. Scotus aliam rationem addit; Quia etsi *Pater* & *Genitor* in diuinis pro eodem accipiantur; tamen non habent eandem significationem formalem: *Pater* enim formaliter significat rationẽ personæ, scilicet paternitatem, qua persona Patris in diuinis constituitur: *Genitor* autem formaliter significat actum notionalem, scilicet generationem. Atqui Christus ea nomina præscripsit, quæ significent ipsas proprietates constitutiuas personarũ, vt colligitur Matth. 28.

Affirmans opinio est verior. Verùm Caietanus hîc & Victoria qu. 14. de Baptismo, putant omnino hâc formâ Baptismum perfici. Quæ sententia speculatiuè omnino videtur vera. Primò, Quia ex accommodatione vsus idem valent istæ formæ. Tam verè enim confitemur, laudamus & inuocamus Trinitatem *Nomine genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque*, quàm *Nomine Patris & Filij* &c. vt patet ex Hymnis Ecclesiasticis. Secundò, Quia si quis ita baptizaret *In nomine Patris, & Iesv Christi, & Paracleti*, verè baptizaret: nam Clemens Romanus lib. 7. Constitutionum cap. 42. loco *Spiritus sancti* substituit nomen *Paracleti*; quo nomine etiam Christus passim apud Ioannem significat Spiritum sanctum: hoc tamen nomen non significat proprietatẽ, qua constituitur Spiritus sanctus, sed solùm quemdam eius effectum. Imò ipsum nomen *Spiritus sancti* non significat tertiam personam, nisi ex vtentium accommodatione. Neq; refert, quòd ista nomina significent aliud formaliter. Quia in formis Sacramentorum non tam spectatur significatio formalis, quàm vsitata vsurpatio. Sicut *Christus* formaliter significat *Vnctum*; tamen ex vsu solùm significat Dominum nostrum, Deum & hominem: *Paracletus* autem significat *Consolatorem*, sed ex vsu tertiam Personam. Secùs est de *In nomine Ingeniti, Imaginis, & Doni:* talis enim baptismus non censetur ratus; quia hæc nomina ita simpliciter posita, parum vsitatè significant diuinas personas. In *nomine Ingeniti, imaginis & doni.*

Aduerte tamen; Si quis sub illa forma *In nomine Genitoris* &c. esset baptizatus, deberet rebaptizari sub conditione secundùm formam Ecclesiæ: quia hæc sententia non est omnino certa.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm In nomine Christi *possit dari Baptismus?*

22 Tres sententiæ. SVnt tres sententię de hac re. Prima est, Etiam nunc huiusmodi baptismum esse ratum. Ita Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramẽtis p. 6. c. 2. Magister dist. 3. Caietanus hîc. Adrianus q. 1. a. 2. quam sententiam sequuntur multi Canonistę propter Capitulũ *A quodam Iudæo.* de Consecratione dist. 4. vbi Nicolaus Papa respondens ad consulta Bulgarorum ait, *Hi profectò si in nomine Trinitatis, vel tantùm in nomine Christi, sicut in actis Apostolorum legitur, baptizati sunt, vnum quippe idemq; est (vt exponit S. Ambrosius) rebaptizari non debent.* Idem docet Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 3. vbi etiam amplius insinuat, scilicet baptismum valere non solùm *In nomine Christi*, sed etiam *In nomine solius Patris, vel Spiritus sancti.* Ratio ipsius est, Quia qui benedicitur in Christo, in Patre & Spiritu sancto benedicitur; nam vnum est nomen, vna potestas. quam sententiam etiam admittit Hugo loco citato, & Beda in c. 10. Actorum. Diuus autem Bernardus, epist. 304. putat validum baptismum, quem quidam ex ignorantia contulit *In nomine Dei, & veræ sanctæq; Crucis.* Secunda sententia est: Apostolos quidem baptizasse *In nomine Christi* ex diuina dispensatione, vt nomen Christi redderetur illustrius: fortasse tamen nunc non valere. Tertia est aliorum. Pro qua:

23 Probatur opinio negatiua ex Canonibus. Dico Primò, Baptismum, *In nomine Christi* collatum, non esse validum. Est ferè communis Doctorum. D. Thomæ hîc. Bonauenturæ, Scoti, Richardi, Palùdani, & aliorum dist. 3. & tenet Pelagius Papa Canone *Si re vera.* dist. 4. de Consecratione; vbi loquens de eo, qui baptizatus est *In nomine Domini*, id est, *In nomine Christi*, vt Act. 18. dicit esse rebaptizandum *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Et Canone *Multi sunt*, affirmat esse contra præceptum Euangelicum baptizare *In nomine Christi.* Eadem dist. Zacharias Papa Canone *In Synodo Anglorum.* dicit non posse esse verum baptisma, si vel vna persona non nominetur. Hi tamen Pontifices non videntur ex auctoritate definiuisse, sed solùm priuatam suam sententiam explicuisse: quia Nicolaus I. Vir doctissimus id non ignorasset. Eadem sententia colligitur ex cap. 28. Matthæi, vbi Dominus diserte exprimit tres personas, præscribens formam baptismi, vt Tertullianus contra Praxeam ostendit.

Probatur

Ex Patribus.

Probatur Secundò ex Patribus. Orig. in cap. 6. ad Rom. in illud *Quicumque in Christo baptizati sumus*, dicit baptismum *in nomine Christi* non esse ratum, nisi & aliæ personæ addantur. Athanasius serm. 3. contra Arianos dicit, Cùm Pater in baptismo nominetur, etiã Filium & Spiritum sanctum necessariò debere nominari, vt perfecta sit *initiatio*. Didymus lib. 2. de Spiritu sancto in principio pag. 1. *Qui*, inquit, *vnum de præceptis nominibus prætermittit, neque perfectionem Sacramenti attingit, neque à peccatis hominem liberat: Non arbitror quemquam fore tam insanum, vt putet baptismum perfici, si vel vnum nomen prætermittatur.* Basilius cap. 12. de Spiritu sancto dicit eum à vita excidere, qui aliquid addit vel detrahit præscriptæ formæ baptismatis. Damascenus lib. 4. cap. 10. de Fide, *Qui*, inquit, *in sanctam Trinitatem baptizati non fuerint, rebaptizari oportet.* Idem docent Patres Latini. Cyprianus epist. 73: *ex eo baptismo remissionem peccatorum non prouenire, qui non sit datus in certa Trinitatis inuocatione.* Augustinus lib. 6. contra Donatistas cap. 25. *Certa sunt verba Euangelica, sine quibus non consecratur baptismus.* Beda lib. Variarum quæstionum quæst. 14. *Notandum*, inquit, *Si quis baptizans, dicat, Baptizo te in Christo* IESV, *& non dicat, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sicut Dominus instituit, non est verus baptismus.*

Athanas.

Didymus.

Basilius.

Damascen.

Cyprian.

August.

Beda.

Non sufficit implicita Trinitatis inuocatio.

Hinc patet non esse verum, quod ait Caietanus, sufficere implicitam Trinitatis inuocationem: tùm, quia Patres expressam requirunt; tùm, quia alioquin solius Patris inuocatio sufficeret: qui enim Patrem inuocat, implicitè etiam Filium & Spiritum sanctum inuocat: magis enim in Patre continetur Filius & Spiritus sanctus, quã in nomine Christi contineatur vngens Pater, & Spiritus sanctus quo vngitur. Nam si tantùm esset vna persona in diuinitate, posset esse *Christus*, non tamen posset esse *Pater*. Ratio propositionis est, quia baptismus est professio fidei Christianæ, cuius primarium fundamentum & obiectum est Trinitas personarum vnius essentiæ; quæ etiam cæterorum mysteriorum fidei est causa: vnde consentaneum erat vt in forma baptismi exprimeretur.

24 Baptizarũt semper Apostoli In nomine Patris &c. non Christi.

Dico Secundò, Probabilissimum est Apostolos nunquam in nomine solius *Christi* baptizasse; sed semper expresse *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Est communis sententia Doctorum recentiorum; Dom. Soto dist. 3. art. 6. Melchioris Cani lib. 6. de locis c. 8. Armacani lib. 8. quæstionum Armeniacarum cap. 3. Ianseníj Episcopi Gandensis in c. 149. Concordiæ. Et videtur sententia Patrum citatorum. Vide etiam Canonem Apostolicum 49. vbi dicitur anathema ijs, qui aliter baptizant, quàm *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Et Dionysium Areopagitam c. 2. partis 2. Ecclesiasticę Hierarchię sub finem. Credendum enim est, Apostolorum successores, in forma baptizandi imitatos ipsos Apostolos: atqui illi in nomine Trinitatis baptizarunt: ergo &c.

Ne quidem ex peculiari dispensatione,

Quòd autem quidã Doctores dicunt Apostolos baptizasse *In nomine Christi* ex peculiari quadam dispensatione, vt nomen Christi redderetur illustrius, parum habet probabilitatis: tùm, quia illustrius erat ad nomen, si cum Patre & Spiritu sancto iungeretur, tanquam auctor sanctificationis, quàm si solitariè poneretur: tùm, quia nusquam vmbra huius dispensationis apparet: imò ex Scripturis colligitur, Apostolos consueuisse baptizare *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Actorum enim 19. cùm Paulus quosdã rogasset, an accepissent Spiritum S. & illi respondissent, *Neque si Spiritus sanctus est audiuimus*, subiunxit Paulus, *In quo ergo baptizati estis?* apertè insinuans in forma baptismi solitũ nominari *Spiritum sanctum*. Notauit hoc Cyrillus Alexandrinus Dialogo 7. de Trinitate.

Ad argumenta contrariæ sententiæ: Respondeo, Nicolaũ fortè fuisse in illa opinione propter Ambrosij auctoritatem. Certum tamen est eum nihil definiuisse; fuerat enim tantummodò consultus à Bulgaris, *An baptizatus à Iudæo, vel Pagano, verum Christi baptismum susceperit?* vt patet ex cap. 104. epistolæ ad Bulgaros. Ad quam quæstionem dum respondet obiter, de suo, non interrogatus, adiecit *Etiam baptismum in nomine Christi esse validum*, citans in suam sententiã Ambrosium. Quòd autem in Actis Apostoli dicuntur baptizasse *In nomine* IESV, variè exponi potest: Primò, *In auctoritate, virtute & meritis Christi*. Secundò, *Baptismo à Christo instituto*. Tertiò, *In nomine* IESV, sed non solo. Ita enim his tribus modis, hæc & similia loca explicat Basilius c. 12. de Spiritu sancto. Adde probabile esse Apostolos addidisse hęc verba IESV *Christi*, dicendo, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij eius* IESV *Christi, & Spiritus sancti:* hoc enim plurimum conducebat ad nomẽ Christi illustrandum, præsertim cùm poneretur cum Patre & Spiritu sancto auctor sanctificationis, tanquam ipsis æqualis & consubstantialis.

25

Quomodo dicantur Apostoli baptizasse *In nomine* IESV.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm Immersio in aqua sit de necessitate Baptismi?

26 Tribus modis fieri potest Baptisma.

REspondeo, Baptismum posse fieri tripliciter. Primò, Immersione. Secundò, Perfusione. Tertiò, Aspersione. Probatur Primò, Quia hisce tribus modis potest fieri ablutio exterior: ergo & baptismus. Secundò, Quia Apostoli Actorum 2. videntur baptizasse aspersione, vel effusione aquæ super multos simul: tria enim hominũ millia non videntur cõmodè vno die mersione potuisse baptizari. Tertiò Probatur ex Cypriano epist. 74. ad Magnum, vbi id confirmatur ex illo Ezechielis 36. *Aspergam super vos aquam mundam* (sic enim legit) Vbi etiam quosdam reprehendit, qui homines aspersione baptizatos in lecto, dũ ægrotarent, vocabãt *Clinicos*; quasi dicas *Lecticarios Christianos*, tanquam qui non essent verè baptizati. Idem confirmatur Esaiæ 52. vbi de Christo dicitur, *Iste asperget gentes multas*. Denique aspersiones Leuitarum, erant baptismi nostri figura.

Clinici seu Lecticarij Christiani.

DVBIVM I.

Vtrùm necessarium sit, vt aqua immediatè tangat corpus?

27

REspondeo, Omnino esse necessariũ. Tenent plerique Doctores. Insinuat D. August. tractatu 8. in Ioannem: *Quænam tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat?*

Incluſus culeo.

Veſtes ſolũ aſperſæ.

Infans in vtero.

Aſperſio aquæ.

Ratio eſt, Quia alioqui homo non propriè dicitur *Baptizari* vel *Ablui*. Vt ſi quis culeo incluſus mergeretur, non ablueretur. Idem dico, ſi veſtes tantummodò aſpergerentur; quamuis aliqui contrarium ſentiant. Et confirmatur, Quia alioqui poſſet infans baptizari in vtero matris, perfuſa, vel immerſa matre; quod eſt contra communem ſententiam, & praxim totius Eccleſiæ.

Neque veriſimile eſt Apoſtolos Actor. 2. baptizaſſe tali aſperſione, quali aqua benedicta aſpergitur; quia poterant capita illorum facilè perfundi; erãt enim plures Miniſtri, qui breui tempore plurimos baptizarent. Aqua luſtralis non eſt Sacramentum, ſed quiddã ſacramentale, vim habens ex intentione & precibus Eccleſię. Vnde non eſt neceſſe, vt corpus tangat, ſufficit vt veſtem tangat: id enim Eccleſia non requirit, ſed tantùm, vt cum pio animi motu excipiatur.

DVBIVM II.

Quanta corporis pars abluenda eſt?

28 Caput.

REſpondeo, Ex more Eccleſiæ tenentur Sacerdotes, ſi fieri poteſt, vt minimum caput aqua perfundere; vt colligitur Canone *Poſtquã*. de Cõſecratione diſt. 4. Ratio eſt, Quia caput eſt primaria pars hominis, in qua vigent omnes ſenſus; & ſic in capite omnes ſenſus ſanctificantur.

Pectus.

Pes, vel Manus,

Ad rationẽ tamen Sacramenti, perfuſio capitis non eſt neceſſaria. Nã ſi pectus, vel alia pars præcipua perfundatur, certum eſt conſtare Sacramentum. Quòd ſi vel pes, vel manus dumtaxat, res nõ eſt ita certa; quamuis ſit valdè probabile: vnde poſteà ſub conditione eſſet rebaptizandus; multoque magis, ſi ſolũ digitus tinctus fuerit: hęc enim ablutio non videtur ſufficiens, vt inde homo dicatur ſimpliciter *Ablutus*, *tinctus*: tanta tamen ablutio eſt neceſſaria, vt patet ex forma baptiſmi.

Digitus.

Aduerte tamẽ, Non eſſe omnino improbabile, ablutionem digiti, vel alterius minimæ partis, ſufficere ad ſubſtantiam Sacramenti. Ita Victoria qu. 32. de Baptiſmo, & plurimi recentiores, qui etiam vnius guttę contactum ſufficere putant. Et ratio eſt, Quia in quauis parte eſt tota anima, ac proinde tota ſanctificari poteſt. Aſperſio tamen capillorum nullo modo videtur ſufficiens, quidquid dicat Sotus.

Capilli.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm Trina immerſio ſit neceſſaria ad ſubſtantiam Baptiſmi?

29

REſpondetur, Neceſſariam non eſſe: qui tamẽ eam contra Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem omitteret, peccaret.

Trina immerſio olim in præcepto, & cur.

Notandum tamen, In principio Eccleſiæ morẽ fuiſſe ter mergendi. Ita præceptum fuit ab Apoſtolis Can. 49. ob quoſdã hæreticos, qui prauè de myſterio Trinitatis ſentiebant; vt Cerinthus, Ebion, & ſimiles; qui docebant Chriſtum eſſe nudũ hominem: nominari autẽ Filium Dei ratione meriti ſuę mortis; quare, vt hoc repręſentarent, vnica merſione vtebantur, baptizantes *In mortẽ Chriſti*. Trinæ merſionis meminerunt Dionyſius lib. de Eccleſ. Hierarchia c. 2. par. 2. Tertullianus cõtra Praxeam, & lib. de Baptiſmo. Baſilius lib. de Spiritu S. ad Amphiloc. c. 27. vbi eã recenſet inter Apoſtolicas traditiones. Ambroſius lib. 2. de Sacramentis cap. 7. Repręſentatur per eam Trinitas perſonarum: vnde optimè reſpondet formæ; & triduanæ Chriſti ſepulturæ: per baptiſmum enim Chriſto conſepelimur.

Eius ſignificatio.

Primus autem, Qui poſt Apoſtolorũ tempora 30 auſus fuit vnica merſione vti, fuit Eunomius, teſte Sozomeno lib. 6. hiſtor. cap. 26. & Nicephoro lib. 11. c. 11. Poſteà tamen Gregorius Magnus præcepit baptiſmum fieri vnica merſione, ob quoſdã Arianos, qui per trinam merſionem tres eſſentias inducebant, vnitatẽ diuinitatis diuidentes. Patet hoc lib. 1. Regiſtri c. 41. ad Leandrum. Idẽ paulò poſt conſtitutum in Concilio Toletano 4. cap. 5. Congruentiæ huius ſunt: tùm, quia vnica eſſentia eſt trium perſonarum: tùm, quia Chriſtus ſemel tantùm mortuus, ſemel ſepultus: tùm denique, quia populus Iſraëliticus ſemel mare Rubrum, ſemel Iordanem tranſiuit.

Vnica immerſio per quem in Eccleſiam inducta, eiuſq; congruentiæ.

Dices, Pelagius Papa affirmat Euangelicũ eſſe præceptum *In nomine Trinitatis trina merſione vnumquemque baptizari*; vt patet Can. *Multi ſunt*. de Cõſecratione diſt. 4. Reſpondeo præceptum hoc referendum tantummodò ad nomenclaturã Trinitatis, non ad Trinam merſionẽ. Vide D. Th. ad 2.

Pelagius Papa.

DVBIVM I.

Si Infans moreretur ante tertiam merſionem, vtrùm cenſeretur baptizatus?

REſpondetur, Si forma fuit terminata ante 31 tertiam merſionem, v. g. ſimul cum 1. vel 2. merſione, & ſtatim poſt hoc momentum infans obijt, eſt verè baptizatus; vt rectè docet hic Caietanus contra Paludanum. Ratio eſt, Quia trina merſio nõ eſt de ſubſtantia Sacramenti, ſed ſufficit ablutio. Vnde ſi forma cõpleatur ſimul cum prima merſione, iã conſtat baptiſmus; & due ſequentes merſiones nihil operabuntur, etiamſi Miniſter intenderet per eas baptizare. Cuius ratio eſt, Quia completo Sacramento quoad partes eſſentiales, non poteſt Miniſter eius effectũ ſuſpendere, modò intẽdat facere quod facit Eccleſia: operatur enim Sacramentum per modum cauſæ naturalis. Quòd ſi Miniſter ita ſuam intentionem determinaret ad trinam merſionem, vt expreſsè excluderet vnicã, nolens per eam baptizare, nihil efficeret: vnde, ſi velit vt omnes merſiones concurrant, ita debet terminare verborum formulam, vt non compleat ante tertiam merſionem.

Affirmatur.

Reſtringitur.

DVBIVM II.

Vtrùm tota ablutio, ſeu immerſio, præſertim quando fit per motum localem aquæ per corpus, vel corporis per aquam, ſit de ſubſtantia Sacramenti?

REſpondeo, Eam totam eſſe de ſubſtantia Sacramenti, quæ peragitur ante complementum verborum: id autẽ totum, quod ſequitur poſt terminum verborum, non eſt vllo modo de ſubſtantia, ſi ea pars quę anteceſſit, erat ſufficiens, vt ab illa præciſè homo diceretur *Ablutus*, etiamſi hæc pars eſſet minima inter eas, quæ ſufficiunt. Ratio eſt; Quia poſito ſufficientis partis contactu, vnde homo poteſt dici *Ablutus*, & accedente complemento verborũ, conſtat integrum Sacramentum: 32

Reſponſio eſt cum diſtinctione.

tum: ac proinde quidquid sequitur, quasi per accidens se habet ad Sacramenti rationem. Vnde in quodcumque momentum successiuæ ablutionis inciderit terminus formæ, in eo perficitur Sacramentum: & reliqua pars ablutionis non est de substantia Sacramenti.

Sacramentum semper in momento complet.

Quòd si completa sit forma ante ablutionem, tunc solùm ablutio minima sufficiens ad rationē ablutionis, est pars Sacramenti: quando enim ad hanc peruentum est, constat integrum Sacramentum; quod semper compleri debet in momento, sicut & gratia in momento infunditur.

DVBIVM III.

Vtrùm ad rationem baptismi, quando sit per immersionem, necessaria sit succedens emersio?

33 Infans e manibus elapsus in aquas.

REspondeo, Si dum Minister immergit, infans elabatur, & prolatâ formâ suffocetur aquis, erit verè baptizatus: quod communiter Doctores fatētur, vt testatur Gabriel dist. 4. q. 2. art. 3. dub. 4. Ratio est, Nam mersio per se sola sufficit ad ablutionem. Ablutio enim baptismo necessaria, vt rectè Gabriel, nihil est aliud, quàm contactus aquæ, quæ humectare potest: atqui hic est talis contactus: ergo &c.

In puteum proiectus.

Hinc omnino consequi videtur, verè fuisse baptizatum infantem illum, de quo narrat Panormitanus, in Cap. *Non vt apponeres* de Baptismo & eius effectu. qui instante morte cum portaretur ad baptismum, & aqua haberi non posset in via, proiectus est in puteum adhibitâ legitimâ verborum formâ. Ita enim sentit Panormitanus ibidem, & Gabriel suprà, & Summa Rosella verbo *Baptismus* 4. num. 1. quamuis plerique alij in contraria sint sententia. Probatur, In priori casu infans est verè baptizatus: cur non etiam in hoc? Vtrobique enim aquis mergitur, sed non emergitur: vtrobique mors sequitur: vtrobique adest legitima necessaria forma, & intentio Ministri. Nec refert, quòd Minister non immergat illum immediatè, sed ex loco remoto proijciat: quia si fune eum demitteret in calatho, esset verè baptizatus, etiam illorum iudicio: item, si eminùs eum aquâ perfunderet. Neque etiam requiritur intentio eleuandi ex aqua; nam in sola mersione, seu contactu aquæ perficitur ablutio.

34

Denique non refert, quòd ex tali proiectione mors sequatur, & baptismus ordinetur ad salutē infantis. Nam etiamsi fontem baptismalē veneno inficeres, vel aqua feruente ad occidendum infantem vtereris; nihilominùs, si verè intendas baptizare, erit ratus baptismus: nam ablutio antecedit mortem. Aduerte tamen contrahi peccatū homicidij, si infans futurus erat superstes. Quòd si mors omnino instabat, & aliter baptizari non poterat, non videtur homicidij crimen.

An sit homicida qui baptizādo infantem occidit?

ARTICVLVS IX.

Vtrùm Baptismus possit iterari?

35 Est de fide non posse iterari.

REspondetur, Non posse. Est fide tenendum. Definitur Can. 46. aliàs 47. Apostolico; vbi iubetur deponi Episcopus rebaptizās. Et in Symbolo Nicæno, *Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum.* Et in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. 1. Denique in Florentino, & Tridentino sess. 7. can. 11.

Probatur ex Scripturis. Ad Ephesios 4. *Vna Fides, vnum Baptisma:* vbi etsi *Vnum* possit optimè accipi, vt sit idem quod *Commune*, quia est vnum commune omnibus baptisma: tamen Patres hinc colligunt baptismum repeti non posse. Cyprianus epistola 73. Ambrosius lib. 2. de Pœnitentia cap. 2. Hieronymus in hunc locum. Augustinus lib. 1. contra Cresconium c. 28. Ad Hebræos 6. vers. 4 : *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, rursus renouari ad pœnitentiā, rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei:* quem locum Patres passim exponunt de renouatione per baptismum, qui *Illuminatio* dicitur. Ita Chrysostomus, Theodoretus, Theophilactus in hunc locum. Ambrosius loco citato. Epiphanius hæresi 59. In eandem sententiam ait Apostolus ibid. cap. 10. v. 26. *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis; iam non relinquitur hostia pro peccatis*, id est, aliud sacrificium, quod nobis per secundum baptismum applicetur. Ephes. 4. Hebr. 6.

Rationes congruentiæ.

Secundò, Probatur Ratione. Primò, Baptismus est quædam regeneratio & natiuitas: Ioannis 3. natiuitas autem geminari non potest. Ita Augustinus tractatu 11. in Ioannem. Secundò, Quia baptismus primariò institutus est ad peccati originalis delectionem: atqui peccatum originale non repetitur. Tertiò, Quia per baptismum adscribimur familiæ Christi; quod tantùm semel fieri solet. Quartò, Si baptismus posset repeti, daretur summa peccandi licentia: quia per ipsum non solùm culpa, sed etiam omnis pœna condonatur sine satisfactione. Quintò, Quia baptismus est quędam mortis & resurrectionis Christi cōfiguratio: atqui hæc semel tantùm facta. Sextò, Quia baptismus imprimit characterem indelebilem. Septimò, Quia Circumcisio, quæ erat figura baptismi, non poterat iterari. Hæ rationes ostendunt, quam fuerit consentaneum, vt baptismus non repeteretur. Primaria tamen causa est Christi institutio & voluntas diuina; vt docet Scotus dist. 6. quæst. 7.

DVBIVM I.

Quas pœnas incurrant, qui rebaptizant vel rebaptizantur?

36

REspondeo, Vtrique, Iure Ciuili plectuntur morte: vt habemus Lege 1. & 2. Codice, *Ne sanctum baptisma iteretur.* Iure Ecclesiastico efficiuntur irregulares. De rebaptizato, patet ex Canone *Qui in qualibet.* 1. quæstione 7. vbi etiam declaratur hanc irregularitatem talem esse, vt non solùm impediat ascensum ad Ordines superiores, sed etiam ministerium in susceptis.

Reptizatus est irregularis.

Rebaptizantem esse irregularē, ex quo Textu probetur.

De rebaptizante est maior difficultas. Nā nullus est textus vbi exprimatur illum fieri irregularem, cùm tamen irregularitas non incurratur nisi in casibus iure expressis, vt habetur Capitulo, *Is qui.* de sententia excommunicationis in 6. Iura, quæ maximè solent adferri, sunt hæc.

Primò, Canon *Eos quos.* de Consecratione. dist. 4. Sed hic non vrget, quia non loquitur de rebaptizantibus, sed de ijs qui se permittunt rebaptizari.

Secundò, Canon 47. Apostolorum. Sed hic Canon solùm præscribit pœnam irrogandam, non autem ipso facto irrogat.

Cap. Ex *litterarũ.*

Tertiò, Capitulum quod incipit, *Ex literarum.* tit. de Apostolis, quo maximè Doctores nituntur. Verùm hoc Capitulum solùm pœnam irrogat Acolytho, qui ministerium exhibuerat: de Sacerdotis autẽ rebaptizantis pœna nihil dicitur. Nihilominùs tamẽ, quia omnes DD. ex hoc Capitulo colligunt, etiam rebaptizantem irregularem effici, in praxi ita iudicandum est: præsertim cùm illa videatur esse mens Pontificis. Vult enim puerum ministrantem esse irregularem, non propter accidentale ministerium cęremoniarum (sola enim cæremoniarum repetitio non inducit irregularitatem) sed quia cooperator extitit rei nefandæ, id est, rebaptizationis: censetur enim cooperator repetitionis Sacramenti; sicuti ministrans Sacerdoti Idolis sacrificanti, cooperatur Idololatrię. Vnde multò magis Pontifex cẽsetur velle ipsum Sacerdotem rebaptizantem esse irregularẽ. Etsi enim in iure, quando de pœnis agitur, non valeat argumentum à simili, quando actiones seu peccata sunt distincta: sæpè tamen valet, quando actio est eadem, & accessorium comparatur ad principale, sicut in proposito.

Quando argumentũ à simili quoad pœnas valeat in iure, quando non.

37 Notanda quædam circa rebaptizantis irregularitatem.

Hic tamen Notandum est Primò: Hoc crimen debere esse publicum, vt irregularitatem inferat. Ita Panormitanus in hunc locum. Colligitur apertè ex textu: addit enim Pontifex, *Si crimen sit occultum, posse promoueri ad Ordines superiores.* Communis tamen ferè sententia Doctorum est, hanc irregularitatem etiam ex crimine occulto contrahi. Quod si verum est, saltem Episcopus potest in ea dispensare, iuxtà cap.6. sess.24. Concilij Tridentini.

Notandum Secundò, Hanc irregularitatem non impedire vsum seu ministerium in Ordinibus susceptis, sed solùm ascensum ad superiores: vt patet in textu.

Notandum Tertiò, Hanc pœnam non incurri, quando deest vera intentio baptizandi. Ratio est, Quia qui non intendit baptizare, quantum in se est reuerà non rebaptizat, nec est rebaptizator, sed solùm simulat se rebaptizare: vnde illa exterior actio nõ est baptizatio aut rebaptizatio, quia sub hac ratione non est intenta. Sicut, qui retinens animo veram fidem, exteriùs profert hæresim, non est hæreticus, nec pœnas incurrit. Hinc etiam patet, pœnam hanc non incurri quando sub cõditione rebaptizat; vt rectè Nauarrus c.27. n. 246: Siue diligentiam ante adhibuerit, vt cognosceret an esset baptizatus: Siue non; quidquid dicat Sotus dist. 3. art. 9. Ratio est, Quia talis verè non rebaptizat; expresè enim intendit non baptizare, si fortè anteà sit baptizatus: fateor tamen talem peccare, si anteà debitam diligentiam veritati cognoscendæ non præstiterit.

Sub conditione rebaptizans nõ fit irregularis.

DVBIVM II.

Vtrùm hæc pœna incurratur quando intercedit ignorantia?

38 Ignorantia facti, si leuis.

REspondeo & Dico Primò, Ignorantia facti, scilicet an sit adhibitus baptismus, excusat ab hac irregularitate, quando excusat à peccato. Ita Scotus dist. 6. quæst.8. Dominicus Soto hoc loco. Turrecremata in Capitulum, *Qui bis.* de Consecratione dist. 4. Nauarrus cap.27. nu.246. Couarruuias in Clementinam *Si furiosus* in principio nu.8. Probatur, Quia hæc irregularitas infligitur propter peccatum, & quidem mortale. Quia quando alicui peccato absolutè nominato statuitur pœna grauis, intelligitur peccatum perfectum in sua specie, ac proinde ex sufficienti consideratione & scientia perfectum: ergo hæc irregularitas, cum ignorantia facti quæ non est crassa, non potest contrahi. Ignorantia tamen crassa non excusat; nam peccatum ex illa procedens; est eiusdem rationis, cum eo, quod scienter fit. Et confirmatur, Quia si infans ante rationis vsum bis baptizetur, non fit irregularis: vt colligitur causa 1. quæst. 4. Canone *Placuit*; vbi dicitur infantes ab hæreticis baptizatos posse promoueri ad ordines, & tamen hi ob solam ignorantiam excusantur.

Si crassa.

Sed contrà. Obijcitur Canon *Qui bis.* de Consecratione dist. 4. vbi statuitur, *Vt qui ignoranter rebaptizatur, non subiaceat pœnitentiæ, sit tamen irregularis.* Respondeo cum Scoto dist. 6. qu. 8. non debere nos huius Canonis auctoritate moueri, quia non est Summi Pontificis, sed cuiusdam Theodori Episcopi Cantuarienſis; vt patet ex lib. 4. decreti Burchardi cap. 51.

Can. Qui bis.

Dico Secundò, Ignorantia iuris humani non excusat ab hac irregularitate. Ratio est; Quia, vt quis incurrat pœnam, non est necesse, vt sciat illã esse statutam (excepta excommunicatione) sed satis est, vt sciat se facere rem illicitam.

Ignorantia iuris humani.

Dico Tertiò, Inuincibilis ignorantia legis diuinæ excusat ab hac irregularitate: vt si inculpatè ignores vetitã esse baptismi repetitionem. Ratio est; Quia in eo euentu non peccabis Baptismum repetens.

Ignorantia legis diuinæ.

Quæ diximus de rebaptizato in hoc dubio, omnia ferè locum habent in rebaptizante: similiter enim excusatur. Debet enim interuenire peccatum mortiferum in actu rebaptizationis. Vnde probabilis ignorantia iuris diuini, vel facti, excusat. Solùm adde, quando ita dubitat de alterius Baptismo, vt licitè possit ei sub conditione conferre, non effici irregularem, etsi tunc conferat absolutè; vt rectè Nauarrus suprà. Ratio est; *Quia non monstratur esse iteratum, quod nescitur esse factum*; vt Innocentius III. ait Capitulo Vnico, de Clerico per saltum promoto.

39 Rebaptizati & rebaptizantis est similis ratio quoad irregularitatem.

DVBIVM III.

Vtrùm qui coactè rebaptizat, vel rebaptizatur, sit irregularis?

REspondeo; Si is, qui cogitur, intendat verè baptizari, vel baptizare secundò: Videtur omnino fieri irregularis. Ratio est; Quia respectu huius intentionis non potest esse vlla coactio, vnde nec excusatio: quare sicuti coactio tunc nullo modo excusat à culpa rebaptizationis, ita nec à pœna. Quòd si desit intentio Sacramenti in conferente, non fiet irregularis, etiamsi actum externum obeat. Similiter si desit intentio recipiendi Sacramentum, is qui circa se patitur illam cęremoniam externam, non fiet irregularis.

40 Si verè intendat.

Si non intendat.

Dices; Is qui ordinatur ab hæretico coactus vi vel metu, non fit irregularis, etiamsi tunc intentionem recipiendi Ordinis habeat; vt patet Can. *Constat* 1.qu. 1. Ergo similiter is, qui secundò baptizatur coactus, nõ fiet irregularis, quamuis habeat intentionem recipiendi secundò Baptismum.

Respon-

Respondeo Negando Consequentiam: Quia hic, cùm sit semel baptizatus, non est ampliùs capax Sacramenti Baptismi; ille verò, cùm non sit ante ordinatus, est capax Ordinis.

DVBIVM IV.

Quando licitum sit baptizare sub conditione?

41 REspondeo, & dico Primò, Quando moraliter constat de externo Sacramento; & nulla est probabilis ratio dubitandi de intentione ministri, non licet sub conditione iterare. Est communis Doctorum recentiorum. Vide Sotum dist. 3. ar. 9. vbi etiam reprehendit consuetudinem Parochorum, qui baptizatos domi ab obstetricibus, posteà rebaptizant sub conditione: deberent enim inquirere modum facti; et si ritè factum constaret, supplere cæremonias. Idem tenet Nauarrus suprà. Ratio est; Quia, quando moraliter constat de re ipsa, conditio tanquam impertinens, censetur non appositа, quod ad culpam attinet; vnde censetur quasi absolutè rebaptizare; quod non est paruum sacrilegium. Quò fit, vt adulti inter Christianos educati, ob nullum scrupulum debeant rebaptizari, etiam sub conditione: vt patet ex Capite *Veniens*. de Presbytero non baptizato; talis enim credendus est baptizatus. Similiter, si vnus testis oculatus, de quo non est ratio dubitandi, affirmet; vt Sotus ait. Vide Concil. Africanum cap. 39. & Can. *Placuit*. de Consecratione dist. 4.

Baptizati ab obstetricibus, non debent sub conditione rebaptizari.

Si scrupulus.

Si vnus testis.

Dico Secùdo, Quãdo est probabilis ratio dubitandi de Sacramẽto, siue dubiũ sit facti, siue iuris; & per inquisitionẽ non potest aliquid certi haberi, debet sub conditione repeti. Patet hoc totum ex Capitulo *De Baptismo & eius effectu*. Ratio est; Quia periculum salutis id postulat; & aliàs nulla fit iniuria Sacramento. Nam periculum salutis, & conditio appositа censentur omnem irreuerentiam excludere.

ARTICVLVS X.

Vtrùm Ritus, quo Ecclesia in baptizando vtitur, sit conueniens.

De hoc infrà quæst. 71.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm conuenienter describantur tria Baptismata?

42 REspondetur; Tria esse baptismata, *Aquæ*, *Flaminis*, & *Sanguinis*. Est communis Doctorum in 4. dist. 4.

Propriè tantùm vnicum baptisma, aquę scilicet.

Notandum, Propriè vnicum esse Baptismum, scilicet *Aquæ*. Ad Ephesios 4. v. 5. *Vna fides, vnum Baptisma*. Reliqua duo per Metaphoram sic appellari ratione effectus, quia vicem baptismi aquæ interdũ supplent, & peccatum originale abluunt. Baptismum *Flaminis* aliquando supplere vicem Baptismi aquæ, ostendetur infrà. Nunc pauca de Baptismo *Sanguinis* dicenda. De quo

Notandum Primò, Martyrium vocari Baptismum Sanguinis: non quòd vnà cum sanguine effluat aqua, qua Martyres baptizentur; aut quòd oporteat reipsà sanguinem effundere, vt quidam voluerunt (contra quos Hugo lib. 2. de Sacramentis parte 6. cap. 7.) sed quòd plerumque sanguis effundi soleat. Qui tamen laqueo vel igne perimitur, vel aquis mergitur propter Christum, verè accipit baptismũ Sanguinis, si antea baptizatus non erat. Quòd addo, Quia martyrium non habet rationem baptismi, nisi quando eius vicem supplet.

Cur Martyrium dicatur Baptismus Sanguinis.

Notandum Secundò, Martyrium non esse Sacramentum, contra Ioannem Maiorem. Quia non est remedium ordinarium ad nostram sanctificationem institutum, neque cæremonia ad Deũ colendum: quorum vtrumque ad rationem Sacramenti requiritur.

Cur Martyrium nõ sit Sacramentum.

DVBIVM I.

Vtrùm Infantes sanctificentur Baptismo Sanguinis, seu Martyrio?

43 ALexander Alensis 4. par. qu. 22. membro 5. docet Baptismũ Sanguinis solis adultis prodesse. Idem sentire videtur Richardus Armacanus lib. 8. qq. Armeniacarum cap. 37. & Adrianus quæst. de Baptismo art. 5. vbi dicit, non esse certum, infantes illos, qui ab Herode occisi sunt, esse saluatos, si qui anteà circumcisi non fuerant; piè tamen id credi. Verùm certò tenendum infantes hoc Baptismo sanctificari, & salutem æternam consequi. Contrarium temeritatis notam meretur.

Opinio negans est temeraria.

Probatur Primò, Ex consensu totius Ecclesię, quæ iam inde à temporibus Apostolorum celebrat festum Innocentium; non quia circumcisi (sic enim potiori iure deberet celebrari festum infantium qui nunc moriuntur post Baptismum) sed quia Martyres. Confirmatur; Quia vocat eos Martyres Ecclesia, & officio Martyrum honorat; quod non faceret, nisi ex Apostolica traditione constaret verè tales esse.

Sententia affirmans ex consensu Ecclesiæ.

Probatur Secundò, Ex Patribus. Origenes homilia 3. in varios locos Euangelij, *Horum memoria semper, vt dignum est, in Ecclesia celebratur, vt primorum Martyrum pro Domino occisorum*. D. Augustinus lib. 3. de libero Arbitrio cap. 23. dicit Ecclesiam eos in honorem Martyrum receptos venerari. Idem expresè Leo sermone 1. de Epiphania: *Quibus Christus nondum sanguinis sui impendit redemptionem, iam Martyrij tribuit dignitatem*. Et serm. 2. ait, *Ætatem illam aptam fuisse Martyrio*. Omitto alios Patres in homilijs de Innocentibus. Vide Bernardum sermone de Innocentibus & Epistola 77. ad Hugonem. Ratio præcipua est diuina voluntas. Congruentia est; Quia decebat, vt illi, qui propter Christum occiduntur, mortis eius maximè essent participes: nam maximè Christo pro nobis morienti assimilantur, à quo omnis nostra sanctificatio manat. Videtur tamen martyrium habuisse hoc priuilegium etiam ante incarnationem: Nam Patres simili modo extollunt Martyrium Machabæorum; vt patet ex Nazianzeno. Dices; Concilium Tridentinum sessione 7. can. 4. affirmat Baptismum omnibus ad salutẽ esse necessarium, vel re ipsa, vel in voto: Atqui infantes illi neutrum habent: ergo non possunt saluari. Respondeo; Concilium loquitur extra casum Martyrij: agit enim de remedijs ad

Congruentia.

primam iustificationem institutis, quale non est Martyrium.

DVBIVM II.

Vtrùm Baptismus Sanguinis iustificet adultos, & quomodo?

44 Quidam negant. QVidam Doctores negant Martyriũ conferre posse primam gratiam iustificationis. Ita Alexander Alensis suprà. D. Bonauentura dist. 4. & Canus Relectione de Pœnitentia. parte 3. Fundamentum illorum est, quia existimant Martyrium debere procedere ex dilectione Dei super omnia, propter illum locum Apostoli 1. ad Corinth. 13. vers. 3. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Verius affirmatur. Verùm Dico Primò, Verius est, Baptismum Sanguinis posse interdum adulto primam gratiam iustificationis & remissionem peccatorum conferre: nempe, quando Baptismi Aquæ copia non datur. Colligitur ex D. Thoma, & Caietano hoc loco; & docent plerique recentiores. Vide Vegam lib. 6. in Concilium Trident. cap. 36. & 37.

Clemens Romanus. Probatur ex Patribus. Clemens Romanus lib. 5. Constitutionum Apostolicarum cap. 7. *Passio, quam pro Christo Catechumenus sustinet, cedet ei in veniam Baptismum; quoniam ipse re ipsâ commoritur Christo, alij in figura.* Tertullianus in Scorpiaco, *Martyribus nulla delicta posse imputari, quibus in lauacro vita ipsa deponitur.* & in Apologetico sub finẽ: *Quis non pati exoptet, vt totam Dei gratiam redimat, vt omnẽ veniam ab eo compensatione sui sanguinis expediat? Omnia enim huic operi delicta donantur.* Cyprianus epistola 73. ad Iubaianum, *Nunquid potest vis Baptismi esse maior aut potior, quàm confessio? quã passio? vt quis coram hominibus Christum confiteatur, & suo sanguine baptizetur?* D. Augustinus lib. 13. de Ciuitate cap. 7. *Quicumque etiam non percepto regenerationis lauacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur fonte baptismatis.* Quod probat ex Scripturis; *Quia, qui dixit, Nisi quis renatus fuerit &c. etiam dixit, qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo: &, Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Idem docet Prosper sententia 149. ijsdẽ verbis. Omitto alios Patres.

Tertul. Cyprian. Augusti.

45 Vis martyrij ex diuina institutione. Ex quibus Patet, Primò, Baptismum Sanguinis ex diuina promissione seu institutione hanc vim habere, vt baptismo Aquæ æquetur, quando articulus necessitatis hunc excludit; & consequenter conferre primam gratiam iustificationis, & remissionem omnis culpæ & pœnæ.

Patet Secundò, Non requiri absolutè, vt procedat ex dilectione Dei super omnia: nam sic Martyrium non deleret omnia peccata, nec gratiam conferret, sed actus dilectionis antecedens. Vnde falsum esset, quod Patres docent *Martyrium tantum valere ad abluenda peccata, quantum Baptismum: Martyrium totam Dei gratiam redimere: omnia ei delicta donari.*

Alioquin essemus incerti de salute Martyris. Confirmatur; Si enim requiritur, vt procedat ex dilectione Dei super omnia, plerumque incerti erimus an fuerit verum Martyrium, & an iste sit verè beatus: quod est tamen contra communem sententiam Patrum, & Ecclesiæ sensum. Vnde Innocẽtius III. Capite quod incipit *Cùm Marthæ*, titulo de Celebratione Missarum ex D. Augustino ait, *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Quòd autem incerti erimus, patet: Quia non solùm ex dilectione Dei super omnia, sed etiam ex alijs virtutibus potest quis acceptare mortem pro Christo, nempe ex virtute Religionis, ex virtute Fidei, Obedientiæ, Castitatis: & ex aliâ quauis virtute. Quæuis enim virtus potest velle permanere in functione sui muneris, seu in honestate sui obiecti, & ex vi huius propositi velle perpeti mortem. Ergo non est certum perpessionem Martyrij semper ex dilectione Dei super omnia procedere; quare neque ad hanc dilectionem est restringendum.

Quomodo martyrium sit actus imperatus charitatis. Nec obstat, Quòd D. Thomas dicat Martyriũ esse actum imperatum Charitatis: non enim ait id esse de ratione Martyrij; sed solũ vult dicere, esse opus maximè aptum, quod à Charitate imperetur, esseque signum Charitatis. Similiter nec obstat locus Apostoli: solùm enim vult dicere, si Charitas omnino desit, ita vt ne in termino quidem Martyrij habeatur, Martyrium non prodesse. Pari modo Baptismus sine Charitate nihil prodest. Sed quia Martyrium adducit Charitatem, sicut & Baptismus, ideò plurimum prodest ad vitam æternam. Sic intellige Diuum Thomam art. 12. ad 2.

Explicatur Apostolus 1. Cor. 13.

46 Quomodo martyrium suppleat vicem baptismi. Dico Secundò, Peccator qui ad Martyrium rapitur, si nondum est baptizatus, debet omnem operam adhibere, vt baptizetur aquâ: alioqui si negligat, mortiferè peccat, & Martyrium nihil ei prodest. Est communis sententia Doctorum. Ratio est; Quia præceptũ Baptismi maximè vrget in periculo mortis. Patet hoc ex vsu Ecclesiæ; vnde conandum, vt hoc impleatur. Nec refert quod Martyrium dicatur supplere Baptismi vicẽ; nam hoc solùm habet locum, quando Baptismi Aquæ non datur potestas; alias autem minimè: quia Martyrium non est institutum, vt sit loco Baptismi.

Peccator, qui ad martyrium rapitur, tenetur conteri, & cur. Dico Tertiò, Peccator in tali casu tenetur se conuertere ad Deum dilectione super omnia: & si meminit se esse in peccato mortifero, tenetur elicere contritionem. Est contra Vegam lib. 6. in Concil. Trident. cap. 36. qui putat ipsam acceptationem voluntariam Martyrij per se sufficere. Sed probatur; Quia præceptum Dilectionis Dei maximè obligat in periculo mortis, quando non ampliùs in hac vita poterit præstari. Similiter præceptum Contritionis tum maximè vrget: idque partim ob periculum salutis propriæ, partim ob periculum perpetuæ inimicitiæ cum Deo. Vnde etiamsi probabile speculatiuè esset, voluntariam acceptationem Martyrij per se sufficere; nihilominùs practicè non esset securum: quia quisque tenetur tum ex charitate sui, tũ ex charitate Dei, in illo discrimine sequi viam certam, quantum potest; alioqui sponte exponit se periculo æternæ damnationis: nempe si fortasis opinio illa probabilis, re ipsâ non sit vera: opinio enim probabilis non supplet defectum medij necessarij. Quã ob causam non sufficit per se in eo casu concipere dolorem peccatorum, quem putas esse attritionẽ: nam certum nõ est, vtrum attritio cum Martyrio sufficiat ad salutem in peccatore; quare tenetur concipere contritionem, & confugere ad id quod certum est.

Non est certum, an Attritio cum martyrio sufficiat ad salutem in peccatore.

Dices

Dices Primò, Voluntas subeundi Martyrium pro Christo, est virtualis dilectio Dei super omnia : nam homo per illam præponit Deum vitæ suæ, quæ præ cæteris rebus cuique est chara. Est etiam virtualis contritio : nam detestatur peccatum plusquam mortem : ergo hæc voluntas sufficit.

Martyriũ non est virtualis dilectio Dei super omnia, nec virtualis contritio.

Respondeo; Hoc argumentũ probaret voluntatem hanc sufficere ad salutem, etsi non sequeretur re ipsâ vlla perpessio: imò hominem iustificari, quotiescumque paratus est potiùs mori, quàm negare Christum; quod sanè absurdum est. Vnde negandum est antecedens : non enim voluntas Martyrij est dilectio virtualis Dei super omnia, aut virtualis contritio. Ratio est; Quia, qui Deũ vitæ corporali præponit, non necessariò præponit illum omnibus alijs; cùm multi famam, honores, amicos, patriam pluris faciant, quàm vitam. Similiter qui præponit Deum in vno opere, non necessariò præponit illum in alijs. Pari modo, qui vnum genus peccati magis detestatur, quàm mortem, non necessariò quiduis aliud magis detestatur : sunt enim multi, qui mallent mori, quàm Deum negare; non tamen quàm illum offendere minori peccato.

Dices Secundò; Non expedit tunc multum occupari actu contritionis; sed satius est, vt tota mens in morte, pro Christo amplectenda feratur: virtus enim dispersa est minor. Respondeo, Amor Dei & cõtritio maximè iuuant animum ad Martyrium : vnde vel hac ratione sunt excitanda.

47 Attritio putata Cõtritio, sufficit cum Martyrio ad Iustificationem.

Dico Quartò, Si bona fide existimet se habere veram contritionem, valdè probabile est sufficere ad remissionem peccatorum, & gratiam iustificationis, quamuis tãtummodò sit attritio. Colligitur hoc ex D. Thoma infrà qu. 87. ar. 1. vbi ait, *Martyriũ purgare ab omni culpa & veniali & mortali; nisi actualiter inuenerit voluntatem peccato inhærentem.* Item ex Patribus suprà citatis. Probatur, Quia Baptismus Sanguinis non minùs efficax est ad delenda peccata, quàm Baptismus Aquæ : vt docent Prosper, Augustinus & Gyprianus suprà: sed Baptismus Aquæ sanctificat, & delet omnia peccata etiam cum sola attritione: ego etiam Baptismus Sanguinis.

Dices, Hinc sequi Baptismum Sanguinis cum sola attritione sufficere, etiam quando scitur esse attritio : nam Baptismus Aquæ tunc sufficit.

Magis sufficit attritio cum Baptismo, quàm cum martyrio ad Iustificationem.

Respondeo negando sequelam. Ratio est, Quia Baptismus Sanguinis constituit hominem in certissimo periculo mortis; & ideò requirit per se omnes dispositiones ad quas obligamur ratione mortis; vt dilectionem Dei super omnia, & contritionem, nisi per bonam fidem quis excusetur. Secùs est de Baptismo, nisi fortè in articulo mortis dandus sit; tunc enim videtur homo obligari ad contritionem, quia tenetur sequi viam certam quantum potest. Si tamen interueniat bona fides, qua putet se habere veram contritionem, iustificabitur per Martyrium. Huius ratio est; Quia omne opus, quod habet tale priuilegium, vt vi sua conferat augmentum gratiæ homini contrito, confert etiam primam gratiam iustificationis homini attrito, qui bona fide se putat contritum; vt infrà patebit in varijs Sacramẽtis. Nam cũ vi sua, & quasi ex opere operato cõferat, necessariò confert omni subiecto non ponenti obicem, & aliàs sufficienter dispositio ad gratiæ receptionem. At is, qui bona fide se putat contritum, non ponit impedimentum gratiæ; & aliàs attritio est sufficiens dispositio ad gratiæ infusionem, vt patet in Baptismo & Pœnitentia : alioqui nihil priuilegij haberent Sacramenta nouæ legis in iustificatione impij : ergo &c.

Dico Quintò, Sola voluntas subeundi mortem pro Christo, in eo, qui peccatorum suorum non recordatur, siue ob perturbationem, siue ob naturalem obliuionem, aut inaduertentiam, non sufficit cum externa perpessione ad remissionem peccatorum, & ad gratiam iustificationis, nisi includat saltem virtualem pœnitentiam. 48 Voluntas martyrij cũ externa perpessione non sufficit in immemore peccati, sine virtuali pœnitentia.

Probatur; Quia Baptismus, qui tamẽ institutus est ad remissionem peccatorum, & minimam postulat dispositionem, requirit formalem vel virtualem pœnitentiam : ergo multò magis Martyrium, quod non est institutum ad peccatorum remissionem. Ratio est; Quia animus, qui per peccatum actuale auersus est à Deo, debet per aliquẽ motum contrarium rursus in Deum conuerti, vt in gratiam recipiatur : hoc enim maximè consentaneum est tum diuinæ iustitiæ, tum naturæ reconciliationis. Vnde pœnitentia omni tempore necessaria fuit ad remissionem peccati mortalis, & gratiam iustificationis, vt docet Concilium Triden. sess. 14. cap. 1.

Aduerte tamen; Hanc voluntatem Martyrij ferè semper includere implicitam & virtualem pœnitentiam, saltem attritionem; ita vt si recordaretur peccatorum, ea actu detestaretur, & proponeret euitare. Nam qui vult subire mortem pro Christo, vel hoc vult, ne Deum offendat; & sic est actus dilectionis Dei (quamuis non necessariò dilectionis super omnia) includens, implicitè detestationem omnis offensionis : vel vult, ne damnetur; vt Eleazarus 2. Machab. cap. 6: & sic prouenit à virtute spei, & includit detestationẽ omnis peccati inducentis damnationem. Et quamuis possint interdum aliarum virtutum rationes vel motiua interuenire, tamen ferè semper illæ sunt præcipuæ, tanquam maximè generales & notissimæ. Vnde moraliter certum est, Martyrem ex tali motiuo mortem acceptasse. Deinde, cùm quis cogitat subeundum esse Martyrium, ipsa mortis & suppliciorum apprehensione satis excitatur vt ad Deum confugiat, & veniam peccatorum etiã occultorum flagitet. Vnde vix fieri potest, vt omnis pœnitentia etiam virtualis absit, nisi quis ex inopinatò præueniatur, aut occidatur in somnis: Vt si statuisset quis potiùs mori, quàm Christum negare, eò quòd hoc sit nimis enorme peccatum; multis tamen alijs minoribus mortiferis, vel vno sit infectus; sicque sine omni pœnitentia se somno tradens in odium Christi interficiatur, hic non erit verè Martyr, nec fructum Martyrij habebit, eò quòd omnis pœnitentia defuerit. Voluntati martyrij ferè semper coniungitur virtualis Pœnitentia.

Dices, D. Thomas infrà quæst. 87. art. 1. ad 2. sic ait, *Passio pro Christo suscepta, obtinet vim baptismi, & ideò purgat ab omni culpa & veniali & mortali, nisi actualiter voluntatem peccato inuenerit inhærentẽ.* Ergo D. Thomas non requirit vllam pœnitentiã. Respondetur obiectioni ex D. Thoma.

Respondeo, Non requirit quidem pœnitentiam expressam vel actualem, præsertim in particulari quando peccata non occurrunt : non tamen excludit pœnitentiam virtualem, vel in genere : nam etiam Baptismus hanc requirit, cui Martyrium comparat.

Dico

49 Sola voluntas moriendi pro Christo, in iusto sufficit ad martyrium.

Dico Sextò, Sola voluntas subeundi mortem pro Christo videtur sufficere in iusto, vt sit verus Martyr, etiamsi nullum alium actum habuerit. Est communior sententia Doctorum. Ratio est; Quia cùm ipsum opus Martyrij, id est, ipsa perpessio, habeat hoc priuilegium, vt quasi ex opere operato gratiam conferat, vt colligunt Doctores ex illis verbis Domini Matthæi 10. v. 31. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cælis est.* & Luc.9. v.24. *Qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet illã:* in iusto autem sit sufficiens dispositio ad gratiæ infusionem, & nullum impedimentum, necessariò effectum suum in illo habebit. Vnde etiamsi dormiens occidatur, erit Martyr. Quæ ratio etiam probat satis esse credibile, iustum fore Martyrẽ, si in odium fidei dormiens occidatur, quamuis nihil anteà de Martyrio cogitarit: quod insinuat Caietanus infrà qu. 87. art. 1. & docent multi recentiores. Nec obstat, quòd Martyrium in adultis debeat esse aliquo modo voluntarium: videtur enim sufficere posse voluntas habitualis, quãdo aliunde actualis impeditur; sicut sufficit ad Sacramenti Eucharistiæ, & extremæ Vnctionis perceptionem. Iustus autem censetur in habitu paratus mori pro Christo, quando necesse fuerit; sicuti habitu cẽsetur remedia velle facere salutis, quando fuerit opus. Aduerte tamen, tale Martyrium non censeri actum Fortitudinis; sed solùm est externa professio habens priuilegium, sicut in infantibus.

Etiam in dormiente

Sufficit voluntas habitualis.

Non est actus Fortitudinis.

DVBIVM III.

Quando Martyrium conferat gratiam?

Caietanus 2. 2. qu. 124. ar. 4. insinuat dari in primo non esse, id est, in primo instanti quo homo non est, & anima non informat corpus: putat enim tunc Martyrem mereri. Sed hoc non videtur probabile. Nam hoc momentum nõ pertinet ad statum viæ: homo enim tunc non est: vnde non habet ampliùs statum merendi. Et Cõfirmatur; Quia alioqui fieri posset, vt qui tota vita nec fidem, nec gratiam, nec meritum habuit, incipiat hæc habere post hanc vitam: quod non est consentaneum Scripturis, quibus dicitur *Recepturũ quemque prout gessit in corpore.* 2. Corinth. 5. v. 10. Et, *Vbi lignum ceciderit, ibi fore, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem?* Ecclesiastæ c. 11 v. 3.

Caietani opinio refutatur.

Dicendum ergo est, Si datur vltimum instans vitæ, valdè credibile est tunc dari gratiam Martyrij: nam tunc est terminus Martyrij. Consentaneum autem est, vt conferat gratiam in termino quo completur; sicut Sacramenta eam conferunt in termino quo complentur. Quòd si non datur vltimum instans vitæ, probabilius est dari paulò antè separationem animæ, quando ex vulneribus necesse est mortem sequi. Ita Vega lib. 6. cap. 37. Credibile autem est eum diuinitus posteà custodiri vsque ad instans mortis, vt non peccet, si adhuc ratione vtitur. Quòd si contingeret talem posteà diuinitus sanari, valdè probabile est fore confirmandum in gratia; sicut credendum est de iustis, qui excitantur à mortuis; ne illis hoc beneficium sit damno.

Vel datur in vltimo instanti vitæ.

Vel paulò ante separationem animæ.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm Baptismus Sanguinis sit potissimus inter alia baptismata?

REspondetur Affirmatiuè. Patet hoc ex Cypriano, Augustino, & alijs suprà citatis. 51 Præstantia Baptismi Sanguinis.

Probatur Primò, Quia Baptismus *Sanguinis*, nos reddit similes imitatione Passioni Christi, à qua omnia baptismata vim habent: reliqua verò minimè nos similes reddunt.

Secundò, Quia Ecclesia festa Martyrum celebrat: ergo per Martyrium confertur maior gratiæ mensura, quàm per Baptismum Aquæ. De quo quidam non rectè dubitauit. Quod etiam ex eo patet, quòd detur Martyribus *Aureola*; id est, singularis quædam gloria, distincta ab illa communi & essentiali: *Aureola* autem non datur sine maiori gratia.

Baptismus tamen *Aquæ* in eo excellit, quòd Characterem imprimat, & sit Sacramentum. Aquæ.

Baptismus *Flaminis* multorum iudicio superat Baptismum *Aquæ* in hoc, quòd maiorem gratiæ mensuram conferat; quia in illo iustificatur homo per propriam dispositionẽ. Et hoc est admodum probabile, præsertim quando dispositio seu actus charitatis est multum intensus. Valdè enim verosimile est paruulos post Baptismum morientes, fore infimos in gloria: quia nihil ad suam salutem proprio conatu contulerunt. Flaminis.

QVÆSTIO LXVII.

De Ministro Baptismi.

In Octo Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm ad officium Diaconi pertineat Baptizare?

1 Non pertinet id ad eum ex officio.

REspondetur, Non esse Diaconi ex officio; sed solùm ex commissione Sacerdotis vel Episcopi.

Prior pars patet. Quia Diaconi tantũ est ministrare Sacerdoti in Sacramentorum dispensatione & sacrificio; vt patet ex nomine, quod *Ministrum* significat: ergo ex officio non potest baptizare. Idem expresè docet Clemens lib. 3. Cõstitut. Apost. cap. 11. & Gelasius canone *Diaconos.* distinctione 93.

Quòd autem possit ex commissione, etiam solemniter; Probatur, Quia in ordinatione eius dicitur, quòd debeat baptizare & prædicare: quod tamen non sic intelligendum est, quasi per ordinationem efficiatur ordinarius minister Baptismi; sed

Sed ex cõmissione.

sed quia redditur idoneus, cui id possit committi tanquam extraordinario.

Sine eâ si solemniter baptizet, fit irregularis,

Quòd si absque commissione baptizet solemniter, fiet irregularis, tanquam exercens actum Ordinis alieni; vt docent communiter Doctores ex Cap. 1. *de Clerico non ordinato.* quod est Hormisdæ Papæ. Glossa in Canone *Diaconos.* dist. 93. excipit casum necessitatis; tunc enim posse Diaconum suo iure baptizare, & corpus Christi erogare. Sed cùm nulla sit necessitas solemniter cõferendi Baptismum, verius est etiam tunc fieri irregularem. Adde tamen, neminem, siue Clericum, siue Laicum, fieri irregularem, si baptizet absque solemnitate, quamuis id extra casum necessitatis, aut præsente Sacerdote, ius alterius illicitè vsurpans, faciat. Docet Panormitanus in cap. illud primum. Et Nauarrus cap. 22. Enchiridij nu. 7. & cap. 27. num. 242. Ratio est; Quia, vt sic datur, non est actus Ordinis.

2 Solemnis baptismus non potest subdiacono committi, nisi à solo Papa.

Petes, An Subdiacono possit committi solemnis Baptismus? Respondeo, Non posse à Presbytero vel Episcopo committi; quia est contra iura. Potest tamen à Pontifice; quia hæc solemnitas consistit in cæremonijs, quæ sunt ex institutione Ecclesiæ. Vnde per eum, in quo est plenitudo Ecclesiasticæ potestatis, potest etiam Subdiacono concedi, sicut & Diacono.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ad officium Sacerdotis pertineat baptizare?

3 Conuenit id sacerdoti ex officio.

Respondetur, Sacerdotibus id conuenire ex proprio officio, & ordinaria potestate. Patet ex Concilio Florentino: *Minister* (inquit Concilium) *huius Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.*

Dices Primò, Ergo infans poterit cuiuis Sacerdoti offerri, similiter Paganus.

Respondeo Negando Consequentiam; Quia ideò tantùm dicitur Sacerdoti ex officio hoc cõuenire, quod non requirat alium Ordinem, vt sit proprius minister Baptismi; sed per Sacerdotium habeat omnem potestatem Ordinis ad hoc Sacramentum requisitam. Requiritur tamen præterea iurisdictio; quia soli Pastores Ecclesiæ possunt admittere ad Ecclesiam, & populum Sacramentis & verbo Dei pascere; vel illi, quibus id ipsi commiserint.

Eget tamen ad hoc iurisdictione.

Infans ergo offerri debet Pastori parentum; hic enim ratione parentum, habet ius in illum. Paganus autem alicui ex Ecclesiæ Pastoribus maioribus vel minoribus. Vnde Sacerdos non Parochus, non potest baptizare sine necessitate, vel sine commissione proprij Pastoris; vt fatentur omnes: & colligitur 16. qu. 1. Can. *Interdicimus.* Si tamen faceret sine commissione, non fieret irregularis; quia etsi sit vsurpatio iuris alieni, non tamen alieni Ordinis.

Absque ea si baptizet, non fiet irregularis.

Dices Secundò, Patres docent Sacerdotem nõ posse solemniter baptizare sine Episcopi auctoritate. Tertullianus lib. de Baptismo; *Dandi quidem Baptismum* (inquit) *ius habet summus Sacerdos: dehinc Presbyter, & Diaconi; non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem.* Et Hieronymus Dialogo contra Luciferianos: *Inde venit, vt sine Chrismate & Episcopi iussione, neque Presbyter neque Diaconus ius habeat baptizandi.*

Respondeo, Hoc videri intelligendum de Sacerdote consecrato præcisè secundùm suam ordinationem. Etsi enim ex sua ordinatione habeat plenam potestatem Ordinis ad Baptismum (in quo differt à Diacono:) tamen non habet iurisdictionem in populum, quam debet accipere ab Episcopo; & in hoc est similis Diacono.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Laicus possit baptizare?

4 Laicus in necessitate potest baptizare.

Respondetur; In necessitate posse Laicum baptizare. Est definitum in Concilio Eliberitino can. 38. & Florentino in decreto vnionis, vbi sic dicitur: *In casu necessitatis, non solum Sacerdos vel Diaconus, sed etiam Laicus, & mulier, imò etiam Paganus & hæreticus baptizare potest; dummodò formam seruet Ecclesiæ, & facere intendat quod Ecclesia facit.* Idem docent Tertullianus & Hieronymus suprà, qui etiam rationem adferunt; quia quod ex æquo accipitur, hoc ex æquo dari potest. Vide Capitulum *Constat.* de Consecratione. distinct. 4. ex Isidoro, & Capitulum *In necessitate.* ibidem.

Exemplo Apostolorum & Ananiæ,

Confirmatur ex Scriptura: Quia Apostoli baptizarunt, cùm adhuc essent Laici: vt patet Ioannis 4. Et Ananias qui Paulum baptizabat, Laicus fuisse videtur; vt alicubi testatur Clemens Romanus. Ratio est, quia decuit vt Sacramentum tantæ necessitatis non adstringeretur certo ministro: quam ob causam etiam in materia communissima institutum est. Contrarium sentit Caluinus lib. 4. Institut. cap. 14. §. 20. Sed sine ratione; cùm omnes ministri Caluinistæ sint Laici: & ipse doceat Sacramentum solùm excitare fidem, quæ etiam à muliere per verbum Dei potest excitari.

Caluinus negat.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Mulier possit baptizare?

5 Mulier in necessitate potest.

Respondetur posse in necessitate. Definitum est ab Vrbano Papa III. qu. 3. Can. *Super quibus.* Et in Concilio Florentio. Sic in veteri testamento mulieres in necessitate circumcidebant: vt patet Exodi 4. vbi Sephora, cùm Angelus vellet eam, vel Filium eius, vel vt alij volunt, Moysen occidere, circumcidit Filium suum.

Ordo interest eos, qui baptizare possunt.

Aduertendum tamen, Mulierem non posse baptizare in necessitate, si præsens sit vir, nisi fortè ipsa sit obstetrix & peritior: nec Laicum, si adsit Clericus: nec minorem Clericum, si adsit maior; iuxtà communem sententiam Doctorum. Huius tamen Ordinis inuersio non censetur peccatum mortale (nisi fortè Sacerdos negligatur:) quia nõ est officij alieni vsurpatio, cùm nemo ex inferioribus absolutum ius aut officium habeat; sed solùm est quædam indecentia. Secùs est si Sacerdos omittatur, quia ei ex officio competit: qui etiam sine causa non potest Diacono facere potestatem baptizandi, licet sine solemnitate, propter honorem Sacramenti; multoque minus laico.

ARTI-

ARTICVLVS V.

Vtrùm non baptizatus possit baptizare?

6 Infidelis potest in necessitate,

REspondetur Primò, In extrema necessitate etiam infidelem posse baptizare. Definitũ est à Nicolao Primo in Epistola ad consulta Bulgarorum cap. 104. & in Concil. Lateranensi magno, Capitulo *Firmiter*. & in Florentino. Secundò, Si absque necessitate hoc fieret, vterque, tam baptizans, quàm baptizatus grauiter peccaret.

Laicus vel Femina baptizans extra necessitatem, peccat mortaliter.

Petes; Quale peccatum est, si femina, vel laicus extra casum necessitatis baptizet?

Respondeo, Communis sententia est esse peccatum mortiferum. Primò; Quia est contra præceptum Ecclesiæ in re graui. Secundò, quia est alieni muneris vsurpatio: baptizare enim est proprium munus Sacerdotum. Tertiò, Quia si Sacerdos sine necessitate prætermitteret Baptismi solemnitatẽ, mortiferè peccaret. Similiter si alienum subditum sine debita licentia; vt patet 16. q. 1. Canone *Interdicimus*. iuncta glossa. Pari modo

In priuata domo quãdo liceat baptizare.

si in domo priuata absque necessitate baptizet Sacerdos, mortiferè peccat; nisi sit Filius Regis vel Principis, vt colligitur ex Clementina Vnica. de Baptismo: ergo potiori iure dicendum est grauiter peccare laicum, qui sibi non subditum in domo priuata, & sine necessitate baptizat: nam est contra ius diuinum. Vnde monendæ sunt obstetrices, ne sine magna necessitate infantes baptizent. Ignorantia tamen inculpata potest eas excusare à peccato, vt hîc Caietanus docet: sicut & Iudæum, qui seipsum baptizauit; de quo habetur in Capitulo *Debitum*. de Baptismo, & eius effectu.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm plures possint simul vnum baptizare?

7 NOtandum est; Hunc Articulum dupliciter posse intelligi. Primò, Vtrùm duo possint simul tanquam ministri partiales vnum baptizare. Secundò; Vtrùm tanquam ministri integri & per se sufficientes?

Non posse duos, vt ministros partiales vnum baptizare, contra Caietanum, verius videtur.

De priore sensu: Caietanus hîc, & Marsilius qu. 4. ar. 8. putant Baptismum esse legitimum, si alter infantem abluat, & alter verba proferat, modò hæc moraliter simul fiãt. Sed longè verius est talem baptismum non valere. Insinuat D. Thom. hoc loco: estque communior sententia Doctorum. Ratio est; Quia supposita institutione Christi, prout nunc est, quacumque forma vtentur, committent mendacium. Si enim is qui formam profert, dicat, *Ego te baptizo*, mentitur; quia ipse non abluit infantem, sed alter. Si dicat, *Nos te Baptizamus*, similiter mentitur; quia significat etiam se abluere infantem, cùm alter solus abluat.

Respondet Caietanus non committi mendacium in forma: Quia *baptizo* hîc significat nõ *abluo aqua*, sed *Sacramentum Baptismi impendo*: sensum enim esse, *Nos te baptizamus*, id est, *Nos tibi Sacramentum Baptismi impendimus*: hoc autem verum esse; nam duo illi conficiunt & conferunt vnum Sacramentum partiale.

Sed Contrà: *Baptizo*, Primò & immediatè significat *Abluo*, & secundariò significat *Baptismi Sacramentum impendo*, scilicet mediante ablutione: vnde semper significatur, quod ille abluit, qui Sacramentum impendit. Confirmatur; quia forma illa non potest conuenienter materiam determinare, eiusque arctare significationem, nisi ab eodem ministro procedat: debent enim procedere ex eadem intentione, cùm ab intentione destinentur ad significandum & efficiendum: vnde etiam nunquam aliter visum est in Ecclesia factum.

Sed instat Caietanus; Si alter vtatur forma Græcorũ, *Baptizetur seruus Christi*, altero abluente, nullum committetur mendacium: ergo sic saltem constabit Baptismus.

Quomodo intelligenda forma Græcorũ.

Respondeo Negando Antecedens; Quia forma Græcorum intelligenda est iuxtà formam Latinorum, hoc sensu: *Baptizetur seruus Christi à Christo per me*; quod etiam perpetuus Ecclesiæ vsus cõfirmat, in qua nunquam nisi ab vno ministro datus est Baptismus. Deinde, etsi possint illa verba ab altero sic deprecatoriè dici; non tamen practicè: quo tamen modo debent accipi. Qui enim nõ abluit, non potest dicere *Baptizetur*, intendendo per suam actionem abluere, quia tunc significaret se abluere. Hinc patet, multò minùs perfici Sacramentum, si forma diuidatur, & alter dicat, *Ego te baptizo*; alter, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*: quia tunc inuocatio Trinitatis non determinabit verbum *Baptizandi*, nec eleuabit ad significationem Sacramentalem.

8 Valet Baptismus, si duo, vt totales ministri simul Baptizent.

De altero sensu: Si duo ministri vnum hominem abluant, vtroque integram formam proferente, legitimus erit Baptismus. Est certum. Vbi tamen aduerte, eum qui prior absoluet, baptizaturum; qui posterior, nihil effecturum, quia tunc subiectum incapax. Quòd si eodem momento absoluant, vterque verè baptizabit, & effectus Baptismi erit integrè à singulis.

Dices; Vnus effectus non potest esse à duabus causis integris eiusdem rationis. Respondent quidam non esse duo Sacramenta Baptismi, sed vnum tantùm, quod etiam insinuat D. Thomas.

Tunc sunt duo Sacramenta.

Sed contrà; Quia hîc sunt duæ formæ, duæ ablutiones, duo ministri, & duæ intentiones, vt rectè Caietanus notat: ergo sunt duo numero Sacramenta. Neque D. Thomas contrarium sentit, sed solùm vult non esse duo effectu & subiecto supposito. Vnde dicendum est, vnum effectum posse esse à duabus causis integris, præsertim quãdo illæ sunt causæ morales. Imò in moralibus id fieri potest. Idem accidit in cõsecratione, quando recens ordinati ex cõsuetudine Ecclesiæ pronuntiant formam consecrationis simul cum Episcopo: tunc enim, si eodem momento finiant, illa transubstantiatio integrè est à pluribus causis.

DVBIVM I.

Vtrùm sit verus Baptismus, si duo sic simul baptizent: Ego te baptizo, si alius te non baptizat?

9 REspondeo; Si sic intellgant, *Ego te baptizo, si alius, quantum in se est, te non baptizat*; sic non est Baptismus, quia se mutuo destruunt. Si autem sensus

sensus sit, *Ego te baptizo, si alius suo baptismo me non præuenit*; sic is baptizat qui alium præuenit, absoluens formam, & applicans materiam ante alterũ.

DVBIVM II.

An sit legitimus baptismus, si vterque vtatur hac forma: Nos te baptizamus?

10 Responsio est cum distinctione,

REspondeo, Si *Nos* accipiatur pro singulari, auctoritatis causâ, erit legitimus baptismus. Si autem accipiatur pro duobus, vt sit idẽ, *Ego & Paulus*; sic rursus dupliciter potest intelligi. Primò, diuisim: & sic efficitur verum Sacramentum ab illo, qui formam prior complet; alter autem nihil efficit. Ratio est, Quia hîc est sufficiens intentio, & forma necessaria, scil. *Ego te baptizo* &c. Quòd autẽ implicitè addatur *etiam Paulum te baptizare*, non vitiat formam; quia nõ comprehenditur tanquam necessarium ad substantiam baptismi. Atqui communis sententia est, quando Minister aliquid extraneum addit formæ, non tamen vt necessariũ, id non vitiare formam: vt si dicas, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. & Beatæ Virginis.*

Secundò, Potest illud *Nos* accipi cõiunctim, vt significet vtrumque partialiter baptizare, & eum dependẽtia alterius ab altero: sicut cùm dicimus, *Nos trahimus nauem*, quam neuter tamen seorsim trahere potest: sic neuter conficit Sacramentum. Ratio est, Quia, vt rectè D. Thomas, neuter seorsim dicere potest, *Ego te baptizo*: sicut neuter trahentium nauem seorsim dicere potest, *Ego trahonauem.* Ad rationem autẽ Sacramentorũ, excepto Matrimonio & Pœnitentia, vnus tantùm requiritur minister. Ratio est, institutio Christi, qui cùm vnus sit, conuenienter Ministrum suum, qui in Sacramentis administrãdis illius vicem gerit, vnum esse voluit, & conferre Sacramentum vt Ministrũ integrum, à nemine quàm à se necessariam dependentiam habentem, iuxtà illud: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*, ad Ephes. 4. Et hoc est quod voluit D. Thomas hoc loco.

In Sacramentis (excipe Matrimonium & Pœnitentiam) non est nisi vnus Minister.

ARTICVLS VII.

Vtrùm requiratur aliquis, qui Baptizatum de fonte leuet?

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm teneatur is ad eius institutionem?

11 Cur Susceptor adhibeatur.

REspondetur Affirmatiuè. Notandũ est Primò, Hanc ceremoniam adhibendi Susceptores, esse sanctam iam inde ab Apostolis; vt testatur Dionysius de Eccles. Hierar. c. 2. par. 2. qui Susceptor per hoc, quod infantem re ipsâ contingit, & excipit, significat se illum in suam curam susscipere. Ratio huius est. Primò, Nam sicut is, qui corporaliter in lucem editus est, eget nutrice & pædagogo, vt foueatur & instruatur: ita qui per baptismũ spiritaliter regeneratus est, eget aliquo spirituali nutritio & pædagogo, cuius ope in vita spiritali foueatur & crescat. Secundò, Vt apud Ecclesiam sit testis susceptæ baptismatis. Tertiò, Vt loco paruuli respondeat, & spondeat eum præstiturum, quæ ipsemet sponsurus esset, si per ætatem posset; vnde *Sponsor* & *Fideiussor* vocatur à Tertulliano lib. de Baptismo.

Quod eius munus.

Hinc patet, quod sit munus Susceptoris: tenetur enim non solùm ex charitate, sed etiã ex officio, baptizatum instruere in ijs quæ ad fidem & mores pertinent, si opus habeat. Quod etiã patet ex Cap. *Vos autem.* de Consecrat. dist. 4. Vnde si aduerteret illum à parentibus vel tutoribus non instrui, teneretur ipse hoc supplere. Postquã verò baptizatus semel instructus fuerit, cessat obligatio Susceptoris; quia nõ ampliùs censetur esse in statu pueritiæ spiritalis, in quo opus habeat pædagogo. Et iuxtà hanc moderationem intellige quæ dicuntur in Capitulo *Vos autem.*

12

Notandum Secundò, Quibusdam esse interdictum ab Ecclesia munere Susceptoris.

Arcentur munere Susceptoris.

Primò, Infidelibus: Patet Can. *In Baptismate*, de Consecrat. d. 4. Si tamen attentarent, non contraherent cognationem spiritualem. Sicut enim, qui non est natus carne, non potest esse cognatus carnalis; ita neque is, qui non est renatus spiritu, potest esse cognatus spiritualis.

Infideles.

Monachi.

Secundò, Monachis & Abbatibus est prohibitum. Patet hoc Can. *Non licet.* 1. de Consecrat. dist. 4. & Can. *Placuit* 2. qu. 1. & alibi. Ratio est, Quia debent vacare silentio & orationi. Si tamen susciperent, cognationem contraherent. Illis tamen Religiosis, qui Monachi non censentur, non est prohibitum; vt Mendicantibus: nam nomen *Monachi* in materia odiosa strictè accipitur.

Non tamen Religiosis.

Parentes.

Tertiò, Parentibus prohibetur, ne suam prolem suscipiant: Can. *Dictum est* 30. q. 1. Aduerte tamẽ, Si legitimo Matrimonio iuncti sint, non nasci impedimentum redditionis debiti: imò valdè probabile est, nec etiam petitionis, quamuis ex malitia id fecissent, vt colligitur ex Cap. *Si vir vel mulier.* de Cognatione spirituali, & Cap. *De Deo* 3. qu. 1. Etsi plerique Doctores contrariũ sentiant. Exempli gratia, Si pater susceperit, vel baptizasset suum filium, etiam extra casum necessitatis, non solùm vxori petenti debitum potest reddere, sed etiam petere. Ita Cardinalis in dictum Cap. *Si vir vel mulier*; & multi alij Doctores antiquiores. Vnde per hæc Capitula derogatum est iuri antiquo, scilicet Canoni *Peruenit*, & Can. *Prædictum* 30. qu. 1. vbi iubentur separari, etiamsi per ignorantiam factum esset. Aduerte tamen, Inter non coniunctos Matrimonio legitimo nasci impedimentum dirimens vsque ad secundum gradum inclusiuè, vt patet ex Concilio Trident. addita explicatione Pij V. de qua suo loco.

Possunt hi reddere & petere debitum.

Quot possint admitti Susceptores.

Quartò prohibetur, ne plures siue vir siue mulier, aut ad summum vnus & vna baptizatum suscipiant. Ita Concilium Trident. sess. 24. cap. 2. Ratio est, Quia disciplinæ & institutionis ordo multitudine præceptorũ perturbari solet; & quia non expedit cognationem spiritalem inter tam multos cõtrahi. Hinc fit, vt duo viri non possint simul susscipere eumdem, nec duæ feminæ. Quòd si plures suscipiant, vel tangant, quàm duo, id est, vnus & vna, & simul concurrant, nec Parochus aliquos peculiariter designauerit, probabile est quod nullus ex illis contrahet cognationem spiritalem: id enim videtur posse colligi ex verbis Concilij. De quo plura infrà.

QVÆSTIO LXVIII.

De Suscipientibus Baptismum.

In Duodecim Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm omnes teneantur ad susceptionem Baptismi?

E Est de Fide.

REspondetur Affirmatiuè, Omnes diuino præcepto teneri ad baptismi susceptionẽ. Admittunt hæretici. Probatur: Matt. 28. Dominus iubet omnes baptizari: ergo omnes obligat ad baptismum. Patet Consequentia, Quia illis verbis datur Apostolis potestas & iurisdictio adducendi omnes gentes ad baptismũ. Atqui hęc iurisdictio inutilis fuisset, nisi habuisset annexum præceptum, quo gentes tenentur obedire, & baptismum suscipere: Genesis 17. vers. 14. *Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.* Ex quo loco omnes colligunt Iudæos habuisse diuinum mandatũ, vt circumciderentur. Atqui simili prorsus modo dictum est Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit* &c. omitto alia loca. Ratio est, Quia omnes arctissimo præcepto tenentur recipere legem Christi, cuius professio, initiatio, & velut ianua, est baptismus. Prætereà omnes tenentur eniti, vt mortem æternam euadant, & salutem consequantur. Atqui baptismus ad hoc est necessarius; nam per hunc incorporamur Christo, à quo omnis salus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm sine Baptismo possit aliquis saluari?

2 Baptismus in re, vel in voto est necessarius necessitate medij.

REspondeo & Dico Primò, Sine Baptismo in re vel in voto susceptο, non potest quisquã salutem assequi. Est fide tenendum. Probatur, Concil. Trident. sess. 6. can. 4. *Si quis*, inquit, *dixerit Sacramenta nouæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis, aut eorum voto hominẽ iustificari, anathema sit.* Et sess. 6. c. 4 agens de translatione à statu peccati ad statum gratiæ, addit, *Quæ quidem translatio post Euangelium promulgatũ sine lauacro regenerationis aut eius voto fieri nequit.* Idem definitũ ab Innocentio III. Cap. *Apostolicam*. de Presbytero non baptizato. Et Cap. *Debitum*. de Baptismo & eius effectu. Hinc sequitur, baptismum hoc modo esse omnino necessarium necessitate medij. Per *Votum baptismi*, intelligimus desideriũ efficax, quo quis proponit illum suscipere conuenienti tempore.

Adultus potest saluari per contritionem, vel amorẽ Dei includentem votum baptismi.

Dico Secundò, Adultus tamẽ, sine baptismo re ipsâ susceptο, iustificari & saluari potest per verã contritionem, vel amorem Dei super omnia, includentem votum baptismi. Colligitur apertè ex Conc. Trid. suprà, ita vt de eo nõ possit dubitari.

Probatur Primò, Ex Scripturis. Actorum 10. Cornelius iustus traditur ante Baptismũ. Et Petrus ibi complures baptizat, qui iam Spiritum S. acceperant. Ex quo loco manifestum est, ante realem susceptionem Sacramenti, etiam extra casum necessitatis, posse hominem iustificari. Ezech. 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.* Similia multa habet cap. 3.

Probatur Secundò, Ex Patribus. Ambrosius Oratione funebri in obitu Valentiniani Iunioris: *Audio*, inquit, *vos dolere, quòd non acceperit Sacramentum baptismatis: atqui hoc etiam in votis habuit: non ergo habuit gratiam quam desiderauit, non habuit, quam poposcit? Imò quia poposcit, accepit.* D. Augustinus lib. 4. de Baptismo cap. 22. ex professo docet fidem & conuersionem cordis sufficere, quando temporis angustia baptismum excludit. Idem etiam ex professo docet epist. 77. ad Hugonem. Ratio est, Quia vera contritio est vltima dispositio ad iustificationem, connaturalis iustificationi in eo, qui peccati mortiferi sibi est conscius; & amor Dei super omnia est vltima dispositio in eo, qui peccati mortiferi non est conscius: Nam est perfecta voluntatis ad Deum conuersio: ergo in quocumque ea fuerit, hoc ipso momento infallibiliter sequitur iustificatio. Patet Consequentia, Quia lex connaturalis gratię non est minùs firma quàm lex naturæ: atqui in rebus naturalibus positâ vltimâ dispositione statim sequitur forma: ergo &c.

Contritio, vel amor Dei, est vltima dispositio ad iustificationem.

Votum baptismi debet esse, vel expressum.

Dices: Ergo non requiritur votum baptismi. Respondeo Negando Consequentiam: Quia ex quo Dominus baptismum præcepit tanquam medium necessarium, necesse est vt aliquo modo percipiatur, vel reipsa; vel si id fieri nequeat, saltem voto; alioquin non est vera & sincera cõuersio: verùm hoc votum vel virtute in ipsa contritione & amore continetur, vel inde manat. Vnde etiam patet non semper requiri votum expressum; sed interdum posse sufficere implicitum votum: vt si Catechumenus, iam Christi fidem edoctus, cum vera animi conuersione moriatur antequam instrui possit de baptismo, sine dubio saluus erit, & tamen nullum habuit desiderium baptismi explicitum, quem ignorauit, sed solùm implicitum, quatenus generatim desiderauit adhibere omnia salutis remedia à Christo præscripta, vel eius mãdata seruare. Sic cap. 10. Actorum Familia Cornelij videtur iustificata ante expressum votũ baptismi: nam Petrus adhuc nihil dixerat de baptismo, quando Spiritus sanctus cecidit super eos. Denique, Si quis iam instructus, statim esset moriturus, nec vllam opportunitatem baptismi esset habiturus, is non teneretur habere votum explicitum baptismi; quia non posset habere desideriũ absolutum, sed solùm conditionatũ & inefficax; ad quod nemo obligatur: quia quando constat rem esse impossibilem, est inutile ad suum finem. Sed plura de hoc in Tractatu de Pœnitentia.

Vel implicitum.

ARTI-

ARTICVLVS III.

Vtrùm Baptismus sit differendus?

3 Exempla adultorum qui baptismum distulerunt.

CIrca hunc Articulũ maximè dubitari potest de adultis, an possint differre baptismũ, vbi satis instructi fuerint. Videtur enim posse: Primò, Quia D. Martinus octo annos legitur fuisse catechumenus. S. Ambrosius valdè diu fuit catechumenus vsque ad Episcopatum, etsi rei Christianæ esset peritissimus: nam ex catechumeno electus est ad Episcopatum. Constantinus Imperator in fine vitæ Nicomediæ baptizatus est, teste Eusebio lib. 4. Vitæ eius sub finem, & Theodoreto lib. 1. c. 32. Theodosius Imperator Thessalonicæ vbi in morbum inciderat, baptizatus est, cùm multò anteà fidẽ esset amplexus. Idem de Chosroe Persarum Rege narrat Euagrius lib. 4. histor. c. 27. Valentinianus Iunior diu anteà Christo nomen dederat, & tamen Baptismum vsque ad mortem distulit, qua præuentus, non poterat baptizari: vt patet ex Oratione funebri D. Ambrosij.

4 Quando teneatur adultus baptizari.

Respondeo, Adultus, cùm in fide satis instructus fuerit, tenetur baptismum ab Ecclesia postulare, & prima opportunitate, cùm Prælato visum fuerit, accipere. Probatur Primò, Quia quando præceptum est affirmatiuum, tempus obligationis colligendũ est ex cõditione & natura operis præcepti: atqui baptismus natura sua est religionis exordium: ergo natura sua postulat, vt ab initio, quamprimum homini licuerit, suscipiatur. Patet consequentia, Quia homo non potest manere sine religione: neque sufficit interna religio; quia etiã corpore constat, & per corpus Deũ vera religione colere debet. Probatur Secundò, Quia sicut proposità sufficienter fide tenetur homo statim interiùs credere, & religionem Christianã amplecti; alioqui censetur contemnere diuinam veritatem: ita etiam tenetur eandẽ exteriùs amplecti & profiteri, quamprimùm cõmodè fieri potest; alioqui censetur religionis contemptor. Confirmatur, Quia Christus voluit suos fideles non solùm in vna fide, sed etiã in vnius externę religionis professione, & eorumdem externorum Sacramentorum communione conuenire (per hæc enim constituitur Ecclesia;) quorum omnium introitus & ianua est baptismus: ergo &c. Probatur Tertiò, Quia baptismus non solùm peccata præterita delet, sed etiam opem præbet contra futura, & aliorum Sacramentorũ & auxiliorum facit capaces; quibus sine grauissima causa se ad longum tempus fraudare, est contra charitatem sui, & obligationẽ qua homo tenetur suam salutem quærere.

Dilatio baptismi fuit semper illicita.

Hinc colligitur, Prauam fuisse consuetudinem eorum, qui olim baptismum deferebant donec mors instaret, vt interea licentiùs possent viuere, & tandẽ omnibus culpis & pœnis simul expedirentur: contra quos agit Nazianzenus Oratione in sancta Luminaria. Basilius exhortatione ad baptismum. Chrysostomus hom. 4. ad Baptizandos, & hom. 1. in Acta.

5 Falsum est Constantinum in fine vitę baptizatũ esse.

Ad Argumentum; Respondeo, Viros illos sanctos vel sine graui causa non distulisse, vel certè in ea dilatione peccasse, quamuis fortè nõ ita grauiter ob ignorantiam tantæ obligationis: hoc tamẽ peccatum etiam per baptismum deleri poterat, quantumcumque esset. De Constantino, Falsum est ipsum sub finem vitę Nicomedię baptizatum: constat enim illum initio cõuersionis baptizatum Romę à Siluestro. Patet hoc ex Concil. Romano quod habitum fuit sub ipso Siluestro cap. 1. & ex Damaso in vita Siluestri: ex Adriano I. in epist. ad Constantinum & Irenem, quæ approbatur in VII. Synodo Act. 2. ex Nicolao Papa in epist. ad Michaẽlem Imperatorem paulò antè mediũ, vbi Siluestrum Constantini Magni Baptizatorem appellat. Denique ex Nicephoro lib. 7. histor. c. 35. vbi refutat sententiam contrariam, eamque confictam ait à Græcis Arianis, scilicet Eusebio Cæsarienſi, vt sic obliquè persuaderent Constantinum Arianũ fuisse: nam Eusebius iste Nicomediensis, à quo tunc baptizatũ dicunt, tunc Princeps Arianorum erat. Et probat Nicephorus, quia multò antè Constantinus Concilio Nicæno interfuerat, & cum reliquis Patribus mysteriorum nostræ religionis particeps fuerat, quæ catechumeni non possunt percipere. Hinc patet Caietanum qu. 69. art. 8. immeritò hanc historiam in dubium reuocare. Sed est

DVBIVM.

Vtrùm Ecclesia possit constituere tempus, vltra quod Baptismus non possit differri, sicut potest determinare tempus Communioni?

6

REspondeo & Dico Primò, Nõ potest Ecclesia suo præcepto directè obligare adultos catechumenos, vt hoc vel illo tempore baptismũ suscipiãt, sicut directè obligat fideles ad certo tẽpore percipiendam Eucharistiam. Probatur, Ante baptismum non sunt subditi Ecclesię: ergo Ecclesia nõ habet in illos ius præcipiendi. Confirmatur, Quia alioqui posset eos punire si nõ parerent, cùm potestas præceptiua nunquam sit sine potestate coërcitiua. Atqui hoc est contra illud 1. Cor. 5. v. 12. *Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt iudicare?* Et contra Concil. Trid. sess. 14. c. 2. *Ecclesia*, inquit, *in neminem iudicium exercet, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus.*

Ecclesia nõ directè, sed indirectè potest Catechumenos obligare ad susceptionem baptismi.

Dico Secundò, Potest tamen Ecclesia eos indirectè obligare, quatenus potest constituere certa tẽpora solemnis baptismi, quibus tẽporibus hi qui satis instructi sunt, iure diuino tenentur baptizari. Ratio est, Quia iure diuino tenentur eum primo quoque tempore quando cõmodè possunt impetrare. Atqui hoc est illud tempus, quod Ecclesia constituit: ergo indirectè Ecclesia illos obligat. Aduerte tamen, iudicio Prælati posse differri baptismũ; vt rectè notauit D. Thom. non quòd tunc Prælatus dispenset in hac obligatione; sed quia interpretatur subesse iustam rationem differendi.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm peccatores sint baptizandi?

7

REspondetur, Peccatores, qui nolunt pœnitere de peccatis suis, non sunt baptizandi: nam frustrà baptizarentur, & prętereà nouã culpã tum baptizans, tũ baptizatus cõtraheret ob sacrilegiũ.

Notandum est; Hoc esse contra quosdam hæreticos, qui tempore Augustini docebant omnes ad baptismum admittendos, etsi finem peccandi nollent facere: sat enim esse, si fidei doctrina præcederet; posteà tamen esse instruendos quàm pernitiosum sit in peccatis persistere. Ratio illorum erat;

Argata S. Augustini responsio ad hæreticos volētes baptizari peccatores, etsi impœnitentes,

erat; Quia populus Israël priùs mare Rubrum transijt & postea legem accepit, quę præcepta morum cõtinet. Contra quos scripsit D. Augustinus lib. de Fide & operibus: vbi huic argumento respondet, quòd populus Israël priùs ab Ægyptijs recesserit, quàm in mari Rubro sit baptizatus; quo significaretur, priùs recedendum à peccato, quàm baptismum suscipiendum.

ARTICVLVS V.

Vtrũ peccatoribus baptizatis sint imponenda opera satisfactoria?

8 REspondetur, Nullam pœnitentiã baptizatis imponendam, quantumuis multa peccata fecerint; cùm per baptismum non solùm omnis culpa, sed etiam omnis reatus & pœna remittatur. Ratio est, Quia per baptismũ datur nobis perfecta passionis & mortis Christi cõmunicatio, perinde ac si ipsi pro peccatis nostris mortem sustinuissemus (vnde per baptismũ dicimur commori Christo & sepeliri.) Sicut per conceptionem naturalẽ ex Adamo cõmunicatur nobis transgressio Adami, perinde ac si nostra voluntate facta esset, licet non in æquali gradu. Quare oportebat, non solùm omnem culpam, sed etiam omnem pœnæ reatum per hanc mortis Christi communicationẽ deleri. Patet cõsequentia: Quia alioqui non fuisset perfecta hæc communicatio, nam non fuissemus perfectè mortui morte peccati. Idem quoque cõsentaneum erat Christi benignitati; vt videlicet, qui ipsi primò inferrẽtur, iugum eius suaue perciperent dum etiã ab omnibus pœnis liberantur.

Baptismus est perfecta cõmunicatio mortis Christi.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm peccatores ad baptismũ accedentes teneantur peccata sua confiteri?

9 REspondetur, Non teneri confiteri externa confessione apud Sacerdotem; sed sufficere interiorem confessionem, qua generatim recogitatis suis peccatis, dolorem concipiant. Ratio est, Quia Baptismus est ianua Sacramentorum. Vnde nec Confessio, nec aliud Sacramentum vim habet in non baptizato. Dices, Tertullianus lib. de Baptismo sub finẽ, requirit cõfessionem peccatorum ante baptismum. Similiter Nazianzenus Oratione in S. Baptisma. Respondeo, Nõ loquuntur de Cõfessione sacramẽtali, quę fit vt pœnitens à peccato absoluatur; sed de manifestatione peccatorum, vt commoda illis remedia adhibeantur: hæc tamen consuetudo nõ erat vniuersalis, neque necessaria.

Quomodo quidam Patres velint baptizandos debere confiteri.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm ex parte baptizati requiratur intentio suscipiendi baptismi?

10 GLossa in Can. *Solet.* de Consecrat. dist. 4. insinuat nihil interesse, quam intentionẽ habeat suscipiens, modò minister intendat cõferre Sacramentum. Et in Cap. *Maiores.* de Baptismo & eius effectu, putat baptismũ perfici, etiamsi animo dissentiat, modò exteriùs fateatur se consentire. Verùm hæc sententia ab omnibus vt erronea reijcitur: certissimũ enim est, non perfici Sacramentum

Glossa.

in eo, qui habet positiuum dissensum. Et patet ex illo Capitulo *Maiores*, vbi Innocentius III. id probat; quia alioqui homo inuitus cogeretur ad religionem Christianam. Quare Glossæ illæ vel intelligendæ sunt de foro externo; nempe quod in foro externo censerentur baptizati, & cogerentur seruare religionem Christianam, si exteriùs consensissent; vel sunt omnino reijciendæ.

In positiuè dissentiẽte baptismus perfici valide non potest.

Vnde his omissis: Sententia Caietani est, Nõ requiri positiuam voluntatem; sed sufficere, vt non habeat voluntatem baptismo renitentẽ: vt si merè negatiuè se habeat, neque positiuè velit, nec; nolit. Probatur Primò, Quia in infantibus non requiritur positiua voluntas. Secundò, Quia Innocẽtius III. Cap. *Maiores.* sic ait, *Tunc Characterem sacramentalem imprimit operatio, cùm obicẽ voluntatis contrariæ non inuenit obsistentem:* atqui is, qui nullum prorsus habet actum, non habet voluntatem obsistentem: ergo. Tertiò, Baptizari est quędam passio; id autẽ quod patitur non necessariò exercet aliquem actũ vt patiatur: ergo. Verùm contraria sententia est communis, & tenenda: pro qua,

Neque in habente se merè negatiuè, vt tamen vult Caietanus.

11 Dico Primò, In suscipiente necessarius est aliquis positiuus consensus seu intentio, siue ea sit actualis, siue virtualis, siue habitualis. Vbi nota, In ministro requiri intentionẽ actualem, vel virtualem; vt suprà dictum est: habitualis autem in ipso non sufficit, quia non influit in opus. Sufficit tamen habitualis intentio in suscipiente: vt si quis aliquando actu voluerit baptizari, & nunquã propositum suum reuocauit, si postea dormiens vel amens baptizetur, erit verus baptismus.

Sed requiritur consensus positiuus.

Sufficit Habitualis.

Probatur Primò, Ex Cap. *Maiores*, vbi definit Innocentius III. dormientes & amentes baptismũ posse suscipere, si antea propositũ suscipiendi habuerint. Vbi aduerte, Innocentium de his solùm dicere id, quod Caietanus pro se citat, nempe *Baptismum imprimere Characterem quando non inuenit voluntatem resistentem:* loquitur enim de illis, qui antea propositum suscipiendi habuerant.

Innoc. III.

Probatur Secundò, Ex Conc. Carthaginẽsi III. c. 34. vbi dicitur, *Ægrotos esse baptizandos, si tamen suæ voluntatis præcedentis habuerint testimonium.* Idẽ docet D. August. lib. 4. de Baptismo c. 22.

Concil. Carthagin.

Probatur Tertiò, Ratione. Prima est, Quia sicuti nemo adultus potest iustificari, nisi positiuè consentiat; ita par est, vt nemo possit Sacramentorum esse particeps, per quę Christi merita ad iustificationẽ applicantur, nisi volens. Et confirmatur; Quia si donationes humanæ & rerum humanarũ sunt irritæ, nisi acceptentur; multò magis donatio & applicatio diuinorum Sacramentorũ & Christi meritorum irrita erit, nisi acceptetur. Quæ ratio probat de omni Sacramẽto: vt si quis Eucharistiã percipiat, nesciens esse Eucharistiam, nihil fructus percipiet, nec erit sacramentalis perceptio. Secunda est, Quia alioqui sequeretur cogendum esse ad fidem & religionem Christianam eum, qui nunquam ad eam præstitit consensum: quod est cõtra Ecclesię praxim, & communẽ Doctorum sententiam. Id enim est contra dignitatem Fidei & Religionis, quæ suo splendore suisque præmijs voluntates hominum debet allicere. Id autem ad quod quis compellitur, vile & abiectum censetur, & magis exosum redditur.

Dupler Ratio.

Ex his patet responsio ad primum argumentum Caietani: In infantibus enim non requiritur consensus, quia nondum sunt capaces: secùs est de adultis; in

Respondetur argumentis Caietani.

ultis, in quibus tamẽ sufficit consensus præteritus, quia non est dispositio physica, sed moralis. Consensus autem præteritus censetur moraliter remanere, si nõ est reuocatus; sicut peccatum præteritũ remanet, donec per pœnitentiam sit retractatum.

Cur in infantibus minùs quã in adultis necessarius consensus ad baptismum.

Dices, Peccatũ originis contrahitur sine consensu: ergo etiam sine consensu potest remitti. Respondeo, Remittitur sine consensu, si homo nondũ sit capax consensus, quando baptismus adhibetur: sicut contrahitur, quando non est capax consensus; aliàs requiritur consensus. Ratio est, Tũ quia adulti baptizantur nõ solùm propter peccatum originis, sed etiã propter actualia, quæ per cõsensum contrahuntur: Tum quia per baptismum transferimur ad statum supernaturalem, cuius dignitas postulat, vt voluntariè suscipiatur. Ad secundum ex Innocentio, iam ante responsum est. Ad tertium: Sæpè fit, vt id quod patitur, debeat tunc vel anteà aliquam actionem habuisse, per quam se disponat ad illam passionẽ excipiendam: vt patet in iustificatione & glorificatione.

12 Intentio merè conditionata non sufficit ad baptismum.

Dico Secundò, Intentio, seu voluntas merè cõditionata, etiamsi sit positiua, non sufficit. Ratio est, Quia cum hoc consistit absoluta voluntas renitens baptismo.

Dico Tertiò, Sufficit tamen voluntas absoluta suscipiendi, quãuis illi simul coniungatur conditionata non suscipiendi. Probatur ex Cap. *Maiores* iam dicto, vbi Innocentius id docet; & ad hoc citat Conc. Toletanũ, quod refertur dist. 45. Cap. *De Iudæis*: qui Iudæi consenserant baptizari propter timorem Zizebuti Regis, & tamen coguntur religionem Christianam seruare. Ratio est, Quia voluntas metu extorta est absoluta & efficax voluntas; nã positis hisce circũstantijs absolutè vult.

Dices Primò, Metus cadens in constantem virũ irritat matrimonium: ergo etiam baptismũ: ergo si quis metu compulsus hunc suscipiat, non obligatur ad Christianam religionem. Respondeo Negando vtramque consequentiam; Quia Matrimonium non tantum est Sacramentum, sed etiam cõtractus ciuilis dispositioni iuris humani subiectus; vnde potuit irritari, vel etiam iure naturæ esse irritus, quia contra naturam contractus est, cùm per iniuriam sit extortus: baptismus autem, solùm est Sacramentum, nullo modo humanæ potestati subiectum: vnde non potuit ob metum irritum reddi, si aliàs absoluta voluntas illius suscipiendi adfuit: vnde qui sic baptizatus est, poterit postea ad religionem Christianam colendã cogi, eò quòd verum Christi & Ecclesiæ Sacramentum voluntariè susceperit; ratione cuius Ecclesia, & maximè Christus in illum ius acquisiuit.

Cur Baptismus metu susceptus valeat, non autem Matrimonium.

Dices Secundò, Nemo acquirit ius per iniuriã, ergo si Prælatus cogat Ethnicum ad baptismum, non acquiret ius in illum. Respondeo; Non acquiret ius per actum iniuriosum, sed per voluntariam susceptionem baptismi, qua ille Ethnicus hîc & nunc voluntariè baptizatur; & cõsequenter se obligat ad cultum Christianæ religionis, & subijcit Ecclesiæ; & cùm baptismus non possit irritari, nõ potest etiam obligatio inde secuta tolli; præsertim cùm baptismus, & tota hæc obligatio ab ipso suscipi debuerit etiam sponte; & per eam obligetur potiùs erga Christum, cuius Sacramentũ susceperit, quàm erga hominem qui coëgit. Atqui Christus nullam iniuriam intulit, ac proinde non est ratio cur nõ debeat cogi vt Christi religionem seruet.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm requiratur Fides ex parte baptizati?

13 Respondetur, Fidem requiri, vt Sacramentũ conferat gratiam adulto, non tamen vt substantia Sacramenti constet, aut vt Character imprimatur.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm Infantes sint baptizandi?

14 Anabaptistæ.

ANabaptistæ, quorũ Dux Baltazar Pacimontanus Viennę igni exustus, ex principijs Lutheri docent infantes non esse capaces baptismi; quia nimirum nõ possunt credere. Et idcircò omnes ad suam sectam venientes rebaptizant, tanquam adhuc infideles: & ob eandem causam Catholicos vocant infideles. Eundem errorem tempore D. Bernardi tenuit quidam Petrus de Bruys Narbonensis, à quo dicti *Petro-Brusiani*, cõtra quẽ scripsit Petrus Abbas Cluniacensis. Et quidam Henricus, à quo *Henriciani*, contra quem scripsit D. Bernardus epist. 240. Pro veritate

Petro-brusiani. Henriciani.

Dico Primò, Fide tenendum est infantes licitè & salubriter baptizari. Probatur Primò ex Scripturis, quamuis non omnino possit ex illis solis conuinci: est enim vnum eorum, quę per traditionem habentur. In veteri testamento Circumcisio, quæ erat figura Baptismi, dabatur infantibus, Genes. 17. Cur in nouo nõ detur illis Baptismus, quę est *Circumcisio cordis*? Ad Colloss. 2. v. 11. quo argumento vtitur Innocentius III. Cap. *Maiores*. In nouo Testamento, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* &c. quibus verbis insinuatur infantes non posse ingredi in regnũ cælorum, si sine Baptismo decedant. Matt. 19. Marci 10. & Lucę 18. adferebant ad Dominũ paruulos, vt eis benediceret, & cùm Discipuli vellẽt eos prohibere, respõdit Dominus, *Talium esse regnum cælorum*: vbi non tantùm loquitur Dominus de ijs, qui ratione vtebantur & poterant credere, sed etiam de infantibus: id enim nomen Græcum βρέφη, *infantes*, apud Lucam v. 15. significat, vbi dicitur προσέφερον αὐτῷ τὰ βρέφη: *Afferebant ad illum infantes*: ergo paruuli sunt capaces Christi benedictionis & vitæ æternæ.

Est de fide, infantes licitè & salubriter baptizari.

Scriptura.

Probatur Secundò, Ex Cõcilijs. Conc. Mileuitanũ can. 2. *Placuit, vt quicumque paruulos recentes ab veteris matrũ baptizandos neget, anathema sit.* Cõcilium Gerundense can. 5. docet posse eodem die quo nascuntur baptizari. Idẽ habet Conc. Viennense, vt patet Clementina vnica de Summa Trinitate & fide Catholica. Et Concilium Trident. sess. 7. de Baptismo can. 12. 13. 14.

Concilia.

Probatur Tertiò, Ex consensu omniũ Patrum, qui etiam docent esse traditionem Apostolicam. Dionys. Areopagita c. 7. Eccles. Hierar. par. 3. sub finem, dicit ita Apostolos tradidisse. Origenes in illa verba c. 6. epist. ad Romanos, *Qui mortuus est, iustificatus est à peccato; Ecclesia*, inquit, *ab Apostolis traditionem accepit, paruulos esse baptizandos.* Idem expressè habet Aug. lib. 4. contra Donatistas de Baptismo c. 24. & ex hoc fundamẽto probat infantes habere peccatum originale. Similiter D. Hieronymus Dialogo 3. contra Pelagianos. Et D. Prosper lib. 2. De vocatione gentium c. 23.

Patres.

15 Ratio.

Probatur Quartò, Ratione. Prima est, Infantes tenentur obstricti peccato Adami: ergo oportebat, vt essent etiam capaces remedij: quod remedium est baptismus. Patet Consequentia, Quia alioqui potentius videretur peccatum Adę, quàm gratia Christi. Vbi aduerte, Sicut Patres ex eo, quòd Ecclesia iudicat infantes baptizandos, colligunt habere peccatum originale; ita vicissim ex eo, quòd habent peccatum originis, certò probamus esse baptizandos; hæc enim duo connexa sunt, & se vicissim illustrãt. Secunda est, Christus non solùm est Saluator adultorum, sed etiam infantum. 1. Timoth. 2: ergo consentaneum erat, vt illis commune remediũ præscriberet. Tertia est, Sacramenta vim habent ex institutione diuina, non autem ex actu suscipientis: ergo suscipiens, etiamsi nõdum sit capax rationis, potest vi Sacramenti iustificari; neque enim ratio illa, cur in adultis requiratur consensus, in infantibus locum habet, vt patet ex suprà dictis num. 11.

Connexa sunt, habere peccatũ originale, & baptizari debere; & contra,

16 Fundamentum Anabaptistarũ,

Sed Obijciunt Anabaptistæ. Primò, Matth. 28. v. 19. *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. Marci 16. v. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit:* Hìc Dominus requirit antè baptismum doctrinam & fidem, cuius non sunt infantes capaces: ergo nec baptismi. Hoc argumento coacti sunt Lutherani admittere infantes actu credere: ad quod confirmandum adferunt exemplũ Ioannis Baptistæ, qui *Exultauit in vtero* & credidit. Sed, vt rectè D. August. epistola 57. ad Dardanum ait, *Iniuriam facit humanis sensibus, qui putat infantes scire quid circa ipsos agatur in baptismo, aut præbere assensum sanctificationi, cùm experientia constet ipsos reluctari, flere* &c.

Refellitur.

Respondendum ergo, Illum ordinem propriè pertinere ad adultos, vt docet Innocentius III. Capitulo *Maiores.* de Baptismo: hi enim, vt inquit Hieronymus, Primò docendi sunt ea, quæ ad fidem pertinent: Secundò baptizandi sunt: Tertiò monendi, & instruendi non sufficere fidẽ & baptismum; sed vlteriùs requiri præceptorum obseruationem. Hic tamen ordo non est semper seruandus, sed quando fieri potest. Vnde cùm infantes non sint capaces institutionis, non seruatur in illis: sed primò baptizantur; deinde cùm adoleuerint, instruuntur in fide. Simili modo fiebat in Circumcisione.

Obijcit Secundò, Gregorius Nazianzenus, Oratione in sanctum Lauacrum, optat differri baptismum, donec infantes possint aliquid de fide sua respondere. Similiter Tertullianus lib. 1. de Baptismo sub finem, in quam sententiam propendet Erasmus Præfatione in Matthę. & Ludouicus Viues in c. 27. lib. 1. de Ciuit. Dei.

Nazianzeni opinio nõ fauet Anabaptistis.

Respondeo, Nazianzenus optat tantum differri ad triennium, vt pueri possint aliquo modo respondere; excipit tamen periculum mortis. Sentit ergo illos semper posse baptizari; &, si differatur, solùm differendum esse ad triennium; qua tamen ætate nec possunt credere, nec pœnitere. Vnde hæc sententia non iuuat Anabaptistas: Nazianzeno enim videbatur esse conueniens, vt ipsimet possent respondere, quamuis nondum intelligerent res fidei. Verùm hoc Nazianzeni consilium parum habet vtilitatis, & plenum est periculi: nam varijs casibus possunt infantes mori: vnde nunquam placuit Ecclesiæ, & reijcitur à Concilio Tridentino sess. 7. can. 13. Tertullianus verò vult expectari ætatem idoneam fidei: Sed errat in hoc; sicut & in eo, quod subiungit, *Innuptos non minore de causa procrastinandos, donec aut nubant, aut continentiæ roborentur*; quod nec Anabaptistæ seruant. Argumenta eius sunt nullius momenti.

Tertulliani error.

17 Infantes baptizati, in adultis ætate congrui ad fidem seruandam.

Dico Secundò, Quicumque in infantia sunt baptizati, posteà ætate adulta cogendi sunt, vt Christianam religionem seruent. Est contra Erasmum, qui censet eos esse interrogandos cùm adoleuerint, an velint fidem susceptam retinere; quod si nolint, relinquẽdos suo arbitrio. Quod expressè damnat Concilium Tridentinum sess. 7. can. 14. de Baptismo.

Et Confirmatur Primò, Ex consuetudine totius Ecclesiæ, quę nunquam talem libertatem reliquit. Vide Canonem qui incipit, *De Iudæis.* dist. 45. & Capitulum *Maiores.* de Baptismo & eius effectu. Confirmatur Secundò, Quia in lege Moysis Circumcisi tenebantur seruare totam legem. Ethnici etiam in falsis religionibus, veluti ratione dictante, id seruarunt, vt constat ex Platone lib. 10. De legibus. Lege quoque Ciuili pueri tenentur stare contractibus factis per tutores, quando sunt illis vtiles. Denique vt rectè notauit Albertus dist. 6. per baptismum non obligatur infans, nisi ad legem, quam suscipere tenebatur: vnde debet censeri ratus baptismus, & obligatio firma: præsertim cùm contrarium cederet in magnam iniuriam Sacramenti, & religionis Christianæ, & in perniciem animarum.

DVBIVM I.

Vtrùm baptismus reipsa susceptus sit Infantibus omnino necessarius ad salutem?

18 Tres sententiæ.

1. Caluini.

2. Caietan.

Omissis Pelagianis, qui existimabant paruulos absque Baptismo morientes non peruenire ad regnum cælorum, licet aliam quandam vitam æternam extra cælum ijs largirentur: Sunt tres sententiæ. Prima est Caluini, infantes fideliũ sine Baptismo saluari, eò quòd peccatum originale ipsis non imputetur. Secunda est Caietani art. 2. & 11. huius quæstionis, qui existimat infantes, si aliquo casu baptizari nequeant, & mors immineat, posse saluari per fidem parentum aliquo externo signo religioso applicatam, v. g. benedictione, aut infantis oblatione cum inuocatione Trinitatis; & hoc remedium in eo casu vult esse ordinarium, id est, Deum ordinariè assistere. Quidam alij admittunt hoc remedium, tanquam piũ; sed non esse ordinarium; piè tamen sperari Deum extraordinario modo suppleturum effectum Sacramenti. Ita Ioannes Gerson in tom. 3. Concione de Natiuit. beatæ Virginis. Ad quam sententiam accedunt illi Doctores, qui dicunt Deum supplere defectum Sacramenti, quando citra culpam suscipientis, aliquid essentiale deest. Vide Siluestrum Verbo *Baptismus.* 1. num. 5. Tertia est Catholica, Baptismum reipsâ susceptum esse medium absolutè infantibus necessarium ad salutem: Ita vt etiam in extrema necessitate non habeant vllum aliud remedium ordinarium: Nec etiam credibile sit, Deum extraordinario modo Sacramenti effectum suppleturum, si fortè aliquid eius substantiæ desit. Prior pars est fide certa. Secunda pars est fidei proxima. Tertia pars ita certa, vt

Gerson.

19 3. Vera & Catholica.

Ex Scripturis.

ta, vt contrarium sit improbabile. Probatur Prima pars, & obiter reliquæ. Primò, ex Scripturis Ioannis 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Hîc significatur, Baptismum esse medium necessarium ad salutem: sicut, si quis diceret, Nisi pharmacum sumpseris, non potes conualescere. Non enim hîc tam significatur præceptum, quàm medium necessarium. Quod patet, Tum ex ratione quam Dominus subijcit v. 6. *Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex Spiritu, spiritus est. Ideo dixi, oportet vos nasci denuò:* quasi dicat, per natiuitatem carnis solùm habetis, quòd sitis caro; vnde necessariò debetis renasci ex aqua & Spiritu, vt fiatis spiritus, id est, spirituales. Tum ex figura æneæ Serpentis, & Arcæ Noë: quorum ille, vnicum erat remedium contra morsum serpentum; hæc, contra interitum per aquas diluuij; Ioannis 3. & 1. Petri 3. Sic enim Baptismus est vnicum remedium contra mortem æternam. Vide. D. Augustinum lib. 1. de Peccatorum meritis & remiss. cap. 30. vbi hunc locum excutit.

Caietani & aliorum solutio reijcitur.

Respondet Caietanus, verba illa *Nisi quis renatus* &c. intelligenda esse conditionatè, *Si fuerit possibile*. Sed contrà: Hæc conditio additur sine vllo fundamento & auctoritate: ac ex dictis suprà art. 2. de necessitate medij manet refutata.

Infantes voto parentum non possunt saluari.

Alij dicunt, infantem renasci ex aqua & Spiritu sancto per votum parentum; sicut adultus renascitur voto proprio, quamuis exteriùs non percipiat Baptismum. Et confirmatur, Quia infantes dicuntur credere fide parentum. Sed contrà: Votum alterius nihil potest infanti prodesse, cùm ne proprium quidem votum alicui prosit, nisi sit coniunctum cum vera conuersione mentis, quæ conuersio non potest esse in paruulo. Ideò enim votum in adultis supplet vicem Baptismi, quia coniunctum est cum propria dispositione ad iustificationem. Dispositio autem quæ in altero est, infanti nihil prodest. Ad Confirmationem: dicuntur credere fide parentum, quia per illam offeruntur ad Baptismum, & re ipsa consequuntur, & consequenter fidem; sicque fiunt fideles. Nec obstat, quòd dici solet, voluntatem parentis reputari voluntatem paruuli: hoc enim solùm verum est in ijs, quæ parens iure suo facit, quę posteà filius non potest rescindere: quod, si crudè accipiatur, est falsum: sic enim prauà voluntas patris noceret infanti; vt si offerret infantem Idolo: & Baptismus, contra voluntatem parentis datus, esset irritus: denique infans etiam extra necessitatis articulum posset solo desiderio parentis saluari.

In quibus voluntas parentum censeatur voluntas filij.

Ex Concilijs & Traditione.

Probatur Secundò hæc veritas ex Concilijs & Traditione Ecclesiastica. Ecclesia enim semper existimauit infantes sine Baptismo decedentes perire: vnde nec preces pro illis offert, nec sepulturam concedit. Patet, tùm ex vsu Ecclesiæ, tùm ex Concilio Carthaginensi & Mileuitano apud D. Augustinum epist. 90. & 92. vbi ex professo damnatur sententia eorum, qui putant paruulos sine Baptismo saluari posse. Concilium Trident. sess. 5. can. 4. docet translationem ex statu, in quo nascimur filij Adami, in statum gratiæ, non posse fieri post Euangelium promulgatum, nisi lauacro regenerationis aut eius voto: vnde cùm votum non habeat locum in paruulis, apertè sequitur nõ posse saluari sine reali Baptismo.

Probatur Tertiò, Ex testimonijs Pontificum. Siricius Papa epist. 1. cap. 2. & Innocentius I. epist. 26. ad Cõcilium Mileuitanum expressè docent *Paruulos certò perire, si sine baptismo moriantur.* Idem docet Gregorius Papa lib. 7. epist. 53. & Innocentius III. Capitulo *Non vt apponeres*, de Baptismo & eius effectu: vbi respondet, puerum qui propter aquę penuriam saliua fuerat aspersus, non esse Christianum, *Quia*, inquit, *requiritur aqua, iuxtà illud: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & S. S.*

Ex responsis Pontificum.

Probatur Quartò. Ex Patribus. D. Augustinus epist. 28. ad Hieronymum, *Quisquis dixerit, quòd in Christo viuificabuntur etiam paruuli, qui sine Sacramento & eius participatione de vita exeunt, hic totam condemnat Ecclesiam; vbi propterea cum baptizandis paruulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo omnino viuificari non posse.* Et lib. 3. de Anima & eius origine cap. 9. dicit, Non esse Catholicum, qui putat infantes sine baptismo posse originalis culpæ indulgentiam consequi. Omitto reliquos Patres.

Probatur Quintò, Ratione. Prima est contra Caluinum: Paruuli nascuntur in peccato originali, vt nunc suppono: ergo nõ possunt saluari sine remedio peccati originalis; quod est baptismus.

20 Ex ratione contra Caluinum.

Respondet Caluinus, contrahere quidem peccatum originale, sed non imputari, eò quòd sint filij fidelium, quibus facta est promissio, Genesis 17. *Ero Deus tuus & seminis tui.*

Sed contrà, Quia hoc implicat contradictionẽ, *Contrahere peccatum*, & *illud non imputari*. Nam in quo est peccatum, is necessariò à Deo reputatur peccator. Sicut enim Deus necessariò odit peccatum, ita & peccatorem: *Odio enim sunt Deo, impius & impietas eius.* Sapient. 14. vers. 9. Si dicas; Per hanc non imputationem peccatum tolli: Infero: Ergo nunquam habuerunt peccatum originale, contra Scripturam, & ipsum Caluinum. Patet consequentia; nam in primo instanti cõceptionis sunt filij fidelium, ac proinde in primo instanti remittitur; quare non contrahunt illud.

Catholica sententia vrgetur contra Caietanum ex auctoritate Ecclesiæ.

Secunda Ratio est contra Caietanum. Si in extrema necessitate paruulorum, quando Baptismus adhiberi nequit, esset aliquod remedium ordinarium, id Ecclesiam hactenus non latuisset: nam quæ sunt necessaria ad salutem, non ignorat. At constat Ecclesiam nunquam tale remedium agnouisse: nam expressè docent Concilia & Patres sine Baptismo infantes non posse saluari. Eadem ratione probatur non esse credibile, Deũ interdum extraordinario modo supplere effectum Sacramenti: quomodo enim id Patres latuisset? Item cur Ecclesia non orat, aut docet fideles orare Deum, vt saluet infantes sine Baptismo morientes, nisi quia nulla spes est salutis? Sicut enim non orat, vt saluet illum, qui moritur sine pœnitentia; ita nec orat, vt saluet infantem sine Baptismo; quia nulla salutis est spes vel probabilitas: vnde talis actio non pia, sed potiùs superstitiosa censenda est. Et confirmatur; quia si rogandus sit Deus, vt aliquid faciat contra legem ordinariam, potiùs rogandus est vt extraordinario modo curet adhiberi Baptismum, quàm vt effectum Baptismi inuisibiliter suppleat, Baptismo non existente. Accedit; quòd Deus nunquam facit miracula, nisi aliquo saltem externo signo possit hominibus innotescere; ac proinde non sanctificat interiùs contra legem ordinariã, nisi eo modo qui possit exteriùs innotescere.

Tertia Ratio est; Si infans posset saluari illa Caietani benedictione, sequeretur esse plura Sacramenta quàm septem; nam illa externa benedictio esset verè Sacramentum.

21 Obiectio Caluini soluitur.

Sed Obijcitur ex Calujno. 1.ad Corint. 7. Apostolus ait, *Filios*, qui nascuntur ex coniugio infidelis & fidelis, *esse sanctos*: ergo possunt saluari sine baptismo.

Quomodo filij infidelis cum fideli sint sancti apud Apostolũ.

Respondeo, Horum coniugum filios dicit *sanctos*, quia quando consentit infidelis habitare cũ fideli, sine iniuria Christi permittit etiã suas proles Deo consecrari, per baptismum sanctificari, & Christianè educari. Hortatur enim ibi Apostolus coniuges fideles, vt ne discedant à coniugibus infidelibus, si ipsi sine iniuria Christi velint cum fidelibus permanere. Rationem adfert, *Quia* inquit *sanctificatur coniux infidelis per fidelem*, id est, conuertitur ad fidẽ, vel certè sensim disponitur ad eam: vnde sequitur, vt filij quoque *sancti* sint; id est, vt fiant Christiani per baptismum, & Christianè instituantur. Quòd si fidelis discederet ab infideli, *nec infidelis sanctificaretur per fidelem*, nec filij *sancti* essent, sed immundi; nam sequerentur patrem infidelem. Ita exponit Tertullianus lib. 2. ad Vxorem; cuius expositionem approbat Hieronymus epist. 153. ad Paulinum. Augustinus lib. 2. de Peccatorum meritis cap. 26. & lib 3. cap. 12.

22 Obiectio Caietani soluitur.

Secundò Obijcitur ex Caietano: Alienum videtur à diuina pietate, vt tot infantes sine remedio relinquantur, cùm infiniti tum in vtero, tum in laboribus partus, antequam baptismus adhiberi possit, moriantur.

An Deus reliquerit infantes sine sufficienti remedio.

Respondeo ex D. Augustino lib. de Bono perseuerantiæ cap. 12. & Prospero lib. 2. de Vocatione gentium cap. 23. Dei iudicia esse occulta, cur tot paruulos sinat perire: nihilominùs tamen esse iustissima, cùm posset omnes propter peccatum originale relinquere sine remedio. Adde: Deum nõ reliquisse infantes sine sufficienti remedio ex parte sua; sic vt etiam in ipsis locum habeat illud Apostoli 1.ad Timoth. 2. v. 4. *Qui vult omnes homines saluos fieri*; vt docet Prosper loco citato. Instituit enim Baptismum pro omnibus, nemine excepto. Quòd autem his vel illis, ob aliquas causas extrinsecas, non possit humano more baptismus applicari, non est Deo imputandum; non enim ipse sic ordinat, & disponit illas causas vt baptismus non applicetur; sed permittit res agi suis motibus: in qua permissione & suauis prouidentiæ moderatio, quæ vim rebus non infert, & iudicium in pœnã peccati originalis cernitur: de quo plura in 1. parte. Cur autem hunc infantem ita faciat concipi & nasci, sicuti videt iuxta communem prouidentiæ cursum fore, vt ei applicetur baptismus; alium non ita; inscrutabile est Dei iudiciũ. Similiter cur aliorum natiuitatem communis prouidentiæ ordini relinquat, aliorum verò singulari quadã prouidentia dirigat, inscrutabile est.

Iudicia Dei, qui tã multos infantes sinit perire, iusta; sed inscrutabilia.

DVBIVM II.

Quando parentes teneantur suos liberos Baptizare?

23 Quot titulis obligẽtur parentes liberos suos baptizare in periculo mortis.

REspondeo & Dico Primò, Tenentur in periculo mortis illorum. Idque partim lege Charitatis, seu Misericordiæ. Partim ex officio paterno quo tenentur rectè instituere, & saluti necessaria curare. Partim lege Baptismi; quia non solùm sibi baptismum, sed etiam filijs curare debent: Sicut olim lege circumcisionis tenebantur paruulos circumcidere. Et ratio est, quia iure naturæ infans non censetur habere aliam voluntatẽ quàm paternam, ac proinde per illam obligatur ad baptismum, maximè quando illi ad salutem est necessarius.

Extra periculum, non iure diuino, sed Apostolica traditione infantes baptizãdi.

Dico Secundò, Extra periculum iure diuino pater non videtur teneri baptizare paruulum in infantia; sed posset differre vsque ad ætatem adultam. Ratio est, Quia ius diuinum non determinauit vllum tempus pro infantibus: & ex natura rei non est obligatio ad tempus infantiæ extra periculum mortis; quia in infantia non potest Christianas actiones obire. Vnde etiam Ecclesia non videtur iure diuino obligari, vt infantes baptizet extra periculum. Est tamen traditio Apostolica admodum salutaris omnes parentes obligans.

ARTICVLVS X.

Vtrùm infantes Iudæorũ, vel aliorum Infidelium, inuitis parentibus sint baptizandi?

24 Putat Scotus id fieri posse.

QVidam existimant id posse fieri auctoritate Principum, modò suppetat aliqua ratio illos posteà religiosè educandi: & illi infideles saltem iure politico sint Christiano Principi subiecti. Ita Scotus dist. 4. qu. 9. vbi etiam dicit bonum fore, si omnes Infideles cogantur ad fidem. Idem sentit Gabriel eadem dist. qu. 2. ar. 3. dubio 5. & Eckius homil. 2. de Baptismo. Sed contrarium est tenendum: pro quo,

Verius negatur.

Dico Primò, Non licet baptizare infantes Infidelium inuitis eorum parentibus, quorum potestati subsunt, si illi non sint mancipia Christianorum. Nisi fortè infantes sint in extrema necessitate, & sine vi & scandalo id fieri posset. Est ferè communis D. Thomę hoc loco, & Caiet. Durandi dist. 4. qu. 6. & hoc tempore est communis.

Prior pars Probatur Primò: Quia si inuitis parentibus baptizentur, vel reddendi sunt parentibus, & sic est apertum periculum profanationis baptismi, nam instituentur in infidelitate, & sacrilegis ritibus polluentur: vel nõ sunt reddendi; & sic fiet apertè iniuria parentibus, ad quos iure naturæ pertinet corũ educatio. Quod patet, Quia hoc est spoliare eos patria potestate, & re sua: nam infantes, quamdiu sunt sub cura parentum, sunt veluti res & bona ipsorum; ac proinde non magis possunt auferri, quàm aliæ res, quæ ipsorum dominio subsunt. Hoc est præcipuum fundamentum huius sententiæ. Nam cui baptismus potest dari, in eo etiam potest & debet defendi à praua institutione & violatione per impios ritus: sed hoc fieri nequit, nisi infans patri eripiatur, & non restituatur; quod est contra iustitiam. Confirmatur, Quia non potest eripi in pœnam, vel ad innocentis defensionem, vel ob alium titulum qui hîc interueniat; vt patebit ex solutione argumentorum.

Probatur Secundò, Quia idcircò Christianorum filij possunt inuitis parentibus baptizari, quia Ecclesia ius habet in parentes: ergo cùm non habeat ius in Infideles, non potest illis inuitis corũ infantes

infantes baptizare. Confirmatur, quia quod Ecclesia hactenus nunquã tentauit, imò vetuit fieri, credile est eam ad id ius non habere: atqui hactenus non tentauit, & vetuit fieri: ergo.

25 Nisi infans sit in periculo mortis.

Altera pars Probatur: Quia quando infanti imminet periculum mortis, non est metuendum, ne baptismus per prauam institutionem temeretur; neque est necesse parenti prolem adimere, sed satis est baptismum conferre: quod leui negotio fieri potest absque parentis iniuria. Nec refert, quòd parens id fortè iniquè ferat: quia nihil contra ius eius agitur. Cauendum tamen, vt absque scandalo id fiat, & etiam ne vis inferatur parenti.

Caue scandalum.

Dices, Iste infans est in extrema necessitate spirituali: ergo possum illi succurrere etiam vi illata parenti.

Respondeo Negando Consequentiam: Quia parens posset se tueri; nõ enim ratione ostendi potest infantem esse in periculo damnationis; & sic daretur bellũ vtrimque iustum, quod seposita ignorantia iuris cuiusque fieri nequit.

Si Tutores sint inuiti.

Aduerte, quod de parentibus dictum est, idem sentiendum de tutoribus, qui succedunt in locum parentum, & eamdem potestatem habent circa prolis gubernationem; nisi fortassis Princeps ob aliquas causas politicas posset eos mutare.

26

Sed contrà. Obijcitur Primò, Si parens nolit suam prolem baptizari, abutitur patria potestate & iure naturali: ergo potest ea priuari: hæc enim est iusta pœna, vt quo quis abutitur, eo priuetur: vel certè poterit cogi, vt rectè vtatur.

Soluuntur obiectiones.

Respondeo Negando Consequentiam, Quia nõ abutitur contra debitum iustitiæ politicæ ordinem, sed contra legem Fidei, Religionis & Pietatis supernaturalis: vnde ob talem abusum non potest priuari iure naturali, quod habet. Sicut nec cogi potest, vt ipse credat, aut baptizetur, aut aliquid aliud propriũ religionis Christianæ admittat. Confirmatur; Quia nec per potestatẽ Ecclesiasticam, cui non subest; nec per politicam cogi potest, cùm potestas politica non se extendat, nisi ad ea, quæ ratio nobis dictat ad finẽ politicũ conuenire; hæc enim potestas immediatè est ab hominibus per dictamen rationis naturalis: Infantẽ autem esse baptizandum, est supra rationẽ; ergo &c.

Obijcitur Secundò, Parens facit paruulo grauem iniuriam, præsertim si in periculo mortis nolit permittere eius baptismum: ergo tunc poterit vi compelli, vt permittat.

Respondeo Negando Consequentiam; Quia illa iniuria non est contra legem naturæ; nec contra finem politicum; ac proinde non potest prohiberi aut vindicari per Principem: nam intra limites legum politicarum non censetur iniuria.

Obijcitur Tertiò, Si pater vellet prolem suam corporaliter occidere, posset vi eripi: ergo multò magis si spiritaliter, nolens illam baptizari.

Respondeo non sequi. Patet in simili: Si enim te velles occidere, posses vi impediri: non tamen si velles peccare, v.g. inebriari; quod tamẽ est occidere se spiritaliter. Ratio est; Quia Deus fecit nos dominos vitæ spiritalis, ita vt sola voluntate possit conseruari vel profundi; non autem vitę corporalis. Vnde cùm infantes secundùm vitam spiritualem sint sub parentum dominio, quorum voluntate placuit Deo illis prospicere, nõ possunt parentibus eripi vt donentur vita spirituali. Aliã solutionem vide apud D. Thomam ad 1.

Deus fecit hominem dominum vitæ suæ spiritualis, non item corporalis.

Obijcitur Quartò, Si parens institueret suos pueros latrocinio, veneficio, vel similibus malis artibus, posset vi cogi vt abstineat, & filij eripi: ergo similiter, si nolit baptizari.

Respondeo Negando Consequentiam: Quia possunt cogi infideles ad ius naturæ, Vt v. g. ne immolent idolis, si Christiano Principi subsint; nõ tamen ad ius supernaturale.

Obijcitur Quintò, Magis oportet Deo obedire, quàm hominibus: atqui Deus iubet omnes baptizari: ergo etiamsi homo repugnet, non est curandum. Confirmatur Primò, Quando enim sunt duo subordinati domini, & contraria præcipiunt, tenemur potiùs obedire superiori, quàm inferiori. Confirmatur Secundò, Quia infantes magis sunt Dei, quàm parentum: ergo potiùs Deo sunt restituendi per baptismum, quàm parentum arbitrio relinquendi.

Respondeo; Non solùm Deus iubet omnes baptizari, sed etiam vt nemini iniuria inferatur: quando autem parentes repugnant, iniuriam eis facimus, si infantes ab illis vi abstrahimus. Ad primam Confirmationem: Non sunt hic duo subordinati domini contraria iubentes; sed vnus dominus, qui, mandat omnes baptizari, saluo tamen iure naturali, nempe vt nullum cogamus, nulli vim inferamus. Omnia enim præcepta supernaturalia sic à Deo sunt lata, vt non nisi salua naturæ lege velit ea seruari. Gratia enim naturam supponit & perficit, non destruit.

Præcepta supernaturalia, solùm seruanda salua naturæ lege.

Dico Secundò, Si alter parentum consentiat, potest infans etiam altero inuito baptizari. Probatur, quia Capitulo *Ex literis.* de Conuersione coniugatorum, statuitur, vt, si pater fidem amplectatur vxore manente infideli, filij baptizentur: & 28. qu. 1. Can. *Iudæi.* ex Concilio Toletano IV. statuitur, vt etiam inuito patre Iudæo filij baptizentur, si mater Christiana fuerit. Ratio est; Quia cùm vterque parens ferè equale ius habeat in filium, & non possit vtrique concedi, donandus est in fauorem fidei & prolis, parenti fideli.

27 Si alter parentum cõsentiat, baptizatur infantem.

His adde: Si patre mortuo in infidelitate, auus conuerteretur, vel anteà esset conuersus, posset voluntate aui proles baptizari, quamuis mater in infidelitate persisteret. Ratio est: Quia mortuo patre, auus tanquam pater curam nepotũ habet, & iure ciuili patriam accipit potestatem. Ita ante annos viginti iussu Gregorij XIII. Romæ fuit iudicatum & factum.

Item si auus consentiat inuita matre.

Dico Tertiò, Si isti infideles sint mancipia Christianorum, possunt eorum infantes ipsis inuitis baptizari. Ita Durandus dist. 4. qu. 6. Sotus in hunc locum, & multi alij. Et colligitur ex 1. Machabæorum cap. 2: vbi Mathathias, cùm occidisset missos ab Antiocho, curauit circumcidi omnes pueros, quos inuenerunt in finibus Israël, inter quos haud dubiè erant multi filij infidelium, quos iure belli sibi subiecerat. Et quamuis horum parentes fortè non essent mancipia Iudæorum, ipsi tamen paruuli erant mancipia, vnde poterant baptizari. Ratio est, quia dominus habet ius circumcidi sua mancipia, & separandi à suis prolibus, etiam hac intentione vt proles baptizet, quamuis Caietanus & Sotus id negent. Nam mancipia sunt res & bona domini, sicut iumenta; ac proinde quouis honesto fine possunt distrahi: ergo poterit tunc statuere de prolibus prout ei placuerit.

28 Item si parentes sint mancipia Christianorum.

Domini potestas maior, quã parentis.

placuerit. Confirmatur, Quia patria potestas non minùs est in domino, quàm in parente: nam dominium includit absolutum ius gubernãdi seruũ, non minus quàm includat potestas patria, sed potiùs maius, cùm pro arbitrio possit eum vendere, quod non potest parens: ergo potest circa illum, quidquid potest parens & amplius.

Si infantẽ nequeas ab inuito parente separare, ne baptizes.

Hîc tamen Aduerte Primò, Si nolis, aut nequeas paruulum à parente separare, ob quod pænè certum sit ipsum in infidelitate educandum, aut cæremonijs impijs contaminandum, non potes ipsum baptizare, excepto necessitatis casu. Ratio est, Quia id esset contra sanctitatem Sacramenti, & dignitatem religionis Christianæ; & esset periculum apostasiæ. Vnde Doctores iubent priùs separari, quàm baptizetur. Idem dicendum videtur de filijs hæreticorum: nempe non esse baptizandos, si non suppetat ratio cauendi, ne à parente peruertantur. Quamuis hoc in praxi nõ seruetur, fortasse quia spes est illos à Catholicis rectè esse instituendos, & quia maiora incommoda timentur.

Quid facies de Plagio sublatis.

Aduerte Secundò, Eos qui furtim aut plagio ablati sunt ex terris infidelium, si possint restitui suis parentibus, sunt illis omnino restituendi absque baptismo. Quòd si non possint restitui, debent baptizari, & Christianè educari: nam tunc Princeps seu Respublica succedit in ius paternum.

29 Puer attingens vsum rationis, potest baptizari inuitis parentibus.

Dico Quartò, Cũ puer attingit vsũ rationis, sic vt videatur posse peccare, potest baptizari, si velit, etiam inuitis parentibus. Ratio est, quia in ijs, quę pertinent ad ius naturale & diuinũ, non est subiectus parentibus: & simulatque vtitur ratione, incumbit ei cura suæ salutis.

DVBIVM.

Vtrùm cẽsendus sit verus baptismus, qui infantibus infidelium confertur inuitis eorum parentibus?

30 Durandus aliíque negant.

DVrandus dist. 4. qu. 7. Paludanus eadem dist. & Catherinus Opusculo de paruulis Iudæorum recipiendis, existimant huiusmodi baptismum esse irritum. Ratio est; Quia baptismus requirit voluntatem baptizati: at paruulorum nulla est voluntas, nisi parentum, qui renituntur: ergo &c.

Sed contraria sententia est ferè communis Doctorum, scilicet esse verum baptismum.

Probatur Primò, Quia sicut nec requiritur fides parentum ad veritatem baptismi, ita nec voluntas.

Verius affirmatur.

Probatur Secundò, Quia vt Durandus, & alij fatentur, in filijs apostatarum est ratum Baptisma, etiam inuitis parentibus: similiter in filijs mancipiorum. At si voluntas parentum requireretur ad substantiam baptismi, in omni euentu esset necessaria.

Probatur Tertiò, Si infans inuito parente afficeretur morte propter Christum, esset verus martyr, quamuis in adulto voluntas requiratur: ergo. Vide D. August. epist. 23. & Bernardum epist. 77.

Probatur Quartò, Peccatũ Originale fine omni consensu contrahitur: ergo & sine consensu expiari potest. Ratio est, Quia tales infantes, etsi, vt iure censeantur baptizati, non habeant aliam voluntatem quàm parentum; tamen vt absolutè sint baptizati, non requiritur vlla externa voluntas: quia baptismus agit per modum causæ naturalis, cui sufficit non inuenire obicem in subiecto cui applicatur, licet in applicatione interueniat iniuria.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm in Maternis vteris possint baptizari?

REspondetur, Non posse; quia non possunt aqua attingi.

31 Negatur: nisi possint aspergi in. strumento in vtero.

Addo tamẽ, si infans in vtero positus possit aliquo instrumento per obstetricem aspergi, censeretur verè baptizatus, vt notât Frãciscus Victoria qu. 32. Dices; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*, hîc Dominus insinuat puerum debere primò nasci: quia, vt D. Augustinus ait epist. 57. *Nemo renascitur, nisi iam natus.* Respondeo; Non requiritur absolutè, vt anteà sit natus per egressionem ex vtero, sed sufficit vt sit natus per egressionem ex nihilo in rerum naturam. Et confirmatur, quia si puer exscinderetur, nõ diceretur nasci; tamen deberet omnino baptizari.

Quomodo debeat esse natus, qui per baptis. mum renascitur.

32 An infans vtero exscindendus.

Notandum hîc Primò, Matrem non esse scindendam, vt infans possit baptizari, nisi sit mortua, vel ob sua crimina à iudice ad hoc condemnetur: quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona. Vnde leges ciuiles iubent supplicium matris differri vsque ad partum; vt patet Lege *Prægnantem.* Digestis de pœnis.

Duobus modis potest infans in vtero saluari.

Notandum Secundò, Remedium, quod hîc ponit Caietanus, esse vanum; de quo suprà diximus art. 9. dub. 1. Duo dumtaxat sunt modi, quibus infans in vtero possit saluari. Primus, Si afficiatur martyrio; ad quod non sufficit matrem occidi propter Christum, sed requiritur, vt etiam infantem in odium Christi occidere velint, quod fiet, si animaduertant illam esse prægnantem. Secundus, Si diuino miraculo in vtero sanctificetur, vt Ioannes Baptista. Nunquam tamen existimandum est, id fieri sine notis externis, quibus id possit deprehendi.

ARTICVLS XII.

Vtrùm furiosi & amentes debeant baptizari?

33 VIde D. Thomam. Solùm notandum est in ijs, qui à natiuitate amentes fuerunt, non esse sanam mentem expectandam, sed statim possunt baptizari. Ratio est; Quia sunt instar infantum. Secùs est, si vsûs rationis interuallum habuerint: tunc enim non possunt baptizari in amentia, nisi anteà eius voluntatem ostenderint.

QVÆ-

QVÆSTIO LXIX.

De Effectibus Baptismi.

In Decem Articulos diuisa.

ARTICVLVS I. II. III.

Vtrùm per Baptismum tollatur omnis culpa & pœna?

1 Hæretici.

QVidam hęretici senserunt per baptismũ peccata non tolli, sed solùm *radi, tegi, seu non imputari*, sic tamen vt reipsa maneant. Ita quidam Proclus Origenista apud Epiphanium hęresi 64. & postèa Messaliani teste Theodoreto lib. 4. fabularum hæreticarum sub finem. Idem docent Lutherani & Caluinistæ.

ART. I.

Baptismus tollit omnia peccata.

1 Ex Scripturis.

Dico Primò, Per baptismum omnia peccata ita tolluntur, vt nullum omnino remaneat, quod verè & propriè sit peccatum.

Probatur Primò, Ex Scripturis. ad Rom. 6. v. 3. *Quicumque baptizati sumus in Christo* IESV, *in morte ipsius baptizati sumus*, id est, in similitudinem mortis Christi: quæ similitudo in hoc consistit, quia sicut in Christo per mortem extincta est vita corporalis, ita in nobis per baptismũ, qui est imitamen passionis & mortis Christi, extincta est vita peccati; id est, ipsum peccatum, & vis nocendi.

Est imitatio mortis & resurrectionis Christi.

Vbi Aduerte, Baptismum esse imitationem Mortis, & Resurrectionis Christi: Mortis quidẽ; quia sicut in Christi morte, duo sunt, alterum externum, scilicet profusio sanguinis ex tormentis: alterum internum, scilicet extinctio vitæ corporalis: ita in baptismo, externum est perfusio aquę, vel immersio in illam; internum est extinctio vitæ peccati. Similiter Resurrectionis est imitatio, in qua externum est emersio è sepulchro, internũ vita immortalis. Ita in baptismo est emersio ex aqua, & vita spiritalis. Sicuti ergo in Christo vita corporalis penitus extincta est, & omnino noua & immortalis collata; ita per baptismum penitus extinguitur peccatum, & confertur vita noua & spiritalis.

2 Verè delet & extinguit omne peccatum.

Hinc patet Primò, Baptismum non solùm directè institutum, vt deleat peccatum originale, sed omne id quod peccati rationem habet siue magni siue parui, & vt conferat vitam cælestem.

Patet Secundò, Peccatum reuerà *deleri* & *extingui*, non autem tantummodò *radi*, aut *non imputari*, sic vt reipsà maneat: quod commentum non solũ apertissimis Scripturis repugnat, quæ passim docent *peccata, iniquitates, maculas & inquinamenta peccatorum deleri, tolli, ablui, mundari*; sed etiam contradictionem inuoluit. Non enim potest peccatũ esse, & non imputari: nam Deus necessariò omnẽ peccatorem reputat inimicum. Psalmo 5. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem*: & Sapientiæ 14. *Odio est Deo impius, & impietas eius*. Idem probari potest ex cap. 2. Epistolæ ad Colossenses versu 11. 12. 13.

Confirmatur ex Figuris baptismi.

Idem confirmatur ex Figuris Baptismi. In Diluuio omnes peccatores sunt deleti: sic in baptismo omnia peccata. 1. Petri 3. In mari Rubro omnes Ægyptij, qui Iudæis à tergo erant, sunt submersi: sic in baptismo omnia peccata, quæ sunt præterita à tergo: 1. ad Corinth. 10. de quo typo vide D. Augustinũ concione 1. in Psalmum 113. & Gregorium lib. 9. Epist. 39. vnde Micheæ 7. *Proijciam in profundum maris omnia peccata vestra*. In Iordane lepra Naaman penitus curatur, 4. Reg. 5. Probatica piscina omnes curabat morbos. Ioannis 5. in quem locum vide Chrysostomum.

2. Ex Concilijs.

Probatur Secundò, Ex Concilijs. Concil. Carthaginense IV. cap. 1. *Quærendum*, inquit, *ab eo* (scilicet ab Episcopo consecrando) *si in baptismo omnia peccata, id est, tam illud originale contractum, quàm illa quæ voluntariè admissa sunt, dimittantur*. Concilium Florent. *Huius Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis & actualis, omnis quoque pœnæ quæ pro culpa debetur*. Concilium Tridentinũ sess. 5. can. 5. sub anathemate definit *Per baptismum tolli reipsa omne id, quod in homine rationem peccati habet, & non tantùm radi, aut non imputari*. Vide sequentia verba.

3. Ex Patribus.

Probatur Tertiò, Ex Patribus; qui omnes idẽ docent. D. Augustin. in Enchirid. cap. 52. *Sicut in Christo vera mors facta est, ita in nobis vera remissio peccatorum: sicut in ipso vera resurrectio, ita in nobis vera iustificatio*. Chrysostomus homil. ad baptizandos. *Etsi mollis, etsi fornicator, etsi totius malitiæ nodis adstrictus, cùm ad natatoria venerit, purior solis radijs eluatur*. Ratio est, quam hìc attulit D. Thomas; scilicet, quia baptismus est imitatio mortis & resurrectionis Domini: ergo sicut per mortem extinguitur tota vita corporalis, ita per baptismum totum peccatum.

Concupiscentia improprie dicitur peccatum.

Argumenta hæreticorum solùm probare nituntur, *Concupiscentiam* esse proprie peccatum, quæ cùm maneat in baptizatis, censent nõ omne peccatum tolli. Sed in hoc perperam laborant, vt alibi ostendendum. Nam *Concupiscentia* dicitur interdum *peccatum* in Scripturis, vt ad Rom. 6. 7. 8. non propriè, sed per Metonymiam; idque triplici de causa. Primò, Quia ex peccato est orta. Secundò, Quia inclinat ad peccatum. Tertiò, Quia est obiectum peccati, seu obiectiuè malum; si enim consentias, peccatum committitur. Vide Concilium Trident. sess. 5. can. 5. vbi duas priores causas adfert. Et D. Augustinum de Nupt. & Concupis. lib. 1 cap. 23. & 26.

3 ART. II.

Tollit etiã omnem reatum pœnæ.

Dico Secundò, Per baptismum tollitur non solùm omnis culpa, seu macula peccati, sed etiam omnis reatus, id est, obligatio pœnæ. Definitur in Capitulo *Maiores*. de Baptismo & eius effectu. Et in Concilio Florent. suprà. Et in Tridentino suprà. ait enim Concilium baptizatos esse *Innocentes, immaculatos, puros, innoxios, Deoque dilectos, ita vt nihil prorsus eos ab ingressu celorum remoretur, si moriantur*. Idem constat ex antiquissima Ecclesię consuetudine, quę baptizatis pœnitentiam iniungere non solet. Vnde Ambrosius in illud cap. 11. ad Rom.

ad Roman. v. 29. *Sine pœnitentia enim sunt bona & vocatio Dei*, ait; *Gratia Dei in baptismate non quærit gemitum aut planctum, aut opus aliquod, nisi solam ex corde professionem.*

Differentia inter Baptismum & reliqua Sacramenta quo ad remissionem omnis pœnæ.

Vbi Aduerte, non aliam dispositionem requiri ad totius pœnæ remissionem, quàm quæ præcisè necessaria est ad remissionem culpæ: quod secùs se habet in alijs omnibus Sacramentis, vbi maior dispositio necessaria est ad remissionem totius pœnæ, quàm totius culpæ. Idem docet D. Augustinus lib. 2. de Peccatorum meritis & remissione, cap. 28. qui ob hanc causam ait, *statim ad cælũ migrare eum, qui accepto baptismo moritur.* Ratio est eadem quæ suprà num. 1. Per baptismum enim perfectè incorporamur Christo passo & morienti; & ita nobis communicatur ad remedium eius passio, ac si ipsimet passi & mortui essemus; atqui Christi passio est sufficientissima satisfactio pro peccatis nostris: ergo non est opus alia satisfactione. Consentaneum enim erat, vt efficacia passionis Christi in aliquo Sacramento plenè communicaretur: ad hoc autem aptissimus erat baptismus: Tùm quia est primum, quo Christo inserimur, eiusque benignitatem & suaue iugum experiri incipimus: Tum quia est mortis Christi imitatio.

Non tollit pœnam homini debitam.

Aduerte tamen; hæc intelligenda de pœna, quæ peccato debetur apud Deum, non apud homines; vt notat D. Tho. ar. 2. ad 3. quando enim peccatum est contra leges Principum, duplex reatus incurritur; apud Deum scilicet & apud Rempublicam; ille tollitur baptismo; hic nõ, idque ob multa incommoda, quæ inde possent sequi.

4 ART. III.

Non tollit pœnalitates vitæ præsentis.

Dico Tertiò, Per baptismum non tolluntur statim pœnalitates vitæ præsentis, sed id fiet in vita futura. Vbi nota ex peccato posse duplicem nasci pœnam. Primò, Directè, qualis est pœna damni & sensus, quę per iustitiam diuinam forinsecùs infligitur; & hęc tota condonatur. Secundò, Indirectè, quatenus per peccatum tollitur donum quod impediebat defectus, qui alioquin ex nuda natura orirentur, quo dono sublato, reipsà oriuntur & vocantur pœnalitates: hæ non tolluntur baptismo in hac vita, sed in futura. Quod sic intellige, quia baptismus confert gratiam, quæ est semen gloriæ, per quam in resurrectione tolletur omnis defectus à nobis.

Adde; Quòd gratiæ iuxta primam institutionẽ debeatur immunitas ab omnibus istis pœnalitatibus. Vnde nisi ob iustas causas censuisset Deus eas in hac vita relinquendas, baptismus statim sustulisset illas. Sunt autem istæ, *Concupiscentia, ignorantia, & corporis patibilitas.* Vnde D. Augustinus lib. 4. contra Iulianum cap. 2. *In carne*, inquit, *sanctorum, non extinguitur ista concupiscentia, vt peior hostis superbia caueatur.* Et Concilium Trident. sess. 5. can. 5. dicit *Relictam esse ad agonem.*

ARTICVLVS IV. & VI.

Vtrùm per Baptismum cõferantur tam adultis, quàm infantibus Gratia & Virtutes?

5 Confert gratiam & virtutes.

REspondetur; per baptismum conferri tam infantibus, quàm adultis gratiam internam & virtutes: nempe Fidem, Spem, Charitatem, & quæ has necessariò comitantur.

Notandum est, Ecclesiam semper tenuisse, tam paruulos quàm adultos per baptismum sanctificari, iustificari, & Deo gratos fieri. An autem hoc fiat per aliquas qualitates seu habitus virtutum infusos, non semper ita certum fuit in Ecclesia; vt patet ex Cap. *Maiores.* & ex Concilio Viennensi, vbi definitur hæc sententia D. Thomæ, tanquam probabilior. *Nos*, inquit, *generalem attendentes efficaciam mortis Christi, quæ per baptismum applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quæ dicit tam paruulis, quàm adultis conferri in baptismo informantem gratiam & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis sanctorum, & Doctorum Modernorum magis consonam, sacro approbante Concilio duximus esse eligendam.* quam sententiam tenent pœnè omnes Doctores Scholastici. Nunc autem videtur esse de fide, vel certè fidei proxima: Nam Concilium Trident. sess. 6. cap. 7. & can. 11. eam apertè docet: ait enim, *Iustificationem non esse solam peccatorum remissionem, sed & renouationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum.* Et infrà, affirmat *iustitiam nos verè in nobis recipere, eamque vna cum Fide, Spe, & Charitate infundi.* Et can. 11. *Gratiam & Charitatẽ in cordibus nostris diffundi & inhærere.* Quæ loca non possunt intelligi, nisi de donis habitualibus. Actus enim nõ infunduntur, neque permanent in nobis, neque dantur secundùm cuiusque dispositionem: cùm tamen Concilium dicat *Iustitiam infundi secundum cuiusque dispositionem:* hæc enim omnia sunt habituum.

Concil. Viennense censet id probabilius.

Tridenti. num definit.

Idem apertè colligitur ex Scripturis, in quibus *Peccata, labes, maculæ, inquinamenta peccatorum, & prauitas mentis* dicuntur *tolli, deleri, ablui.* At hoc non potest fieri, nisi per veras virtutes, & cælestia dona; sine quibus etiam non potest intelligi *Renouatio mentis, regeneratio hominis, reformatio secundùm similitudinem Dei*, &c.

Colligitur ex Scripturis.

Idem insinuant Patres cùm dicunt, *Baptismum esse vitam virtutum*; vt Cyprianus epist. 1. ad Donatum. *Tribuere statum diuinum, ex quo sequantur diuinæ operationes*, Dionysius cap. 2. Ecclesiasticæ Hierar. *Illuminare*, Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogi cap. 6. & Chrysostomus homil. 1. ad Neophytos. *Exornare animam pretiosis monilibus & spiritalibus ornamentis*, Basilius exhortatione ad baptismum, & sæpè Chrysostomus. Quæ omnia satis insinuant *veras virtutes infundi.*

Insinuant Patres.

Ratio est: Quia baptismus verè iustificat; iustificatio autẽ non fit sine gratia & virtutibus. Hinc patet, non minùs certum esse, infantibus infundi hos habitus virtutũ, quàm adultis; quia testimonia citata generatim loquuntur de iustificatione, & effectu baptismi.

Ratio.

ART. V. *Vtrùm conuenienter attribuantur Baptismo quidam actus virtutum?*

ART. VII. *Vtrùm effectus Baptismi sit apertio ianuæ regni cælestis?*

Hi duo Articuli per se sunt satis clari. Vide D. Thomam.

ART.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm Baptismus in omnibus æqualem effectum habeat?

6 Paludanus censet Baptismum in paruulis morituris inæqualem gratiam conferre.

PAludanus dist. 4. q. 1. existimat paruulos, qui cum solo baptismo morituri sunt, inæqualem gratiã accipere in baptismo. Ratio ipsius est; Quia sunt ad inæqualem gloriam prædestinati. Cuius ratio vlterior est; quia homines beati, adæquare debent Angelos beatos, *Vt*, inquit, *latera Ciuitatis sint æqualia*, iuxtà Apocal. cap. 21. Alij aliam rationem adferunt, nempe homines esse creatos ad instaurandas sedes Angelorum; & idcircò omnes ferè impares in gloria: sicut omnes Angeli, iuxtà D. Thomam sunt impares in gloria. Sed hæc sententia parum est probabilis: nam fundamenta vel falsa sunt, vel incerta.

Scotus incertum putat.

Ad hanc sententiam prope accedit Scotus dist. 4. quæst. 7. & Gabriel ibidem quæst. 2. qui docet incertum esse an Sacramentum vni maiorem, alteri minorem conferat gratiam, vel propter prædestinationem ad maiorem gradum gloriæ, vel propter impetrationem per ministros Ecclesiæ, vel parentes. Verùm absolutè contrarium est tenendum. Pro quo

7 In paruulis, & æquè dispositis adultis æqualem habet effectum.

Dico Primò, Baptismus in omnibus paruulis, & etiam in omnibus adultis æquè dispositis, æqualem effectum habet, qui neque ratione prædestinationis, neque ratione impetrationis ministrorum est auctior. Est communis sententia Doctorum exceptis paucis.

Cyprian.

Probatur ex Patribus: Cyprianus epist. 76. ad Magnum, expressè docet baptismi effectum, quantum ex ipso est, æqualem esse in omnibus. Idque probat Primò, Ex definitione Concilij Carthaginensis. Secundò, Quia sicut sol æqualiter radios suos effundit, ita baptismus. Tertiò, Probat ex c. 16. Exodi, vbi sine discrimine sexus aut ætatis singuli de Manna accipiebant eamdem mensuram, scilicet Gomor. Quartò, Ex Parabola seminis à Domino super omnem terram seminati, quamuis ex terræ varia fæcunditate inæquales fructus procrearit. Idem docet epist. 59. quia Deus non est personarum acceptor. Confirmat exemplo Elisæi, qui, excitans paruulum, se illi æqualem reddidit.

Nazianz.

Gregorius Nazianzenus Oratione in S. Baptisma, *Quamuis Minister*, inquit, *alius alium probitate vincat, eadem tamen vtriusque baptismi vis est.*

Augustin.

Idem sæpè docet Augustinus vt lib. 4. de Baptismo cap. 20. & Tractatu 5. in Ioannem:

Chrysost.

Chrysostomus homil. de suo reditu; *Multi me absente baptizati sunt; quid tum? Nihil minus habet gratiæ, non claudicat Dei donum.*

Ratio est, Quia baptismus operatur ex institutione Christi; quæ fixa, certaque est, neque ex parte ipsius variatur: vt apertè colligitur ex Concilio Tridentino sess. 7. can. 7. de Sacramentis in genere. Item operatur ad modum agentis naturalis: ergo vbi est æqualis dispositio, sicut est in infantibus, æqualem effectum producit.

Ad fundamentum Paludani aliorumque, Respondeo: Prædestinatio non postulat, vt quis extraordinario modo gratiam maiorem accipiat; sed, vnò sinatur quis mori, donec per ordinaria media ad gradum gratiæ & gloriæ destinatum pertingat; alioqui dicere poterimus, infantibus etiam interdum dari gratiam sine baptismo; vt si sint prædestinati, & mors immineat ante baptismum. Item bonis operibus prædestinatorum plus præmij respondere, quàm non prædestinatorum, vt attingant mensuram decretam. Adde prædestinationem non esse factam ad certum gradum gloriæ ante præuisionem meritorum, vel applicationis remedij; vt alibi satis probatum est. Ac proinde totum hoc fundamentum corruit.

Euertitur fundamentum oppositę sententię sumptũ ex Prædestinatione.

Ex his satis patet, Vi Sacramenti, & ex parte Dei, æqualem gratiam dari per baptismum. Quòd autem huic effectui non addatur aliquis gradus gratiæ ex deuotione Ministri, vel offerentis, colligitur ex ijsdem testimonijs. Et probatur; Quia, si deuotio Ministri potest infanti aliquẽ gratię gradum impetrare, cur non etiam poterit adulto? Item, si hoc potest, dum coniungitur Sacramento, cur non etiam potest sine Sacramento? Nam per accidens Sacramento coniungitur, nec vim ex eo habet. Denique hæc deuotio poterit infanti impetrare illum gradum gratiæ sine baptismo, & sic non erit ei necessarius baptismus ad salutem.

Euertitur & alterum fundamentũ sumptũ ex deuotione ministri vel offerentis.

Ratio est, Quia operi bono cuiusque hominis iusti solùm respondet augmentum gratiæ habitualis & gloriæ in operante, eò quòd hoc opus sit limitatum, ac proinde ex natura sua non promoueat in Deum, nisi ipsum operantem; præsertim cùm operans nõ sit caput aliorum in spiritalibus: ergo non potest alijs immediatè gratiã conferre. Et Confirmatur, Quia hoc proprium est meritis Christi nobis per Sacramẽta applicatis: hęc enim, quia sunt infinitæ efficaciæ, possunt ad alios extendi; præsertim cùm Christus sit Caput in spiritualibus. Item, gloria est essentiale meritorum præmium: oportebat enim, vt vltimus finis, cùm posset cadere sub meritũ, non daretur nisi ob meritum: ergo non datur, nisi ob merita, vel propria, vel certè propter merita Christi nobis applicata. Patet Consequentia; Quia meritis aliorum hominum respondet gloria ipsorum tanquam essentiale & adæquatum prẽmium, eò quòd sint limitata. Potes tamen alteri impetrare auxiliũ præueniens, quo se disponat ad gratiam suo actu promerendã: hoc enim auxilium non est essentiale prẽmium tui operis quo impetras, sed secundariũ; essentiale enim tibi manet. Sic omnis, qui pro altero orat, sacrificat, &c. sibi meretur gratiam & gloriam primariò; alteri impetrat auxilium præueniens, vt summum, quo ille operetur; quod auxilium non habet locum in paruulis.

Nemo potest alteri mereri immediatè iustitiam & gloriam.

Sed solùm auxilium prẽuenies.

Dico Secundò, Valdè probabile est, baptismũ eo maiorem conferre gratiam ex opere operato, quo melior fuerit dispositio suscipientis. Idẽ censendum est de cæteris Sacramentis. Est communior sententia Doctorum, tenenda in praxi; etsi fortè contrarium speculatiuè nõ sit improbabile. Probatur ex Concilio Trident. sess. 6. c. 7. vbi loquens de iustificatione per baptismũ, dicit singulos *recipere iustitiam secundum mensuram quam Spiritus S. partitur singulis, & secundùm propriam cuiusque dispositionem & cooperationem.* Idem docet Damascenus lib. 4. c. 10. de Fide Orthodoxa: *Peccatorum remissio*, inquit, *omnibus æquè per baptismum donatur, gratia verò Spiritus sancti secundum proportionem fidei & puritatis.*

8 Sacramenta meliùs dispositio dant maiorem gratiã.

Ratio est, Institutio Christi; qui sic statuit, quia iustissimæ distributioni diuinæ sapientiæ consentaneum erat, vt melius disposito amplius daretur: consentaneum id quoque, vt homines excitentur ad feruentiorem præparationem. Simile quid videmus in causis naturalibus, quæ meliorem effectum in subiectum aptius inducunt.

Nota, inter Sacramẽta & causas naturales differentiã.

Aduerte tamen, Si Sacramenta haberẽt vim determinatam sibi annexam, sicut habent res naturales, non posset hęc sententia defendi. Nam calidum vt quatuor nunquã poterit amplius efficere, quàm quatuor gradus, quantumuis subiectum patiens fuerit aptũ: pari modo si Sacramentis certa mensura gratiæ appensa est, nunquam poterit illa excedi. Quare existimandum est, Dominũ singulis Sacramentis vim illimitatam dedisse omnium meritorum suorum, sic tamen vt vnumquodque non exerceret illã infinitè cum quauis dispositione, sed secundùm certam mensuram, prout maior vel minor esset dispositio: v. g. vt Baptismus habenti dispositionem vt duo, conferat quatuor: Eucharistia, octo. Confirmatio, sex. Habenti autem dispositionẽ vt ducenta, Baptismus conferat 400. Eucharistia, 800. Confirmatio, 600. Non enim omnia Sacramenta ęqualem gratiam conferunt eidem dispositioni; quanquam incertum sit quantam vnumquodque conferat. Censetur autẽ dispositio melior, quæ omnibus consideratis melior est, magisque proportionata ad Sacramenti effectum. Multitudo peccatorum, quæ est in subiecto, non minuit æstimationẽ dispositionis: hæc enim ęstimatio pendet ex positiuis conditionibus dispositionis. Vnde habens mille peccata mortifera, & alter habens solum originale peccatum, si eodem actu dispositi accedant ad baptismum, æqualem gratiam positiuam accipient.

Quæ censeatur melior dispositio.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm Fictio animi, baptismi effectum impediat?

9 *Fictus* quis, & quotupliciter.

NOtandum est, *Fictum* dici multis modis: vt patet apud D. Thomam ex Augustino, qui possunt reduci ad duos modos. Primò, vt *Fictus* dicatur, qui exteriùs simulat se velle baptizari, & tamen interiùs non vult; & hæc fictio non solùm ipsum effectũ Sacramenti impedit, sed etiã ipsum Sacramentũ inualidum & irritũ reddit. Secundò, *Fictus* dicitur, qui accedit indispositus, perinde ac si legitimè dispositus esset: quod fit dupliciter. Primò, Si solùm negatiuè sit indispositus; id est, si solùm careat dispositione necessaria ad gratiam ex ignorantia inculpata iuris vel facti. Secundò, Cõtrariè, vt si ei placeat adhuc aliquod peccatum mortiferum. Hi recipiunt quidem Characterem, sed non gratiam. Dices, D. August. lib. 1. de Baptismo c. 12. insinuat etiam ficto remitti peccata eo momento, quo baptizatur, licet statim, baptismo finito, propter fictionem redeant: *His*, inquit, *qui ficto corde baptizãtur, aut peccata nullatenus dimittuntur, quia Spiritus S. disciplinæ effugiet fictũ; aut ipso temporis puncto per vim Sacramenti dimissa iterum per fictionem replicantur.* Respondeo, D. August. loquitur disiunctiuè, & alterum necessariò credendum proponit hæreticis, vt suũ inde propositum consequatur; suam verò sententiam alibi satis explicat, vt lib. 6. de Baptismo cap. 1. & lib. de Pœnitentiæ medicina cap. 2.

Obiectio ex S. Aug. soluitur.

Notandum Secundò, Gabrielem in 2. dist. 32. qu. 1. existimare Fictè accedentem accipere quidẽ remissionem peccati originalis, eò quòd hoc non requirat pœnitentiam; non tamen remissionem actualiũ, quia pœnitentiã postulant. Sed omnino fallitur; quia originale non dimittitur sine infusione gratiæ; vt apertè colligitur ex Conc. Trid. sess. 5. can. 5. & sess. 6. c. 4. Gratia autem etiam reliqua delet, quia omnibus peccatis mortiferis repugnat; quæ etiam causa est cur vnum actuale mortiferum non possit dimitti sine alio. De quo plura infrà.

DVBIVM I.

Vtrùm affectus peccati venialis impediat gratiam Baptismi?

10 Paludanus, Soto.

QVidã Affirmant. Insinuat Paludanus dist. 4. q. 5. & satis apertè Pet. Soto de Sacramentis in genere lectione 9. Respondeo, Certum est non impedire infusionem gratiæ, & remissionem peccati originalis & mortalis: vt rectè docet Scotus dist. 4. q. 7. & cõmuniter DD. Imò idem expressè tenet D. Thomas de Eucharistia, quæ summã puritatem requirit. Vide a. 8. q. 79. Ratio est, Quia peccatum veniale non repugnat infusioni gratiæ, vel augmento eius; vt patet in hominibus iustis: ergo si alioqui sufficiẽs adsit dispositio, Sacramẽtũ conferet etiam primã gratiã: operatur enim instar causę naturalis in subiecto disposito. Cõfirmatur, Quia affectus peccati venialis potest cõsistere cum opere meritorio: vt ibidẽ docet Scotus: fieri enim potest, vt cùm quis facit opus meritorium, concomitanter faciat peccatum veniale: ergo &c. Dices, Repugnat effectui baptismi peccatum veniale, qui est remissio omnis culpę & omnis pœnę; ac proinde videtur esse violatio Sacramẽti. Resp. Esse quidem aliquam irreuerentiã, sed ob materię exilitatem, non esse mortiferã: primario enim effectui, qui est gratia & regeneratio, non repugnat peccatum veniale; sed solùm secundario effectui.

Peccatum veniale nõ repugnat primario effectui Baptismi.

Sed debitæ reuerentiæ.

Dices, Quid si id, in quo est peccatũ veniale, sit finis susceptionis baptismi; vt, vana gloria, fauor Imperatoris. Respondeo, Si est finis cur absolutè velis baptismum, alioqui recusaturus, non accipis gratiã: nam finis, cur immediatè afficeris baptismo & Christianæ religioni, non est honestus; & habet coniunctum affectum ad id, quod religioni est cõtrarium. Si autẽ fauor iste sit causa mouens, cur te applices ad baptismum ob debitum finem expetendum, nec habeas affectum actualem ad id quod religioni repugnat, non impeditur fructus, modò alioqui præcesserit sufficiens dispositio: quo modo olim complures baptizati fuere in gratiam Imperatoris.

Nec potest esse finis suscipiendi Baptismi.

DVBIVM II.

Quæ dispositio requiratur ad effectum Baptismi?

11 Eadem requiritur dispositio ad Characterem, quę ad Sacramentum.

NOtandum; Esse varios baptismi effectus: nempe Characterem, Gratiã iustificationis, Remissionem culparum, & Remissionem pœnarũ.

Dico Primò, Ad Characterem suscipiendum nõ requiritur alia dispositio, quàm quę necessaria est ad substantiam Sacramenti. Patet hoc ex dictis suprà.

suprà. Ratio est, Quia cùm substantia Sacramenti nõ sit iterabilis, signum est semper imprimi Characterem: nam huius initerabilitatis non potest esse ratio alia, quàm signum aliquod indelebile impressum.

12 Ad gratiã sanctificãtẽ in adultis requiritur 1o Fides.

Dico Secundò, Ad effectũ baptismi, qui est gratia sanctificans, requiritur in adultis motus Fidei, Spei, & Pœnitentiæ, si adsit conscientia peccati mortalis. Colligitur ex Conc. Trid. sess. 6. c. 6. 7.

Ac primùm, Motum Fidei requiri, patet: *Quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo*; vt docet Concilium sess. 6. c. 8. ex Apostolo. Vnde sequitur, eum qui sine fide supernaturali, cum humana dumtaxat credulitate, seu persuasione, baptizatur, non consequi gratiam: quia deest fundamentum iustificationis. Quam ob causam Ecclesia prouidè constituit tempus benè longũ Catechumenis, vt plenè instruantur in articulis necessarijs, & credant ex toto corde sicut oportet: sicut Philippus postulabat ab Eunucho Act. 8. v. 37.

Dices, Ergo nunquam Fides infunditur per hoc Sacramentum, cùm semper ei debeat supponi tanquam necessaria dispositio.

Respondeo, Actus Fidei necessariò supponitur baptismo, saltem ordine naturæ, vt gratiã sanctificationis conferat; non tamen habitus fidei necessariò supponitur. Fieri enim potest, vt actus ille primò eliciatur in instanti terminatiuo baptismi; & tunc baptismus in eodem momento conferet habitum, saltẽ ex parte: altera enim pars dabitur vi dispositionis. Quòd si actus ille Fidei, tempore antecedat illud instans, tunc baptismus non conferet primum habitum Fidei, sed augmentum.

Baptismus vel partem vel augmẽtũ habitũs fidei confert.

De Motu Spei, patet ex eodem Concilio: Vt enim iustificeris per baptismũ, debes sperare gratiam & remissionem per ipsum ex Christi meritis: ob hanc enim causam baptismum petis.

2. Spes.

De Motu Pœnitẽtiæ, colligitur ex eodẽ Conc. sess. 6. c. 6. & sess. 14. c. 4. vbi dicit, *Hunc motum cõtritionis quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, necessarium fuisse*: vbi nomen *Contritionis* Concilium accipit latè pro *pœnitentia*, vt comprehendat etiam *attritionem*: quod patet ex eius descriptione. Idẽ colligitur ex Scripturis Actor. 2. *Pœnitemini, & baptizetur vnusquisque vestrũ*: vbi Petrus requirit pœnitentiam à baptizandis. Et Lucę 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis*.

3. Pœnitẽtia.

Aduerte tamen, Eum qui non peccauit mortiferè, non opus habere pœnitentia, vt sanctificetur per baptismum: Sed sufficere ei propositum seruandi legem Christi. Ratio est, Quia pœnitentia, solùm est necessaria, vbi sunt peccata propriâ voluntate commissa: pœnitentia enim est retractatio & displicentia prioris voluntatis, seu voluntariæ actionis. Vnde, vt ille etiã sine Sacramento possit sanctificari, non opus est pœnitentiâ; sed solùm opus est actu dilectionis Dei super omnia, quo ad statum supernaturalem eleuetur. Quòd tamen necessarium illi sit propositum seruandi legem Christi, patet, quia Deus non iustificat adultum nisi voluntariè consentientem, & amicitiam diuinam amplectentem, vt rectè ait D. Thomas: id enim postulat dignitas diuinæ amicitiæ & cælestiũ bonorum. Vt autem censeatur consentire, requiritur propositum seruandi mandata Christi, in quibus iustitia consistit. Non tamen opus est, vt hoc propositũ procedat ex dilectione Dei super omnia, si Sacramẽto sit sanctificandus, quia neque in peccatore id necessarium est si Sacramẽto sit sanctificandus; sed sufficit, vt procedat ex aliquali amore, vel ex timore gehennæ, vel ex cõsideratione pulchritudinis virtutis, aut turpitudinis peccati: hæc enim motiua sufficiunt, etiam in peccatore, vt possit iustificari per Sacramenta.

Ineo, qui non peccauit mortaliter, non est necessaria pœnitentia, sed propositũ seruandi legem Christi.

Dico Tertiò, Non requiritur, vt hæc pœnitentia sit vera Contritio procedens ex amore Dei super omnia. Sed sufficit Attritio aliqua propter metum gehennæ, vel turpitudinem peccati, vel simile motiuum honestum. Quæ tamen Attritio non sit merè naturalis. Neque est necessarium, vt putetur esse Contritio.

13. Attritio sufficit cũ Sacramẽto ad iustificationem.

Prior pars est contra Petrum Soto, & paucos alios. Sed est penè certa; & docet eam D. Th. in 4. dist. 6. q. 1. a. 3. quęstiunc. 1. & omnes eius sectatores. Scotus dist. 4. qu. 5. Durandus valdè clarè & benè eâdem dist. q. 2. n. 2. Paludanus eâdem dist. q. 1. in principio. Colligitur ex Concil. Trident. sess. 14. c. 4. vbi apertè insinuat Attritionem sufficere cum Sacramento Pœnitentiæ: ergo multò magis sufficiet cum baptismo, per quem facilius venia conceditur. Nec obstat, quòd idem Concilium sess. 6. c. 6. videatur requirere aliquam contritionem; quia non loquitur de dispositionibus præcisè necessarijs cum baptismo, sed absolutè intendit explicare modũ præparationis, qui ab omnibus conceditur, & etiã sine Sacramento sufficit. Ratio est, Quia Sacramentum baptismi primariò ad hoc institutum est, vt peccatum deleat, & primam vitam spiritalem conferat: est enim Sacramentum regenerationis, & Sacramentũ mortuorum: ergo non est necesse, vt is, qui baptizatur, anteà viuat per gratiam. Confirmatur, Quia sicut generatio naturalis per se fit ex priuatione formę introducendæ, ita etiam spiritalis. Vide D. Tho. q. 79. a. 3. ad 2. & q. 80. a. 4. ad 2. Et Confirmatur Secundò, Alioquin per baptismũ iustificatio non esset facta facilior, quàm erat in lege veteri, sed difficilior; quod est contra perfectionem legis Euangelicæ. Ex his patet secunda pars propositionis, scil. Attritionem cum Sacramento sufficere. Tertia pars, hanc Attritionem debere esse aliquo modo supernaturalem, colligitur ex eodem Concilio sess. 14. c. 4. vbi dicit hanc *Attritionem esse Dei donum, & Spiritus S. impulsum*. Et probatur, Quia homo non potest naturę viribus se ad gratiam vllo modo disponere; vt passim docent Concilia Arausicanum, Mileuitanum, & Patres: ergo hæc Attritio, quæ est proxima dispositio ad gratiam in Sacramento obtinendam, non potest esse omnino naturalis. Confirmatur; Quia alioqui solis naturę viribus *posset homo pœnitere sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur*: quod apertè damnatur à Concilio Trident. sess. 6. can. 3. & loquitur ibi Concilium generatim, ita vt comprehendat etiam iustificationem per sacramentum, vt patet ex serie illius sessionis.

Explicatur Tridentini Concilium.

Hæc Attritio debet aliquo modo esse supernaturalis.

Hinc sequitur, Dolorem merè humanum, vt propter infamiam, mortem, vel damna temporalia, non sufficere, etiamsi iungatur cum proposito emendationis. Quod est cõtra Dom. Soto in hunc art. & Melchiorem Canum Relectione de Pœnitentia par. 3. Etsi enim is, qui habet talẽ dolorem non ponat obicẽ peccando, tamen caret sufficienti dispositione. Nec satis est, quòd bona fide putet hanc dispositionem sufficere, vt vult Mel. Canus;

Dolor merè humanis non sufficit, etsi quis bona fide id putet.

quia bona fides nunquam supplet defectum medij necessarij, qualecumque illud medium sit, siue sit dispositio, siue materia, siue forma Sacramenti, siue intentio Ministri.

Nō requiritur vt putes te esse contritum.

Quarta pars, Quod Attritio non debeat existimari Contritio, est contra Nauarrum cap. 1. Enchiridij num. 37. Sed probatur: Quia hoc solùm habet locum, quando Contritio est necessaria ex aliquo diuino præcepto positiuo vel naturali: tunc enim illa existimatio facit, vt homo non peccet in vsu Sacramenti; alioqui per se illa existimatio nihil iuuat, cùm sit falsa. Atqui nullum est præceptum diuinum, quo Contritio sit necessaria ad baptismum. Non positiuum; quia id nec Scripturis, nec Traditione continetur: Nec etiam naturale præceptum, quatenus videlicet ratio fide illustrata dictat Sacramenta reuerenter esse tractanda: nam vnumquodque Sacramentum pro modo suę institutionis tractandum est. Atqui ex fine institutionis huius Secramenti satis constat, hoc reuerenter tractari, si vitam veterem detesteris, & nouam proponas: vnde nihil opus est, vt existimes te esse verè contritum.

14 Attritio etiam sufficit ad remissionem omnium venialium quo ad culpam & pœnam.

Dico Quartò, Attritio, quę est sufficiens ad infusionē gratię per baptismū, etiā sufficit ad remissionem omnium venialium peccatorum quoad culpam & pœnam, modò nullius peccati venialis affectus actualis interueniat. Est certa hęc propositio; quia ad totum effectum baptismi Doctores non requirunt, nisi Attritionem. Et Patres suprà citati generatim docent omnem culpam & pœnā remitti, quando non ponitur aliunde impedimentum. Et Confirmatur; Quia si baptismus tunc efficax est ad delenda omnia mortifera, quamuis infinita, quoad culpam & pœnam vniuersam; cur non etiam omnia venialia?

ARTICVLVS X.

Vtrùm fictione recedente Baptismus consequatur suum effectum?

15 Similitudo D. Thomę

REspondet D. Thomas Affirmatiuè. Et probat pulcherrima hac similitudine: *Sicut simul cùm corpus graue generatur, mouetur deorsum, nisi sit aliquid prohibens: quo remoto statim incipit moueri deorsum: ita quando quis baptizatur, accipit Characterem quasi formam, & consequitur proprium effectū, qui est gratia remittens omnia peccata: impeditur autem quandoque per fictionem. Vnde oportet, quòd remotâ eâ per pœnitentiam, baptismus statim consequatur suum effectum.*

Glossa.

Notandum est, Glossam in Capit. *Tunc valere.* de Consecrat. dist. 4. existimare virtute solius Pœnitentiæ, gratiam & remissionem dari fictione recedente, & iuxtà hanc sententiam dicendum esset, peccatum originale; & reliqua quæ baptismum antecedunt, remitti per pœnitentiam, non quidem directè, sed concomitanter, quatenus per Sacramentum Pœnitentiæ datur gratia, cum qua nullum peccatum mortiferum potest consistere.

Conclusio affirmans.

Verùm tenendū est, Recedente fictione, siue id fiat per contritionē, siue per attritionem vnà cùm Sacramento Pœnitentię, redire omnem effectum baptismi, quem initio contulisset. Ita D. Thom. loco citato, & communis sententia Doctorum dist. 4.

Probatur Primò, Ex Scripturis: Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Atqui si baptismi gratia non redit ablata fictione, iste non renascitur ex aqua & Spiritu sancto: ergo non posset saluari. Dices, Sufficit votum baptismi, vt renascatur. Contrà: Quia votum non habet locum, postquam reipsa baptismus datus est; votum enim respicit baptismum futurum. At baptismus semel receptus non potest repeti. Scriptur.

Probatur Secundò, Ex Patribus: D. August. lib. 1. de Baptismo c. 2. *Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cùm illa fictio veraci cōfessione recesserit, quā corde in malitia, vel sacrilegio perseuerante, peccatorum ablutionem non sinebat fieri.* Quod si gratia & remissio non conferretur vi baptismi, falsum esset *tunc baptismum incipere valere ad salutem*: sola enim pœnitentia valeret. Neque rectè ostenderet August. baptismum à ficto susceptum non esse irritum; quod tamen ibi intendit. Cyprianus serm. de Passione Christi, *Licet indigni sint qui accipiunt, Sacramentorum tamen reuerentia, & propinquiorē ad Deum parat accessum, & vbi redierint ad cor, constat ablutionis donum, & redit effectus munerum; nec aliàs quæri aut repeti necesse est salutiferum Sacramentum.* Idem Cyprianus serm. de Ablutione pedum, enumeratis tribus Sacramentis quę repeti non possunt, ait; *Reuersis dat, vt eis iterum possint Sacramenta inuriata prodesse; quorum si pœnitentia non subesset, nullo modo deinceps experiri possent effectum.* Hic apertè docet trium Sacramentorum amissam gratiam redire. August. Cyprian.

Probatur Tertiò, Ratione. Prima est, Quia proprium remedium peccati originalis est baptismus: ergo recedente fictione baptismus vim suam exerit, vel certè peccatū originis non remittitur. Consequentia patet. Antecedens probatur, tùm ex illo Ioan. 3. *Nisi quis renatus* &c. Tum ex Concilio Tridentino sess. 6. c. 4. vbi Concilium ait, *Translationem ex statu peccati originis ad statū gratiæ, non posse fieri sine lauacro generationis, aut eius voto:* sed votum hic locum non habet, quia respicit futurum: ergo remissio peccati originalis fit per Baptismum reipsa ante susceptum. Secunda ratio est, Peccata ante Baptismū commissa non possunt remitti per claues Ecclesiæ, quia non sunt commissa à subdito Ecclesiæ: ergo solùm per baptismum. Confirmatur, Quia alioquin essent aliqua peccata in homine viatore nullo remedio à Christo instituto expiabilia: quod est contra efficaciam Passionis Christi. 16 Ratio conclusionis.

DVBIVM I.

Vtrùm recedente fictione Baptismus totum effectum conferat, quem contulisset, si fictio non interessisset?

17 Baptismus reuiuiscens confert totū effectū extensiuè.

REspondeo & Dico Primò, Confert totum effectum extensiuè, scilicet gratiam sanctificantem, remissionem peccati originalis, & omniū peccatorum mortalium, & venialium ante baptismum commissorum, & omnē pœnam his respondentem. Ratio est, Quia gratia confertur in baptismo per modum regenerationis spiritalis, ac proinde perfecto modo, ita vt peccatum, & quidquid directè ex peccato sequitur, penitus excludatur: sicut forma, quæ per generationem confertur, excludit totam priuationem oppositam, & omnia illi annexa & consequentia.

Dices,

Veniale cui actu afficeris, non remittitur.

Dices, Quid si eo momento, quo tollitur fictio, seu impedimentum baptismi, adsit affectus peccati venialis. Respondeo: Hoc peccatum veniale tunc non remittetur; tùm quia repugnat, vt aliquod peccatum actu sit, & tamen simul condonetur, præsertim quoad culpam: tum quia affectus iste sequitur baptismum realem, vnde per baptismum remitti nequit, sicut nec vllum aliud peccatum quod baptismum sequitur. Alia tamen peccata venialia ante baptismum commissa remittentur, etiamsi tunc eiusdem speciei affectus venialis insit. Ratio est, Quia peccata venialia possunt seperatim remitti secundùm pœnam & culpam.

18 In reuiuiscentia solũ confertur minima gratia, quæ datur infantibus.

Dico Secundò, Probabilius est, non conferri recedente fictione totam perfectionem gratiæ intensiuam, quæ anteà fuisset collata cum debita dispositione; sed solùm minimam gratiam, quæ datur infantibus. Quod vt intelligatur:

Suppono Primò, Esse aliquam minimam gratiam baptismalem, quæ sit v. g. vt duo, quæ ipsi Sacramento precisè considerato, respectu subiecti nullam dispositionem habentis, appensa est. Ratio suppositi est, quia vbi nulla est dispositio, non potest aliquid relinqui, quo detracto effectus possit fieri minor.

Suppono Secundò, Hanc gratiam minimam baptismalem dari infantibus; quia nullam dispositionem bonam adferunt, sed solùm carent impedimento: quò fit, vt omnes adulti, qui aliquam bonam dispositionem quantumuis paruam adferunt, plus accipiant, quàm infantes; vt communiter Doctores docent, & colligitur ex dictis suprà artic. 8. & ex Tridentino Concilio sess. 6. cap. 7.

Nunc probatur Conclusio: Quia contritio illa, qua tollitur fictio, non habet se tanquam dispositio ad baptismum, sed solùm tanquam remouens impedimentum operationis illius: ergo illa anima se habet ad baptismum, veluti carens impedimento, sine omni dispositione positiua.

Contritio per quam baptismus reuiuiscit, non auget eius effectum.

Dices, Illa contritio potest esse *dispositio* ad effectum baptismi nunc conferendum, licet non sit dispositio ad ipsum Sacramentum; & sic effectus baptismi crescet pro ratione *dispositionis* contritionis. Sed hoc non rectè dicitur: Quia baptismus iam antè collatus est, & effectus similiter quantum est ex vi baptismi. Verùm quia subiectum capax tunc non erat, mansit in acceptatione diuina, donec tolleretur impedimentum. Ergo effectus baptismi non est metiendus ex contritione, quæ posteà superuenit, sed ex conditione baptismi, quam secundùm se habuit dum daretur: Deus enim acceptat baptismum secundùm conditionẽ quam habet dum reipsà datur, non autem secundùm cõditionem quam subiectum aliquando habebit: sic enim in confuso acceptaret ad incertum effectum. Confirmatur à simili: Quia opera bona iustorũ solùm acceptantur à Deo secundùm conditionem, quam habent, dum fiunt: vnde si contingat ea per peccatum mortificari, & posteà per pœnitentiam reuiuiscere, non reuiuiscunt secundùm conditionem pœnitentiæ, qua tollitur eorum impedimentum, sed secundùm conditionem in qua sunt acceptata: vt ampliùs dicetur suo loco.

DVBIVM II.

Quis actus necessarius est ad tollendã fictionem, (id est, indispositionem negatiuam vel contrariam) vt baptismus effectũ suum habeat?

19 Si mortale commissum in ipsa susceptione baptismi, vel post eã, est opus cõtritione vel attritione cũ Sacram.

REspondeo & Dico Primò, Si in ipsa susceptione Baptismi commissum sit peccatum mortale, vel post eam, necessaria est contritio, vel attritio cum Sacramento Pœnitentiæ, vt baptismi impedimentum seu fictio tollatur. Patet hoc ex D. Thoma hoc loco ad 2. & ex D. Augustino lib. 1. de Baptismo cap. 12. Ratio est, Quia baptismus non potest cõferre suum effectum, quamdiu inest aliqua culpa mortifera, quæ per ipsum baptismum non potest tolli: sed peccatum mortale commissum in susceptione baptismi, vel posteà, non potest tolli per baptismum: ergo non potest baptismus conferre suum effectũ, nisi aliud remedium adhibeatur, quo hoc peccatum tollatur; quod remedium non est aliud, quàm contritio, vel attritio cum Sacramento; vti nunc suppono.

Dices Primò, Cur baptismus non potest indirectè, vel cõcomitanter delere peccata post ipsum commissa; sicut Sacramentum Pœnitentiæ delet peccata oblita concomitanter; & similiter Eucharistia, quæ tamen non poterat delere directè?

Respondeo, Quia nullum Sacramentum potest delere peccata futura, sed solùm ea, quę ante eius susceptionem commissa sunt: vnde pro illis, quæ posteà sunt commissa, opus est remedio nouo, quod per se sit sufficiens. Quare hîc opus est contritione, vel saltem attritione cum Sacramento Pœnitentiæ; nam solùm hisce duobus modis, peccatum mortale cognitum commissum post baptismum, potest deleri. Dico, *Cognitum*: quia si exciderit memoriâ, & bona fide cum attritione aliud Sacramentum suscipiatur, delebitur illud peccatum, & baptismus effectum suum conferet.

Dices Secundò, Saltem illud peccatum, quod in ipsa susceptione committitur, poterit, recedente fictione, baptismo deleri; quia non est posterius baptismo.

Cur peccatum sacrilegæ susceptionis nõ possit per baptismum deleri.

Respondeo, Etsi tempore non sit baptismo posterius hoc peccatum, est posterius ordine naturę: Tùm, quia resultat ex ipsa susceptione baptismi in subiecto indispositio: subiectum autem indispositum suscipere baptismi substantiam est posterius naturâ, quàm ipsa baptismi substantia: Tùm, quia intelligitur resultare in homine habente Characterem baptismalem: nam baptismus priùs naturâ respicit subiectum vt dispositum ad Characterem, quàm dispositum ad gratiam: præsertim cùm & ipse Character sit veluti potentia passiua ad gratiam baptismalem, & cæterorum Sacramentorũ: ergo baptismus priùs naturâ confert Characterẽ, quàm gratiam; & proinde priùs naturâ in subiecto intelligitur esse Character, quàm gratiæ infusio impediri. Adde: Etiamsi hoc peccatum sacrilegæ susceptionis solùm concipiatur vt concomitans baptismum, tamen non potest per baptismum remitti; quia ex natura sua directè repugnat effectui baptismi. Vnde hoc peccatum non potest remitti, nisi per Sacramentum Pœnitentiæ in re vel in voto.

20

Petes, Cùm tollitur fictio per Sacramentum Pœnitentiæ, vtrum Sacramentum priùs confert gratiam, Pœnitentia an Baptismus?

Baptismus & Pœnitētia simul naturâ gratiam conferunt.

Respondeo, Vtrumque simul naturâ, tanquam duę partiales causę constituentes vnam integram, conferunt totam gratiam, & delent omnia peccata. Ratio est, Quia operantur cum mutua dependentia & auxilio. Sicut si tu possis pondus ducentarum librarum mouere, ego verò pondus centum, & hæc duo pondera sint connexa, neuter sine altero poterit: vtroque tamen connitente, totum pondus, veluti ab vna integra & adæquata causa mouebitur. Sic Baptismus per se non potest, nisi tantam gratiam dare, & delere peccata ante ipsum commissa: Pœnitentia verò tantam, & delere peccata post baptismum commissa. Hæc autem peccata in illo homine sunt connexa, ita vt vnū sine altero tolli nequeat. Quare oportet vtrumque Sacramentum concurrere, & vicissim se iuuare, ac proinde simul naturâ operari. Nam vbi est mutua dependentia, ibi non est naturæ prioritas, sed simultas.

Dices, Priùs est impedimentum tolli, quàm baptismum operari: sed impedimentum baptismi est peccatum commissum in susceptione, vel post: ergo hoc peccatum debet tolli priùs, quàm baptismus operetur: ac proinde operatio Pœnitentiæ, qua tollitur hoc peccatum, erit prior.

Respondeo, Remotio impedimenti non est prior, quàm operatio rei impeditæ, quando impedimentum remouetur per cooperationem circa rem connexam; vt patet in duobus mouentibus illud pondus; nam vicissim sibi cooperando tollunt impedimentum mutuæ operationis. Secùs est, quando remotio impedimēti fit per actionem præuiam, & circa rem omnino distinctam: tunc enim remotio impedimēti est prior naturâ, quàm operatio rei impeditæ.

21 Si nec in susceptione, nec post, commissum est peccatum, sufficit attritio.

Dico Secundò, Si nec in ipsa susceptione baptismi, nec posteà commissum sit peccatum mortale; tamen baptismus irrito effectu susceptus sit, eò quòd necessaria dispositio deesset, sufficiet attritio vt baptismus gratiam & reliquos omnes effectus suos cōferat. Docet Paludanus dist. 4. q. 5. & Scotus ibidem. Durandus qu. 4.

Probatur Primò, Quia attritio ista satis fuisset ad effectū baptismi, si simul cum baptismo extitisset: ergo etiā sufficiet quāuis posteà superueniat; quia nullum nouum impedimentū accessit. Probatur Secundò, Quia omnia peccata huius hominis directè per baptismū possunt remitti, cū omnia sint facta ante baptismum: ergo nō necessariò requirunt aliquid aliud quàm dispositionem, quæ sufficit baptismo, quæ est attritio. Et Confirmatur, Quia hæc peccata non requirunt Sacramentum Pœnitentiæ: materia enim Sacramenti Pœnitentię solùm sunt peccata commissa post baptismum, vt docet Concil. Trident. sess. 14. cap. 1. 2. & 5. Neque etiam requirunt contritionem, quæ contritio in noua lege non delet peccatum mortiferum, nisi quatenus continet votum alicuius Sacramenti; quod votum non potest hic habere locum, quia deberet respicere Sacramentum Pœnitentiæ, quod non se extendit ad peccata ante baptismum commissa. Probatur Tertiò, allata ratione: Quia in hoc casu totum impedimentum operationis baptismi est carentia dispositionis necessariæ: ergo simulatque hæc carentia fuerit sublata, operabitur baptismus: tollitur autem attritione: ergo attritio sufficit.

DVBIVM III.

Vtrùm solius baptismi sit proprium, vt eius effectus redeat?

22 Reuiuiscentia conuenit Sacramentis Characterem imprimentibus.

Respondeo, Probabilissimum est, id etiam commune esse alijs Sacramentis Characterē imprimentibus: quod est contra Dominicū Soto dist. 6. qu. 1. art. 8. qui id putat esse solius baptismi. Sed nostram sententiam docet D. Thomas in 4. dist. 4. qu. 3. art. 2. quæstiuncula 3. & Alexander, Bonauentura, Maior, Paludanus, & ferè recentiores. Probatur duplici ratione: Prima est D. Thomæ suprà num. 15. relata, quæ si aliquid valet in Baptismo, etiam valet in Confirmatione, & Ordine. Secunda Ratio est: Nisi posset illa gratia recuperari, non benè prospectum esset hominibus in hac imbecillitate vitæ, quâ gratia facilè amittitur. Quod patet, quia per hæc Sacramenta Confirmationis & Ordinis constituuntur homines in quodā statu immobili, ad quem opus habent gratia sacramentali: ergo nisi gratia, quæ datur ad huius status functiones, possit recuperari, manebit homo obligatus ad functiones sine gratia illis functionibus propria; quod non est cōsentaneum suaui prouidentiæ Dei.

Item Matrimonio & extremæ Vnctioni.

Eodem argumento probari potest reuiuiscere etiam gratiam Sacramenti Matrimonij, quia hoc Sacramentum tribuit statum immobilem. Item extremæ Vnctionis, quia hoc Sacramentum non potest repeti manente statu eiusdē morbi; cùm tamen hæc gratia in illa extrema lucta sit tantoperè necessaria.

Pœnitentiæ.

Idem facilè probari potest de Pœnitentia, si hoc Sacramentum potest esse informe; id est, sine effectu, saluâ substantiâ. Probatur, quia non teneor peccatum mortiferum secundò confiteri, quod anteà in confessione, etsi informi, explicui, vt omnes fatentur: ergo hoc peccatū non remittitur per sequentem absolutionem; alioquin in sequenti confessione fuisset explicandum: ergo remittitur per præcedentem, cuius effectus fuerat impeditus.

Eucharistiæ.

De Eucharistia res est magis incerta: est tamen satis probabile in quodam casu: scilicet, Si quis in peccato communicauerit, & ante corruptionem specierum, pœnitentiam concipiat.

Ratio generalis.

Ratio generalis est: Quia Sacramentū est opus Christi, ac proinde ex se est opus viuum & efficax gratiæ: ergo quamuis per fictionem possit quodammodò mortificari, sic vt eius effectus impediatur, tamen fictione recedente statim viuificatur, & suam efficaciam exerit, secundùm quam in acceptatione diuina manſit. Sicut opera iustorum facta in statu gratiæ, etsi per peccatum superueniens possint quodammodò mortificari, ita vt eorum effectus impediatur, tamen peccato recedente, statim reuiuiscunt, habentque efficaciam respectu gratiæ & gloriæ.

QVÆ-

QVÆSTIO LXX.

De Circumcisione.

In Quatuor Articulos diuisa.

ART. I. *Vtrùm Circumcisio fuerit præparatoria & figuratiua Baptismi?*

ART. II. *Vtrùm Circumcisio fuerit sufficienter institutà?*

ART. III. *Vtrùm Ritus Circumcisionis fuerit conueniens?*

DE tribus his Articulis, vide D Thomam hîc; & Damascenum lib. 4. de Fide. c. 26. & Catenam Lipomani in c. 17. Genes.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Circumcisio Gratiam iustificantem contulerit?

1

OMissis sententijs Scholasticorum, quas hîc recenset D. Thomas, sunt duæ præcipuæ sententiæ. Prior est, Circumcisionem contulisse gratiam iustificantem, & consequenter deleuisse peccatum originale. Huius sententiæ primus auctor putatur D. Augustinus, qui id varijs locis docet, vt statim dicetur. Hunc secutus est D. Gregorius lib. 4. moral. cap. 2. & auctor sermonis de ratione Circumcisionis, qui solet tribui Cypriano, cùm tamen satis constet non esse: & Beda lib. variarum quæstionum qu. 15. & in cap. 2. Lucæ. Bernardus epist. 77. Innocentius III. Capitulo *Maiores*, de Baptismo, vbi tamen hoc non definit, sed obiter inducit ad aliud ostendendum. Hos secuti ferè sunt Doctores Scholastici.

2. Sententia Augustini per circumcisionem gratiam collatam, & originale deletum.

Fundamentum huius sententiæ,

Fundamentũ huius sententiæ est illud Genes. 17. *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit die octauo, delebitur anima illa de populo suo; quia pactũ meum irritum fecit:* vbi Deus videtur minari damnationem æternam etiam Iudæorum infantibus, nisi fuerint circumcisi: ergo per Circumcisionem liberabantur à morte æterna. Ita D. Augustinus lib. 17. de Ciuit. cap. 27. & lib. 2. de Peccato Originali cap. 20. & 31. Lib. 2. de Nuptijs & Concupiscent. cap. 11.

Parum est solidũ.

Sed hoc fundamentum videtur parum solidum: quia illud (*die octauo*) quo totum argumentum nititur, non est in textu Hebræo vel Chaldæo, aut Vulgata editione, sed solùm reperitur in Græco. Ob quæ tamen verba D. Augustinus exponit hunc locum de paruulis. Et consequenter illud (*quia pactum meum irritum fecit*) exponit de pacto, quod Deus fecit cum Adamo, de non comedendo ex ligno scientiæ boni & mali; quod pactum paruuli in Adamo præuaricati sunt. Illa autem verba (*peribit anima eius de populo*) exponit de morte æterna. Quare detractis illis verbis, *Die octauo*, hæc expositio non conuincit; nam commodissimè intelligetur de adultis, hoc sensu: Masculus Hebræus, qui noluerit circumcidi, vel paruulum suum circumcidere, peribit de populo propter inobedientiam, qua præuaricatus est præceptum meum de circumcisione: *Pactum* enim eo loco idem est, quod præceptum; nam octies ibi ponitur, & semper ita accipitur.

Aliæ rationes dictæ sententiæ.

Vnde aliter probatur hæc sententia. Primò, Quia non videtur credibile diuinam bonitatem, *quæ vult omnes homines saluos fieri*, per tot annorum millia vniuersum mundum reliquisse sine vllo remedio paruulorum. Secundò, Nec videtur credibile Deum tam asperum Sacramentum sine vllo fructu paruulis dari iussisse. Tertiò, Quia conueniens erat, vt sicuti Christi merita applicabantur adultis per fidem, ita paruulis applicarentur per aliquod Sacramentum.

2

2. Sententia negans.

Altera sententia est, Circumcisionem vi sua, & ex opere operato, neque paruulis, neque adultis gratiam sanctificantem, aut remissionem peccatorum contulisse; sed solùm ex fide & deuotione suscipientis: sicut nec reliqua Sacramenta veteris legis. Probant hanc sententiam 1. ex Scripturis; Nam Apostolus multis locis de industria Circumcisionem eleuat, tanquam nihil ad iustitiam valentem: 1. ad Corinth. 7. vers. 19. *Circumcisio nihil est, præputium nihil est, sed obseruatio Mandatorum Dei*: hîc insinuat Circumcisionem non plus prodesse ad salutem, quàm præputium, id est, quàm non Circumcisionem. Ad Gal. 6. v. 19: *Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura.* At quo modo nihil valet circumcisio, si ipsa nouam creaturam facit? Ad Gal. 4. v. 9. vocat omnia legalia *Infirma & egena elementa*: Quod autem de legalibus loquatur, non de Idolis, patet, quia Galatæ non volebant redire ad Idololatriã, sed ad obseruationes Iudaicas, inter quas potissima circumcisio. Ad Rom. 3. vers. 2. docet præcipuam vtilitatem circumcisionis esse, quod illi *populo credita sint eloquia Dei*, id est, data sit lex & prophetiæ. Imò ex professo ostendit illo capite Iudæos non præstare Gentilibus iustitiã, *quia ex operibus legis nemo iustificatur*. quod falsum esset, si Circumcisio iustificaret.

1. Probatur Scripturis, quæ dicũt circumcisionem nil prodesse.

Responsio quorumdã quòd circumcisio seiuncta à Christi fide, nil prosit.

Ad hæc quidam Respondent Primò, Apostolum dicere *Circumcisionem nihil esse, nihil valere*, videlicet, ipsam secundùm se, & seiunctam à fide Christi: nam Apostolus eam considerat, vt nudam cæremoniam externam, quomodo Iudæi de ipsa gloriabantur.

Refellitur.

Sed hæc responsio non satisfacit: tum, quia similiter dici posset de Sacramentis nouæ legis: *Baptismus nihil est, Confirmatio nihil est*, quia sine fide suscipientis nihil prosunt ad salutem, quod tamen nemo dixerit: Apostolus quoque non rectè ostenderet hoc pacto Sacramentorum veterum inefficiam, quod tamen ibi maximè intendit: tum, quia vbique comparat Circumcisionem præputio: atqui præputium absolutè nihil prodest.

Respondent Secundò, Apostolum loqui de Circumcisione pro eo tempore, quo erat abroga-

ta per Christum; tunc enim nihil valebat.

Itē ea quæ dicit illam nil profuisse pro eo tempore quo fuit abrogata.

Sed hæc responsio non est probabilis: loquitur enim Apostolus de Circumcisione secundùm se, qualis fuit instituta à Deo, & semper obseruata. Quod patet Primò, quia alioqui esset petitio principij in argumento Apostoli: vult enim docere esse abrogatam, quia nihil valebat: ergo non rectè dicitur, nihil valere, quia abrogata. Secundò,

1. Cor. 7.

Apostolus 1. ad Corinth. 7. apertè docet nihil referre siue quis vocatus sit ex circumcisione, siue ex præputio: *Quia*, inquit, *Circumcisio nihil est, præputium nihil est*. Vnde patet illum loqui de ijs etiã qui circumcisi erant ante Christi mortem, quando adhuc lex vigebat. Tertiò, Apostolus ad

Rom. 3.

Rom. 3. dicit Circumcisionem esse vtilem, quia circumcisi erant de populo, cui credita sunt eloquia Dei. At hoc falsum est post eius abrogationem: ergo loquitur de circumcisione qualis erat ante abrogationem: ergo de hac loquitur cùm ibidem ait, *eam nihil valere ad iustitiam*. Quartò,

Philip. 3.

Ad Philippenses 3. v. 7. nihili facit quòd fuerit circumcisus octauo die: *Quæ mihi*, inquit, *fuerunt lucra, arbitratus sum propter Christum detrimenta*: Sed Apostolus circumcisus est ante mortem Christi, cùm adhuc lex vigeret: ergo &c. Quintò, Ad

Gal. 4.

Gal. 4. vbi omnes cæremonias veteris legis vocat *egena & infirma elementa*, dicit Iudæos ante Christum *sub elementis mundi tanquam paruulos seruiuisse*: loquitur ergo de illis, vt erant ante abrogationem. Denique ad

Hebræ 9. & 10.

Heræos 9. & 10. ex professo docet legem veterem solùm habuisse *vmbrã futurorum bonorum sub Christo*, non ipsam rerum imaginẽ, quę est gratia; nec potuisse *sanctificare secundùm conscientiam*, sed solùm *secundùm carnem*. & c. 8. *Reprobatio*, inquit, *fit prioris mandati propter infirmitatem & inutilitatem*.

1 3 2. Probatur ex Patrib.

Probant Secundò, Ex Patribus, qui docent Circumcisionem non fuisse datam vt iustificaret, sed vt semen Abrahæ ab alijs distingueret. Iustinus Dialogo cum Triphone ante medium: *Ex eo*,

Iustinus.

inquit, *quod feminæ circumcidi non potuit, intelligitur signi causa datam esse circumcisionem, non pro opere iustitiæ: fecit enim Deus, vt ea, quæ iusta sunt, virtutique consentanea, omnia æquè mulieres seruare possent.*

Irenæus.

Irenæus lib. 4. contra Valentinum cap. 30. *Quoniam quidem circumcisionem non quasi iustitiæ consummatricem, sed in signum dedit Deus vt cognoscibile perseueret genus Abrahæ, ex Scriptura discimus*, Et infrà: *Et quia non per hac iustificabatur homo, sed in signum data sunt populo, ostendit quòd ipse Abraham sine circumcisione credidit, & reputatum est ei ad iustitiam.*

Tertullian.

Tertullianus lib. contra Iudæos in principio, multis probat Circumcisionem non purgasse à peccatis: *Si purgat*, inquit, *Circumcisio hominem, Deus Adam incircumcisum non faceret: cur eum non circumcidit, vel postea quam deliquit, si purgat Circumcisio?* Et infrà: *Acceperat Abraham circumcisionem, sed quæ esset in signũ temporis illius, non in salutis prærogatiuam.* Et paulò post: *Si salutem circumcisio adfert, etiã Moyses in filio suo non intermisisset, quo minùs octauo die circumcideret ipsum.* Et infrà: Dicit *eam datam in signum, & non in salutem*. Hunc omnino

Cyprian.

sequitur Cyprianus lib. 1. contra Iudæos cap. 8. vbi docet Circumcisionem primã fuisse euacuandam, quia carnalis & manu facta; quia Adam, Abel, Enoch, Noë, Melchisedech incircumcisi placuere Deo; & quia feminis non proficit.

Athanas.

Athanasius in illud; *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo* circa medium orationis: *Sicut sacrificia vmbræ erant rerum futurarum, ita circumcisio particularis totius hominis circumcidendi adumbratio delineatioque fuit*, Et infrà dicit, Circumcisionem non reuerà abstulisse vituperium terreni stemmatis, vel opprobrium delicti, sicut facit baptismus, sed solùm ad vmbram & speciem.

Chrysost.

Chrysostomus homilia 27. in Genes. *Deus circumcisionem lege sanciuit non quod ad animæ salutem aliquid conferre posßit, sed vt Iudæorum pueri hoc gratitudinis signum circumferrent, & ne liceret eis Gentiũ consuetudini miscerì. Hinc beatus Paulus signum eam vocat; nam ad iustitiam ipsa circumcisio nihil conducit.* Idem docet multis alijs locis.

Cyrillus Alexandr.

Cyrillus Alexandrinus lib. 10. contra Iulianum sub finem: *Quid sibi vult*, inquit, *circumcisio? bona sanè est & vtilis, si typus esse credatur rei spiritalis.* Et infrà dicit, Christianos reliquisse circumcisionem carnalẽ & veteras sacrificia, quia solùm erant vmbræ, quarum nunc assecuti sumus veritatem. Lib. 4. in Ioannem cap. 31. docet circumcisionem solùm fuisse signum spiritalis circumcisionis per Christum faciendæ.

Theodo. retus.

Theodoretus qu. 67. in Genes. ex professo probat circumcisionem non fuisse datam ad iustificandum, sed solùm ad distinguendum populum Dei ab alienigenis: *Quia*, inquit, *populus in deserto per quadraginta annos nõ fuit circumcisus*, nempe quia ipsa habitatione deserti satis ab alijs gentibus distinguebantur; *verùm postquam transierunt Iordanem & alijs miscerì caperunt, tunc iussi sunt circumcidi.*

Hieronym. Damascen.

Idem eadem ratione probat Hieronymus in cap. 3. ad Galatas; & Damascenus lib. 4. de Fide cap. 26. Ambrosius in cap. 4. ad Rom. *Non ergo circumcisio aliquid habet dignitatis, sed signum est tantum; quod signum ideò accipiebant filij Abrahæ, vt scirentur eius filij esse.* Idem indicat epist. 72. & 77.

Theophilactus.

Theophilact. in c. 2. ad Rom. *Circumcisio, ne iustificatio quidem legis dici potest; nam est data in signum, vt ne cum Gentibus Iudæi miscerentur.*

Philo. Iosephus.

His addere licet Philonem Iudæum, qui lib. *de Circumcisione* explicans omnes eius causas, quas à maioribus se dicit accepisse, nusquã insinuat eam valuisse ad delendũ peccata. Et Iosephum, qui lib. 1. Antiquit. cap. 18. agens de Circumcisione, nullam aliam eius causam agnoscit, quàm vt esset signum distinctiuũ. Et sanè mirum esset, si vim purgandi à peccato haberet, rem tantam nec Scripturis esse expressam, nec doctissimis Hebræorum cognitam.

4 3. Probatur ex Concil. Florentin.

Probant Tertiò, Quia Florentinum Concilium apertè distinguit Sacramenta nouæ legis à veteribus, quòd *Sacramenta nouæ legis contineant gratiã, & eam dignè suscipientibus conferant: Vetera autem nõ conferant, sed eam solùm per Christi passionem dandam præsignarent.*

4. Probatur ex distinctione Legis Nouæ à Veteri.

Probant Quartò, Ex distinctione legis Nouæ à Veteri, quæ passim in Scripturis & Patribus insinuatur: nempe quòd Noua lex iustificet, Vetus autem non iustificet: quę distinctio vera non esset, si vllum opus legis Veteris conferret iustitiã. Dicitur enim lex iustificare, quæ præscribit aliquod opus, quod secundùm se vim habet iustificandi. Quòd autem illa distinctio vera sit, probatur Ioannis primo, *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per* Iesvm *Christum facta est*. Hic *gratiam & veritatem* opponit *legi* tanquam eâ carenti. Secundò, quia lex Vetus dicitur *litera occidens*, Noua *spiritus*

ua *spiritus viuificans*, 2. ad Corinth. 3. At si circumcisio viuificat, etiã lex Vetus est *spiritus viuificans*. Tertiò, quia lex Vetus *generat in seruitutem*, id est, facit seruum; Noua autem *facit liberos*, ad Gal. 4. At si circumcisio conferret gratiam, etiam lex Vetus *liberos faceret*. Ad rationes alterius sententiæ facilè respondent. Hæc sententia omnino videretur tenenda, nisi altera esset tam recepta. Quare

5 Sententia Auctoris. Circumcisio non iustificauit.

Dico Primò, Propriè loquendo Circumcisio non conferebat gratiam iustificationis, sicut nec vllum aliud Sacramentũ veteris legis. Hoc cõuincunt rationes secundæ sententiæ: & benè probat ratio, quam habet D. Tho. suprà q. 62. artic. 6.

Sed paruulos fides parentum externo signo applicita.

Dico Secundò, Piè tamen credi potest paruulos fuisse iustificatos, non quidem propriè per Circumcisionem, sed per fidem parentum, vel aliorum circumcidentium. Ita D. Thomas hoc loco: & sic eũ explicat Canus Relectione de Sacram. parte 5. qui est in eadem sententia. In eandem sententiam inclinat D. Bonauentura, & Richardus dist. 1. Vbi notandum est, iuxta hanc sententiam existimandum paruulum fuisse iustificatũ per fidem interiorem parentum vel ministri, per quam offerebatur Deo, vt Messiæ benedictionem assequeretur; Deo sic statuente propter paruulorum necessitatem. Hęc tamen fides videtur aliquo externo signo debuisse applicari, vt etiam insinuat D. Thomas, quamuis ad hoc Circumcisio non videtur fuisse necessaria: nam potuisset fortasse aliud signum adhiberi, sicut Auctores alterius sententiæ dicunt, quando paruuli non erat legitima intentione circumcisi; vt qui ab Ægyptijs aut alijs circumcidebantur.

6 Adultos sola fides & deuotio propria.

Dico Tertiò, Adultis in Circumcisione non conferebatur gratia vltra meritum propriæ fidei & deuotionis. Ita Melchior Canus suprà. Colligitur hoc ex testimonijs Scripturæ & Patrum suprà citatis. Nam Patres expresè docent, ne Abrahamum quidem accepisse gratiam in circumcisione supra meritum suæ fidei & obedientiæ. Ita Tertull. Iræneus, Chrysost. Theodoretus. Quod confirmatur ad Rom. 4. vbi Apostolus ex professo docet Abrahamum *Ex fide, non ex Circumcisione iustificatum*: quod non potest dici de Sacramento conferente gratiam ex opere operato. Ratio est; quia Circumcisio per se non applicabat Christi meritum, cùm id non posset externo instrumento applicari, nisi esset; vt docet D. Thomas q. 62. ar. 6. sed fides & deuotio applicabat: Atqui non erat conueniens, vt aliena fides applicaret hoc meritum adultis, cùm propriam habere possent, & deberent: ergo propria fides applicabat. Secùs est in paruulis, qui propriæ fidei capaces nó erant; vnde illis concessum videtur, vt aliena posset prodesse, ne in illa ætate sine remedio relinquerẽtur.

Non fecit ex attrito contritum.

Hinc sequitur, Circumcisionem non fecisse ex attrito, contritum (quod facit baptismus:) nec pręter gratiam operi operantis respondentem, alium gradum contulisse.

7 Nulla vetera Sacramenta aut Sacrificia gratiã contulerunt.

Dico Quartò, Nullum quoque aliud Sacramentum aut sacrificium Veteris legis alicui gratiam contulit, nisi ex deuotione suscipientis. Est certa, & ferè communis Doctorũ. Vide D. Thomam suprà qu. 62. ar. 6. & 1. 2. qu. 103. ar. 2. & Theologos in 4. dist. 2. Patet hoc ex testimonijs allatis pro 2. sententia, quæ id omnino cõuincunt. Confirmatur ex D. Augustino qui multum videtur tribuere Circumcisioni, reliquis tamen nihil tribuit. Epist. 19. quæ est ad Hieronymum: *Cur*, inquit, *non dicam præcepta illa veterum Sacramentorum nec bona fuisse, quia eis non iustificabantur homines; vmbræ enim sunt prænuntiantes gratiam, qua iustificamur?* Et in Psal. 73. *Alia*, inquit, *sunt Sacramenta data in salutem, alia promittentia Saluatorem: Sacramenta noui testamenti dant salutem; Sacramenta veteris testamenti promiserunt Saluatorem.* Tractatu 41. in Ioannem; *In sacrificijs*, inquit, *veteris testamẽti non erat expiatio peccatorum, sed vmbra futurorũ.* Hoc euidentissimè docet Apost. ad Hcb. 9. & 10. & Scriptura plurimis locis: Psal. 50. *Si voluisses sacrificium, dedissem vtique: holocaustis non delectaberis.* Ierem. 11. v. 15. *Numquid carnes sanctæ auferent à te malitias?*

Obiectiones soluuntur.

Sed contra. Obijcitur Primò: Leuitici 4. 5. & 6. pro varijs peccatis, vt pro furto, calumnia, fraude, periurio Deus iubet offerri sacrificiũ, adiungens promissionẽ remissionis, *& dimittetur ei*, inquit pro singulis, quæ faciendo peccauit: ergo.

Solùm cõtulerunt benedictiones temporales & terrenas.

Respondeo; Non significari hæc sacrificia per se habere vim remittendi peccati seu culpæ, & pœnæ æternæ; quia nec sacrificiũ nouæ legis hanc vim habet sine contritione peccatoris, neque ex attrito potest facere contritum. Solùm itaque valebant illa sacrificia ex ordinatione diuina ad remissionem peccati quoad pœnam temporalem, & immunditiam quandam legalem, vt docet D. Thom. 1. 2. qu. 103. art. 2. Et Alphonsus Tostatus in primum caput Leuit. q. 17. Huius signum est, quòd Deus solùm instituerit sacrificia pro certis quibusdam peccatis; vt pro peccatis ignorantiæ circa cæremonias legis, vt patet Leuitici 4. & 5. & pro peccatis furti, damniq́ue proximi in rebus externis, & pro periurio ob hęc commissa; vt patet ex cap. 6. Leuit. vbi per omne *peccatũ, quo peccare solẽt homines*, intelligitur de omni peccato pertinente ad furtum & damnum proximi. Pro grauioribus autem, vt pro adulterio, homicidio, blasphemia, idololatria nullum erat sacrificium constitutum: quod est euidens signum hæc sacrificia non deleuisse culpã, nisi ex deuotine offerentiũ: alioquin maximè pro grauioribus peccatis institui debuissent: Verissimum ergo est, omnes promissiones annexas operibus cæremonialibus Veteris legis fuisse temporales & terrenas; nec contulisse ad vitam æternam, nisi significationẽ; vt patet ad Hebræos 8. *Melioris testamenti*, inquit, *Mediator est, quod in melioribus promissionibus sanctum est*: & statim ostendit illas meliores promissiones esse, remissionem peccatorum.

Soluitur Obiectio ex Diuo Leone.

Obijcitur Secundò, D. Leo sermone 2. de Pentecoste dicit, *Sine hac gratia*, scilicet Spiritus sancti, *nulla vnquam instituta Sacramenta, nulla sunt celebrata mysteria, vt eadem semper fuerit virtus Charismatum, quamuis non fuerit eadem mensura donorum.* Hic Leo videtur velle omnia Sacramenta antiquæ legis habuisse virtutem Spiritus sancti.

Respondeo; D. Leo solùm vult dicere, gratiam Spiritus sancti, quæ in Pentecoste in discipulos fuit effusa, etiam superioribus temporibus non defuisse: omnes enim Sanctos superiorum temporum eâdem gratiâ fuisse vegetatos: Sacramenta etiã & mysteria antiqua sine hac gratia non fuisse celebrata, nempe quia in omnibus Sacramentis veteribus præparata fuit ijs, qui debita fide & deuotione ea susciperent. Non tamen Sacramentis veteribus ita hæc gratia fuit appensa, vt eam ex vi sua, seu ex opere operato conferrent.

QVÆ

QVÆSTIO LXXI.

De Cæremonijs Baptiſmi.

Vtrùm Cæremonia Baptiſmi ſint recipiendæ, & quam vim habeant?

1 Cęremonia, quid.

NOtandum Primò, *Cæremoniam* in genere eſſe opus externum Religionis, quod certo ritu peragitur ad cultũ & honorẽ Dei. Hebraicè dicitur CHVCKIM, quaſi dicas *Conſtitutiones* ſeu *Leges*: Græcè, δικαιώματα id eſt, *Iuſtificationes*: quia inſtitutæ ad hominem quodam modo ſanctificandum. Ita generatim ſumptum hoc nomen comprehendit *Sacramenta, Sacrificia, Sacra & Obſeruantias*, vt patet ex D. Thoma 1. 2. q. 101. art. 4. vbi ad hæc quatuor omnes cæremonias reuocat.

Diuiditur quinque modis.

Sunt autem variæ cæremoniæ: nam quinque modis diuidi poſſunt.

1. Ex cauſa Formali.

Primò, Ex cauſa Formali: Quædam enim ſunt immediatè cultus Dei; vt ſacrificium, adoratio, oratio, votum. Quædam diſponunt ad colendum Deum; vt ieiunium, & variæ abſtinentiæ, cælibatus &c. Quædam ſunt Inſtrumenta cultus diuini, vt templa, altaria, calices, &c.

2. Ex cauſa Materiali.

Secundò, Ex cauſa Materiali ſeu obiecto: Quædam enim verſantur circa Perſonas; vt exorciſmi, inſufflationes, & Sacramenta. Quædam circa res inanimas; vt benedictiones aquæ, olei, veſtium, &c. Quædam circa Locum; vt conſecratio templi, altaris, &c. Quædam circa Tempus, vt dies feſti, vigiliæ, Quadrageſima. Quædam circa modum; vt quòd latinè Sacramenta miniſtrentur, &c.

3. Ex cauſa Finali.

Tertiò, Ex cauſa Finali: Aliæ enim inſtituuntur ad iuſtificandum; vt Sacramenta. Aliæ ad coërcendos Dæmones, & alios ſimiles effectus; vt exorciſmi, aqua benedicta &c. Aliæ ad ornatum & ſignificationem; vt veſtes ſacræ, luminaria, imagines &c.

4. Ex cauſa Efficienti.

Quartò, Ex cauſa Efficienti: Aliæ enim ſunt diuinæ; vt eæ, quas Deus in veteri vel nouo teſtamento inſtituit. Aliæ naturales; vt tundere pectus, gemere, ſuſpicere cælum, flectere genua: hæ enim ſunt apud omnes gentes. Aliæ ſunt Eccleſiaſticæ; quæ ſcilicet ab Apoſtolis vel eorum ſucceſſoribus ſunt inſtitutæ.

5. Ex Aduentitijs.

Quintò, Sumuntur ex Aduentitijs. Aliæ enim ſunt Vniuerſales, aliæ Particulares: aliæ Temporales vt ſuit abſtinentia à ſuffocato & ſanguine; aliæ Perpetuæ: aliæ Præceptæ, aliæ liberæ. De quibus vide D. Auguſtinum epiſt. 118.

2 Hæretici negant Cęremonias ab Eccleſia poſſe inſtitui.

Notandum Secundò, Apoſtolos & eorum ſucceſſores potuiſſe inſtituere cæremonias, circa adminiſtrationem Sacramentorum: quæ valerent non quidem ad iuſtificationem, ſed ad alios effectus ſpiritales. In hoc eſt tota controuerſia cum hæreticis, qui id negant, & aſſerunt non licere alijs cæremonijs vti, quàm quę in Scripturis mandatum vel exemplũ habent: cùm tamen ipſi multis vtantur, quarum nullum extat exemplum in Scripturis; vt patet ex libello Caluini de formula adminiſtrandorũ Sacramentorum. Præcipit enim Primò, vt baptiſmus fiat die Dominico, vel alio, quo populus conuenit ad concionem, vt fiat coram populo. Secundò, vt offerentes ſpondeant pro infante. Tertiò, vt nomen ei imponatur. Quartò, vt forma Sacramenti linguâ patriâ pronuntietur. Quintò, vt recitentur Symbolum, oratio Dominica, & ſimilia. Quorum nullum habetur ex Scripturis.

Ipſe tamen Caluinus Cęremonias ſuis præcipit.

Sed probatur Eccleſiam hoc potuiſſe. Primò, quia Synagoga Iudæorum poterat inſtituere cæremonias nouas; vt patet de feſto Phurim, id eſt, ſortium, Eſther cap. 9. Et de alio ſimili feſto ob victoriam contra Holofernem, Iudith vltimo. Et de feſto dedicationis Altaris 1. Machab. 4. Et Act. 15. vbi Apoſtoli, tanquam gubernatores Eccleſiæ, inſtituerunt vt gentes abſtinerent à ſuffocato & ſanguine. Apoſtolus etiam 1. ad Corinth. 11. indicat ſe multa alia ordinaturum circa ritum celebrandæ Euchariſtiæ: *Cætera, cùm venero, diſponã.* Vide D. Auguſt. epiſt. 118. ad Ianuarium. Baſilium de Spiritu ſancto cap. 27.

3 Probatur ab Eccleſia poſſe Cęremonias inſtitui.

1. Ex Scripturis,

Secundò, Quia maxima eſt vtilitas cæremoniarum. Primò, excitant ad deuotionem, vt docet D. Auguſt. epiſt. 119. & lib. de Curâ pro mortuis cap. 5. Secundò, inſtruunt intellectum, & præſertim rudes, quibus ſunt loco Scripturæ. Tertiò, iuuant memoriam; niſi enim frequenter diuina myſteria & beneficia varijs cæremonijs repręſententur, facilè excident memoriâ. Quartò, ſunt proteſtatio fidei & Religionis. Quintò, conſeruant & ornant Religionem: ſine cæremoniarum enim dignitate Religio ſtatim vileſcit. Sextò, diſtingunt Catholicos ab hæreticis; vt patet hoc tempore. Nõ ergo dubitari poteſt quin ab Eccleſiæ gubernatoribus poſſint inſtitui: poſſunt enim inſtituere ea quæ pertinent ad Religionis ornatũ, & ad fidelium fidem ac deuotionem conſeruandam & augendam. His præmiſſis.

2. Quia vtiles ad finem ſpiritualem,

4 Cęremoniæ ab Eccleſia receptæ, ſunt retinendæ.

Dico Primò, Cæremoniæ Baptiſmi & aliorum Sacramentorũ, quas vniuerſalis Eccleſia recepit, ſunt retinendę, nec pro libito poſſunt omitti, aut in alias mutari. Eſt Concilij Trid. ſeſſ. 7. can. 13. Probatur Primò, quia iſti ritus antiquiſſimi ſunt: & vel ex Apoſtolorum traditione manarunt, vel à ſanctiſſimis Pontificibus inſtituti ſunt, & multorum ſęculorum vſu comprobati: ergo ſine ſcelere non poſſunt contemni. Secundò, quia Eccleſia habet poteſtatem inſtituendi cęremonias vtiles ad decentem Sacramentorum adminiſtrationem, & obligandi ad earum obſeruationem. Probatur, quia poteſt condere leges Eccleſiaſticas obligantes in conſcientia: vt patet ad Romanos 13. v. 1. *Non eſt poteſtas niſi à Deo; quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt: itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Idem colligitur 2. ad Corinth. 13. v. 10. *Hæc abſens ſcribo, vt non præſens duriùs agam ſecundũ poteſtatem quam Dominus dedit mihi.* Et ad Hebr. 13. v. 17. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.* Tertiò, quia maxima vtilitas illarum cæremoniarum, vt dictum eſt: potuit ergo eas Eccleſia inſtituere,

1. Ob Antiquitatem.

2. Ob præceptum Eccleſiæ.

3. Ob illarum Vtilitatem.

stituere, & etiam ad eas obligare: nam hoc expedit Ecclesiæ: si enim essent liberæ obseruationis, statim nasceretur summa confusio: alius enim omitteret, alius alias introduceret; alius omnes contemneret, & periret omnis fructus earum. Quartò, quia vt D. August. ait *Disputare contra id quod facit vniuersalis Ecclesia, insolentissimæ insaniæ est.*

4. Ob Ecclesiæ praxim.

5 Cæremoniarum Baptismi Scriptores.

Quæ autem sint cæremoniæ Baptismi in particulari, & quænam earum explicatio, vide in Ordinario Romano: & apud Alcuinum lib. de Diuinis officijs cap. de Sabbatho sancto, Amalarium lib. 1. de officijs Ecclesiasticis, & Rabanum lib. 1. de Institutione clericorum, Thomam Waldensem tom. 3. de Sacramentalibus tit. 5. cap. 45. & aliquot sequentibus. Denique apud Ambrosium lib. de Sacramentis, & Cyrillum in Catechesibus.

6 Contra hæreticos defenduntur hic cæremoniæ Baptismi.

Hæretici autem præter cæteras cæremonias maximè irridentes Exorcismum, Exsufflationem, Contactum narium & aurium saliuâ, & Consecrationem aquæ. Quare respondeo & Dico Secundò, has cæremonias esse pias & retinendas.

1. Exorcismus.

Probatur de singulis. Primò, De *Exorcismo*, qui nihil est aliud, quàm adiuratio dæmonum precibus Ecclesiæ facta, vt ab homine recedant. Nam Ecclesia habet potestatem coërcendi dæmones per exorcismos; vt docent Patres: Iustinus dialog. cum Tryphone, *Illi per nomen* IESV *Christi adiurati à nobis, parent.* Cyprianus lib. ad Demetrianum: *O! si audire eos & videre velles, quando à nobis adiurantur, & torquentur spiritualibus flagris, & orationis flagellis exire coguntur.* Similia habet Tertullianus libro de Corona militis, & in Apologetico cap. 32. D. Augustinus lib. 10. de Ciuitate cap. 22. & alij. Imò in Ecclesia est officium ordinarij coërcendi dæmones, vt infrà patebit de Ordine. Vide Concil. Carthaginense IV. can. 7. Item antiquissimi Patres docent ante Baptismum præmittendũ Exorcismum: Dionysius de Eccles. Hierarchia cap. 2. de mysterio Illuminationis p. 2. Cyrillus Catechesi 1. Nazianzenus oratione in S. Lauacrum. D. August. lib. 2. de Nuptijs & concupiscentia cap. 18. dicit hanc consuetudinem seruari in tota Ecclesia. Leo epistola 4. cap. 7. dicit esse Apostolicam regulam.

2. Exsufflatio.

Probatur Secundò, de Cæremonia *Exsufflationis*, quâ significatur expulsio dæmonis, & afflatus Spiritus sancti: quia hanc cæremoniam commendat Dominus Ioan. 20. v. 22. cùm Apostolis daret Spiritum sanctum; & ponit eam Dionysius loco citato; & cõiungitur exorcismo. Ambrosius de ijs qui Mysterijs initiantur cap. 1. D. August. multis locis. Libro 2. de Nuptijs & Concupis. c. 17. & 18. l. 6. contra Iulianum cap. 2.

3. Saliua.

Probatur Tertiò, de cæremonia, quâ, tanguuntur saliuâ nares & aures infantium, & dicitur eis *Ephpheta*, id est, Adaperire. Quia hanc commendat Dominus Marci 7. v. 33. & 34. vbi sputo tangit linguam muti & surdi, dicens, *Ephpheta.* Et Ambrosius lib. 1. de Sacramentis. c. 1. & De ijs qui Mysterijs initiantur c. 1.

Probatur Quartò, de consecratione aquę. Dionysius loco citato: *Regenerationis*, inquit, *aqua prius sacris inuocationibus consecratur.* Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 27. dicit esse traditionem Apostolicam: vti & alij Patres.

4. Consecratio aquæ.

Dico Tertiò, Cæremonię Baptismi, & aliorum Sacramentorum, non valent quidem ad hominẽ iustificandum, valent tamen ad alios spirituales effectus. Est certa. Et quidem præter sex effectus ante commemoratos, quędam valent ad pellendos dęmones, eorumque fraudes arcendas, ne Baptismi effectum impediant; vt exorcismi & exsufflationes: quędam ad disponendum hominem vt dignè Sacramentum percipiat; vt Catechismus in adultis; Abrenunciatio satanę; Fidei professio; Signum crucis; Gustus salis; Tactus narium & aurium saliuâ, dicendo *Ephpheta*; Impositio manuum, & Benedictio sacerdotis; & Vnctio in capite, pectore, scapulis.

7 Cæremoniæ, etsi non sanctificent, valent tamen ad spirituales effectus.

Petes quomodo hæc disponunt hominem ad dignè suscipiendum Sacramentum?

8 Disponunt ad dignè suscipiendũ Sacramentum.

Respondeo Primò, Excitando in eo deuotionem & reuerentiam.

Secundò, Per modum impetrationis: sunt enim hæc omnia velut precationes quædam Ecclesiæ nutibus & signis factæ.

9 Sacramentalia non improbabiliter vim habent ex opere operato.

Tertiò, Addunt quidam hęc etiam valere veluti ex opere operato: Christum enim non solùm promeruisse nobis gratiam & gloriam, sed etiam omnia alia beneficia ad salutem conducibilia: & quidem ad gratiam & iustitiam consequendam, ipsum per se instituisse Sacramenta, quibus merita eius ad hos effectus applicarentur: ad alios autem effectus & beneficia minora consequenda, ipsum dedisse potestatẽ Ecclesiæ, signa instituendi, quibus merita eius nobis applicarentur: ac proinde per hęc Sacramẽtalia nobis applicari merita Christi ad consequenda minora eius beneficia; v. g. Ad cõsequendam remissionem peccatorum venialiũ, applicari nobis eius merita per aquam benedictã: Ad consequendum autem auxilium quo disponamur ad iustificationem, & dignam Sacramentorũ perceptionem, applicari nobis eius merita per alia Sacramentalia: Ad expulsionem verò dęmonum, per exorcismos &c. Quæ sententia non est improbabilis.

10 Ideò tamen non sunt Sacramenta.

Adde tamen, hæc Sacramentalia non esse causas physicas suorum effectuum, contra Dominicum Soto, sed tantùm morales. Nam non est tale miraculum ponendum sine necessitate: satis est enim si Deus ex pacto infallibiliter illis assistat, & effectum, ad quem instituta sunt, conferat. Dices: ergo sunt Sacramenta. Respondeo, Negando sequelam. Nam vt aliquid sit Sacramentum, debet à Deo immediatè esse institutum ad hominũ sanctificationem: hæc autem Sacramentalia non sunt à Deo immediatè instituta. Si quis tamen latè nomen Sacramenti velit accipere, posset ea sic vocare; sicuti sæpè facit Augustinus.

QVÆ-

DE CONFIRMATIONE.

QVÆSTIO LXXII.

In Duodecim Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Confirmatio sit Sacramentum?

1 Hæretici negantes.

OMnes hæretici huius ætatis absolutè negant *Confirmationẽ* esse Sacramentum: docentque *Impositionem manuum*, cuius sæpè meminerunt Patres, nihil fuisse aliud, quàm catechismum & orationem. Moris enim fuisse apud veteres, vt pueri, cùm adoleuissent, de præcipuis fidei Christianæ capitibus examinarentur, & deinde publica precatio pro illis funderetur, vt Deus illos in fidei professione confirmaret; & hoc vocari *Confirmationem*. Contempserunt etiam hoc Sacramentum Nouatiani, sicut & Pœnitentiam, vt testatur Theodoretus lib. 3. Hæreticarum fabularum cap. penultimo; quia Nouatianus auctor illius hæresios & schismatis, in lecto decumbens baptizatus fuerat, nec posteà curauerat reliqua suppleri, nec signaculo Spiritus sancti confirmari: vt testatur Eusebius lib. 6. hist. c. 33. Similiter illud cõtempserunt Donatistę, vt testatur Optat. Mileuitanus lib. 2. contra Parmenianum.

Omnes huius temporis.

Nouatiani.

Donatistæ.

2 Catholica sententia.

Sed veritas Catholica est *Confirmationem* esse verum & propriè dictum nouæ legis Sacramentum. Quod Probatur Primò, Ex Scriptura. Nam illud est verum Sacramentum, per quod ordinariè datur Spiritus sanctus: atqui per manus impositionem datur baptizatis Spiritus sanctus: ergo &c. Maior patet ex definitione Sacramenti. Minor probatur Scripturis: Actorum cap. 8. v. 17. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Et cap. 19. v. 5. *His auditis, baptizati sunt in nomine* IESV; *& cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos.* His locis manifestum est *Per manus impositionem* dari Spiritum sanctum, ac proinde eam esse Sacramentum. Hinc

Probatur ex Script.

3 Impositio manuum non fuit oblatio baptizati.

Patet Primò: Hanc impositionem manuum non fuisse solùm quandam oblationem, qua baptizatus offerebatur Deo; vt vult Caluinus lib. 4. Instit. cap. 19: tum, quia per eam dabatur Spiritus sanctus; tum, quia non fiebat, nisi ab Apostolis, vt patet locis citatis, quamuis ab alijs collatus esset baptismus, quod est manifestum signum, hanc impositionem manuum non solùm fuisse Sacramentum, sed etiam quid maius quàm sit baptismus.

Nec solùm adhibita ad conferenda dona visibilia Spiritus sancti.

Patet Secundò; Non fuisse tantùm institutũ, vt per eam quędã dona Spiritus S. visibilia darentur; vt donum linguarum, miraculorum, & similia; sed vt daretur gratia iustificationis. Ratio est, quia dona ista visibilia non dicuntur Spiritus sanctus; neque is, qui hæc accipit, dicitur *accipere Spiritum sanctum*; sed solùm is, qui iustificatur. Deinde, quia non omnes accipiebant illa dona visibilia, vt expressè docet Apostolus 1. ad Corinth. 12. Omnes tamen accipiebant impositionem manuum, vt patet Actorum 8. vbi per totam Samariam Apostoli manus imponunt; & Actorum 19. vbi duodecim viris, qui ad baptismum venerant, manus imponuntur.

Neque institutа pro breui solũ tempore.

Patet Tertiò, Hoc beneficium impositionis non fuisse institutum ad breue tempus, sed quamdiu staret Ecclesia. Petrus enim in sua concione Actorum 2. v. 17. docet hanc effusionem Spiritus sancti promissam omnibus, ex Ioëlis prophetia c. 2. v. 28. *Et erit, in nouissimis diebus (dicit Dominus) effundam de spiritu meo super omnem carnem.* Idem patet Ioannis 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum:* quæ promissio ad totam Ecclesiam pertinet; & impletur per Sacramentũ *Confirmationis*, quod vocatur *Impositio manuum.* Ratio est, quia nunc & omni tempore egent fideles corroborari Spiritu sancto, vt possint omnibus tentationibus internis & externis contra fidem resistere.

Cur nunc non habeãtur ex Cõfirmatione ijdem effectus visibiles, qui olim.

Quòd autem nunc per hoc Sacramentum non dentur illi visibiles effectus, qui olim, causa est; quia olim huiusmodi necessaria erant ad fidem plantandam, quæ ratio nunc cessat. Vide D. Augustinum lib. 3. de Baptis. cap. 16. vbi ait eundem Spiritum sanctũ nunc dari per manus impositionem, qui olim dabatur, licet non cum eisdem signis externis, quibus olim.

4 3. Ex Concilijs.

Probatur Secundò, Ex Concilijs. Concilium Elibertium cap. 38. *Si superuixerit* (scilicet baptizatus) *ad Episcopum eum perducat, vt per manus impositionem perfici possit.* Concilium Florentinum in instructione Armenorum, & Concilium Trident. sess. 7. can. 1. de Confirmatione: *Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam esse cæremoniam, & non potiùs verum & proprium Sacramentũ; aut olim nihil aliud fuisse quã catechesim, anathema sit.*

5 4. Ex Pontificibus.

Probatur Tertiò, Ex Pontificibus. Clemens Romanus Epistola 4. *Omnibus festinandum est renasci Deo, & demum consignari ab Episcopo, & septiformem Spiritus sancti gratiam recipere.* Et infrà. *Nisi regeneratus, fuerit ab Episcopo confirmatus, perfectus esse Christianus nequaquam potest: nec sedem habere inter perfectos, si non necessitate, sed incuria, aut voluntate remansit; vt à beato Petro accepimus, & cæteri sancti Apostoli præcipiente Domino docuerunt.*

Clemens Rom. negat perfectè Christianum, qui non est cõfirmatus.

Vrbanus Papa in sua Decretali cap. 7. *Omnes fideles per manuum impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur.*

Vrbanus p'enè Christianum.

Cornelius Papa apud Eusebium lib. 6. hist. cap. 33. agens de Nouatiano (quem Eusebius per errorem vocat Nouatum) *Non fuit signaculo Christmatis confirmatus, vnde nec Spiritum sanctum potuit promereri.*

Cornelius.

Melchiades

Melchiades. Melchiades Papa, cuius testimonium vide apud D. Thomam.

Eusebius. Eusebius Papa epist. 3. vocat *Manuum impositionem Sacramentum*, & à solis Episcopis ait posse conferri.

Innoc. I. Innocentius I epist. 1. cap. 3. ad Decentium. *Presbyteris chrismate baptizatos vngere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis cùm tradunt Spiritum S. paracletum.* Idē docet Leo I. epist. 88. vbi docet Chorepiscopos nō posse baptizatorum frontes signare. Omitto posteriores.

6 4 Ex Patribus. Probatur Quartò, Ex Patribus, qui summo consensu docent *Per manus impositionem*, seu *chrismatis vnctionem* hominem post baptismum perfici, & accipere Spiritum sanctum. Dionysius Areopagita de Ecclesiastica Hierarchia ca. 2. par. 3. vocat hanc vnctionem *diuinæ generationis sacro-sanctam perfectionem.* Clemens Alexandrinus apud Eusebium lib. 3. historiæ cap. 17. loquens de adolescente, quem Ioannes Apostolus concredidit Episcopo Ephesino, sic ait; *Baptismi Sacramento illuminatum, sigillo Domini tamquam perfectâ & tutâ animi custodiâ obsignauit.* Tertullianus lib. de Resurrectione carnis: *Caro vngitur, vt anima consecretur: caro signatur, vt anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, vt anima Spiritu sancto illuminetur.* Cyrillus Catechesi 3. mystagogica dicit: *Hoc sanctum vnguentum, postquam consecratum est, non esse amplius nudum vnguentum, sed chrisma Christi, quo cùm corpus vngitur, anima Spiritu sancto sanctificatur.* Cyprianus epist. 72. ad Stephanum Papam: *Tunc demum plenè sanctificari, & esse filij Dei possunt, si vtroque Sacramento nascantur* (scilicet Baptismo, & Cōfirmatione.) Et epist. 73. *Quod nunc quoque apud nos geritur, vt qui in Ecclesia baptizatur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, & manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo dominico cōsummentur.* D. Ambrosius lib. 3. de Sacramentis c. 2. *Post fontem sequitur spirituale signaculum, quo fiat perfectior, & infundatur Spiritus S.* D. Augustinus lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 104. *In hoc vnguento Sacramentum chrismatis vult Petilianus interpretari. quod quidem in genere visibilium signaculorum sacro sanctū est, sicut ipse baptismus.* Et infrà vocat illud *sanctum Sacramentum.*

Dionysius. Clemens Alex. Tertull. Cyrillus. Cyprian. Ambros. Aug.

Transfert in statum virilem. Probatur Quintò, Congruentiâ D. Thomæ. Quia sicut per baptismum regeneramur, & accipimus vitam spiritualem; ita cōueniens erat, vt esset aliquod Sacramentum, quo acciperemus Statum perfectum & virilem in vita spirituali; hoc autem est Confirmatio. Sed est

DVBIVM.

Quando hoc Sacramentum sit institutum.

7 Christus docuit Apostolos conficere chrisma in vltima cœna. SVppono esse institutum immediatè à Christo; vt suprà q. 64. a. 2. ostensum est; hic enim solus potest gratiam certò promittere, & statuere vt per sensibile signum infallibiliter detur.

Quo autem tempore sit institutum, non est ita clarum. Valdè tamen probabile est institutum in vltima cœna. Hoc enim insinuat Fabianus Papa epist. 2. cap. 1. ad Orientales: *In illa die Dominus* IESVS *postquam cœnauit cum Discipulis suis, & lauit eorum pedes, sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisq; reliquerunt, chrisma cōficere docuit.* Hinc patet institutam tunc materiam; vnde etiam verisimile est & formam: cur enim hæc separasset? Imò videtur Fabianus per chrisma totum Sacramentum intelligere; hoc enim à Patribus sæpè vocatur Chrisma; scil. à parte sui magis notabili.

Aduerte tamen Primò, Tunc non esse datam potestatem conficiendi, sed post resurrectionem, quando creati sunt Episcopi, vt tenet probabilior Sententia; scilicet, quando Ioannis 20. v. 22. eis dictum est, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c. Sed potestatem cōferendi dicit post Resurrectionem.

Aduerte Secundò, Christum nunquam hoc Sacramento esse vsum ad aliquem sanctificandum; vt notat D. Thomas ad 1. Et ratio est, Quia Spiritus sancti plenitudo, quæ est effectus huius Sacramenti, non erat danda ante ipsius glorificationem. Neque id mirum est, cùm neque Sacramentum Ordinis, neque Pœnitentiæ, neque extremæ Vnctionis contulerit: sed effectus horum Sacramentorum, sublimiori modo, tamquam Sacramentorum Auctor qui nullis externis cęremonijs est alligatus, contulit. Christus nulli contulit Confirmationē

ARTICVLVS II.

Vtrū Chrisma sit conueniens materia huius Sacramenti?

8 Materia remota Confirmationis est chrisma. REspondeo, & Dico Primò. Materia remota huius Sacramenti est chrisma. Patet hoc ex testimonijs allatis; & maximè ex Concilio Florentino, & Tridentino; & ex perpetua Ecclesiæ traditione.

Sed contrà objcitur. Spiritus S. datus est Apostolis Actorum 2: & familiæ Cornelij prædicante Petro in domo ipsius, Actorum 10. sine vllo chrismate, vel vnguento: & Actorum 8. & 19. non fit vlla mentio chrismatis, sed tantummodò impositionis manuum: ergo chrisma non est materia huius Sacramenti.

Respondeo, Actorum 2. & 10. singulari priuilegio datur Spiritus sanctus; seu res huius Sacramenti, sine Sacramento. Ad reliqua duo loca quidam respondent, Apostolos vsos initio Ecclesiæ *Sola manus impositione*, Christo sic dispensante. Et ratio est, Quia tunc dabatur Spiritus sanctus cum externa specie visibili, scilicet ignis, vel venti; vnde non erat opus alio peculiari signo externo ad significandam eius gratiam, prętер nudam manuū impositionem; verùm posteà, quando illa visibilis species desijt, tunc demum cœpisse adhiberi vnctionē, vt per eam significaretur, quod antea per ignem, vel ventum significabatur. Ita D. Thomas hic ad 1. & a. 4. ad 1. & passim Thomistæ. Idem tenet Scotus dist. 7. qu. 1. & Durandus qu. 2. quæ sententia videtur probabilis. Quidam existimant Apostolos confirmasse absq; chrismate.

9 Sed verius est Apostolos semper adhibuisse chrisma. Sed probabilius, & verius est, Apostolos nunqā hoc Sacramentum sine chrismate exhibuisse, vt docet Thomas Waldensis tom. 2. de Sacramentis c. 113. & Bellarminus agens de hoc Sacramento.

Probatur Primò, Quia nullus veterum docet Apostolos aliquando *per solam manus impositionem* dedisse Spiritum S. cùm tamen multi ex illis dicant ipsos vsos chrismate. Dionysius Areopagita cap. 4. Eccles. Hierarch. in principio: *Est alia quædam vnguenti perficiens operatio, quam duces nostri, Μύρα τελετὴν,* id est, *vnguenti Sacramentum vocarūt.* Fabianus Papa loco citato dicit Apostolos singulis annis conficere nouum chrisma consuesse: Dionys. Areop. Fabianus.

Clemens Rom.

ergo ordinariè vtebantur. Clemens Romanus lib. 7. Constitutionum Apostolicarum cap. 44. & 45 docet modum cõsecrationis vnguenti temporibus Apostolorum vsitatum. Parum autem videtur credibile, quod hoc Sacramentum variè administrauerint, cùm in cæteris eam libertatem non habuerint. Et confirmatur; Quia sola manus impositio fuisset omnino distinctum Sacramentum constans aliâ materiâ, & aliâ formâ; ac proinde fuissent octo Sacramenta; quod est contra sententiam Ecclesiæ.

Impositio manuum, & vnctio, pro eodem sumuntur.

Probatur Secundò, Quia per *Impositionem manuum* cõmodissimè possumus intelligere vnctionem; vt docet Waldensis suprà: qui enim inungit, manus imponit: manus enim imponere phrasi Hebræa, nihil est aliud, quàm tangere: sic Marci 7. cùm quidam pertijssent à Domino, vt lumatico manus imponeret, digito tetigit linguam eius & aures.

Probatur Tertiò, Quia Patres Vnctionem Chrismatis vocant *Manus impositionem*, tanquam hæc eadem sint, vel alterum in altero debeat intelligi, vt D. Augustinus l. 15. de Trinitate c. 26. *Orabant*, inquit, *vt Spiritus sanctus veniret in eos, quibus manus imponebant; nam ipsi eum dabant: quem morem in suis Præpositis etiam nunc seruat Ecclesia.* Hîc Augustinus vnctionem chrismatis dicit esse eundem morem, quem seruabant Apostoli imponendo manus. Cyprianus epist. 72. quæ est ad Stephanum, loquens de suo tempore, ait; *Manum imponi vt detur Spiritus sanctus*, & epist. 73. dicit id quod Petrus & Ioannes Act. 8. seruarunt *imponendo manus vt acciperent Spiritum sanctum, adhuc seruari in Ecclesia; quod*, inquit, *nunc quoque apud nos geritur, vt qui baptizantur* &c. Eusebius Papa epistola 3. *Manus quoque impositionis Sacramentum, magna veneratione tenendum est, quod ab alijs perfici non potest, nisi à summis Sacerdotibus; nec tempore Apostolorum legitur ab alijs peractum esse.*

August.

Cyprianus.

Eusebius Papa.

Probatur Quartò, quia Patres quando dicunt solos Episcopos dare Spiritum sanctũ per vnctionem chrismatis, id probant quia Act. 8. & 19. soli Apostoli manus imponebant: ergo volunt has cæremonias easdem esse; vel alteram in altera includi. Vide Eusebium Papam epist. 3. Cyprianum epist. 73. Damasum epist. 4. Innocentium III. Capitulo vnico, de Sacra Vnctione. §. penultimo. Et Concilium Florentinum.

Obiectio ex Cõcil. Florent. & Innoc. 3.

Sed contrà. Obijcitur Cõcilium Florentinum in instructione Armentorum; vbi dicitur loco *impositionis manus Apostolorum, dari nunc in Ecclesia Cõfirmationem.* Et Innocentius III. Cap. Vnico, de Sacra Vnctione, §. penult. vbi sic ait; *Per frontis chrismationem, manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio:* vbi videntur hæ cæremoniæ distingui.

Soluitur.

Respondeo, Concilij Florentinum solùm vult dicere, idipsum quod Apostoli faciebant, dum dicebantur manus imponere, nunc facere Episcopos cùm dicuntur confirmare: quod enim tunc *Manus impositio* vocabatur, nunc dicitur *Confirmatio*, quamquam esset idem Sacramentũ. Hanc esse Concilij mentem, confirmatum; quia Concilium inde probat Confirmationem non posse dari nisi ab Episcopo, eò quòd *manus impositio* solùm ab Apostolos daretur: quæ consequentia nihil valeret, si esset diuersa cæremonia. Innocentij autem III. testimonium est apertè pro nobis: dicit enim *manus impositionem* alio nomine vocari *Confirmationẽ*: ergo secundùm ipsum, est vna eademque res.

10 Chrisma cõstat oleo & balsamo.

Florentinum.

Dico Secundò, Istud chrisma quod est materia Confirmationis, non est oleum simplex, sed mixtum balsamo. Est fide certum.

Probatur Primò, Ex Concilio Florentino: *Secundum Sacramentum*, inquit, *est Confirmatio, cuius materia est chrisma confectum ex oleo (quod nitorem significat conscientiæ) & balsamo (quod odorem scilicet bonæ famæ significat) per Episcopum benedictum.*

Dionisius.

Probatur Secundò, Ex traditione Patrum. Dionysius de Eccl. Hierarch. c. 4. p. 3. dicit chrisma componi ex materijs suauiter spirantibus, & suauitate odoris fragrantẽ facere initiatum. Clemens Romanus lib. 7. Cõstitutionum c. 45. idem docet. Fabianus ep. 2. ad Orientales, dicit Christum instituisse vt chrisma conficeretur ex oleo & balsamo. Cyprianus sermone de vnctione chrismatis, ait; *Hodie sacrum chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum.* Gregorius I. Papa in 1. c. Canticorum, in illud; *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*, dicit; *In vineis Engaddi balsamum nascitur, quod cum oleo, Pontificali benedictione, chrisma conficitur, quo dona Spiritus sancti exprimuntur.* Innocentius III. Capit. Vnico suprà cit. Denique omnes Doctores Scholastici dist. 7.

Clemens. Rom. Fabianus.

Gregor. I.

Innocen. 3.

Vnguẽtum compositũ veteris testamenti fuit figura nostri chrismatis.

Probatur Tertiò, Ex figura huius Sacramenti: quia vnguentum quo Sacerdotes & Tabernaculũ veteris Testamenti vngebantur, erat figura nostri chrismatis, quo vngitur Ecclesia, quę est *viuum Dei Tabernaculum*; vt docet Cyprianus suprà de Vnctione chrismatis: & Petrus Damianus serm. 1. de Dedicatione: Atqui illud constabat diuersis liquoribus odoriferis; vt patet Exod. 30. inter quos erat *Besem*, id est, balsamum; quod Noster vertit *Stacte*, id est, guttula. Congruentia autẽ est, quia materia debet significare effectum Sacramẽti: effectus autem huius Sacramenti potissimùm est Confirmatio in fide, & fidei confessione; quæ requirit puritatem, & feruorem fidei in corde, quod significatur oleo, liquore puro, lucido & calido; & requirit constantem confessionẽ in ore, quod significatur balsamo; cuius bonus odor effunditur ad alios: vt colligitur ex Innocentio III. suprà D. Thoma, & Concilio Florentino.

Significatio olei & balsami in chrismate.

11 Mixtio balsami est de essentia Sacramenti

Dico Tertio, Mixto balsami videtur omnino esse de essentia huius Sacramenti. Insinuat D. Thomas hîc & lib. 4. contra Gentes cap. 6. & plerique Doctores, dum absolutè docent materiam huius Sacramenti esse oleum balsamo mixtum. Et Probatur Primò; Quia id apertè insinuat Concilium Florentinum. Secundò, Quia mixtio balsami est ex institutione Christi, eiusque præcepto: vt patet ex epistola Fabiani iam citata: quod est signum, esse de essentia Sacramenti: neque enim aliunde potest aliquid probari esse de essentia Sacramenti, nisi quia Christus sic instituit & præcepit.

Mixtio tamen aquæ cum vino non est de essentia sacrificij.

Dices Primò, Mixtio aquæ cum vino est ex Christi institutione, & tamen non est de essentia sacrificij.

Respondeo, Non esse propriè ex Christi institutione, sed Ecclesiæ, quę id instituit, & præcepit exemplo Christi, vt infrà dicetur: quod suo modo loquendi insinuat Concilium Florentinum: assignans enim materiam Eucharistiæ, non dicit eius materiam esse mixtum ex aqua, & vino, sicut confirmationis materiam dicit *esse Chrisma confectum ex*

ctum ex oleo & balsamo; sed absolutè *materiam esse vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima adhiberi debet*; satis insinuans aquam non esse de substantia, sed solùm præcepto Ecclesiæ adhiberi.

Satisfactio nō est pars essentialis Pœnitentiæ, sicut mixtio olei & balsami huius Sacramenti.

Dices Secundò, Satisfactio est ex institutione Christi; & tamē non est pars essentialis Sacramēti pœnitentię, sed solū integralis: ergo similiter balsamum poterit esse pars integralis. Ita Canus.

Respondeo, Negando Consequentiā. Est enim dispar ratio: satisfactio enim est pars Pœnitentiæ talis, quę nō supponitur formæ illius Sacramenti, sed ordinariè eam sequitur; neque actu concurrit ad actu constituendum Sacramentū Pœnitentiæ, quando substantialiter perficitur; sed solùm est complementum quoddam, quod absolutè possit abesse; imò fieri potest, vt nulla satisfactio sit imponenda: balsamum verò est pars, quæ necessariò supponitur formæ, & actu debet concurrere dum Sacramentum perficitur: vnde est pars essentialis.

12

An Innocentius III senserit in simplici oleo conferri hoc Sacramentum.

Dices Tertiò, Innocentius III. Capitulo *Pastoralis*, de Sacramentis non iterandis, consultus, An is qui per errorem nō chrismate, sed oleo tantùm fuerat delibutus, Sacramentū Confirmationis iteratò debeat suscipere? Respondet *Nihil in talibus iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum*: ergo balsamum non est materia necessaria huic Sacramento. Ob hoc argumentum multi recentiores putant balsamum non esse necessarium necessitate Sacramenti, sed solùm necessitate præcepti: vnde, si in solo oleo oliuarum benedicto conferatur, esse verum Sacramentum. Ita Caietanus hic. Victoria quæst. 41. de Confirmatione. Sotus dist. 7. art. 2. Nauarrus cap. 22. Enchiridij n. 8. Couarruuias lib. 1. Variarum resolutionum c. 10. num. 4.

In sola Iudæa olim balsamum reperiebatur.

Quod confirmatur Primò, Quia difficulter verum balsamum haberi potest; & olim in sola Iudæa reperiebatur, teste Plinio lib. 12. cap. 25. Cōfirmatur Secundò, Quia Paulus III. Pius IV. & Gregorius XIII. dicuntur permisisse, vt ex Indico balsamo Chrisma conficiatur; quod tamen videtur alterius speciei, quàm Iudaicum; quod est signum, hanc materiam non esse omnino necessariam, alioquí Pontifices non tam facilè concessissent.

Iudaicum balsamum & Indicum an differant essentialiter.

Verùm etsi hęc sententia non sit improbabilis: tamen quod diximus, est probabilius. Vnde aliter Respondeo. Verba Innocentij & generatim & formaliter accipienda: *In talibus*, nempe, in Sacramento Ordinis, & Cōfirmationis, quæ Characterem imprimunt, *nihil esse iterandum*, scilicet nec substantiā, nec cæremonias. Cęremoniæ enim iterandæ non sunt, quia sufficit esse semel administratas: substantia quoque Sacramenti non est iteranda, quia hæc Sacramenta sunt initerabilia. *Cautè itaque supplendum, quod prætermissum est*, siue illud substantiale sit, siue cęremoniale. Ex quibus verbis colligitur, Innocentium velle vt substantia Sacramenti conferatur, quia anteà collata nō fuerat; alioqui fatendum erit ipsum velle, vt solo balsamo, quod prætermissū fuerat, vngatur; quod ridiculum est, & nunquam factum. Addo: Saltem non esse certum, illam Confirmationem in oleo valuisse: vnde omnino oportebat eam sub conditione in materia certa conferre: nec Innocentius aliud poterat respondere.

Explicatur Innocentius.

Ad primam Confirmationem: Respondeo facilè tantillum balsami potuisse haberi: nam in Iudæa erat magna copia; vt patet ex Iosepho lib. 8. cap. 2.

Ad secundam Confirmationem: Sicut quoduis vinum sufficit ad Eucharistiam, ita quoduis balsamum ad hoc Sacramentum.

ARTICVLVS III.

Vtrùm sit de necessitate huius Sacramenti, vt chrisma fuerit ab Episcopo consecratum?

13

Necessariū est vt chrisma sit ab Episcopo benedictum. Concil. Romanum. Carthaginense. Florentinum. Clemens Rom. Dionysius. Innoc. III.

Respondeo. Necessarium esse, vt hoc chrisma sit ab Episcopo consecratum, seu benedictū. Est certum. Quia multa Concilia prohibent, ne Sacerdos chrisma cōficiat, eò quòd hoc sit munus Episcopi. Concilium Romanum sub Siluestro can. 1. *Constituit Siluester clara voce, vt nemo Presbyterorū chrisma conficeret.* Carthaginense II. can. 3. *Vt chrisma, & consecratio puellarum, & reconciliatio ad pœnitentiam à Presbyteris non fiant.* Et apertè Concilium Florentinum in instructione Armenorum: *Soli Episcopo licere chrisma consecrare.* Idem colligitur ex Clemente Romano, lib. 7. Constitutionū Apostolicarum, cap. 45. & Dionysio Areopagita cap. 4. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, vbi agit de consecratione chrismatis, eamque dicit perfici per Hierarcham. Denique Innocentius III. Capitulo *Cùm venisset*, de Sacra Vnctione. Eadem est sententia communis Theologorum. Ratio præcipua est Christi institutio: qui sic instituit, quia decebat materiam Sacramentorum ista benedictione veluti disponi, & eleuari ad formam sacramentalem. Baptismi quidem & Eucharistię materiæ per ipsum vsum Christi Domini sanctificatæ sunt; vnde nō egent necessariò noua benedictione. Sed vnctione visibili Christus non est vsus, ne iniuria fieret vnctioni inuisibili: vnde oportuit illam materiam noua benedictione sanctificari.

Materia Sacramentorum per benedictionem disponitur & eleuatur.

DVBIVM I.

Vtrùm hæc benedictio, seu consecratio chrismatis sit de necessitate Sacramenti?

14

Consecratio chrismatis est de essentia huius Sacramenti.

Caietanus insinuat non esse. Sed communis sententia est, chrismate non benedicto non perfici Sacramētum: quod omnino est tenendum.

Probatur, Quia hæc benedictio est ex institutione Domini; vt cōstat ex epistola Fabiani Papę, vbi ait *Dominum in nocte cœnæ docuisse Apostolos confícere chrisma*, id est, benedicere per inuocationem Spiritus sancti. Et ex Cyrillo Hierosolymitano Catechesi 3. mystagogica, vbi dicit, *Hoc vnguentum post Spiritus sancti inuocationem non esse commune vnguentum, sed chrisma Christi, quod aduentu Spiritus sancti vim habet.* vbi satis insinuat nullam vim habiturum sine hac inuocatione Spiritus sancti. Cyprianus sermone de vnctione chrismatis: *Sanctificatis elementis iam non propriè natura præbet effectū, sed virtus diuina potentius operatur: adest veritas signo, & Spiritus Sacramento.* Denique idem colligitur ex Concilio Florentino, quod absolutè hanc benedictionem requirit.

Hæc consecratio, non est certis verbis aut formis alligata.

Vnde sequitur Primò, Hanc benedictionem non esse cæremoniam aliquam accidentariam Sacramento, qualis est benedictio fontis, sed essentialem. Secundò, Non posse ab Ecclesia tolli; quia Ecclesia non potest essentialia mutare.

Aduerte tamen formam benedictionis, quâ Ecclesia vtitur, non esse necessariam, sed sufficere quamuis inuocationem Spiritus sancti, vt benedicat & sanctificet hoc vnguentum, quamuis alijs verbis fiat, quàm Ecclesia præscripsit. Ratio est, Quia Dominus non præscripsit determinata verba, sed solùm Spiritus sancti vel diuinitatis inuocationem, ad sanctificationem vnguenti. Vnde nec semper, nec vbique eadem forma inuocationis seruatur. Pari ratione non est necessaria probitas, aut fides ministri; sed sufficit legitima intentio benedicendi Chrismatis vt Christus instituit, vel vt Ecclesia seruat.

DVBIVM II.

An hæc benedictio necessariò fieri debeat ab Episcopo?

15 Sacerdos simplex non potest hoc Chrisma consecrare potestate ordinariâ.

REspondeo Primò, Certum est Sacerdotem simplicem suâ ordinariâ potestate non posse hanc benedictionem præstare, quidquid dicat Caietanus: est enim communis sententia Theologorum. Patres etiam & Concilia requirunt benedictionē Episcopi, & negant à Presbytero eam posse fieri. Quòd si Presbyter haberet potestatem ordinariam, non ita absolutè requirerent Episcopi benedictionem; nec ipsi eam negarent ita absolutè.

Caietanus censet id eum posse ex commissione Papæ.

Probabile tamen est, ex commissione Pontificis Presbyterum posse. Ita Caietanus hîc; & Victoria quæst. 43. & aliqui alij recentiores. Probatur, Quia potest esse minister ipsius Sacramenti Cōfirmationis, quod maius est, vt infrà dicemus: cur ergo ex eadem commissione non posset conficere Chrisma, quod minus est?

16 Sed probabilius est, non posse.

Contrarium tamen est probabilius, scilicet Papam non posse hanc benedictionem Presbytero committere: cuius signum est, quòd nunquam legatur id fecisse. Confirmatur ex Concilio Florentino, quod absolutè requirit, *vt sit benedictum ab Episcopo:* cùm tamen ibidem dicat *ex commissione Pontificis aliquando concessum Presbyteris, vt hoc Sacramentum conferrent.* Et ratio est, Quia cùm iure diuino hoc sit concessum Episcopis, vt chrisma cōficiant, vt patet ex suprà dictis, non facilè asserendum est Pontificem id posse extendere ad alios, nisi maior ratio vel auctoritas id conuincat.

Potest tamen ex hac commissione Confirmare.

Nec obstat quòd conferre Sacramentum amplius videatur, quàm disponere materiam: quia potuit esse legitima causa, cur Dominus ita voluerit esse Episcopum ministrum Sacramenti, vt hoc ministerium ttiã simplici Presbytero posset committi: nempe, quia Episcopi non possunt se ad omnia loca, vbi hoc Sacramentum conferendum est, transferre. Quæ ratio locum non habet in benedictione materiæ.

Concil. Toletan.

Dices, Concilium Toletanum Primũ Canone 20. apertè dicit, *In quibusdam locis, vel prouincijs dicuntur Presbyteri chrisma conficere:* nec tamen id damnat tamquam irritum. Respondeo, Non est credibile in Ecclesijs Catholicis fuisse vnquã permissum Presbyteris vt conficerent chrisma Confirmationis; fuisset enim intolerabilis abusus contra tot Canones, cum periculo summi sacrilegij. Vnde Concilium videtur loqui de chrismate, quo baptizati vnguntur in vertice; quæ vnctio, cùm sit cæremonialis, posset ab Ecclesia eius benedictio Sacerdoti committi. Vsus tamen Ecclesiæ habet, vt hæc quoque vnctio fiat chrismate per Episcopum benedicto.

Et chrisma baptismi consecrare.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm hæc sit conueniens forma Confirmationis: Consigno te signo Crucis, &c.

17 Forma hæc est conueniens.

REspondeo, Hanc esse conuenientem formã: *Consigno te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Ratio est, Quia in ea exprimitur causa principalis huius Sacramenti, scilicet sanctissima Trinitas: & ministerialis, scilicet minister: & effectus Sacramenti, qui duplex est; Primò, Facere militē Christi, insigniendo illum exteriùs Cruce, interiùs Charactere; Secundò, Corroborare ad pugnam spiritualem, confirmando chrismate.

Constat id magis ex Traditione quàm scripto.

Notandum Primò, Hanc formam, sicut & reliquas Sacramentorum, magis traditione, quàm scripto haberi. Nam vt Dionysius ait c. 7. par. 3. Ecclesiasticæ Hierarchiæ: *Consecratorias inuocationes has non est scripto euulgare.* Et Innocentius I. epist. 1. c. 3. de Confirmatione; *Verba dicere non possum, ne magis prodere videar, quàm ad consultationem respondere.* Insinuat tamen eam Apostolus 2. ad Cor. 1. v. 21. *Qui confirmat,* inquit, *nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos Deus; qui & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris?* Ambrosius c. 7. de ijs, qui mysterijs initiantur; *Serua quod accepisti; signauit te Deus Pater, confirmauit te Christus Dominus.*

Est essentialis.

Notandum Secundò, Hanc formam videri essentialem; vt colligitur ex Concilio Florentino. Vnde si sic mutetur, vt non seruetur eadē sententia, nihil fiet. Debent autem exprimi tres Personę diuinæ, sicut in Baptismo: tum, quia hoc Sacramentum est consummatio quędam baptismi; tùm, quia homo per hoc armatur propriè ad fidei professionem, quæ potissimùm versatur circa mysteriũ Trinitatis. Actio quoque Ministri necessariò exprimenda, sicut in Baptismo; quod fit, cùm dicitur: *Consigno te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis.* Fortasse tamen dictio illa (*salutis*) non est de substantia, cùm videatur contineri in verbo *Confirmandi.* Idē fortè dici posset de hoc verbo (*Chrismate*) & (*signo Crucis:*) nam *signatio* apud Christianos intelligitur fieri signo Crucis, & *confirmatio* chrismate. Quia tamē res est dubia, si quis sic cōfirmatus esset, deberet sub conditione iterari.

Explicantur singulæ eius partes.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Sacramentum Confirmationis imprimat Characterem?

18 Character Baptismi & Confirmationis distinguũtur realiter.

REspondeo, Imprimere Characterem. Vide suprà qu. 63. art. 1. n. 2. Notandum est hunc Characterem distingui realiter à Charactere Baptismi. Ratio est, Quia Cōfirmatio est Sacramentum omnino distinctum à Sacramento Baptismi: nam ad diuersa munera per hæc deputamur: per Characterem enim Baptismi efficimur membra Christi, & capaces Sacramētorum: per Characterem Cōfirmationis consignamur in milites Christi ad eius fidem publicè profitendam.

Dices,

Dices, D. Augustinus lib. 3. de Baptismo cap. 16. dicit manus impositionem posse repeti: *Manus*, inquit, *impositio, non sicut baptismus, repeti non potest: quid enim est aliud, quam oratio super hominem?* ergo non imprimit Characterem.

Quænam manûs impositio iuxtà Augustinum non imprimat Characterem.

Respondeo, Illa verba intelligenda de manûs impositione reconciliatoria, per quam hæretici recipiebantur in Ecclesiam: vt patet expendenti totum Augustini discursum, præsertim capitis 17. & 18. Nam secundùm D. Augustinum Sacramentum Confirmationis etiam in pessimis hominibus manet, sicut & Baptismus: & ideò repeti non potest. Vide illum lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 104. De varia manûs impositione, vide Franciscum Turrianum in cap. 19. libri octaui Constitutionum Clementis.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Character Confirmationis præsupponat Characterem Baptismi?

19 Character Baptismi supponitur necessariò ceteris omnibus Sacramentis.

Respondeo, Characterem Baptismi necessariò supponi Characteri Confirmationis, sicut & reliquis omnibus Sacramentis: adeò vt, si quis non sit baptizatus, nullum Sacramentum in ipso sit validum. Est communis sententia Doctorum. Contrarium est errori proximum.

Probatur ex Canone *Præter hoc*, distinct. 32. vbi Alexander II. dicit Baptismum esse prius & magis necessarium Sacramentum, quàm vllum aliud. Et ex Concilio Florentino; *Primum omnium Sacramentorum tenet Baptismus, quod vitæ spiritualis ianua est, per ipsum enim membra Christi, & de corpore efficimur Ecclesiæ.*

Idem Probatur ex Capitulo *De Presbytero non baptizato*, vbi Concilium apud Compendium vrbem Galliæ, iubet eum reordinari. Et Capitulo 3. eiusdem tituli idem approbat Innocentius III. neque facit vllam differentiam inter ea, quæ imprimunt Characterem, & non imprimunt. Vide etiam Concilium Tridentinum sess. 14. c. 1. vbi dicit *Pœnitentiam ante baptismum non esse Sacramentum.* Ratio est, Institutio Christi, qui voluit Characterem baptismi esse veluti potentiam receptiuam ad reliqua Sacramenta.

Dices, Quòd si quis non baptizatus bona fide putet se esse baptizatum, & in gratia suscipiat Eucharistiam; nullumne percipiet fructum?

20 Absque baptismo inutilia sunt alia Sacramenta.

Respondeo, Nullum percipiet ex vi Sacramenti, non magis quàm ex hostia non consecrata. Contrarium accidit in infantibus baptizatis, qui olim percipientes Eucharistiam, accipiebant fructum Sacramentalem sine vllo proprio motu. Nec obstat quòd familia Cornelij acceperit Spiritum sanctum ante baptismum: quia non accepit Spiritum sanctum per aliquod Sacramentum, sed extraordinario miraculo: Deus enim, qui non est alligatus Sacramentis, potest Sacramenti effectum sine Sacramento dare. Vsus est autem tunc hoc extraordinario modo, vt præcipuè ostenderet Gentes non esse excludendas à gratia baptismi, quamuis priùs non fierent Iudæi. Credibile autem est eos, qui sic Spiritum sanctum acceperunt, non fuisse ampliùs confirmatos; ac proinde tunc impressum fuisse Characterem.

Cornelius accepit Spiritum sanctum ante baptismum.

Et Characterē Cõfirmationis.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm per Sacramentum Confirmationis conferatur gratia gratum faciens?

21 Affirmatur

Respondetur, Hoc Sacramentum conferre gratiam gratum facientem ad robur pugnæ spiritualis fidei. Probatur ex capite 8. & 19. Actorum, vbi ad impositionem manuum datur Spiritus sanctus. Atqui missio Spiritus sancti nunquam est, nisi cum gratia iustificante. Vide suprà quæst. 62. art. 1.

Dices, In Baptismo datur Spiritus sanctus: ergo non datur in Confirmatione.

Respondeo Negando Consequentiam. Nam in omnibus Sacramentis datur Spiritus sanctus, sed ad diuersos effectus, vt suprà dictum est qu. 62. num. 3. art. 2. num. 10. & 11.

DVBIVM I.

Vtrùm Confirmatio det maiorem gratiam quàm Baptismus?

22 Affirmatur

Omissis sententijs: Respondeo, valdè probabile esse, copiosiorem gratiam dari Confirmatione, quàm Baptismo. Probatur, Quia Scriptura Baptismo solùm tribuit *renasci*, sed Confirmationi propriè *dare Spiritum sanctum.* Secundò, Quia Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia c. 4. Confirmationem dicit esse Τελεῖν, id est, *perfectionem*, & Τελειωτικὴν, id est, *perfectiuam.* Alij Patres dicunt in ea dari plenitudinem Spiritus S. & nos per eam fieri plenè Christianos.

Dionysius.

Ratio conuenientiæ.

Quod confirmatur à simili: Nam homo secundùm corpus maiorem accipit corpoream molem per vim augmentatiuam, quàm per generationem: nihil ergo miri, si per Confirmationem, quæ est veluti vis augmentatiua, maiorem gratiam consequamur, quàm per Baptismum, qui est spiritualis regeneratio. Quod satis patuit in Apostolis, qui in Pentecoste maiorem gratiam sunt consecuti, quàm anteà per Baptismum.

DVBIVM II.

Quæ dispositio requiratur ad gratiam huius Sacramenti?

23 In iusto nulla requiritur dispositio præter gratiam habitualem.

Respondeo, & Dico Primò, In iusto, præter gratiam habitualem, nihil absolutè necessarium est, præter intentionem huius Sacramenti suscipiendi. Ratio est, Quia gratia habitualis est sufficiens dispositio ad aliquod augmentum ex opere operato suscipiendum; intentio autem illa nõ tam requiritur ad effectum Sacramenti, quàm ad eius substantiam; quâ substantiâ positâ necessariò sequitur effectus in homine iusto: quia non ponentibus obicem Sacramenta necessariò dant gratiam.

Commendatur reuerentia.

Curandum tamen est, Vt cum magna reuerentia, & præparatione ad tam eximium Sacramentum accedatur.

24 In peccatore memore necessaria est cõtritio vel attritio.

Dico Secundò, In eo, qui peccauit mortiferè, necessariò requiritur contritio, vel saltem attritio, quæ bona fide putetur contritio. Ratio est, Quia hoc Sacramentum non est institutum ad

conferendam primam gratiam, sed ad augmentum, & perfectionem: vnde dicitur Sacramentum viuentium: ergo supponit statum gratiæ, qui sit vel re verâ, vel bona fide putetur esse. Vide D. Thomam ad 2.

In immemore sufficit virtualis attritio

Vbi tamen aduerte, Si quis esset in peccato mortifero per ignorantiam, non iustificaretur per hoc Sacramentum, nisi haberet veram contritionem, vel saltem attritionem virtualem: quia peccatum mortiferum non potest sine pœnitentia remitti, etiamsi ignoretur, vt probandum est de Sacramento Pœnitentiæ. Cum hac moderatione intellige D. Thomam.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm hoc Sacramentum sit omnibus exhibendum?

25 REspondetur exhibendum omnibus. Ratio est, Quia sicut natura intendit, vt omnis qui corporaliter nascitur, ad perfectam ætatem perueniat; ita multò magis intendit Deus, vt omnis qui spiritualiter renascitur, perueniat ad statum perfectum vitæ spiritualis.

DVBIVM I.

Vtrùm hoc Sacramentum sit conferendum infantibus ante vsum rationis?

26 Varia fuit Ecclesiæ consuetudo in cõfirmatione conferenda.

REspondeo, Seruandam esse Ecclesiæ consuetudinem. Olim cum baptismus solùm bis in anno conferretur, scilicet in profesto Paschæ, & Pentecostes, simul dabatur Sacramentum Cõfirmationis. Nam Episcopus facilè bis poterat adesse, & minor erat fidelium multitudo. Vnde etiam tunc dabatur infantibus: vt patet ex Dionysio, Melchiade, & alijs. Vide Thomam Waldensem tomo 2. cap. 140.

Cur nunc differatur vsque ad initiũ vsus rationis.

Posteà quando ob multitudinem, & alias causas, id non potuit seruari; separatim conferri cœpit hoc Sacramentum: & ex illo tempore expectatum ferè vsque ad initium vsus rationis: Quod & nunc passim seruatur; & probat Catechismus ad Parochos Pij V. Ratio est, Quia decet, vt si necessitas non premat, suscipiatur cum propria fide & deuotione; cùm sit Sacramentum tantæ dignitatis. Decet quoque, vt hoc Sacramẽto professionem fidei quisque per se faciat, cùm in baptismo fecerit per alium. Denique vt periculum repetitionis vitetur.

27 Dices; Canone *Vt ieiuni.* de Consecratione dist. 5. dicitur, *Vt ieiuni veniant ad Confirmationem perfectæ ætatis, & vt moneantur anteà confessionem facere*: ergo &c.

An ieiuniũ vel cõfessio prærequirantur ante hoc Sacramentum.

Respondeo, Canonem loqui de adultis, non de pueris: vnde non sequitur pueros non posse confirmari. Vbi aduerte, non esse præceptum sub peccato mortali, vt ieiuni accedant: nec consuetudo sub tam stricta obligatione hoc obseruat. Nam sæpè hoc Sacramentum confertur post prandium. Valdè tamen est consulendum. Similiter consulenda confessio, quamuis non sit præcepta, cùm contritio, vel etiam attritio existimata contritio, etiam in peccatore sufficiat.

Aduertendum est, Etsi infantibus non detur ordinariè hoc Sacramentum, eò quòd expectetur vsus rationis; tamen si iste vsus non putetur futurus, hoc Sacramentum non est differendum. Ratio est, Quia non solùm datur ad pugnam spiritualem, sed etiam ad sanctitatẽ & gloriam maiorẽ, vt patet ex D. Th. ad 4. Quod satis est, vt meritò alicui possit & debeat, etiamsi nunquam sit pugnaturus, conferri. Vnde vtilissimè daretur etiam moribundis, siue infantes sint, siue adulti. Quod autem hoc non sit vsitatum, fortassis causa est, quia non potest commodè fieri Episcopis occupatis: & quia non est absolutè necessarium, vt Melchiades ait.

An, & quãdo expediat hoc Sacramentũ differri in infantibus & moribundis.

Deinde, etiam dari debet perpetuò amentibus, quidquid dicat Sotus. Non enim est ratio, cur tanto bono sint priuandi, cùm per gratiam baptismalem sint satis dispositi; & nulla in Sacramentum irreuerentia committatur: præsertim cùm Patres dicant, sine hoc Sacramento non esse perfectum Christianum. 28 Dandum etiam hoc Sacramentum amentibus.

Etsi aliquãdo vsi fuerint ratione.

Tertiò, Dari debet etiam amentibus, qui aliquando vsum rationis habuerunt, si non putentur ad mentem redituri. Nec opus est vt hoc Sacramentum expresse petierint; sufficit enim generalis voluntas, quia quisque fidelis, dum ratione vtitur, censetur velle omnia ordinaria salutis suæ adminicula; nec sciatur esse in malo statu.

DVBIVM II.

Vtrùm Confirmatio sit præcepti, an consilij tantùm?

29 Omissio huius Sacramenti per se non est peccatũ saltem mortiferum.

OMnibus consideratis, probabilius est, non esse vllum præceptum, quod per se obliget fideles ad Sacramentum Confirmationis. Vnde secluso contemptu, prætermissio eius non est per se peccatum, saltem mortiferum. Colligitur ex D. Thoma hoc articulo: & Docet Caietanus in Summa, verbo *Confirmatio*. Adrianus tractatu de Confirmatione art. 1. Franciscus Victoria de Cõfirmatione, quæst. 48. Couarruuias lib. 1. Variarũ resolutionum cap. 1. num. 9. Nauarrus in Enchiridio cap. 22. num. 9. Sotus distinctione 7. art. 8. & plerique alij recentiores. Probatur; quia tale præceptum vel esset directè à Christo Domino impositum, sicut præceptum Baptismi, & Eucharistiæ: vel oriretur ex natura rei, suppositâ dumtaxat institutione huius Sacramenti: vel esset impositum ab Ecclesia. Atqui nullo horum modorum de tali præcepto constare potest: ergo non est introducendum. Patet Consequentia: Quia nullum præceptum obligans sub mortali introducendum, nisi satis constet extare; vt patet ex tractatu de Legibus.

Probatur non esse aliquod Præceptum ad hoc Sacramentum suscipiendum.

Minor patet: Quòd enim Dominus tale præceptum dederit, nec ex Scripturis, nec ex traditione habetur.

Quòd etiam ex natura Sacramenti non oriatur, patet; quia hoc Sacramentum neque est necessarium ad salutem, vt patet in Infantibus: neque ad fidem constanter profitendam; nam alijs medijs, vt oratione, & bonis operibus auxilium necessarium potest obtineri. Nam, licet hoc Sacramentum non esset institutum, obtineri posset quod necessarium est ad profitendam fidem. Denique, neque præceptum Ecclesię extat; nam vsus Ecclesiæ non habet, vt quis cogatur ad hoc Sacramentum: alioqui maior cura adhiberetur, vt omnibus

omnibus administraretur, etiam morituris. Accedit, quòd Ecclesia nõ soleat de Sacramentis præcepta condere, præcipiendo absolutè ipsum vsũ, sed solùm determinando tempus.

30 Solvuntur Obiectiones.

Dices: Apostoli Actorum 1. v. 4. habuerunt præceptum exspectandi Spiritum sanctum, cuius infusio, est effectus Confirmationis: *Et conuescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris &c.* Atqui hæc promissio infusionis Spiritus sancti pertinet ad omnes, vt patet ex concione Petri Actorũ 2. & ex testimonio Ioëlis, quod Petrus adducit: ergo omnes habent præceptum hanc gratiam quærendi.

Respondeo; Apostolis id præceptum, non tam ob gratiam gratum facientem, quàm ob dona gratis data, quibus debebant instrui ad munus Apostolicum, sine quibus erant omnino inepti ad illud munus.

Dices Secundò, Patres dicunt, omnes debere hoc Sacramentum suscipere, vt sint perfecti Christiani. Et Melchiades Papa dicit Confirmationis auxilia victuris esse necessaria; & hoc Sacramentum ita esse coniunctum baptismo, vt nisi interueniente morte non posset separari, aut vnum sine altero ritè perfici.

Respondeo; Istis verbis non significatur vlla obligatio, nisi fortè ea, quæ oritur ex natura rei suppositâ institutione. At satis constat ex natura rei non esse necessarium. Neque enim obligamur esse ita pleni Christiani, sed sufficit plenitudo, quę est per baptismum; & posteà alijs Sacramentis, ac bonis operibus perficitur. Et confirmatur, quia alioqui morituris esset necessariò conferendum. Neque etiã obligamur ratione professionis fidei; quia alijs modis sufficiens ad hanc auxiliũ potest impetrari. Significatur ergo tantummodò magna vtilitas, quæ interdum vocatur necessitas.

An, & quæ sit necessitas suscipiendi Sacramentum Confirmationis.

Quòd autem Melchiades ait, *vnum sine altero ritè non perfici*, intellige secundùm ritum & consuetudinem veteris Ecclesiæ, quæ solet hoc Sacramentum statim post baptismum conferre.

31 Omissio huius Sacramenti vnde, & quibus titulis possit esse peccatum.

Aduerte tamen; etsi omissio huius Sacramenti per se non sit peccatum, præsertim mortale, tamẽ potest esse ratione adiuncti. Primò, ratione contemptûs, vt si quis nollet confirmari, existimans esse rẽ puerilem, & se indignam. Secundò, ratione scandali; vt si putaretur contemnere, aut non esse Catholicus. Tertiò, ratione propriæ conscientię; vt si putaret se aliter nõ fore satis firmum in fide, aut fidei confessione. Denique vix vnquam potest hoc Sacramentũ omitti sine aliquo peccato: quia vix potest adesse iusta causa tanti boni negligendi, quod tam facile potest haberi.

32 An hoc Sacramentum debeat præmitti Sacramento Eucharistiæ, vel alijs.

Quòd autem quidam dicunt Confirmationem debere præmitti ante Eucharistiam, id intellige ex decentia, non ex obligatione. Nusquam enim extat præceptum ad hoc obligans; neque consuetudo Ecclesiæ id semper seruat. Similiter non est obligatio, vt antecedat extremam Vnctionem, vel Matrimonium. Addo, Non videri obligationem sub peccato mortifero, vt is qui ordinatur, aut etiam qui confert hoc Sacramentum, sit confirmatus. Vt colligitur ex Soto hoc loco, Nauarro cap. 22. nu. 9. Victoria quæst. 46. de Confirmatione.

Ratio est, Quia nusquam tale præceptum habetur. Nec obstat Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 4. vbi dicit, *Ne quis tonsurâ initietur, qui non sit confirmatus.* Quia nullum est verbum quod indicet propriè dictum præceptum. Valdè tamen esset reprehensibile, si fieret contrarium.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm hoc Sacramentum sit conferendum in fronte?

33

REspondetur, Vnctionem Chrysmatis esse in fronte perficiendam, idque in formam Crucis. Ita Concilium Florentinum, quod vtrumque definit.

Vnctio frontis in modum crucis, est materia proxima huius Sacramenti.

Notandum est Primò, Remotam quidem materiam huius Sacramenti esse *Chrisma ab Episcopo benedictum*: sed proximam esse, *Vnctionem frontis in modum Crucis*; sicut in Baptismo, proxima materia est ablutio; in extrema Vnctione olei illitio.

Si fiat extra frontẽ non valet.

Notandum Secundò, Hanc signationẽ in fronte esse de substantia huius Sacramenti, adeò vt si in alia parte fiat, v. g. in vertice, non constet Sacramentum: vt communiter Doctores, Durandus, Scotus, Paludanus, & alij distinctione 7. Nam in hoc distinguitur hæc vnctio Confirmationis, ab vnctione Baptismi quæ fit in vertice, vt patet ex testimonijs suprà citatis. Vnde Pontifices docent solis Episcopis licere signare baptizatos in fronte. Vide Innocentium I. epist. 1. cap. 3. Damasum epist. 4. Leonem I. epist. 83. & alios. Idem apertè docent Patres. D. Augustinus in illud Psalmi 141. vers. 4. *In via hac qua ambulabam &c.* dicit quædam Sacramenta accipi in toto corpore, vt Baptismum; quædam in ore, vt Eucharistiam; quædam in fronte, vt signaculum crucis in Confirmatione: *Quia*, inquit, *frons est locus pudoris, vt non erubescamus Dominum confiteri.* Idem expresè habet Concilium Florentinum. Vnde deceptus est Franciscus Victoria, quæst. 51. existimans hoc esse solùm necessarium necessitate præcepti, non Sacramenti.

Innocent. I Damasus. Leo. 1. August.

Victoria fallitur.

Notandum Tertiò, Signum crucis esse de substantia, quia exprimitur in forma. Idem insinuant Patres, dum dicunt *frontem signari*: hoc enim signum apud Christianos non est aliud, quàm signũ crucis. Ratio est; quia efficimur milites Christi; vnde eius Characterem, quod est signum crucis, oportebat accipere.

34 Item non valet, si hat abiq; signo crucis.

Debet fieri per manum Episcopi sine medio instrumento.

Notandum Quartò; Valdè probabile esse hanc vnctionẽ debere fieri immediatè per manus Episcopi; nec satis esse, vt fiat medio instrumento, quia requiritur manus impositio: vt patet ex suprà dictis. Debet ergo manu tangere. Sufficit tamen pollex, vel digitus; quia sic dicimur manu tangere.

ARTICVLVS X.

Vtrùm is qui Confirmatur, debeat teneri ab aliquo?

35 Affirmatiue.

REspondetur; Eum, qui confirmatur, debere habere susceptorem, à quo in militia Christiana instruatur: sicut qui baptizatur habet susceptorem, à quo instruatur in ijs, quę ad communem fidem, & mores pertinent.

Notandum est Primò, Hanc cæremoniam esse valdè antiquam, vt patet ex Canone *In Catechis-*

mo de Consecratione, distinctione 4. qui est Higinij Papę.

Susceptoris in Confirmatione similis ferè obligatio & cognatio, qualis in Baptismo.

Notandum Secundò; Quòd talis ferè hîc nascitur obligatio, & cognatio spiritualis, qualis in Baptismo: quamuis obligatio instruendi, vsu pęnè videatur abolita, eò quòd illi qui confirmantur, ordinariè sint satis instructi, vel ab alijs satis instruantur. Si tamen hoc non esset, teneretur Susceptor. Cognatio autem spiritualis reuocanda est ad terminos præscriptos à Concilio Tridentino, sess. 24. cap. 2. Vbi etiam insinuatur solum vnum vel vnam debere suscipere in Confirmatione.

Susceptor debet esse Confirmatus.

Notandum Tertiò, Hunc Susceptorem debere esse confirmatum; alioquin peccat, & non contrahit cognationem: vt rectè docet Angelus, verbo Confirmatio. num. 11. Tabiena ibidem §. 7. Victoria quæst. 51. Et colligitur ex Canone *In Baptismate* distinct. 4. de Consecratione. Vbi sicut dicitur, *non baptizatum non posse tenere in Baptismo*, ita dicitur *non confirmatum non posse tenere in Confirmatione.*

ARTICVLVS XI.

Vtrùm solus Episcopus, hoc Sacramentum conferre possit?

36 Error Armacani & VVicleff.

RIchardus Armacanus lib. 11. cap. 4. vult etiam Presbyterum, & Diaconum esse ordinarios huius Sacramenti ministros. Idem docuit Ioannes Wicleff. Contra quos agit Thomas Waldensis tomo 2. cap. 114. & sequentibus.

Solus Episcopus est ordinarius minister Confirmationis

Sed fide tenendum est, solum Episcopum esse ministrum ordinarium huius Sacramenti.

Concilia.

Probatur Primò, Ex Concilio Florentino: *Ordinarius minister*, inquit, *Sacramenti Confirmationis, est Episcopus; & cùm ceteras vnctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre.* Cõcilium Tridentinũ sess. 7. can. 3. *Si quis dixerit Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemuis simplicem sacerdotẽ, anathema sit.* Vide plura de Consecratione distinctione 5.

Exempla Scripturæ.

Probatur Secundò, Exemplis Scripturæ. Nam Actorum 8. cùm Philippus Diaconus baptizasset plurimos in Samaria, non tamen eis manus imposuit; sed ad hoc Hierosolymis missi sunt Apostoli, Petrus, & Ioannes. Actorum 19. Præsente Paulo baptizantur duodecim viri, sed Paulus imponit illis manus. Hinc infert Concilium Florentinum, & Eusebius Papa, istud Sacramentum nõ conferri posse nisi ab Episcopis, qui in locum Apostolorum successerunt.

Ratio D. Thomæ.

Ratio D. Thomæ est valdè bona: Cùm enim hoc Sacramentum sit Sacramentum perfectionis, oportuit ab eo conferri, qui inter ministros statũ perfectionis obtinet, qui est Episcopus. In quo etiam errauit Armacanus, existimans, ordinẽ Episcopatus non distingui à Presbyteratu.

Obiectio ex D. Hieronymo Soluitur.

Dices; Hieronymus contra Luciferianos insinuat impositionis manum Sacramẽtum ad honorem potiùs sacerdotij, quàm ad legis necessitatẽ à solis Episcopis conferri.

Respondeo Primò, Hieronymum non videri satis intellexisse Episcopũ iure diuino esse maiorem Presbytero, de quo plura suo loco. Secundò, fortè sic loquitur, quia potest committi Presbytero.

DVBIVM.

Vtrùm summus Pontifex collationem Confirmationis possit Presbyteris delegare?

37 Quidam negant.

QVidam Doctores Negant: Durandus dist. 7. quæst. 3. & 4. Adrianus de Confirmatione art. 3. Alphonsus à Castro lib. 2. De iusta hæreticorum punitione cap. 21. & 22.

Verisimilior est opinio affirmans.

Respondeo & Dico Primò, Summus Pontifex potest dare Presbyteris potestatem, vt validè hoc Sacramentum conferant. Est communior sententia Doctorum, & pænè certa. D. Thomas hoc loco. Alexander Alensis 4. parte, quæst. 28. num. 1. art. 3. Richardus, Paludanus, Capreolus, Dominicus Soto dist. 7. Ruardus art. 12. Franciscus Turrianus in cap. 17. libri tertij Clementis de Constitutionibus Apostolorum. Denique plurimi Iurisperiti apud Couarruuiam lib. 1. variarum Constitutionum. cap. 10.

Gregorius I. commisit Presbyteris Sardiniæ.

Probatur Primò, Testimonio D. Gregorij, quod D. Thomas hîc habet in Primo argumento: vbi id concedit Presbyteris Sardiniæ ad tollendum scandalum, quod ex prohibitione ortum erat.

Responsiones duæ refelluntur

Respondet Adrianus, Pontificem non concessisse vnctionem Confirmationis, sed baptismi.

Sed contrà: Quia concedit Gregorius vnctionẽ Chrismatis in fronte, quę est Sacramentum Confirmationis, & solis Episcopis reseruatur: vt patet ex dictis. Deinde, concedit eam, quam antèa capite 9. ad eundem scribens, prohibuerat; vt patet ex epistola. Tertiò, quia res erat vsitata, vt sacerdos signaret in vertice.

Alij respondent Pontificem non concessisse, sed solùm permisisse propter scandalum; sicut alia mala interdum permittuntur. Sed contrà: Expresè dicit *Concedimus.*

Confirmatur, Quia alioqui dedisset occasionẽ maximam errandi in re summi momenti.

Concil. Florent. & Trident.

Probatur Secundò, Quia Concilium Florentinum & Tridentinum definiunt *Ministrum ordinarium huius Sacramenti esse Episcopum*: insinuant ergo esse alium ministrum, qui sit *extraordinarius.* Imò Concilium Florentinum expresè dicit, *Aliquando per Apostolicæ sedis dispensationem ex rationabili & vrgente admodum causa simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto, Confirmationis Sacramentum administrasse*: vbi videtur respicere ad hunc locum Gregorij.

38 Presbyter sine hac cõmissione confirmãs, nihil efficit.

Dico Secundò, Si sacerdos confirmet sine Pontificis commissione, nihil efficiet. Sequitur ex suprà dictis. Hæc enim auctoritas committendi, tantùm est in summo Ecclesiæ Pastore. Vnde Eusebius Papa epist. 3. *Si aliter*, nempe quàm à summis Sacerdotibus præsumptum fuerit, *irritum habeatur.* Et Ratio est, Quia sacerdos id non potest ex vi suæ ordinationis; alioquin esset ordinarius minister: ergo sine commissione nihil potest. Vide Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 4.

Commissio hæc proximè actuat Characterem Presbyterij vt exeat in actum confirmationis.

Dices, Quid addit illa commissio Papæ? Respondeo, non addit propriè potestatem iurisdictionis: hæc enim non est necessaria ad substantiã huius Sacramenti in ministro: sed facit, vt Character Ordinis sacerdotalis, qui antèa erat potestas remota respectu Confirmationis, incipiat esse potestas propinqua, & idonea exire in actum, Domino ita constituente; vt colligitur ex interpre-

tatione

tatione Ecclesiæ. Simile videmus in collatione Ordinum minorum; hîc tamen aduertendum est, consuetudinem non obtinere vim commissionis, seu dispensationis; vt notant Doctores in Capitulo *Quanto* de Consuetudine. vbi idipsum satis apertè definitur ab Innocentio III. Ratio est, quia hoc ministerium requirit veram potestatem; vnde nõ subijcitur præscriptioni, seu vsucapioni.

39 Diaconi nõ sunt capaces huius commissionis.

Dico Tertiò, Hoc munus non potest vllo modo Diaconis, aut inferioribus ministris committi. Est certa, & communis Doctorum, exceptis paucis Iurisperitis, scilicet. Innocentio IV. Panormitano & Ioanne Andræa in Capitulum *Quanto*.

Probatur; Quia nunquam hactenus alicui, præterquam Persbytero, hæc potestas concessa fuit. Quod est signum alijs concedi non posse. Ratio est; Quia potestas in corpus Christi mysticum oritur ex potestate in corpus Christi verum, vt passim Theologi & Iurisperiti docent. Atqui solus sacerdos habet potestatem in corpus Christi verum: ergo solus potest perficere corpus Christi mysticum.

40 Soluuntur obiectiones.

Sed Contrà: Obijcitur ex Durando contra primam propositionem: Minister non minùs requiritur ad essentiam Sacramenti, quàm materia & forma: ergo sicut Ecclesia nihil potest mutare circa materiam & formam, ita nihil potest mutare circa ministrum.

Respondeo, Nihil posse suâ auctoritate: sed quia Christus instituit, vt Episcopus esset *ordinarius Minister Confirmationis*, Presbyter autem *non-ordinarius*, id est, qui ex vi ordinis sui sufficientem habeat potestatem ad substantiam Sacramenti, sed qui tantùm habeat aptitudinem cui hæc potestas possit committi, ideò Ecclesia hoc potest committere. Quod colligitur ex facto Ecclesiæ, quæ à Spiritu sancto gubernatur. Vnde Pontifex non mutat Christi institutionem, sed eam sequitur. Simile est in Ordinibus minoribus, quorum *ordinarius Minister* est Episcopus, *extraordinarius* commissione summi Pontificis Presbyter. Simile quiddam cernitur in Baptismo.

41

Obijcitur Secundò; Confirmare est actus Ordinis Episcopalis: sed actus Ordinis nõ potest sine ipso Ordine transferri: ergo non potest concedi simplici Presbytero.

Hæc commissio non facit ministrum ordinarium.

Respondeo, Actum alicuius Ordinis posse interdum committi sine ipso ordine, sic tamen vt hac commissione non efficiatur ordinarius minister, sed extraordinarius, vti videmus in Ordinibus minoribus, quorum collatio committitur Presbytero.

Obijcitur Tertiò, Ad actus Ordinis Pontifex non habet maiorem potestatem, quàm alij Episcopi; solùm enim eos superat potestate Iurisdictionis: ergo si Pontifex potest Presbyteris hunc actum Ordinis delegare, poterunt etiam alij Episcopi. Quod est contra vsum Ecclesiæ.

Est actus Iurisdictionis,

Respondeo Negando Consequentiam: Nam hæc delegatio pertinet ad iurisdictionem. Vnde etiamsi Papa nondum esset consecratus Episcopus, posset tamen hunc actum alijs delegare; & ipsemet eundem obire, modò sit sacerdos, & iusta caussa interueniat. Ratio est, Quia hæc potestas conuenit Pontifici, non quatenus est Episcopus particularis, etiam Romanus, sed quatenus est vicarius Christi, Princeps sacrorum, & Caput vniuersalis Ecclesiæ. Vnde conuenit ei iure diuino, vt rectè docet Sotus, & alij.

Etsi Papa non sit Episcopus, potest tamen confirmare, & alteri committere.

Petes, An hæc potestas concessa à Pontifice, expiret ipsius morte?

42 Non expirat cum morte Papæ.

Respondeo, Non exspirare, nisi reuocetur. Ratio est: Quia est gratia Principis, quæ morte concedentis non expirat, vt dicunt Iurisperiti: similiter neque caussa cessante expirat, nisi concessio sic sit limitata: nam gratia absolutè data nõ pendet à caussa in sui conseruatione.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm ritus huius Sacramenti sit conueniens?

VIde D. Thomam, Isidorum, Alcuinum, Rabanum, Rupertum, Ordinarium Romanum, & alios. Et quæ suprà diximus q. 71. tam de Cæremonijs in genere, quã de Cæremonijs Baptismi.

DE SS. SACRAMENTO EVCHARISTIAE

QVÆSTIO LXXIII.

In Sex Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Eucharistia sit Sacramentum?

1

REspondetur affirmatiuè. Probat D. Thomas ex proportione vitæ spiritalis ad corporalem, fuisse conueniens institui aliquod Sacramentum, quod sit alimentum animæ: id autem est *Eucharistia*.

Idem Probari potest ex definitione Sacramenti superiùs q. 60. art. 4. explicata; modò constet, quid nomine *Eucharistiæ* significetur.

DVB-

DVBIVM.

Cùm quatuor concurrant ad Eucharistiam, *scilicet, Verba consecrationis, Species panis & vini, Corpus Christi, & ejus Sumptio: quidnam ex his propriè sit Sacramentum Eucharistiæ?*

2 Lutherani & Caluinistæ.

HÆretici huius temporis volunt Sacramentum Eucharistię propriè consistere in actione, sicut Sacramentũ Baptismi: & nihil esse aliud, quàm ipsam sumptionem panis & vini: tunc enim solùm ibi esse corpus Domini, siue realiter, vt volunt Lutherani; siue tanquàm in signo, vt Caluinistæ. Ratio illorum est: tum quia reliqua Sacramenta in vsu consistunt; tùm quia Christus instituit hoc Sacramentum, tanquam cibum spiritalem, dicens: *Accipite, & comedite:* ergo non est Sacramentum, nisi comedatur.

3 De fide est Eucharistiam non consistere in sumptione, sed in re permanere. Trident.

Respondeo & Dico Primò, Fide tenendum est Sacramentum Eucharistiæ non consistere in ipsa sumptione; sed esse rem permanentem, quæ existat etiam ante sumptionem. Definitur in Concilio Trident. sess. 13. can. 4. *Si quis dixerit, peracta consecratione in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse corpus, & sanguinem Domini, sed tantùm in vsu dum sumitur, non antè vel pòst, anathema sit.* Similia habet can. 7. Idem docet eadem sess. cap. 3. & 6.

1. Ratio.

Probatur Primò, Quia Sacramentum Eucharistiæ conficitur consecratione per verba Christi: sed consecratio ista præcedit sumptionem: verba enim consecrationis sunt, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*; quæ verba sine dubio Dominus protulit antequam Discipuli Eucharistiam sumerent: non enim omnes simul sumpserunt, sed alij post alios: ergo ante sumptionem est ibi corpus Domini. Confirmatur: quia alioqui verba Christi falsa essent.

Responsio hæreticorum: Quòd consecratio significet promissionem futuri corporis dum sumetur.

Respondent hæretici illa verba *Hoc est corpus meum*, significare, non quòd tunc ibi sit corpus Christi Sacramentaliter; sed quòd ibi erit, nempe cùm manducabitur; esse enim verba promissoria, quibus promittit Christus se ibi futurum, cùm mandatum manducationis impleuerimus.

Refellitur.

Sed contrà. Primò, Quia hæc verba, *Hoc est Corpus meum*, nullam significant promissionem, sed rem præsentem; promissio enim est rei futurę, non præsentis: vnde debuisset dicere *Hoc erit corpus meum*, non autem *hoc est*. Secundò, Quia Christus præcepit manducari panem benedictum, quia est corpus ipsius; vt apertè Euangelistæ testantur, cùm dicunt Dominum dixisse, *Accipite & manducate, Hoc est enim corpus meum*: ergo priùs est corpus Christi, quàm manducetur; vt patet ex simili locutione, Accipe & manduca, Hoc est enim saccharum: ergo vt sit corpus Christi, non supponit manducationem, (vt volunt hæretici; sicut impletio promissionis supponit impletionem precepti:) sed ipsum corpus Christi & Eucharistia supponitur manducationi.

4 2. Ratio.

Probatur Secundò, Si consisteret Eucharistia in manducantione, esset opus ipsius suscipientis, non autem Dei, vel ministri: nam manducatio est solùm opus manducantis; & ita suscipiens cõficeret Eucharistiam, non autem minister. Item Diaconi possent illam conficere, quia in absentia Presbyterorum possunt eam porrigere, vt patet ex Can. 14. Synodi Nicænæ.

3. Ratio.

Probatur Tertiò, Verba Sacramentalia, quibus conficitur Eucharistia, non dicuntur à manducante, neque ad manducantem, sed tantùm à ministro super panem, & vinum: ergo nullo modo consistit hoc Sacramentum in actione manducantis. Confirmatur, Quia verba Sacramentalia reliquorum Sacramentorum, quæ consistunt in vsu, non referuntur ad materiam, sed ad ipsum suscipientem; vt *Ego te baptizo, confirmo, absoluo*, &c. ergo è contrario, cùm verba huius Sacramenti non referantur ad suscipientem, sed ad nudam materiam consecrandam, manifestum est hoc Sacramentum non consistere in vsu, sed esse rem permanentem; scilicet materiam consecratam.

Solvuntur argumenta posita num. 2.

Hinc patet responsio ad prius argumentum hæreticorum: hoc enim peculiare est huic Sacramento, vt sit res permanens; quia consistit in consecratione materiæ.

Ad alterum, Respondeo: Aliud est substantia, aliud est finis Sacramenti: etsi ergo hoc Sacramentum institutum sit ad vsum, & manducationem tamquam ad finem, non tamen in eo consistit eius substantia. Quod patet à simili in cibis corporalibus, & in omnibus rebus artificialibus; quibus Sacramenta sunt similia: Nam Panis est panis, & vestis est vestis, etsi eis nõ vtamur: non enim hæc per vsum nostrum talia fiunt, sed talia esse supponuntur.

5 Sumptio Eucharistię non est Sacramentũ.

Ex his vlteriùs patet, ipsam sumptionem Eucharistiæ, non solùm non esse Sacramentum Eucharistiæ, sed ne Sacramentum quidem: quod est contra Gabrielem. Et ratio est, quia sumptio nihil est aliud, quàm applicatio seu vsus Sacramenti; iam antè existentis: & quamuis manducatio Eucharistiæ significet efficaciter refectionem spiritalem, non tamen significat hanc per se, sed quatenus est applicatio Eucharistiæ; ac proinde ratione ipsius Eucharistiæ, non autem quatenus est actio nostra. Vnde etiam non est aliter causa gratiæ, quàm vt conditio sine qua non: quia non per se est causa gratiæ, sed ratione eius, quod applicatur. Secùs est in alijs Sacramentis, quorum essentia consistit, non in re, quæ applicatur; sed in applicatione & contactu eius, sub certa verborũ forma perfecto: vnde in his applicatio Sacramenti non distinguitur ab eius essentia; quia contactus, seu applicatio rei, non applicatur per aliam applicationem; nec vsus rei, per alium vsum, ne in infinitum fiat progressio.

Quomodo tamen significet & causet gratiam.

6 Nec verba Consecrationis, nec materia consecranda est Sacramentum Eucharistiæ.

Dico Secundò, Verba quoque consecrationis, & materia consecranda, non sunt Sacramentum Eucharistiæ; imò ne Sacramentum quidem. Probatur prior pars: Quia verba consecrationis, & materia consecranda transeunt, Sacramentum autem Eucharistiæ manet. Altera pars, quòd ne Sacramentum quidem sint: Probatur; Quia verba consecrationis non sanctificant hominem, sed solùm conficiunt Sacramentum, quod sanctificat: Non ergo ipsa sunt Sacramentum, sed causa efficiens Sacramenti. Consecratio quoque non est Sacramentum, sed via ad Sacramentum; vt rectè Scotus: est enim illa actio, qua producitur Sacramentum: sicut creatio est actio, qua producitur creatura.

Obiectio.

Dices; Concilium Florentinum dicit Panem & vinum esse materiam huius Sacramenti: verba consecrationis, esse formam: ergo Sacramentum hisce duobus constat.

Respondeo

Panis & vinum sunt materia remota.

Respondeo, Panis & vinum sunt materia remota & transiens respectu huius Sacramenti: verba autem consecrationis sunt forma, non quâ intrinsecè hoc Sacramentum constet, sed quâ conficiatur; id est, forma efficiens, non informans seu formaliter componens. Vnde Concilium signanter ait, *Sacramenta perfici rebus, & verbis*; non autem dicit *Constare*; nam etiam *Perficitur ministro*, qui tamen est extrinsecus.

Verba obliquè pertinens ad essentiam Eucharistiæ.

Aduertendum tamen est, verba consecrationis, etsi intrinsecè non sint pars componens hoc Sacramentum, tamen in obliquo ad eius essentiam pertinere. Nam determinant significationem specierum ad significandam præsentiam corporis Christi ibidem latentis: si enim hæc verba non essent prolata super has species, sed diuino miraculo sine signo sensibili fieret transubstantiatio, non esset Sacramentum, saltem perfectum: quia nullum esset signum externum determinatè significans præsentiam corporis Christi. Itaque hac ratione pertinent verba consecrationis ad essentiam huius Sacramenti, dum determinant significationem specierum per se adiaphoram. Neque ad hoc necesse est, vt verba maneant; quia sufficit ille ordo rationis, seu denominatio extrinseca, permanens in speciebus. Sicut in alijs signis videmus.

7 Eucharistia propriè est compositū ex corpore Christi & speciebus.

Dico Tertiò, Sacramentum Eucharistiæ propriè esse illud compositum ex speciebus sensibilibus verborum Sacramentalium formulâ consecratis, & corpore sanguineque Domini inuisibiliter existentibus sub illis.

Sententia Soti.

Notandum est; Esse tres modos concipiendi hoc Sacramentum. Quidam enim putant, hoc Sacramentum propriè esse ipsas species, quatenus continent corpus Christi; ita vt species in recto, corpus Christi in obliquo sit de ratione huius Sacramenti. Ita Dominicus Soto dist. 8 quæst. 1. art. 1.

Sententia Thomę VVald.

Alij dicunt, Sacramentū hoc propirè esse corpus Christi in recto, & species solùm contineri in obliquo; id est, esse corpus Christi vestitum speciebus. Ita sentire videtur Thomas Waldensis tomo 2. de Sacramentis cap. 21.

8 Sententia D. Thomę Placet et probatur.

Alij verò dicunt Sacramentum hoc propriè esse compositum ex speciebus & corpore Christi: sicut homo est ipsum compositum ex anima & corpore; & Christus ex Deo & homine. Ita D. Tho. in 4. d. 8. q. 1. art. 1. Victoria q. 152. Alanus lib. 1. de Eucharistia cap. 3. 4. 5. qui modus sine dubio est verior.

1. Ratio Ab Auctoritate.

Probatur Primò, Quia Irenæus lib. 4. contra hæreses c. 34. expressè docet, Eucharistiam constare duabus rebus, terrena, & cælesti: per terrenam, intelligit species panis & vini; per cœlestem, corpus Christi. Et Canon, *Hoc est*, de Consecratione. dist. 2. dicit Sacrificium Ecclesiæ constare duobus, visibili scilicet elementorum specie, & inuisibili corpore & sanguine Domini: sicut Christi persona constat Deo & homine.

2 Ratio Ab vnione Specierum cum corpore Christi.

Alij quoque Patres, vt Iustinus, Ambrosius, Theodoretus comparant Eucharistiam cum Verbo incarnato: quod, sicut in Christo sunt duæ naturæ, ex quibus vnus est Christus; ita in hoc Sacramẽto sint duæ naturæ, scilicet corpus Christi, & species externæ; ex quibus, vnum constet Sacramentum.

Probatur Secundò, Quia inter corpus Christi & species interuenit aliqua vnio: nam ex illis fit quid vnum: sicut ex speciebus, & substantia panis, in cuius locum corpus Christi successit, quid vnum fiebat; quamuis illa vnio sit sublimior. Atqui hoc vnum non est aliud, quàm hoc Sacramentum: neque enim aliud fingi potest. Et Confirmatur, Quia hoc compositum ex speciebus & corpore Domini est vnum signum efficax gratiæ: ergo est vnum Sacramentum.

3. Ratio A cultu latriæ, quo Eucharistia adoratur.

Probatur Tertiò, Quia Sacramentum Eucharistiæ absolutè est adorandum adoratione latriæ, vt docet Concilium Tridentinum sess. 13. c. 5. & nos infrà dicemus: ergo non solæ species sunt Sacramentum Eucharistiæ, sed necesse est vt Eucharistia includat corpus Domini. Patet consequentia: Quia alioqui nõ aliter adoraretur, quàm sicut sedes, aut vestis Christi, quæ solùm per accidens & secundùm quid latria adorantur. Neque etiam solum corpus Christi est Eucharistia; quia Sacramentum directè debet esse res sensibilis. Cõuenientissimè ergo ponitur compositum ex speciebus & corpore Domini Sacramentum Eucharistiæ: ratione enim specierum habet, quod sit Sacramentum, & signum sensibile; ratione corporis habet, quod sit adorabile, & adeò excellens.

9 Obiectiones soluuntur.

Sed contrà: Obijcitur Primò, Innocentius III. Capitulo *Cum Marthæ*, de Celebratione Missarũ; dicit species esse Sacramentum tantùm; corpus autem contentum, esse rem & Sacramentum: ergo corpus non includitur intrinsecè in ratione huius Sacramenti.

Explicatur dictum Innocentij, Species esse Sacramentũ tantum.

Respondeo; Species dicuntur Sacramentum tantùm, non quod ipsæ per se, & solæ sint totum Sacramentum Eucharistiæ, sed quia ratio sensibilis signi ab ipsis accipitur, & corpori Christi quodammodo cõmunicatur; vnde per Synechdochen dicuntur Sacramentum tantùm. Simili modo dici solet confessionem esse Sacramentum tantùm; non tamẽ idcirco contritio excluditur ab intrinseca constitutione huius Sacramenti. Itaque, etsi corpus Christi latens sub speciebus secundùm se spectatum, sit res & Sacramentum: tamen vt cõiunctum illis, & quodammodò informans, & sanctificans illas, constituit cum illis vnum completum Sacramentum.

Dices Secundò, Corpus Christi dicitur esse in Sacramento Eucharistiæ: ergo est quid distinctũ.

Respondeo: Est distinctum, vt pars à toto: dicitur enim esse in Eucharistia vt pars in toto, vt anima in homine. Dici etiam potest Sacramentum tunc accipi pro signo externo tantùm, vti dictum est.

Obijcitur Tertiò, Si corpus Christi intrinsecè constituit hoc Sacramentum: vel constituit vt materia, vel vt forma, vel vt pars integralis. Atqui nihil horum videtur posse dici.

Corpus Christi in Eucharistia se habet ad species, vt forma ad materiam.

Respondeo; Habere se quodammodò ad species, vt forma ad materiam: sicut Verbum se habet ad naturam humanam, tanquam forma. Ratio est; quia est nobilius speciebus; & est id, vnde hoc Sacramentum habet suam dignitatem, & vim efficiendi: sicut à speciebus sensibilibus habet significationem, & rationem signi sensibilis. Vnde D. Thomas ad 2. ait, Corpus Christi in hoc Sacramento esse loco virtutis operatiuæ: quia ratione corporis, Sacramentum & ipsæ species habent vim sanctificandi; sicut & corpus ratione diuinitatis; quæ est primaria virtus operatiua in omni Sacramento. Quare sicut anima & caro

vnus

vnus est homo, & sicut Deus & homo vnus est Christus; ita species & corpus Christi sunt vnum Sacramentum Eucharistiæ.

ARTICVLVS II.

Vtrùm hoc Sacramentum sit vnũ Sacramentum, an plura?

10 Est vnum specie Sacramentum

REspondetur: Eucharistia, etsi constet duabus speciebus, est tamẽ vnum integrum Sacramentum, id est, vnum specie. Est communis sententia Theologorum. Ratio est: quia vtraque species ordinatur ad vnam perfectam refectionem spiritalem: vnde, sicut cibus & potus sunt vnum conuiuium, vna refectio corporis, sic Eucharistia sub vtrâque specie est vna refectio spiritûs. Simili modo vtraque species requiritur ad rationem vnius perfecti sacrificij, vt infrà dicetur.

Dices, Si vtraque species iuncta constituit vnũ perfectum Sacramentum, & vnam refectionem: ergo is, qui solùm alteram speciem sumit, non accipit perfectum Sacramentum, nec perfectam refectionem spiritalem.

Respondeo, Negando Consequentiam, si absolutè loquamur: Quia, etsi illæ duæ species iunctæ constituant vnum perfectum conuiuium, & Sacramentum; tamen etiam quæuis species per se & seorsim quodammodò totam perfectionem Sacramenti continet, scilicet per concomitantiam.

11 Quomodo sub vna specie habeamus integram Refectionem spiritualẽ.

Vnde licet quæuis species nõ sit formaliter integra refectio spiritalis, est tamen integra per concomitantiam eius, quod sub altera continetur: nam species panis non tantùm continet corpus Christi, quod est cibus spiritalis, sed etiam sanguinem, qui est potus spiritalis, quamuis non ex vi consecrationis, sed per concomitantiam.

Vnde licet corpus Christi cum specie panis nõ sit, nisi partiale Sacramentum formaliter, est tamẽ integrum per concomitantiam.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Eucharistia sit de necessitate salutis?

12 REspondet D. Thomas Primò; Rem Sacramenti huius esse de necessitate salutis: quia res huius Sacramenti est vnio cum Christo & corpore eius Ecclesia per Charitatem; quæ vnio est ad salutem necessaria. Intellige in genere, licet non vt effectus huius Sacramenti. Secundò, Ipsum Sacramentum Eucharistiæ non esse necessarium in re: esse tamen necessarium in voto, quod includitur in baptismo.

DVBIVM.

Vtrùm verè Eucharistia sit medium ad salutem necessarium in re vel in voto, sicut baptismus omnibus est necessarius, & pœnitentia relapsis?

13 Opinio asserens, eiusque fundamentum.

QVidam ita censent, ob locum Ioan. 6.v.53. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* & ob quædam loca D. Augustini; vt lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 22. *Nec illud cogitatis, eos habere vitam non posse qui fuerint expertes corporis & sanguinis Christi; dicente ipso, nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* qui locus mendosè citatur apud D. Thomam ex Gratiano. Simili modo loquitur Innocentius I. epist. ad Concilium Mileuitanum, quæ est 93. inter epistolas Augustini. Imò quidam existimant Eucharistiam esse causam vniuersalem, quæ operetur in omnibus, & per omnia Sacramenta. Verùm

14 Eucharistia in re, non est necessarium medium ad salutem.

Dico Primò, Eucharistia in re, non est necessarium medium ad salutem, neque paruulis, neque adultis.

De Paruulis est fide tenendum; vt patet ex Cõcilio Trident. sess. 21. can. 4. *Si quis dixerit, paruulis antequam ad annos discretionis peruenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.* Ratio est: quia baptismus tollit omne peccatum, confert gratiam, & facit Filium Dei, & consequenter hæredem regni.

De Adultis Probatur: Quia Eucharistia est alimentum animę: atqui alimentum supponit vitam in eo, qui alitur: atqui, qui habet vitam gratiæ, hoc ipso est dignus vitâ æternâ: ergo Eucharistia non est necessaria necessitate medij: cùm sine illa salus haberi possit.

Dices, Eucharistia ordinatur ad vnionem mysticam membrorum in vno corpore, quod est Ecclesia: atqui sine hac vnione non potest esse salus: ergo Eucharistia est medium saluti necessarium.

Respondeo, Vnio corporis mystici non est effectus solius Eucharistiæ, sed omnium Sacramentorum. Nam hæc vnio interius quidem fit per fidem & charitatem, quæ ab omnibus Sacramentis conferuntur; vel augentur: exteriùs autem fit per Sacramentorum vsum, & aliam externam fidei professionem: hinc D. Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 11. ait, *Sacramentorum consortio Ecclesiam in vnum corpus colligari.* Vnde hæc vnio, per baptismũ inchoatur, quantum satis est, vt homo saluus esse possit. Tribuitur tamen peculiariter Eucharistiæ: Primò, quia per Eucharistiam perficitur; hæc enim maximè charitatem auget. Secundò, quia per Eucharistiam Ecclesiæ membra non tantùm vniuntur in charitate & externo symbolo, sed etiam in vno corpore, & in vno sanguine Domini, qui singulis realiter coniungitur, & miscetur. Vnde Apost. 1. ad Corinth. 10. v. 17. *Vnus panis & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane, & de vno calice participamus.*

Cur Vnio mystica per Charitatẽ specialiter tribuatur S. Eucharistiæ.

Dico Secundò, Eucharistia in voto non est medium absolutè necessarium ad salutem, siue paruulis, siue adultis.

15 Neque etiã in voto est ad salutẽ absolutè necessaria.

Est certa. De Paruulis probatur, quia non sunt capaces voti Eucharistiæ, si propriè velimus loqui, & non ludere metaphoris: votum enim est desiderium; quod non est nisi vtentium ratione. Si dicas, hoc votum includi in baptismo: hoc nihil est aliud, quàm dicere baptismum eis esse necessarium: quod libenter fatemur.

De adultis probatur: Quia nullus est effectus Eucharistiæ necessarius ad salutem, qui non possit etiam alijs medijs ab adultis obtineri: ergo non est medium necessarium. Medium enim necessariũ dicitur, quod confert aliquem effectum necessariũ qui aliter haberi nequit. Antecedens patet: quia vnio

vnio cum Christo per charitatem & auxilia specialia quæ Eucharistia confert, partim per alia Sacramenta, partim per bona opera & orationem, possunt obtineri. Si dicas, ista auxilia conferri ratione voti Eucharistiæ. Contrà: quia Confirmatio, Pœnitentia, & reliqua Sacramenta vim habent absolutè, & per se, non autem ratione voti alterius Sacramenti: similiter oratio, & opera meritoria. Quod confirmatur, quia alioqui oporteret posteà intuitu cuiusque Sacramẽti percepti, vel orationis, vel operis meritorij facti suscipere Eucharistiam. Si enim nihil horũ effectum suum confert, nisi cum proposito & ordine ad Eucharistiam: ergo post singula manet peculiaris ordo, & obligatio ad Eucharistiam, & necessariò oportebit eam sumere propter illa. Sicut, quia contritio non iustificat sine voto baptismi, vel pœnitentiæ; manet ratione huius effectus peculiaris ordo & obligatio ad ipsum Sacramentum.

16 Est tamen ad salutem valdè vtilis & quasi necessaria.

Dico Tertiò, Eucharistia, etsi non sit medium absolutè necessarium ad salutem; est tamen valdè vtile, & quodammodò necessarium moraliter, vt homo multo tempore in gratia perseueret. Ratio est, Quia per Eucharistiam conferuntur sine magno nostro labore maiora quædam & efficaciora auxilia contra peccata; quæ, spectatâ humanâ imbecillitate, & negligentiâ circa alia media, sunt quodammodò necessaria. Vnde Cyprianus in expositione orationis Dominicæ, circa illud *Panem nostrum quotidianum: Vt manifestum est*, inquit, *eos viuere, qui corpus eius attingunt, & Eucharistiam iure communionis accipiunt, ita timendum & orandum, ne dum quis absentus separatur à Christi corpore, procul remaneat à salute, comminante ipso, Nisi manducaueritis* &c. *non habebitis vitam in vobis.* Et Cyrillus lib. 10. in Ioannem cap. 13. *Non poterat aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatem, & vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei coniungeretur.*

17 Responsio ad locum Ioannis 6. *Nisi manducaueritis* &c.

Ad argumenta contrariæ sententiæ, num. 13. proposita: Respondeo, illud Ioannis 6. v. 53. *Nisi manducaueritis* &c. non significare absolutam necessitatem medij, sed præcepti; & quandam necessitatem medij conditionatã; nec pertinere ad paruulos, qui non possunt per se præceptis obligari; sed ad solos adultos; tales enim erãt, quibus Dominus ibi loquitur: sicut & illud, *Nisi efficiamini, sicuti paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Ratio est, Quia hæc omnia significant actionem quandam liberam à singulis præstandam, quæ non potest, nisi ab adultis fieri. Secùs est cùm dicitur, *Nisi quis renatus fuerit*: hoc enim non significat actionem liberam renascentis.

Aduertendum tamen est D. Augustinum etiam ad paruulos interdum sententiam illam Domini, *Nisi manducaueritis* &c. accommodare: sed tunc non exponit eam ad litteram, sed spiritualiter & mysticè, vt idem sit *manducare carnem Filij hominis, & bibere eius sanguinem*, quod *incorporari Christo, & fieri membrum mystici corporis eius.* Vide illum Tractatu 26. in Ioannem: & ita paruulis necessarium est vt *manducent carnem & sanguinem Domini*, id est, vt Christo incorporentur: Item vt fiant participes eius corporis & sanguinis, id est, passionis & meritorum. Sed hoc totum fit per baptismum.

Manducare corpus Christi, apud Augustinum sæpè idem est quod mystice incorporari.

18 Vnde patet paruulos secundùm Augustinum *manducare carnem Christi*, quando baptizantur; tunc enim Christo incorporantur, fiuntque participes pretij & meriti eius. Nunquã verò D. Augustinus, vel alij Patres dixerunt, paruulis Sacramentum Eucharistiæ esse necessarium. Vnde cessat quæstio, *quomodo paruuli habeant votum Sacramenti Eucharistiæ.* Quidam tamen Doctores, inter quos D. Thomas, occasione verborum Diui Augustini excogitarunt illum modum loquendi, nempe *quod paruulis Eucharistia in voto sit necessaria*: sed hoc valdè impropriè dicitur; & in re nihil aliud significatur quàm baptismum eis esse necessarium; per quem implicitè ordinantur ad Eucharistiam, & censentur eam quodammodò appetere: Sicut enim omnis qui nascitur, appetit naturaliter cibum corporalem; ita omnis qui renascitur, censetur habere desiderium implicitum huius cibi spiritalis.

Quando & quomodo paruuli manducent corpus Domini, habeantque eius votũ.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm conuenienter hoc Sacramentum pluribus nominibus nominetur?

19 Eucharistia.

DOcet hoc Sacramentum rectè appellari pluribus nominibus. Primò appellatur *Eucharistia*, id est, gratiarum actio; quia celebratio huius mysterij tum sub ratione sacrificij, tum etiam sub ratione Sacramenti, est summa quędam actio gratiarum, pro gratia noui Testamenti; nec possumus Deum magis laudare, vel ei gratias agere quàm oblatione vel sumptione huius mysterij. Vnde Propheta Psalm. 115. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? calicem salutaris accipiam* &c. Vnde etiam Dominus in institutione gratias egit Patri, idque bis.

Cõmunio seu Synaxis.

Secundò, Dicitur *Communio & Synaxis*, quia nos Christi carni & sanguini coniungit, & in vnum colligit, Deoque vnit, vt ait Dionysius cap. 3. parte 1. Eccles. Hierarch. & Damasc. lib. 4. de Fide cap. 14.

Consum. inatio Sacramẽtorũ.

Tertiò, Dicitur ibidem apud Dionysium Τελετὴ τελετῶν, id est, *Consummatio Sacramentorum*; quia est præstantissimum, & finis cæterorum.

Sacrificiũ.

Quartò vocatur *Sacrificium*, quia est vnicum nouæ legis sacrificium.

Fractio panis.

Quintò vocatur *Fractio panis* Act. 2. & 20. & 1. ad Corinth. 10.

ARTICVLVS V.

Vtrùm institutio huius Sacramenti fuerit conueniens?

20 Tres rationes cur Eucharistia instituta in vltima Cœna.

DOcet D. Thomas hoc Sacramentum conuenienter fuisse institutum in vltima cœna. Primò, Vt Ecclesiæ suæ, iam abiturus, se tamen perpetuò præsentem exhiberet. Secundò, Vt ei relinqueret suæ passionis perpetuum memoriale & sacrificij à se per passionem semel oblati perpetuam oblationem & repetitionem. Tertiò, Vt firmiùs tantum beneficium hominum mentibus inhæreret, & pluris æstimaretur: ea enim quæ in abitu dicuntur vel traduntur, pluris æstimantur, & firmiùs memoriæ inhærent, vide Diuum Thomam.

Tres aliæ rationes cur Eucharistia instituta.

His adde tres alias causas institutionis huius Sacramenti. Quartò ergo Christus instituit hoc Sacramentum vt immensam suam charitatem in nos declararet: sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, non solùm in mortem, sed etiam in cibum & viaticum, vt ipsius esu instauraretur quod esu ligni scientiæ amiseramus; & vt se realiter nostræ carni & sanguini commiscens, sua innocentia & sanctitate nostra detrimenta refarciret. Vide Chrysost. hom. 24. in priorem ad Corinth. vbi adfert pulcherrimam comparationem ex illo capitis 31. Iob, vers. 31. *Dixerunt viri tabernaculi mei, Quis det de carnibus eius vt saturemur?* super quæ verba sic ait; *Iob vt seruorum in se amorem ostenderet, dicebat eos nimia in se dilexione dixisse,* QVIS DET DE CARNIBVS EIVS, VT SATVREMVR? *Hoc Christus fecit non se tantùm videri permittens, sed & tangi, sed & dentes carni suæ infigi, & desiderio sui omnes impleri.* Et hom. 55. & 60. ad pop. Antioch. agit de hac incomparabili dilectione. Vide etiam Cyrillum lib. 10. in Ioan. & Hilar. lib. 8. de Trinitate. Quintò, vt Ecclesiæ suæ relinqueret continuum & maximum miraculum, quo & suam sapientiam & potentiam ei patefaceret, & eius fidem deuotionemq; probaret ac exerceret. Nam post mysterium Trinitatis & Incarnationis nullum est miraculum hoc admirabilius: vide Algerum lib. 2. contra Berengarium cap. 3. Sextò, vt homo in hoc exilio haberet eximium solatium & munimentum contra omnes hostes suos, & quodammodò vitæ beatæ fruitionem inchoatam: de quo vide Dionysium cap. 1. Cœlestis Hierarchiæ.

Insignis comparatio.

Quarta, Panis subcineritius, quem videt quidam magno impetu euertentem castra Madian, Iudicum 7. vers. 13. Quinta, Farina indeficiens 3. Regum. 17. vers. 13. Sexta, Panes, quos Christus multiplicauit, quibus aliquot hominum millia pauit, Ioannis cap. 6. In quem locum vide D. Augustinum.

Ratione rei contentæ sub speciebus, clarissima figura fuit Agnus ille masculus, anniculus, immaculatus, qui quatenus comedebatur cum panibus azymis, significabat Christum sumendum sub specie panis: quatenus autem eius sanguine protecti sunt filij Israël à deuastante Angelo, & educti ex seruitute Ægyptiaca, significabat effectum huius Sacramenti: quatenus autem non solùm immolabatur, sed etiam comedebatur, significabat rem, quæ hoc Sacramento continetur, non solùm vt sacrificium immolandam, sed etiam instar Sacramenti sumendam. Itaque Agnus paschalis non solùm erat figura Christi, vt in Cruce immolati, sed etiam vt in Sacramento oblati & sumpti: quod docent Patres, dum aiunt, Christum in cœna coniunxisse typum & veritatem. Chrysostomus homilia De proditione Iudæ. Leo serm. 7. de Passione Domini. Vnde, sicut Agnus ille vocabatur Pascha, ita & hoc Sacramentum Pascha vocatur, iuxtà illud Pauli 1. ad Cor. 5. v. 7. *Pascha nostrum immolatus est Christus.*

22 Figuræ huius Sacramenti ratione rei contentæ.

Egregia conuenientia Agni paschalis cum Eucharistia.

Secunda figura ratione rei contentæ, erant omnia sacrificia veteris Testamenti, & præsertim sacrificium Expiationis. Ita D. Leo sermone 8. de Passione Domini.

Ratione effectus, seu rei significatæ: Prima figura erat Manna, propter dulcedinẽ suam, Exodi 16. Habuit tamen multas alias conditiones, quibus hoc Sacramentum præfigurauit. Primò, Quòd diceretur panis Angelorũ. Secundò, Quòd veniret de cœlo. Psalm. 77. vers. 24. *Panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo.* Tertiò, Quòd qui plus collegisset, non haberet amplius; & qui minus, non reperiret minus, Exod. 16. Quartò, Pasti sunt eo filij Israël in deserto per quadraginta annos: quo significatur Christianos in hoc mundo tempore peregrinationis suæ pasci corpore Domini. De quo typo vide Ambrosium lib. de his qui mysterijs initiantur cap. 8. & 9. Quintò, Circa Manna contigerunt variæ murmurationes, irrisiones, dubitationes, & abusus; quibus præsignantur hæreses, & aliæ indignitates, quæ contingunt circa hoc Sacramentum, vt notauit Rupertus lib. 9. de Gloria Filij hominis.

23 Figuræ S. Eucharistiæ ratione rei significatæ.

Insignis comparatio Mannæ cum Eucharistia.

Secunda figura fuit Aqua, quæ fluxit ex petra: de qua Apost. 1. ad Corinth. 10. vbi sicut Manna vocat *escam spiritalem*, ita hanc aquam *potum spiritalem*, id est, mysticum, seu figuratiuum: & comparat ea cum corpore & sanguine Domini. Vide Ambrosium suprà cap. 9.

Tertia Lignum vitæ, quod præbebat immortalitatem.

Quarta Sanguis, qui fluxit ex Christi latere: qui etiam fuit symbolum Eucharistiæ; sicut aqua, baptismi; vt passim Patres.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Agnus paschalis fuerit præcipua figura huius Sacramenti?

21

RESpondetur Affirmatiuè. Vide D. Thomã. Notandum est plurimas huius Sacramenti fuisse figuras, quæ illud præsignarunt, vel secundùm id quod est Sacramentum tantùm; id est, ratione specierum: vel secundùm id, quod est res, & Sacramentum; id est, ratione corporis contenti, & concluſi intra species: vel secundùm id, quod est res tantùm; id est, ratione effectus.

Figuræ Sacramenti huius ratione specierum.

Ratione specierum, præcipuæ figuræ sunt istę: Prima est, Panis & vinum, quæ obtulit Melchisedech Gen. 14. Ita docent omnes Patres: Hieronymus epistola ad Euagrium, *Melchisedech in pane & vino Christo dedicauit Sacramentum.* Chrysostomus homilia 35. in Genes. *Vides, quomodo Sacramentum nostrum insinuatur? vidisti typum, cogita obsecro veritatem.* Omitto alios. Secunda, Panes propositionis, Exodi 40. Censebantur enim Sancti, nec poterant nisi à mundis comedi; vt patet 1. Reg. 21. Ita Cyrillus Catechesi 4. mystago. & Damascenus lib. 4. de Fide cap. 14. Tertia, Panis Eliæ, 3. Reg. 19. in cuius fortitudine ambulauit quadraginta dies vsque ad montem Dei Horeb.

QVÆ-

QVÆSTIO LXXIV.

De materia Eucharistiæ quantum ad speciem.

In Octo Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm materia huius Sacramenti sit Panis & Vinum?

1

NOtandum est, Varias fuisse hæreses circa materiam huius Sacramenti, quarum præcipuas recensæ D. Thomas.

Haius Sacramenti materia est panis & vinum.

Sed Veritas Catholica est, materiâ huius Sacramenti esse Panẽ & Vinum. Colligitur Matt. 26. Marci 14. Lucæ 22. & 1. ad Cor. 11. vbi Dominus in institutione huius Sacramenti tantùm panem & vinũ adhibuit: semperque hæretici sunt habiti ab Ecclesia, qui aliam materiâ adhiberent.

Tres Congruentiæ.

Primaria ratio est voluntas Christi. Cõgruentiæ sunt: Primò, Quia pane & vino homines reficiuntur corpore; panis enim corroborat, & vinum lætificat: ergo conueniens erat, vt in his institueretur hoc Sacramentum, quod est refectio, & recreatio animæ; præsertim cùm hęc apud omnes gentes facilè habeantur. Secundò, Quia hæc, dum seorsim nobis exhibent corpus, & seorsim sanguinem, optimè repræsentant Christi passionẽ, per quam sanguis à corpore fuit separatus. Hoc autem Sacramentum, est cõmemoratio passionis Christi. Tertiò, Quia hæc materia optimè repræsentat nobis effectũ huius Sacramenti; quæ respectu singulorum est robur & recreatio spiritus: respectu Ecclesiæ est vnio spiritalis membrorum in vno corpore & capite: panis enim ex multis granis in vnum coëuntibus constat, vinum ex multis acinis confluit.

ARTICVLVS II.

Vtrùm requiratur determinata quantitas panis, & vini?

2

Quantuis magna quãtitas consecrari potest.

REspondetur, Quantumuis magnam quantitatem panis & vini posse consecrari. Intellige, modò sufficienter sit præsens: v. g. monticulus panis, & lacus vini. Probat D. Thomas. Quia tantum potest consecrari, quantum sufficit, pro quantouis numero fidelium, v. g. pro decem millionibus hominum: sed numerus fidelium semper potest esse maior, & maior: ergo & quantitas materiæ huius Sacramenti.

Ratio.

Ratio est, Quia panis & vinum, quantumuis magna quantitate, est verus panis, & verum vinũ: ergo potest consecrari, modò alioqui sit præsens. Patet consequentia, Quia Christus absolutè dedit potestatem consecrandi panem, & vinum. Nec potest assignari aliquis terminus, quo hæc materia limitetur. Quod confirmatur; Quia hæc limitatio nõ potest desumi, nisi ex fine, vt in omnibus arte factis: finis autem est vsus huius Sacramenti: atqui non limitatur ex vsu, vt rectè ostendit D. Thomas.

Notandum in responsione ad 1. vbi D. Thom. ait, in rebus naturalibus materiâ accipere determinatam quantitatẽ per comparationem ad formam determinatam; hoc propriè solùm esse verum in viuentibus; hæc enim ab intrinseco, scilicet ex vi formæ, habent determinatam quantitatem. Res inanimæ determinantur ab extrinseco, v. g. vel ab agente, vel ab inopia materiæ, vel à loco.

Vnde quãtitas determinetur.

DVBIVM I.

Vtrùm quantumuis parua quantitas possit consecrari?

REspondeo, Nullam esse ita paruam particulam, quin, si sub illa sit substantia panis & vini, possit consecrari. Et quidem, si loquamur de particula existente in toto, res est indubitata: dum enim totum consecratur, omnes particulæ eius, quantumuis minutæ, consecrantur. Dices, In toto homogeneo nõ datur pars minima; sed in infinitum potest dari minor, sub quâ forma existat; ac proinde poterit deueniri ad tam minutam, vt sit insensibilis: ergo non poterit consecrari: Sacramenti enim materia debet esse sensibilis. Respondeo, Etsi per se seorsim non sit sensibilis, tamen est sensibilis confusè in toto, in quo existit; ac proinde in ipso simul cum alijs poterit consecrari.

3

Quantumuis parua materia in toto existens est consecrabilis.

Si autẽ loquamur de particula separata, dicendum est, omnem quantumuis paruam posse consecrari, modò sub ea possit conseruari substantia panis & vini, & sit sensibilis; vt fatentur omnes Doctores.

4

Si à toto sit separata.

Quòd si aliqua tam sit exigua; vt sub ea seorsim substantia propria existere nequeat, ea seorsim cõsecrari non poterit: quia reuerà non est materia; vtpote non habens substantiam panis, & vini. Talem tamen particulã dari posse, sequitur ex illorũ sententia, qui statuunt in homogeneis dari minimum naturale separatum, id est, minimã particulam, quæ separatim à toto possit naturã retinere: si enim hęc particula diuidatur, statim desinet ibi rei substantia, saltem per actionem corporis circumstantis, cui ob exilitatem non potest resistere.

Si minimũ naturale.

Similiter, Si ita sit parua, vt naturaliter non sit sensibilis, consecrari seorsim non potest, etsi fortè substantia panis ibi subsit; quia materia Sacramẽti debet esse sensibilis. Dices, Ergo si ab hostia consecrata separetur talis particula, desinet ibi esse corpus Domini, quamuis sub ea possit conseruari substantia panis: quod est contra Concilium Trid. sess. 13. can. 4. Respondeo, Negando Consequentiam: etsi enim talis pars seorsim non possit consecrari; consecrata tamen in toto potest post separationem retinere consecrationem; sicut vinum gelatum non potest consecrari; tamen si consecratum sit ante congelationem, non desinet ibi esse corpus Domini; & fortassis aqua vino mixta consecrari potest; &, si separetur, manebit consecrata; seorsim tamen nõ potest consecrari. Denique, anima in corpore consecrari potest Sacramentis, non tamen sic consecrari potest extra corpus; quamuis extra corpus hanc consecrationem retineat.

Si inſenſibile.

Si particula consecrata fiat insensibilis, non desinet corpus Domini.

DVBIVM II.

Quæ præsentia materiæ requiratur, vt possit consecrari?

5 REspondeo, Requiri, vt aliquo modo moraliter sit præsens; non enim panis, qui per totum orbem sparsim existit, vnico actu consecrari potest. Quanta autem debeat esse hæc præsentia, difficilè est explicare.

Materia sit sensu perceptibilis. Primò, Satis constat debere esse talem, vt sensu percipi possit, & manibus designari. Patet ex illo pronomine demonstratiuo, *Hoc*. Ratio est, Quia cùm Sacramentum sit res sensibilis, debet habere præsentiam sensibilem.

Si sit post murum. Vnde panis, qui post murum existit, non posset hinc consecrari, vt communiter DD. docent; quia moraliter, non potest esse sensibus præsens.

Si quantū tota terra vel totum mare. Similiter, si fingamus totam terram esse panē, & totum mare esse vinum, non poterunt vnico actu consecrari; quia hæc propriè non sunt secundùm se tota sensibus præsentia; ita vt sensus ad omnes partes externas possit aliquo modo pertingere. Nec refert, quòd partes sint continuę; quia hoc nihil facit ad humanam præsentiam: vnde remotiores partes, quæ sub sensum non cadunt, perinde se habent, ac si non essent alijs continuæ. Excipe casum. Probabile tamen est, posse hæc consecrari, si virtute diuina sensibus fierent præsentia, sicuti legitur de S. Anselmo, quod aspectu etiam parietes penetrabat.

6 Si pixis sit clausa. Certum tamen est, vinum in calice operto, & panem in pixide clausa, posse consecrari: quia hæc per ipsa vasa designantur, & sensibus percipiuntur. Sic enim designantes dolium, dicimus *Hoc est vinū*.

Si à tergo. Id autem quod à tergo est, non videtur posse consecrari, quia nō potest percipi sensu, sic vt possit designari per pronomen *Hoc* sine addito.

Nō requiritur vt circa eam possis operari. Secundò, Quidam requirunt, vt ita propè sit materia, vt possis circa illam operari manibus, vel instrumento. Sed hoc non videtur verum, quia vis verborum hoc non postulat. In praxi tamen seruanda est Ecclesiæ consuetudo.

DVBIVM III.

Vtrùm Minister mente debeat determinare id, quod consecrandum est?

7 Affirmatur. REspondeo, Debere: id enim postulat pronomen demonstratiuum *Hoc*. Idem suo modo cernitur in reliquis Sacramentis, vbi subiectum, circa quod fit actio, determinari debet. Ratio est, Quia omnis actio fit circa aliquid determinatum, non circa aliquid confusum.

Si solùm designet dimidium hostiæ. Hinc patet, Quòd si Sacerdos velit tantum cōsecrare dimidiam partem hostiæ, eamque mente determinet, illam solam consecrabit, non alteram; quamuis id graue esset peccatum. Si neutram designet; neutram consecrabit, etiamsi alteram confusè voluerit consecrare.

Si quinque ex decem. Similiter, Si ex decem hostijs velit consecrare quinque, non determinans eas, nihil efficiet.

Si solas partes proportionales. Item, Si omnes partes proportionales intendat consecrare, nihil faciet: quod est contra Ioannem Maiorem; quia sunt indeterminatæ, ita vt à nulla mente determinari queant: v.g. omnes partes tertiæ, vel quartæ latentes in aliquo toto, & in infinitum procurrentes.

Si determinationem alteri permittat. Denique non potest etiam hæc determinatio alterius arbitrio permitti, v.g. si intendas consecrare omnes formulas, quas ego designauero: quia de eo quod alter designat, non potes rectè dicere, *Hoc*, nisi tu ipse idem designes.

Nota in Praxi. Aduertendum tamen, quando multæ sunt formæ, non esse necesse, vt earum numerum determines; sed satis est, vt velis omnes consecrare quę ante te sunt, etiamsi aliæ super alias sint accumulatæ, ita vt cerni nequeant.

ARTICVLVS III.

Vtrùm requiratur vt sit panis triticeus?

9 Affirmatur. REspondeo, Propriam materiam esse panem triticeum: quod sic intellige, vt nisi triticeus sit, non constet Sacramentum.

Ex Florentino. Patet Primò ex Concilio Florentino, quod præcisè assignans singulorum Sacramentorū materiam, absolutè statuit *materiam huius Sacramenti esse panem triticeum, & vinum de vite:* quo modo loquendi satis insinuat, hanc materiam esse necessariam ad Sacramenti substantiam. Nam ita vult panem esse ex tritico, sicut vinum ex vite. Atqui vinum vitis est absolutè necessarium: ergo. Confirmatur; quia si dicamus Concilium loqui tantummodò de necessitate præcepti; nihil habebimus certi etiam in cæteris Sacramentis, de materia præcisè necessaria: ergo semper intelligendum est de materia absolutè necessaria, nisi modus loquendi aliud insinuet: vt quando loquitur de aqua admiscenda in calice.

Ex Traditione. Secundò patet ex perpetuo Ecclesiæ vsu, & traditione: nusquam enim legimus in Ecclesia aliud genus panis ad hoc Sacrificium adhibitum.

Ex Rationis conuenientia. Tertiò patet ratione D. Thomę: Quia hic panis est maximè conueniens naturæ humanæ; & maximè vsitatus: nam certa panum genera solùm vsurpantur inopiâ panis triticei. Deinde, hic optimè significat effectum huius Sacramenti, qui est corroborare.

Excludit panē hordeaceum. Hinc patet panem hordeaceum non esse idoneum: quia constat non esse triticeum. Plinius enim lib. 18. c.7. frumenti species facit triticum, & hordeum.

DVBIVM.

Vtrùm panis ex Secali, Spelta, Amylo sit consecrabilis?

10 REspondeo; Nullum panem esse consecrabilem, nisi verè & propriè sit panis, & constet tritico.

Massa cruda & elixa. Vnde certum est, Primò, Massam crudam, aut elixam non esse consecrabilem; quia non est panis vsitatus, siue differat specie siue non à vero pane: hoc enim nihil refert, vt benè Scotus dist. 11. quæst. 6.

Panis de leguminibus & seminibus. Secundò, Certum est, panem ex castaneis, fabis, pisis, milio, cæterisque huiusmodi leguminibus, vel seminibus, non esse consecrabilem: quia constat hæc nullo modo esse triticum.

Ex Secali. Tertiò, De *Secali*; quam D. Thomas videtur vocare *Siliginem* est dubium: Probabile tamen est esse consecrabilem. Ratio est, Quia non videtur substantia

substantia differre à tritico, sed tantùm accidente: nam soli sterilitate & siccitate ex tritico fit secale, & iuxtà Plinium est species tritici, vocatque ipse *farraginem*, teste Matthiolo medico.

Ex Spelta.

Idem sentiendum videtur de Spelta; nam videtur species tritici, etsi leuior sit.

Ex Amylo.

Ex Amylo non solet fieri panis; & si fieret, non videtur consecrabilis, vt probat Scotus. Idem tenet D. Thom. quia est tritici liquamentum variè transmutatum.

Si coctus lacte vel aqua rosacea.

Quartò, Si panis ex lacte, vel aqua rosacea coquatur, non videtur idoneus: ita D. Thomas infrà art. 7. ad 3. quem sequuntur plerique Doctores. Ratio est, Quia non est panis vsitatus, sed videtur genus libi vel placentæ. Contrarium tenet Caietanus infrà art. 7. *Quia*, inquit, *humor exhalatur*; sed reuerà non tota, sed maxima pars aquæ aut humoris manet.

Caietanus.

Caue materiam dubiam.

Porrò in praxi cauendum, ne vnquam materia dubia adhibeatur: nam esset per se magnum sacrilegium; nec potest esse necessitas quæ excuset.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm debeat esse panis Azymus?

11

REspondeo, Certum est, tam panem fermentatum, quàm azymum, esse idoneam materiã huius Sacramenti, vt hîc docet D. Thom. Græci enim cõsecrant in fermẽtato, & Latini in azymo.

Error Græcorum, in azymo non consecrari.

Neque de hoc fuit controuersia per mille annos, scilicet vsque ad annum millesimum vigesimum, vel circiter; tunc enim primùm Græci cœperunt damnare Latinos, eosque vocare *Azymitas*, quod azymo pane in Sacrificio vterentur; vt testatur Leo IX. in epistola ad Michaëlem Constantinopolitanũ c. 5. in quo errore adhuc persistunt, existimantes nihil confici in azymo. Et quia præcipua eorum ratio est, quòd putent Dominũ hoc Sacramentum in fermentato instituisse: videndum est, quando Dominus instituerit. Si enim instituit primo die Azymorũ, euidens est instituisse in azymo; quia lege diuina tunc omne fermentatum sub pœna mortis debebat abesse. Si autem anticipauit dies Azymorum, non est quidem certum, quod in azymo instituerit; sed neque etiam, quod in fermentato; imò adhuc probabilius erit instituisse in azymo. Ratio est, Quia Agnus paschalis non poterat comedi sine azymis: ergo tunc vtebatur azymis: ergo omnino credibile est, quod ex ijsdem azymis immediatè pòst consecrarit Eucharistiam: quis enim dicat Dominum duo panum genera in mensa habuisse?

Fundamẽtum Græcorum non facit contra Azymum Latinorũ.

12

Suppono Primò, Exodi 12. v. 8. præceptum esse, vt Pascha celebretur decima quarta luna mensis primi ad vesperam, *cum azymo pane, & lactucis agrestibus*; & vt ab eo tempore per septem dies, scilicet, vsque ad vigesimum primum inclusiuè, non vtantur alio pane, quàm azymo, sub pœna mortis: vnde hi septem dies dicebantur dies Azymorum, & Paschales.

Quando iussũ olim celebrari Pascha, & quomodo.

Suppono Secundò, Menses apud Iudæos fuisse lunares, & à nouilunio cœpisse: primum autem mensem anni fuisse eum, cuius nouilunium proximũ erat æquinoctio verno vel certè, cuius plenilunium seu dies decima quarta incidebat in æquinoctium vernum: quod si dies decima quarta seu plenilunium erat ante æquinoctium, tunc proximum nouilunium quod incidebat post æquinoctium, inchoabat primũ mensem; & decimo quarto die ad vesperum erat Pascha. Patet hoc ex Philone de vita Moysis, & Iosepho lib. 3. Antiquitatum.

Menses Iudæorum à Nouilunio

His positis; Græci affirmant Dominum manducasse agnum paschalem, & instituisse hoc Sacramentum, non primo die Azymorum, sed die decimo tertio mensis primi ad vesperã: anteuertisse enim tempus ordinarium, vt posset à Iudæis occidi lunâ decimâ quartâ, eo nimirum tempore, quo ipsi secundùm legem Pascha immolabant, vt sic figura veritati responderet. Hunc autem diem decimum tertium incidisse in diem Iouis, decimũ quartum autem in diem Veneris: ad cuius vesperam Iudæos immolasse Pascha, & tunc cœpisse dies Azymorum: decimum quintum autem, qui erat primus Paschæ, incidisse in Sabbatum; & ideò *hoc sabbatum* vocari *magnum* ab Euangelista. Hinc inferunt Dominum potuisse vesci pane fermentato, quando comẽdit pascha; quia dies Azymorum anticipauit. Colligitur hæc sententia ex Euthymio in cap. 16. Matthæi, & Niceph. lib. 1. hist. c. 28. & magis disertè illam explicant Græci posteriores. Verùm pro veritate

13 Sententia Græcorum de tempore instituti huius Sacramenti.

Dico Primò, Christum celebrasse Pascha, & instituisse hoc Sacramentum primo die Azymorum, nempe luna decima quarta mensis primi ad vesperam. Est certa & communis DD. dist. 11.

14 Quando Christus seruarit Pascha, & S. Eucharistiam instituerit, verior sententia.

Probatur Primò, Matt. 26. v. 17. *Prima die Azymorum accesserunt ad* IESVM *dicentes; vbi vis paremus tibi comedere pascha?* Marci 14. v. 12. *Primo autem die Azymorũ quando pascha immolabant*, scilicet gens Iudæorum. Lucæ 22. v. 7. *Venit dies Azymorum, in quo necesse erat occidi pascha: necesse*, quia videlicet lege præceptũ. Atqui hic dies erat decimus quartus, non decimus tertius, vt patet Exodi 12. & 13. vbi præcipitur, vt luna decima quarta ad vesperã omnes immolent pascha, & omne fermentum sub pœna mortis abijciant.

1. Probatur ex Matthæo Marco, & Luca.

Respondent quidam Græci huic argumento, vt testatur D. Th. in 4. d. 2. q. 2. a. 2. hos tres Euangelistas esse lapsos in hoc, & à Ioanne esse correctos, qui ait *ante diem festum* Dominum celebrasse pascha. Sed hoc blasphemum est. Vnde

Prima Græcorum euasio blasphema.

Probatur Secundò, Ex Ioanne, quem Græci se dicunt sequi: Ioan. 13. v. 1. *Ante diem festum Paschæ, sciens* IESVS, *quia venit hora eius* &c. Hoc Dominus dixit pridie passionis, vt patet ex serie Euangelij: ergo dies passionis erat festus: sed festus non erat die decima quarta, sed decima quinta: nam decimus quartus ad vesperam erat prophanus, vt ipsi fatentur: ergo non instituit hoc Sacramentum die decimo tertio ad vesperam, sed decimo quarto, quando incipiebant azyma.

15 2. Prob. ex Ioãnis. 13.

Sed instant Græci: Si instituit ante diem festum Paschæ: ergo instituit ante decimum quartum diem ad vesperam: nam decimus quartus dies ad vesperam erat dies Paschæ.

Præcluditur effugiũ Græcorum.

Respondeo Negando Consequentiam; aliud enim est *dies festus Paschæ*, aliud *Pascha*, seu *dies Paschæ*: nam *dies festus Paschæ* erat decimus quintus dies, vt patet clarè Exodi 12. & Leuit. 23. *Pascha* verò, seu *dies Paschæ* erat extrema pars diei decimæ quartæ constans aliquot horis, quando nimirum vbique immolabatur Agnus paschalis: & hic dies non erat festus, quia opera seruilia non erant tunc interdicta.

16
3. Prob. ex Ioã. 13.

Probatur Tertiò, Ibidem Ioannis 13. v. 27. cùm Dominus diceret Iudæ, *Quod facis, fac citius*; & ille mox egrederetur cùm iam esset nox, Apostoli suspicabantur hoc illi esse dictum, *vt emeret necessaria ad diem festum:* quod nullo modo potuissent suspicari, si fuisset tunc decimus tertius dies ad vesperam; quia inter illud tempus & festum dies integer interceßisset, vnde non fuisset opus vlla festinatione.

4. Prob. ex Ioan. 18.

Probatur Quartò, Ioannis 18. v. 31. Iudæi dicunt, *Nobis non licet interficere quemquam*, scilicet ob festum, quod tunc erat; vt exponunt multi Patres in hunc locum: Chrysostomus, Cyrillus, Augustinus, Beda, & alij. Nam aliàs poterant interficere blasphemos, vt patet Act.7. Ergo pridie erat decimus quartus.

5. Prob. ibid. v.39.

Probatur Quintò, Ibidem v.39. Pilatus dicit; *Est autem consuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis Regem Iudæorum?* Ergo tunc erat festum Paschatis, scilicet dies decimus quintus. Confirmatur, Quia dies hic Matt. 27.v.15. vocatur solemnis: *Per diem solemnem consueuerat Præses populo dimittere vnũ.* Marci 15. v.6. *Per diem festum solebat dimittere.* Luc.23.v.17. *Necesse habebat per diem festum dimittere eis vnum.* Vnde manifestè sequitur fuisse decimum quintum, quãdo Barabbas dimissus est, & Dominus occisus: ergo decimo quarto ad vesperam comedit agnum.

17
6. Prob. ex Patribus.

Sextò Probari potest ex Patribus: & quidem de Latinis non est dubium. Ex Græcis idem colligitur. Nam apertè dicunt, Christum die festo ac solemni Paschatis fuisse occisum, ac proinde die decimo quinto, non decimo quarto. Vide Origenem Tract. 33. in Matth. Gregorium Nazianz. oratione 2. de Paschate, Theophilum Alexand. apud Bedam lib. De ratione temporum cap. 57. Theodoretum quæst.24.in Exodum. Chrysostomum hom.85. in Matt.vbi inter cętera ait, Christum eo die manducasse pascha, quo lege præscriptum erat; & hom. 82. in Ioannem, eo die celebrasse pascha, quo antiquitus celebratum erat.

18
7.Probatur Ratione.

Postremò patet Ratione: Quia decuit Christũ in omnibus seruare legem, ne Iudęis daret aliquã occasionem calumniandi, aut se reijciendi tanquã legis transgressorem. Et sanè, si tempus à lege præscriptum anticipasset, Iudæi id ei obiecissent, quando tanto studio eum coram Summo Sacerdote accusabant. Quod autem Euthymius ait, licuisse anticipare tempus, sed non postponere, caret omni ratione & auctoritate; præsertim cùm Scriptura absolutè prędscribat diem decimũ quartum ad vesperam; vt patet Exodi 12. Leuit. 23. Num. 9. & 28. Quòd si tunc incidebat impedimentum, non permittebat lex anticipari, sed iubebat differri in lunam decimam quartam mensis proximi; vt patet Num. 9. insinuans omnino debere fieri luna decima quarta.

An licuerit olim anticipare Paschę tẽpus.

19
Altera pars verioris sententiæ contra Græcos.

Dico Secundò, Luna decima quarta eo anno incidit in feriam quintam, & luna decima quinta in feriam sextam: vnde feria sexta erat festum Azymorum, & dies solemnis Paschatis. Patet, quia Dominus Sabbato quieuit in sepulchro, & feria sexta occisus est. Ergo quando comedit Pascha, erat feria quinta ad vesperam. Atqui tunc erat luna decima quarta, vt ostensum est: ergo luna decima quarta incidit in feriam quintam, & luna decima quinta in feriam sextam. Ergo feria sexta erat dies Festus & solemnis. Nam Leuit.23. v.5. & 6. & Num. 28. v.16. dies decimus quintus mensis primi vocatur *Solemnitas Domini, & dies celeberrimus*; *Mense*, inquit, *primo, quarta decima die mensis ad vesperum Phase Domini est, & quinta decima die mensis huius solemnitas Azymorum Domini est*; nempe quam Ioannes vocat *diem festum Paschæ.* Dices quomodo ergo Euangelistæ decimũ quartum diem vocant primum diem Azymorum? Respondeo cum Caietano in c. 13. Ioannis: Vocant illũ *primum Azymorum* ratione noctis sequentis, quando Azyma incipiebant: prior enim pars noctis, vsque ad noctis dimidium, iuxta vulgarem computationẽ, pertinebat ad diem præcedentem, scilicet ad decimum quartum diem: vnde iuxta vulgarem computum dies decimus quartus, dicebatur dies primus Azymorum; nempe ratione partis illius noctis. Sed iuxta legalem computum pertinebat illa pars ad diem sequentẽ: nam iuxta legalem vsum, dies à vespera ad vesperam censebantur. Etsi enim ad vesperam non sic inciperet festum, vt obligaret ad abstinentiam operum seruilium; tamen incipiebat secundùm aliquam cæremoniam legalem: vt, quia incipiebant abstinere à fermentato. Sicut modò apud Christianos festa, quoad officium Ecclesiasticum incipiunt à vespera; quoad obligationem abstinendi ab opere seruili, à media nocte.

Soluitur difficultas ex Euangelistis petita.

Sed contrà. Obijciunt Græci Primò, Dies ille, quo Dominus est occisus, non fuit festus: ergo non est occisus luna decima quinta, sed decima quarta: ergo decima tertia ad vesperam comedit Pascha. Antecedens patet, quia diebus festis prohibita erant opera seruilia, & Iudicia: sed eo die, quo Dominus fuit occisus, non erant hæc prohibita: nam Ioseph emit sindonem, Marci 15. Mulieres parauerunt aromata Luc. 23. Iudæi accusarunt, & condemnarunt Christum: ergo &c. Confirmatur Matth. 26. v. 5. *Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo.*

20
1. Obiect. Hinc sequi Christum fuisse occisum die festo,

Ob hoc argumentum Rupertus lib.10. in Matthæum in illud, *Scitis quia post biduum*, etsi concedat Iudæos, & Christum comedisse agnum die decimo quarto ad vesperam, tamen vult diem decimum quintum non fuisse festum; sed hoc festum translatum in diem decimum sextum, scilicet in Sabbatum, ne duo festa essent continua.

Ruperti solutio, quòd festum id fuerit trãslatum.

Improbatur.

Sed hæc sententia est omnino improbabilis: Primò, Quia apertè Scriptura multis locis docet diem decimum quintum, qui immediatè sequitur vesperam immolationis paschæ, esse solemnem, & festiuum, & primũ Azymorum; vt patet Exod. 12. Leuit. 23. Num. 28. Debebant enim Azymorum dies continenter celebrari. Secundò, Quia Patres passim docent Dominum die festo, & solemni occisum.

Vera solutio.

Vnde Respondeo, in festis prohiberi opera seruilia, sed non opera pietatis; nec ea, quæ erant necessaria ad cibos parandos, vel ad ignem accendendum: hæc enim tantùm in sabbato, & alijs fortasse paucissimis prohibita erant. Quòd ad Iudicia attinet, Iudæi non erant admodùm scrupulosi in causis criminalibus, modò ipsi manibus nõ occiderent. Ad Confirmationem, seu ad Illud Ioannis 26. *non in die festo*; erat quorundam consilium, sed non optimum: nam Iudas vltrò se offerebat, vt eum traderet sine tumultu.

21
2. Obiectio: quòd tunc erat Parasceue sed vt Paschæ.

Obijciunt Græci Secundò, Ioannis 18. v. 28. *Non introierunt in Prætorium, vt non contaminarentur,*

sed vt manducarent Pascha: ergo tunc nõdum comederant pascha, sed vesperi erant comesturi: ergo iste erat dies decimus quartus mensis primi.

Confirmatur ex cap.19. Ioannis v.31. vbi dicitur, quòd erat *Parasceue paschæ*, hoc est, præparatio ad pascha.

Quidam respondent Sacerdotes suũ Pascha trãstulisse.

Respondeo; Ob hoc argumentum quidam Patres putauerunt Principes Sacerdotum ita fuisse occupatos in Christi nece procuranda, vt contra legem diuinam tempore legitimo cum reliquo populo Pascha non celebrauerint, sed distulerint in decimum quintum diem ad vesperam, id est, in feriam sextam. Ita Chrysostomus homilia. 85. in Matt. & 82. in Ioannem: Theophilactus in c.26. Matt. Idem insinuat Cyril.lib. 12. in Ioan. c. 2.

Non probatur.

Verùm id parum est probabile, cùm suarum cæremoniarum essent obseruantissimi, vt populo valdè religiosi viderentur. Neque tempus illis defuit celebrandi pascha, cùm nec Iudæ defuerit, qui tamen magis erat impeditus. Denique, si erant impediti, debebant differre vsque in diem decimum quartum mensis proximi, vt expressè præcipitur Num. 9.

22 Alij negant in certis ferijs Pascha potuisse celebrari.

Alij respondent omnes Iudæos distulisse illo anno in decimum quintum ad vesperam immolationem agni, & festum Paschæ in decimum sextum, scilicet in sabbatum. Et ratio erat, quia habebant quasdam traditiones iam inde à temporibus Esdræ, quibus cauebatur ne vmquam feria secunda, vel quarta, vel sexta festum Paschæ celebraretur; & iuxta hoc sua Calendaria disponebant. Hanc sententiam excogitauit Paulus Burgensis; eamque fusè explicat & sequitur Iansenius c.128. Concord. & Ioan. Heutenius in præfatione ad Euthymiũ, & aliquot alij recentiores. Sed hęc sententia Primò facilè refutatur ex dictis. Nam Marcus ait, *Primo die Azymorũ, quãdo pascha immolabant.* Qui immolabant, nisi Iudæi? & Lucas, *Primo die Azymorum, in quo necesse erat occidi pascha*; cur necesse? Nisi quia lex & consuetudo ita præcipiebant. Secundò, Quia constat Iudæos illo tempore semper celebrasse Pascha die decima quarta, nec curasse in quam feriam ille dies incideret: ergo nõ habebant talem traditionem circa certas ferias.

Improbatur.

Quouis die hebdomadę Iudæi Pascha celebrabant.

Antecedens patet, Tùm ex testimonio Epiphanij hæresi 30. & 51. vbi ait festum Azymorum apud Iudæos incidere in quemuis diem hebdomadæ, etiam in secundum, tertium, quartum &c. Tùm ex consuetudine Ecclesię Asiaticæ, quę initio nascentis fidei celebrabat Pascha decima quarta luna mensis primi, in quemcumque diem hebdomadis luna illa incidisset, & in hoc imitabatur Iudæos: ergo Iudæi illo tempore celebrabant Pascha die decimo quarto, non curantes in quam feriam ille dies incideret. Antecedens patet apud Theodoretum lib.1. hist. c.9. Euseb. lib.5. hist. cap.22. & 23. Epiphan. hæresi 50. quę est *Quartadecimanorum.*

23 Verior Auctoris solutio.

Vnde dicendum est, omissis alijs expositionibus, *pascha* eo loco apud Ioannem non significare agnum paschalem, sed alias victimas paschales, quæ per omnes paschæ dies immolabantur: vt expressè colligitur Deuter. 16. v.2. *Immolabis phase Domino Deo tuo de ouibus, & de bobus.* Et 2. Paralip. 35. v. 8. *Dederunt Sacerdotibus ad faciendum phase pecora commixtim duo millia sexcenta, & boues trecentos, Leuitis quinque millia pecorũ & boues quingentos.*

Ad Confirmationem: Dicitur autem *Parasceue Paschæ*, non quasi ad pascha, sed quia occurrebat in festo Paschatis: nam Marci 15. v. 24. vocatur *Parasceue ante sabbatum*; similiter Lucæ 23. v. 54. Dicitur autem dies ille *Parascene*; quia tunc cibi pro sabbato præparari debebant: & nullus dies habebat parasceuen, præter sabbatum.

Quid Parasceue Paschæ.

Obijciunt Græci Tertiò, Azyma sunt propria Iudæorum: ergo consecrare in azymo est iudaizare. Confirmatur, Azymum non est panis; nam panis Græcè dicitur ἄρτος ab αἴρω, id est, attollo, quia fermentum attollit farinam subactam.

Respondeo, Vti azymis non magis est iudaizare, quàm vti fermentatis; quia Iudæi non solùm azymis vtebantur in cæremonijs, sed etiam panibus fermentatis, vt patet Leuit. 7. & 23. Deinde, non vtimur azymis eodem modo quo Iudæi: illi enim vtebantur cum agno paschali, & lactucis agrestibus, &c. nos autem ad consecrandam Eucharistiam. Ad confirmationem: azymus panis non minùs est panis quàm fermentatus; vt per se patet; & Lucæ vltimo, vbi panis azymus vocatur panis, illis verbis; *Cognouerunt illum in fractione panis:* Nam hoc contigit tertio die azymorum. Etymologia autem sæpè est angustior, quàm nominis significatio.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Vinum vitis sit propria materia huius Sacramenti?

24 Affirmatur Matt.28. Lucæ 22.

REspondetur, Necessariò debere esse vinum ex vite. Matth. 28. vocatur *genimen vitis*, id est, fructus. Similiter Luc. 22. dicitur *generatio vitis*. Definitur etiam à Concilio Florentino in instructione Armenorum: & supponitur à Concilio Trident. sess. 13. can. 2. Ratio est, Quia liquores alij, qui ex leguminibus, frumento, vel pomis fiunt, non sunt verè vinum; sed is solus, qui ex vuis exprimitur. Vnde sequitur Primò, Acetum non esse vllo modo idoneam materiam: quia est corruptio vini; sicut cadauer est corruptio animantis. Si adhuc retinet vini naturam (quod ex sapore, & odore colligitur) quamuis non-nihil acescat, est consecrabile. Peccat tamen, qui sine necessitate tali vino vtitur.

Liquores ex leguminibus &c.

Acetum,

Vinũ acidum.

Sequitur Secundò, Omphacium non valere, quia non est vinũ, sed liquor incoctus, vnde tandem concoctione vinum fieret.

Vinum intra vuas.

Sequitur Tertiò, Vinum intra vuas conclusum non esse consecrabile; vt rectè Caietanus hîc, & alij passim: ita enim permixtum est carni vuæ, vt non tam sit potus, quàm cibus. Mustum tamen consecrabile est. Verùm eo non est vtendum, nisi in necessitate: nam plurimas fœces commixtas habet, quæ non sunt consecrabiles.

Mustum.

Sequitur Quartò, De vino solidè gelato dubium est: quidam enim putant esse idoneum: ita Angelus verbo Missa, num.23. Silvest. verbo Eucharist. 2. q.10. quæ sententia non est improbabilis. Verius tamen videtur, non esse idoneum, siue ibi sit species vini, siue non. Ratio est, Quia non est potabile, sicut nec in vuis. Ita Fumus verbo Eucharistia, num.9. & Alanus lib.1. de Eucharist. cap.11. Cùm autem solutum fuerit, si adhuc retinet naturam vini, consecrabile est. Secùs, si non retinet.

Vinum gelatum.

degelatũ.

ARTICVLVS VI.

An aqua sit vino miscenda?

25 Variæ hæreses.

RESpondetur, Aquam vino permiscendam. Est contra Ebionitas, Tatianos, & Aquarios, qui prætextu sobrietatis, solam aquam offerebant. Vide Epiph. hæresi 30. & 46. & August. hæres. 64. Est etiam contra Armenos, qui solum vinum offerebant, vt significarent in Christo esse tantùm vnam naturam; vt refert Nicephorus lib. 18. hist. c. 53. Denique est contra nostros hæreticos, qui id putant esse adiaphorum.

Sententia Catholica probatur.

Probatur Primò, Ex Concilijs. Concilium Trullanum Can. 32. dicit *Hanc mixtionem esse traditionem Apostolicam à Christo profectam.* Conc. Carthaginense III can. 24. *Vt in Sacramentis Corporis & Sanguinis Domini nihil offeratur amplius, quàm ipse Dominus tradidit; hoc est panis, & vinum aquâ mixtũ.* Concilium Florent. in instructione Armenorum adfert tres causas huius mixtionis, quas hîc habet D. Thomas. Similiter Concil. Tridentinum sess. 22. cap. 7. Probatur Secundò, Ex Liturgia D. Iacobi, *Accipiens*, inquit, *calicem, & permiscens ex vino & aqua*. Et ex Liturgia D. Basilij *Calicem de genimine vitis accipiens, miscens, gratias agẽs benedixit* &c. Probatur Tertiò, Ex Decretis Pontificum; quæ vide apud Gratianum de Consecratione, distinct. 2. Probatur Quartò, Ex Patribus. Iustinus Apologia 2. in fine dicit Christianos *offerre panem & calicem aquâ dilutum.* Irenæus lib. 4. contra hæreses cap. 57. *Dominus temperamentum Calicis sui, Sanguinem confirmauit.* Cyprianus tota epist. 63. ex professo probat esse contra Christi institutionem solam aquam offerre; sed eam cum vino miscendam. Rationes vide apud D. Thomam hîc. Et apud Amalariũ lib. 3. de Officijs c. 19. & Rabanum lib. 1. De institutione Clericorum c. 31.

1. Ex Concilijs.

2. Ex Liturgijs.

3. Decretis Pontificũ.

4. Ex Patribus.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm permixtio aquæ sit de necessitate huius Sacramenti?

26 Negatur contra Richardũ.

RESpondetur Negatiuè. Est communis sententia Theologorum. d. 11. præter Richardum Armacanum lib. 9. qq. Armeniacarum cap. 9. vbi docet hanc mixtionem esse necessariam ad substantiam Sacramenti.

Florent.

Probatur Primò, Ex Concil. Floren. *Materia huius Sacramenti est panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet.* qua forma loquendi insinuat non esse, nisi ex præcepto debitũ; alioqui dixisset, *Materia est vinum de vite aquâ mixtum.* Concil. Trid. sess. 22. cap. 7.

Trident.

Monet sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miscerent. vbi satis indicatur, esse solùm ex præcepto Ecclesiæ; ac proinde non pertinere ad substantiam: Ecclesia enim non potest suo præcepto facere, vt id, quod non est necessaria materia, fiat necessaria.

Ratio.

Probatur Secundò: Ratione, Quia aqua admiscetur non ad significandam præsentiam Sanguinis Christi in hoc Sacramento, quæ est primaria res significata per species; sed ad significandum effectum, seu fructum huius Sacramenti, quem habet in sumentibus; quod est incorporari Christo. Atqui substantia huius Sacramenti non consistit in sumptione seu vsu, sed in re permanente, vt suprà dictum est: ergo etiamsi hęc significatio absit, non perit eius substantia; præsertim cùm hæc significatio satis conseruetur in speciebus vini & panis: vinum enim ex multis acinis confluit, & panis ex multis granis conficitur.

Cur Aquæ omissio sit graue peccatum.

Aduerte tamen, non sine graui peccato aquæ admixtionem intermitti. Nam est traditio apostolica, semper in Ecclesia instar præcepti obseruata. Imò à Cypriano dicitur *mandatum Domini*; non quòd Dominus propriè mandauerit, sed quia ab exemplo Domini manauit; sicut solutio decimarum dicitur esse iuris diuini. Simili sensu dicitur esse *Traditio diuina* à Concilio Carthaginensi III. cap. 24.

Papa dispensare potest.

Ex his sequitur Papam posse dispensare, ne mixtio fiat; quamuis existimem non posse occurrere casum, in quo sit iusta causa dispensandi. Si tamen de facto dispenset, non erit peccatum mortiferum omittere.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm aqua debeat in magna quantitate apponi?

27 Aqua modica admiscenda, & cur.

RESpondetur; Modicam aquam admiscendam, sic vt ante consecrationem in vinum possit conuerti. Patet ex Concilio Florentino quod dicit modicissimam aquam admiscri debere. Sed est

DVBIVM.

Vtrùm si ante consecrationem aqua nondum sit mutata in vinum, cõuertatur in Sanguinem, sicut vinum?

Quidam id negant.

DOctores Scholastici putant non posse conuerti in Sanguinem, nisi antè sit conuersa in vinum. Ita D. Thomas hîc, Bonauentura, Scotus, Richardus, Paludanus, Maior, & Gabriel, d. 11. Imò Gabriel lectione 35. in Canonem, dicit esse *Indubitatam sententiam*; & Cathecismus Pij V. dicit *esse sententiam omnium Ecclesiasticorum Scriptorum.* Ratio est; quia propriè solum vinum est materia; aqua autem miscetur, non vt necessaria, sed cæremoniæ causâ, propter significationem, vt insinuat Concilium Florentinum. Et Confirmatur; quia admixtio solùm videtur esse ex precepto Ecclesiæ: at si esset materia consecrabilis, omnino esset præcepta à Christo illam materiam instituente; non enim materias Sacramentorum reliquit liberas. Hæc sent entia est valdè probabilis.

28 Opposita sententia exponitur, & probatur.

Nihilominùs contrarium quoque probabile est: Aquam nimirum vino mixtam in Sanguinem conuerti, siue antcà sit conuersa in vinum, siue non. Hanc sententiam tenet Alanus cap. 13. lib. 1. Vbi dicit certa fide tenendum esse totum conuerti in Sanguinem, siue aqua sit in vinũ mutata, siue non. Et infrà dicit contrarium esse grauem errorem: quibus tamen verbis nonnihil excedit. Idem tenet Petrus Soto lectione 14. quæst. 5. de Eucharistia.

1. Ex Patribus.

Probatur Primò, Quia Sancti Patres absolutè dicunt *Vinum & aquam*, item *Vinum aquâ mixtum offerri*,

offerri, consecrari, & in Sanguinem Christi verti: Irenæus & Iustinus suprà citati art. 6. Cyprianus Epist. 63. dicit *calicem Domini non esse solum vinum, aut solam aquam, sed vtrumque mixtum, & hoc sanctificari.* Ambrosius lib. 4. de Sacramento cap. 5. *Ante verba Christi, calix est vino & aqua plenus; vbi verba Christi operata fuerint, Sanguis efficitur.* Theodoretus Dialogo 1. circa medium; *Sanguinem appellauit id, quod in calice confusum & commixtum erat.* Paschasius de Eucharistia c. 11. Dicit *non manere aquam, sed verti in Sanguinem.* Algerius l. 1. c. 16. de Eucharistia, *Vtrumque*, inquit, *vinum & aqua vnus Sanguis fit.*

2. Ex Innocentio III.

Probatur Secundò, Ex Innocentio III. Cap. *Cùm Marthæ*, quem videtur D. Thomas non benè citasse: dicit enim Innocentius illam opinionem esse probabiliorem, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari; *Vt expressiùs*, inquit, *eluceat proprietas Sacramenti, quæ est, populum Christianum designatum per aquam, incorporari Christo.* Atqui, si aqua mixta vino non possit immediatè conuerti in sanguinem, non aptè significaretur populum Christo incorporari, & veluti in ipsum transmutari. Deinde, Innocentius ibidem non videtur probare opinionem eorum, qui dicunt aquã vino admixtam mutari in vinum: *Nam Physici*, inquit, *contrarium asserunt, qui affirmant aquam a vino per artificium separari.* Et infrà absolutè decernit esse probabilius, *aquam & vinũ conuerti in sanguinẽ.*

3. Ex Ratione.

Probatur Tertiò, Quia tam exiguo tempore, quàm est illud, quod intercedit inter mixtionem & consecrationem, sæpè non potest aqua in vinum conuerti; præsertim, si vinum sit debile; vel si multum aquæ ponatur, sicut in Concil. Triburiensi ante annos 800. can. 19. vbi statuitur, *vt duæ partes sint vini, & tertia pars possit esse aquæ:* Vel si aqua, etiam modica, ponatur immediatè ante consecrationem; quod fieri debet, si anteà per oblitionem erat omissum. Imò ex Christi institutione non requiritur vlla mora inter mixtionem, & consecrationem; sed posset fieri immediatè ante consecrationem.

4. Ex Liturgia S. Iacobi.

Probatur Quartò, Quia in Liturgia S. Iacobi dicitur, *quod Christus accipiens calicem, & permiscens ex aqua & vino, benedixit*; vbi significatur immediatè post admixtionem aquæ, factam esse consecrationem: & credibile est, non paucas guttas dominũ appositisse iuxtà morẽ regionum calidarũ.

5. Ex natura aquæ, quæ per se in vinum conuerti nequit.

Probatur Quintò, Aqua nõ videtur posse conuerti in vinum, si sola sit; quia est corpus simplex, quod per se solum nõ potest verti in corpus mixtum; sicut nullum mixtum potest ali per corpus simplex, aut gigni ex simplici elemento. Accedit, quòd aqua naturæ sit pertinacissimæ; cuius signũ est, quòd etiamsi in vapores per ignem euanescat, nihilominùs naturam suam non amittat; sed sola refrigeratione sibi restituatur. Præterea veteres numquam videntur fuisse solliciti, vt aqua in vinum verteretur; supponentes totum, quod est in calice, in sanguinem conuerti.

Sextò denique si maneret aqua, Sacerdos sumpto calice frangeret ieiunium: quo argumento D. Thomas q. 75. a. 2. probat non manere substantiam panis.

29 Aqua sit modicissima.

Aduerte tamen; rectè monere Concilium Florent. vt *Modicissima aqua admisceatur*: id enim est securius; tum vt aqua in vinum conuertatur, si necesse est: tum ne aqua destruat vini naturam.

Sanguis Domini est sub specie Aquæ.

Dices, Si aqua immediatè potest conuerti in sanguinem: ergo sanguis Christi etiam existit sub speciebus aquæ. Respondeo ita est, quando illa est vino permixta. Quòd si artificio separetur, probabile est manere ibi adhuc sanguinem Domini, quamuis sic per se non potuerit consecrari.

QVÆSTIO LXXV.

De conuersione panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi.

In Octo Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in Eucharistia sit verè corpus Christi, an solum sicut in signo?

1 Hæreses quorumdam Græcorum circa realem præsentiã Christi in Eucharistia.

NOtandum est, quosdam apud Græcos hanc veritatem de reali præsentia corporis Domini in Eucharistia negasse tempore S. Ignatij Martyris. Colligitur ex Theodoreto dial. 3. vbi de quibusdam ait Ignatius; *Eucharistiam & oblationes non admittunt, quòd non confiteantur Eucharistiam esse carnem saluatoris nostri* IESV *Christi*: quæ verba adducit Theodoretus ex epist. Ignatij ad Smyrnenses, sed modò non inueniuntur. Verùm hæc hæresis fuit valdè obscura, & paucorum; nam alij Scriptores non meminerunt.

Post annum 700. quidam Iconomachi dicere cœperunt, Christũ esse in Eucharistia, vt in signo & imagine; & hanc esse vnicam Christi imaginem; vt refertur in Synodo VII. act. 7. tom. 3. in fine.

Hæreses quorundã Latinorũ.

Apud Latinos primus Berengarius apertè hanc hæresim defendit, & propagauit circa annum Domini millesimum quinquagesimum: qui postquã ter errorem suum abiurasset, & bis violato iureiurando in eundem esset relapsus, tandẽ Catholicè mortuus putatur. Hunc secuti sunt hæretici dicti *Henriciani*, & *Petro-Brusiani*, & Albigenses, & Wicleff: & nostro tẽpore Carolstadius, Zwinglius, & Caluinus eum suis, vt docet Bellarminus, & Sanderus fusè de visibili Monarchia. Hi omnes volunt Christi corpus nõ esse verè, & realiter in Eucharistia; sed tantùm velut in signo. Caluinus tamen, vt aliquid huic mysterio videatur tribuere, docet; quòd etsi corpus Christi maneat in cælo, nec vmquam realiter symbolis Sacramentalibus coniungatur; tamen illud corpus, ejusq; substantia à fidelibus ineffabili modo manducetur.

Mens & sensus aliorum hæreticorũ an, & quomodo cum sensu Cal. uini conueniat.

ducetur. Verùm hunc modum posteà explicat solùm per fidem, & apprehensionem. Vnde hæc sententia nihil differt à sententia Berengarij, & prædictorum hæreticorum, nisi præstigijs verborum, quibus simplicitati hominum imponit. Nemo enim hæreticorum negat Christum à pijs percipi fide, dum sumuntur Symbola.

2 De fide est, Christum verè, realiter, & substantialiter esse in Eucharistia,

Pro veritate Catholica sit hęc propositio: Certa fide tenendum est, in Eucharistiæ Sacramento, post consecrationem, verè, realiter, & substantialiter esse Dominum nostrum IESVM Christum verum Deum & hominem. Ita Concilium Trid. sess. 13. cap. 1. & can. 1. Vbi nota: Concilium dicere Christi corpus, & ipsum Christum in Sacramento esse *verè*, quia nō solùm est ibi vt in figura, vel in signos; *realiter*; quia non solùm per apprehensionem fidei; *Substantialiter*, quia non solùm per energiam, sed etiam eius substantia realiter coniungitur Symbolis Sacramentalibus. Vt autem hæc Catholica veritas contra nostri temporis hæreticos clarè liqueat, eam ex Nouo Testamento, Concilijs, Patribus Græcis & Latinis, Miraculis ac Congruentijs breuiter confirmabimus: eorumque argumenta dissoluemus.

Primò. Ex Nouo Testamento.

1. Probatur Ioannis. 6.

PRobatur itaque Primò hæc veritas ex cap. 6. Ioannis v. 51. *Panis quem ego dabo, Caro mea est pro seculi vita.* Hunc locum etsi quidam Catholici exposuerint de Christo manducando per fidem, quatenus credimus eius incarnationem; vt Gabriel, Caietanus, Ruardus, Hesselius, & Ianseniu: tamen omnes Patres, & cæteri Catholici scriptores exponunt de carne Christi realiter sumenda in Eucharistia; vt Christus hîc intelligatur promittere, quod in cæna præstitit; vt eruditè ostendit Sanderus in libello, quem scripsit in hoc caput Ioannis.

Malè explicatur hic locus de manducatione per fidem.

Primò.

Probatur Primò, Quia Dominus ibi hortatur ad fidem, & promittit credentibus in se hunc panem: *Operamini*, inquit, *cibum qui non perit, quem filius hominis dabit vobis*; apertè distinguens inter hæc: nam priùs est credere, posteriùs est manducare panem, quem Christus dat: ergo manducare hunc panem, non est credere in Christum, sed supponit Christi fidem. Confirmatur: quia alioqui non diceret, *panis quem ego dabo*, in futuro; sed *quem ego do, & dedi*; nam omnibus temporibus seipsum dedit fide manducandum.

Secundò.

Secundò: Quia hunc panem præfert Mannæ, quòd Manna non præstet manducantibus vitam æternam, hic autem panis eam præstet: ergo debent conuenire in manducatione, alioqui inepta esset comparatio.

Tertiò.

Tertiò: Quia hæc verba optimè respondent verbis institutionis Eucharistiæ. Hîc enim dicitur, *Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro seculi vita*, vt habent Græca: ibi dicitur, *Accipite, & manducate, Hoc est enim corpus meum, quod pro vobis datur in remissionem peccatorum*; manifestè hîc exhibens, quod ibi promiserat.

Quartò.

Quartò: Ex murmure Iudæorum, & Discipulorum, qui tamquam re insolentissima offendebantur: *Litigabant Iudæi ad inuicem*; *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* & Discipuli; *Durus est hic sermo*. Vnde perspicuum est eos intellexisse Christū loqui de sua carne manducanda. Tamen Christus non correxit illorum sententiam, sed iterum repetijt, *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis* &c. Quòd si nihil aliud voluisset dicere, quàm, *Nisi credideritis in Filium hominis*, quis dubitet, quin id explicuisset, & scandalo Discipulorum & Iudæorum occurrisset?

Quintò. Quintò: Ex illis verbis, *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Item, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Item, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Hæc repetitio varijs modis facta indicat apertè ipsum loqui de Eucharistia. Quorsum enim toties cum distinctione repeteret *Carnem, & Sanguinem; cibum, & potum; manducare, & bibere*; si nihil aliud vellet significare, quàm nos in ipsum credere debere?

Manifestum ergo est Dominum ibi promisisse nobis suam carnem manducandam in modum cibi, & sanguinē bibendum in modum potus: quod promissum non aliter præstitit, quàm per Eucharistiam: ergo in Eucharistia est verè caro & sanguis Christi.

3 S. Augustinus censet locum Ioannis 6. agere de Carne Christi in Eucharistia.

Neque huic expositioni repugnat D. Augustinus Tractatu 25. & 26. in Ioannem: solùm enim intendit Christi corpus nō manducari salubriter, nisi etiam fide manducetur, & in ipso permaneatur; quamuis ipsum Sacramentum dentibus præmatur, & sensibiliter sumatur. Interdum autem deflectit ad expositionem spiritalem: vt cùm ait, *Hunc cibum & hunc potum intelligi vult Societatem corporis, & membrorum suorum, quod est sancta Ecclesia* &c. Alibi clarissimè explicat suam sententiam de hoc loco Ioannis: nam lib. 3. de consensu Euang. cap. 1. *Ioannes*, inquit, *de corpore, & sanguine Domini hoc loco*, scilicet (in cæna) *nihil dixit; sed planè alibi multò vberiùs hinc Dominum locutum esse testatur:* vbi Augustinus respicit ad hoc cap. 6. Ioannis: nam nullus est alius locus, qui huc possit pertinere. Lib. 2. contra Aduersarium legis & prophetarum cap. 9. *Mediatorem Dei, & hominum, hominem Christum* IESVM *carnem suam manducandam, bibendumque sanguinem dantem, fideli corde & ore suscipimus: licet horribilius videatur humanam carnem manducare, quàm perimere; & humanum sanguinem potare, quàm fundere:* & alibi sæpè.

4 1. Prob. ex ipsis Christi Verbis in institutione S. Eucharistiæ.

Probatur Secundò, Ex illis verbis: *Hoc est enim Corpus meum. Hic est enim Sanguis meus. Calix Sanguinis mei.* Quibus verbis Dominus affirmat, hoc, quod Apostolis tradebat, esse suum corpus, & esse suum sanguinē; vt patet Matt. 26. Marci 4. Luc. 22. & 1. ad Corint. 11. Vt autem nō dubitaremus de quo corpore vel sanguine loqueretur, addit, *Quod pro vobis tradetur. Qui pro vobis effundetur.*

Variæ hæreticorū expositiones sup. Verba, *hoc est Corpus meum.*

Hic hæretici tam variè respondent, vt plusquam ducentæ expositiones eorum in hæc verba, *Hoc est corpus meum*, à Catholicis notatæ sint. Præcipua, in qua Caluinistæ conquiescunt, est; *Corpus* accipi pro *figura corporis*, quæ olim etiam fuit Berengarij.

Caluini & hæreticorū expositio refellitur. Primò.

Sed contrà: Primò, Quia corpus Christi in Scriptura numquam accipitur, nisi pro corpore eius naturali, vel mystico: nusquam autem pro figura corporis.

Secundò.

Secundò, Quia additur, *Quod pro vobis datur. Qui pro vobis effunditur.* Atqui figura corporis, & sanguinis non fuit pro nobis data, vel effusa, sed verum corpus, & verus sanguis: alioqui potuisset dicere

dicere de *agno*, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.

5 Tertiò, Inepte dicunt Lucæ textum esse corruptũ.

Tertiò, Quia Luc. cap. 22. v. 20. dicit *calicem Sanguinis effundi pro nobis*, vt patet ex verbis Græcis. Sed non est pro nobis effusum vinum, vel figura sanguinis, sed verus sanguis. Ergo *calix* significat calicem veri sanguinis. Hunc locum Caluinistæ, ne quidem in specie soluere possunt. Vnde dicunt textum esse corruptum; cùm tamen omnia exemplaria sic habeant.

6 Quartò. Quando rei nomine Imago soleat appellari, quando non.

Quartò, Quia imago numquam solet appellari nomine rei significatæ; nisi quando supponitur notum, quòd sit imago, aut quòd aliquid significet. Atqui non erat notum Apostolis panem esse imaginem corporis Christi, nam tunc primùm hæc significatio instituebatur; vnde ineptissimè *panis* tunc fuisset appellatus *corpus Christi*: multoq; cõuenientiùs dixisset de agno Paschali, *Hoc est Corpus meum*. & de baptismo; *Hic est Sanguis meus*: nam hæc iam anteà corpus & sanguinem significabant.

7 Quintò. Christus instituens hoc Sacramentum, debuit vti claris verbis, & cur.

Quintò, Nulla erat ratio vtendi tunc tam obscura & insolenti locutione, *Hoc est Corpus meum*, id est, *Hoc est figura Corporis mei*. Primò, quia instituebat nouum Sacrificium, & primarium Sacramentum nouæ legis; quæ sunt fundamenta nouæ Religionis: ac proinde claris, & proprijs verbis vti debebat, vt nulla esset ambiguitas: nam fundamenta debent esse certissima. Confirmatur, Quia etiam veteris legis Sacrificia & Sacramenta proprijs verbis instituta sunt; vt videre est Gen. 17. vbi instituitur Circumcisio. Exod. 12. vbi Agnus paschalis. Et in toto Leuitico, vbi tot sacrificia & expiationes; quibus tamen locis vix vmquam occurrit vox figurata; vel certè est ita clara, vt propriæ significationi æquialeat. Idem cernimus in institutione Baptismi, Matthæi vltimo, vbi omnia proprijs verbis explicantur. Secundò, Quia instituebat nouum testamentum. In testamentis autem non licet à verborum proprietate discedere. Non enim si testator leget tibi agrum, imagine agri contentus eris. Tertiò, Quia agebat cum solis Apostolis hominibus rudibus, quibus omnia clarè solebat exponere, vel obscuriùs dicta statim interpretari. Quartò, Quia illis & eorũ successoribus præceptum dat, vt idem faciant in suam commemorationem: præcepta autẽ clara esse debent.

8 Sextò, Vrgetur argumentum ex consensu Euangelistarum & Apostoli in ijsdem verbis.

Sextò, Omnes, qui huius Sacramenti institutionem exposuerunt, scilicet Matth. Marcus, Lucas, Paulus, ijsdem verbis vtuntur, *Hoc est Corpus meum*; nec quidquam in illis mutarunt, cùm tamen in alijs rebus plerumq; soleant verbis discrepare, dum alij obscuriùs, alij clariùs idem dicunt: quod signum est, non esse alium verborum sensum, quàm eum, quem præ se ferunt: si enim alius esset, incredibile est neminem illum explicuisse, cùm diuersis locis, temporibus, & occasionibus scripserint.

9 Septimò, Berengarius primus verba Christi tropicè explicare ausus.

Septimò, Quia nemo, præter Berengarium, & eius sectatores, locum istum tropicè intellexit: plurimi verò expressè docent non esse tropicè sed propriè accipiendum. Vide Synodum VII. actione 6. tom. 3. in fine. Et Damasc. lib. 4. de Fide cap. 14. Paschasium lib. de Corpore Domini c. 1. Theophilactum in cap. 26. Matthæi, & in cap. 6. Ioannis, & alios. Simili modo, & clariùs, possunt refutari aliæ hæreticorum expositiones; quas vide apud Sanderum lib. 7. De visibili Monarchia, circa annum Domini millesimum quingentesimũ quadragesimum nonum. Hæc enim verba sunt adeò clara, vt sua luce omnes alias interpretationes facilè discutiant; vt etiam fatetur Melanchton. Peto enim ab hæreticis: Si Dominus voluisset dicere, id, quod tradebat, esse corpus suum, quibus verbis id clariùs, simpliciùs, & certiùs dicere potuerit, quam quibus dixit? Certè ne fingi quidem potest. Vnde etiam nusquam tam clarè & simpliciter, vel mysterium Trinitatis, vel Incarnationis explicuit.

Christi verba adeò clara, vt clariùs loqui non potuerit.

Probatur Tertiò, Prioris ad Corinth. 10. v. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Christi est?* Primò, Hîc Apostolus dicit *calicem benedici*; atqui benedictio est efficax, & res immutat; vt fusè docet D. Ambrosius. Secundò, dicit hunc *calicem benedictum*, esse κοινωνίαν, id est, *communicationem sanguinis Christi*: id est, in hoc calice esse id, quod fluxit è latere Christi; & nos huius fieri participes, intimeq́ue cum eo coniungi; sicut per incarnationem realiter coniuncta sunt caro & Verbũ. Sic Chrysost. hom. 24. in hunc locum. Tertiò, Ait *Panem frangi*, id est, offerri, immolari; nam in mysterio Eucharistiæ idem est *fractio*, quod immolatio; vt patet ex cap. 11. *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur*. Atqui non immolamus panem triticeum, sed cælestem, scilicet Christum sub specie panis. Quartò, Dicit *hunc panem* esse *communicationem corporis Christi*; quia dum illum sumimus, realiter vnimur corpori Christi, & non solùm per fidem & charitatem: vt eruditè ostendit Cyrill. Alexandrinus lib. 10. in Ioannem, cap. 13. ex hoc loco; & Irenæus lib. 5. contra hæreses cap. 2.

10 3. Prob. Ex Apostolo 1. Corinth. 10.

Probatur Quartò, Ex cap. 11. v. 28. eiusdem epist. 1. ad Corinth. vbi Paulus monet, vt *Seipsos probent*, id est, examinent, an non sint in aliquo peccato mortifero, *& sic de pane illo edant*; rationem subdit: *Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium*, id est condemnationem *sibi manducat, & bibit*: quia non *diiudicat*, id est, discernit *corpus Domini*: & v. 27. *Reus erit corporis, & sanguinis Domini*. At si solùm esset figura, sine dubio non esset opus puritate conscientiæ; sed sufficeret accedere cum aliqua reuerentia, qualis debetur figuræ; neque esset reus corporis, & sanguinis Domini. Cõfirmatur Primò, Quia, qui Agnum paschalem comedebant in peccato, non erant rei corporis Domini, nec iudicium sibi manducabant: sufficiebat enim puritas corporis, cùm tamen esset expressissima figura corporis Domini. Confirmatur Secundò, Quia ideò *Reus est corporis & sanguinis Domini*, quia *non diiudicat corpus Domini*; id est, non discernit à reliquis cibis, sed ita sumit, ac si non esset corpus Domini: ergo est verè corpus Domini. Confirmatur Tertiò, Quia, qui indignè sumebant, sæpè puniebantur morte vel morbo, vt Apostolus indicat, cùm ait; *Ideò inter vos infirmi, & dormiunt multi*: ergo non erat ibi sola figura. Accedit, quòd omnes veteres hunc locum sic intellexerunt.

11 4. Prob. Ex eodẽ ibid. c. 11.

Secundò. Ex Concilijs.

12

PRimò, Ex Concilio Nicæno I. quod fuit 318. Episcoporum, Anno Domini 325. vbi dicitur, in sacra mensa situm esse illum agnum, qui

qui tollit peccata mundi, illumque incruentè à Sacerdotibus immolari; & nos ipsius pretiosum corpus & sanguinem verè sumere.

Secundò, Synodus VII. Oecumenica quæ est Nicæna II. 350. Episcoporum actione 6. tom. 3. docet Sacrificium nostrum non esse imaginem, aut similitudinem corporis Christi, sed ipsum corpus & sanguinem; contrariam sententiam vocat *abominandam, & extremam dementiam, traditioni Apostolorum, & omnium Patrum, & proprietati veritatique verborum Christi, contrariam.* Celebrata est hæc Synodus Anno Domini 787.

Tertiò, Idem definitum est ex professo in Synodo Vercellensi sub Leone IX. Anno Christi 1050. vbi Berengarij, & Ioannis Scoti sententia damnata, cum scriptis.

Quartò, Idem definitur in Concil. Turonensi sub Victore II. Præside eius legato Hildebrando, qui postea Gregorius VII. fuit. Anno Christi 1055.

Quintò, In Concil. Romano 113. Episcoporũ sub Nicolao II. Anno Christi 1059. vbi Berengarius hæresim suam abiurauit, & professionem fidei edidit; quæ habetur de Consecratione. dist. 2. Can. *Ego Berengarius.*

Sextò, Cùm Berengarius redijsset ad perfidiã, coacta est Synodus Romana sub Gregorio VII. Anno Christi 1079. cui etiam Berengarius interfuit: & post acres disputationes, rursum conuictus hæresim abiurauit.

Septimò, Idem definitum in magno Concilio Lateranensi Oecumenico, Anno 1215. quadringentorum Episcoporum, & octingentorum aliorum Patrum sub Innocentio III. cap. 1. vbi dicitur *Christi Corpus, & Sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis, & vini veraciter contineri.*

Octauò, In Concilio Oecumenico Viennensi 300. & amplius Episcoporum sub Clemente V. Anno Christi 1311. vbi extat decretum de Festo Corporis Domini; & multa testimonia Patrum de reali corporis Christi præsentia in Eucharistia. Vide Clementinam Vnicam de Reliquijs & veneratione Sanctorum.

Nonò, In Concilio Oecumenico Constantiensi 240. Episcoporũ contra Hussitas, Anno Christi 1418. sess. 13. vbi agitur de Communione sub vna specie.

Decimò, In Concilio Florentino, cui multi Græci cum suo Imperatore Ioanne Palæologo subscripserunt Anno 1439.

Vndecimò, & copiosissimè in Concilio Tridentino sess. 13. contra hæreses nostri temporis expresè cõgregato, Anno 1545. & absoluto, Anno 1563. Habemus igitur septem Concilia generalia, in quibus hæc veritas ex professo est definita, vt omittam Prouincialia plurima.

Tertiò. Ex Patribus.

13 PRobatur Tertiò, Ex testimonijs Patrum, qui singulis annorum centurijs extiterunt, quæ sunt innumerabilia. Nemo enim ferè Patrum est, qui non apertè asserat Christum in Eucharistia contineri. Vide illa apud Garetium. Nos breuiter ad aliquot capita, ea reuocabimus.

1. Ex modo loquendi Patrum.

Primum ergo caput sumitur ex modo loquendi Patrum. Nam multi expresè dicunt Eucharistiam non esse figuram Corporis Christi, sed ipsũ Corpus Christi. Ita Synodus Nicæna II. Act. 6. Damascenus lib. 4. de Fide c. 14. Theophilactus & Euthymius in cap. 26. Matthæi, & in cap. 6. Ioannis, & alibi. Paschasius lib. de Corpore Domini cap. 1. & lib. de Institutione sacrificij. Item Patres vocant Eucharistiam *Pretiosum Corpus, Tremenda Mysteria, Pretium nostrum, Pignus salutis, Sacrificium salutis æternæ, Sacramentorum Consummationem.* Ita Optatus Mileuitanus lib. 6. contra Parmenianum. Ephrem lib. de Natura Dei minimè scrutanda. Chrysostomus hom. 51. in Matthæum. & 60. ad populum. D. Augustinus lib. 1. contra Cresconium cap. 25. Dionysius Areopagita lib. de Eccl. Hier. cap. 3. p. 1.

2. Ex comparatione Eucharistiæ cum alijs rebus.

Secundum caput sumitur ex comparatione huius Sacramenti cum alijs rebus. Primò enim comparant Patres Eucharistiam cum Sacramentis veteribus, & dicunt illam differre à Manna, à Panibus propositionis, Agno paschali, & similibus, tamquam veritatem à figura, corpus ab vmbra, rẽ cælestem & diuinam à terrena, incorruptibilem à corruptibili. Ita Origenes hom. 7. in Numeros, & homil. 5. in diuersa loca Euangelij. Cyprianus sermone de cæna Domini. Ambrosius lib. de ijs qui mysterijs initiantur cap. 9. & lib. 4. de Sacramentis c. 3. 4. & 5. Chrysostomus hom. ad Neophytos. Secundò comparant illam cum vnione hypostatica & mysterio Incarnationis. Sicut enim Christus constat ex natura diuina & humana, ità & hoc Sacramentum ex Corpore Christi inuisibili: vt pulchrè Iustinus Martyr in Apologia secunda pro Christianis sub finem, his verbis: *Sicut* IESVS *per Verbum Dei incarnatus Carnem & Sanguinem habuit, sic cibus Eucharistia factus per verbum Dei, est Caro & Sanguis incarnati* IESV. Ambrosius de ijs qui mysterijs initiantur cap. 9. Chrysostomus hom. 24. in priorem ad Corinthios. Damascenus lib. 4. de Fide c. 14. Remigius in cap. 10. prioris ad Corinth. Theodoretus dial. 2. Tertiò, Augustinus lib. 3. de Trinitate cap. 10. comparat Christum in Eucharistia cum Angelis in specie corporali apparentibus. Et Chrysost. hom. 24. in priorem ad Corinthios, Christum vt est in altari per Eucharistiam, comparat cum eodem Christo vt erat in præsepi, & vt est in cælo. Quartò, Patres comparant eos qui indignè accipiunt Eucharistiã cum ijs qui occiderunt Christum. Tertullianus lib. de Idololatria c. 7. *Proh scelus!* inquit, *semel Iudæi Christo manus intulerunt: isti quotidie Corpus eius lacessunt. O manus præcidendæ!* Agit contra eos qui artifices idolorum ad Sacerdotium vel Diaconatũ promouebãt. Cyprianus serm. 5. de Lapsis. Basilius lib. de Baptismo c. 2.

3. Ex Mutatione panis in Corpus Christi.

Tertium caput sumitur ex mutatione panis. Nam Patres varijs modis indicant fieri realem mutationem. Primò, quia dicunt non remanere panem post consecrationem; vt Cyrillus Hierosolimytanus Catechesi 4. mystago. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 3. 4. & 5. Gaudentius tract. 2. de Exodo. Chrysostomus hom. de Eucharistia in Encænijs. Gregor. Nyssenus in orat. Catechet. cap. 37. Emissenus in serm. de Corpore Domini. Et Tertul. lib. 2. c. 5. ad vxorem, vbi ait; *Non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes? Et si scieret, panem, non illum credit esse qui dicitur*; id est, Christum. Irenæus etiam lib. 4. cap. 34. dicit Eucharistiam post consecrationem non esse panẽ communem; constare ex duabus rebus terrena & cęlesti;

cæleſti : adferre corporibus noſtris immortalitatem : virtute eius cineres excitari, ſicut granum virtute genitali. Secundò, Dicunt ſenſus falli in hoc myſterio. Cyrillus Catecheſi 4. iam citatâ. Chryſoſtomus ſuprà de Euchariſtia, & hom. 83. in Matthæum. Tertiò, Dicunt panem ita mutari in carnem Chriſti verbis conſecrationis, ſicut olim Chriſto comedente panis mutabatur in eius carnem per nutritionem. Ita Gregorius Nyſſenus oratione Catechet. c. 37. Damaſcenus lib. 4. c. 14. Theophilactus in cap. 6. Ioannis. Quartò, Comparant Patres cum mutationibus realibus, aquæ in vinum, virgarum in ſerpentes, & ſimilibus. Ita Ambroſius de ijs qui myſterijs initiantur cap. 9. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 4. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioannem cap. 13. Auguſtinus lib. 3. de Trinit. cap. 4. Damaſcenus lib. 4. cap. 14. Quintò, Dicunt ad iſtam mutationem requiri omnipotentiam Dei. Ita Iuſtinus probat Chriſtum eſſe filium Creatoris, & Creatorem per quem omnia naſcuntur, quia eius verbo panis Euchariſtizatus eſt Corpus eius. Irenæus lib. 4. c. 34. Cyprianus de cœna Domini. Hilarius lib. 8. de Trinit. Ambroſ. de ijs qui myſt. initiantur c. 9. Nyſſenus oratione Catech. &c. Gaudentius ſuprà tract. 2. Proclus lib. de Tradit. diuinæ Liturgiæ.

4. Ex altiſſimo myſterio.

Quartum caput ſumitur ex eo quòd Patres in hoc Sacramento agnoſcant altiſſimum myſteriũ. Primò, Nam dicunt non poſſe intelligi ſine fide. S. Andreas Apoſtolus, vt habetur in vita eius. Ephrem lib. de natura Dei non ſcrutanda cap. 5. Gaudentius ſuprà, Auguſtinus Pſ. 33. & tract. 26. in Ioan. Damaſcenus lib. 4. c. 14. Secundò, Sæpè hortantur vt certò credamus, & nullo modo dubitemus de veritate huius myſterij. Cyrillus Hier. Catech. 4. myſtag. Hilarius lib. 8. de Trinit. Ambroſius lib. 4. de Sacramentis cap. 5. Nazianzenus oratione 2. de Paſcha. Epiphanius in Ancorato circa medium. Ephrem ſuprà. Chryſoſt. hom. 60. ad populum & 83. in Matth. Tertiò, Dicunt eſſe magnum miraculum ſuperans captũ humanum. Ita Ephrem loco citato. Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio. Auguſtinus Pſal. 33. in titulum Pſal. *Ferebatur in manibus ſuis.* Gaudentius ſuprà. Heſichius lib. 2. in c. 8. Leuitici. Quartò, Interrogantes quomodo poſſit fieri, remittebant ad omnipotentiam Dei: vt Cyrillus Alex. lib. 4. in Ioan. c. 13. Theophil. in c. 26. Matthæi. Quintò, Non loquebantur de eo coram Ethnicis & Catechumenis niſi tectè, & illis verbis *Norunt fideles*, vt patet ex Tertul. lib. 2. ad vxorem. Origenes hom. 13. in Exodum, & 9. in Leuiticũ. Auguſtinus Pſal. 39. Theodoret. Dialogo *Inconfuſus*, qui eſt Secundus.

5. Ex veneratione.

Quintum caput ſumitur ex veneratione. Nam Primò, Adorabant Euchariſtiam. Vide Cyrillum Hieroſ. Catech. 5. myſtag. Ambroſiũ lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 12. Nazianzenum de obitu S. Gorgoniæ ſororis. Chryſoſtomum hom. 41. in 1. ad Corint. Auguſtinũ epiſt. 118. c. 3. & Pſal. 98. Secundò, Eam inuocabant, & dicebant eſſe inuocandam. Ita Areopagita de Eccleſ. Hierarch. c. 3. p. 3. Origenes hom. 5. in varia Euangelij loca. Nazianzenus oratione in obitum Gorgoniæ ſororis. Chryſoſtomus oratione de S. Philogonio. Tertiò, Dicunt Angelos aſſiſtere propè altare dum peragitur Sacrificium. Ita Ambroſius lib. 1. in Lucam c. 1. Gregorius Papa lib. 4. Dial. c. 58. Chryſoſtomus hom. 61. ad Populum, qui etiam addit Angelos inclinato capite aſſiſtere coram Euchariſtia; & lib. 6. de Sacerdotio fusè. Quartò, Diligentiſſimè cauebant ne aliquid ex ea in terrã excideret. Ita Pius Papa apud Gratianũ de Conſecrat. diſt. 2. Can. *Qui per negligentiam*, qui etiam pœnam conſtituit. Tertullianus lib. de Corona. Origenes hom. 13. in Exodũ. Cyrillus Hieroſol. Catech. 5. myſtag. Quintò, Non permittebant videri ab infidelibus vel catechumenis. Dionyſius de Eccleſ. Hierarch. c. 3. parte 2. & 3. Baſilius lib. de Bapt. c. 2. Auguſtinus tract. 11. in Ioannem.

6. Ex effectu Euchariſtiæ.

Sextum caput ſumitur ex effectu quem tribuunt Euchariſtiæ. Primò, Dicunt nobis per eam vniri Chriſtum corporaliter. Hilarius lib. 8. de Trinitate. Nyſſenus oratione Catechetica. Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. & 60. ad populum. Cyrillus Hieroſol. Catech. 4. myſtag. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioannem cap. 14. & 15. & lib. 10. in Ioannem c. 13. Secundò, Dicunt corpora noſtra reſurrectura, quia vniuntur cum Chriſti corpore, ac ab eo vim quandam accipiunt qua reformentur ad immortalitatem. Irenæus lib. 4. cap. 34. Hilarius lib. 8. de Trinit. Optatus lib. 6. contra Parmenianum. Nyſſenus oratione Catechetica c. 37. Chryſoſtomus hom. 51. in Matth. Cyrillus lib. 4. in Ioannem c. 14. & 15. Tertiò, Chryſoſtomus dicit Chriſtũ donare ſe nobis per Euchariſtiam, vt eum verè intra nos habeamus, quo modo nõ poſſunt ſe donare homines ijs quos amant. Quartò, Dicunt Chriſtum nobis coniungi non ſolùm per Fidem & Charitatem, ſed etiam reipsà cum illum in Euchariſtia percipimus. Ita Chryſoſtomus hom. 83. in Matthæum.

Quartò, Ex Miraculis & Congruentijs.

14

PLurima & præclariſſima ſunt miracula, quæ in varijs mundi partibus facta ſunt circa eos, qui reuerenter vel irreuerenter Euchariſtiam tractarunt, vel circa obſeſſos: quæ videre eſt apud Garetium, & apud Bredenbachium. Impoſſibile autem eſt myſterium aliquod fidei noſtræ miraculis à Deo confirmari, & illud verum non eſſe. *Vide Conſultationem de fide & religione capeſſenda in Conſideratione 4. vbi ex miraculis cõtra Nouatores oſtenditur Eccleſia Catholica eſſe ſola vera Dei Eccleſia.*

Æquè ac myſterium Trinitatis & Incarnationis, quàm Euchariſtiæ.

Denique, Probatur hæc veritas tribus Congruentijs, quas habet D. Thomas, quarum prima valdè vrgens eſt, quòd nempe lex noua careret ſacrificio. His adde duas Conſiderationes. Prior eſt: Si hoc myſterium negetur, multò magis negandũ eſſe myſteriũ Trinitatis, & Incarnationis. Primò, Quia hæc ſunt multò difficiliora, & humanæ rationi magis incredibilia, quàm preſentia corporis Chriſti in Euchariſtia. Secundò, Quia nuſquam in Scripturis tam apertè & diſtinctè expreſſum eſt myſterium Trinitatis, & Incarnationis, quàm præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia. Tertiò, Quia plurima loca, eaque difficillima ex Scripturis adferri poſſunt, quibus iſta myſteria impugnẽtur: vt patet ex diſputationibus Patrum antiquorum, præſertim Athanaſij, & Cyrilli Alexandrini: pauca verò inueniuntur contra hoc myſterium, eaque ſolutu facilia. Vnde priora illa myſteria multis ſeculis oppugnata ſunt, quando de Euchariſtia nulla adhuc erat dubitatio. Quare quòd Caluiniſtæ hoc negent, & non illa, non eſt, quòd ex Scripturis magis probari poſſint: ſed quia ipſi non audent illa totius religionis Chriſtianæ prima fundamenta ſtatim initio

mouere: posteà tamen quando iam exercitati sunt in minoribus, idonei sunt ad audenda maiora. Vnde videmus eos ex Caluinistis passim fieri Arianos, & ex Arianis Atheos. Et sanè consequenter procedunt: Si enim hoc non est credendum, neque mysterium Trinitatis & Incarnationis est credendum: Si hæc non sunt credenda, nihil est credendum.

Ex absurdo.

Secunda Consideratio est: Incredibile est Deũ, in re tanti momenti, vnde totus cultus Religionis Christianæ dependet (si enim Christus non est in Eucharistia, omnes sumus idololatræ) Ecclesiam suam, & omnes, qui sanctitate & doctrina illustres fuerunt, tot sæculis, post tot, tantasque discussiones permisisse decipi: & veritatem patefecisse hominibus superbis, periuris, hæreticis, impuris, quales fuêre Berengarius, Wicleff, Swinglius, Caluinus &c. *Hanc considerationem vide latiùs deductam in Consultatione de fide capessenda, in Consideratione 3. vbi ex sanctitate cultorum Religionis Catholicæ ostenditur eorum fides necessariò vera esse. Et ibidem in consideratione 9. in 5. ratione conuincitur ex vita & moribus hæresiarcharum falsitas doctrinæ eorum.*

Soluuntur obiectiones hæreticorum ex Scripturis.

15 2. Obiectio

SEd obijciunt hæretici ex Scripturis. Primò: Dominus accipiens panem dixit, *Hoc est Corpus meum:* ergo asseruit *panem esse suum corpus:* Sed hoc non potest esse verum, nisi per *corpus* intelligamus *figuram corporis:* ergo est figura. Confirmatur, Quia quod Dominus accepit, benedixit, & fregit, hoc dedit Discipulus: sed accepit, benedixit & fregit panem: ergo & dedit panem. Simile argumentum potest fieri de vino.

Solutio.

Respondeo Primò; Illud (*Hoc*) non designat panem: Primò, Quia alioqui deberet dicere, Hic panis est corpus meum: orationis enim continuatio id postulabat; *Accipiens panem, & benedicens fregit, dicens*; Hic panis est corpus meum. Cur ergo mutauit formam orationis, dicens, *Hoc est Corpus meum*, nisi quia reuerà non designabat panem materialem? Deinde, Si pronomen (*Hoc*) designat panem, cur nemo Euangelistarum id explicuit, sicut in alijs etiam minutioribus facere solent, sed omnes ijsdem verbis vsi sunt, *Hoc est Corpus meum?* Tertiò, Etiamsi expressè dixisset Dominus, *Hic panis est Corpus meum*, oratio tamen non patitur, vt intelligamus panem terrenum, sed cœlestem; Sicut Ioannis 6. cùm ait, *Panis, quem ego dabo, Caro mea est*, non possumus intelligere de pane terreno, sed de cibo cœlesti, qui est eius Caro: nam tropus est in nomine *panis*, non in nomine *carnis*. Quare euidens est non designari panem terrenum. Vnde

An *Hoc* in forma Eucharistiæ significet panem.

Quid designet *Hoc*, cùm dicit Dominus, *Hoc est Corpus meum*.

Respondeo Secundò, Designari id, quod Christus Dominus tradebat: *Hoc*, id est, *id quod vobis trado, seu substantia sub his speciebus in termino orationis contenta:* nam ad illum terminum respicitur. Et Ratio est, Quia illa oratio est practica seu operatoria eius, quod significat: vnde non supponit suum significatum, sed facit illud. Quare non designatur aliqua substantia, quæ sit quando pronuntiatur, sed quæ sit in instanti terminatiuo totius orationis consecratoriæ.

Dices Primò, Pronomen *Hoc* designat aliquid, dum pronuntiatur: sed tunc non est nisi panis: ergo designat panem.

Respondeo, Designat aliquid dum pronuntiatur; sed hoc non est, dum pronuntiatur; sed mox erit sub speciebus sensibilibus. Ad hoc enim satis est, vt nunc aliquid sensibile sit, quod vertetur in illud, & cuius loco illud substituetur: ratione enim huius, potest designare id, quod nondum est. Neque id mirum est, sed necessarium in oratione practica, quæ facit suum significatum. Quod explicatur à simili. Si Dominus in nuptijs, acceptis hydrijs aquæ, dixisset, *Hoc est vinum*, ea mente, vt istis verbis conuerteret aquam in vinum; pronomen *Hoc* non designasset aquam; sed illud, in quod aqua vertitur, quod continetur in hydrijs in termino orationis: nam ad illud instans, & pronomen *hoc*, & verbum *est*, referuntur. Simili modo, si accepto limo cùm faceret hominem, pari intentione dixisset, *Hic est homo:* &, accepta costa, dixisset, *Hæc est mulier*, non designaretur nisi id, in quod fit conuersio; nempe substantia, quæ est in termino orationis.

Oratio practica facit suum significatum.

Dices Secundò, In vltimo instanti verborum, nihil est sub speciebus, nisi Corpus Christi ex sententia Catholicorum: ergo si pronomen *Hoc* demonstrat id, quod continetur sub speciebus in fine verborum, designat Corpus Christi; & sic sensus erit, *Corpus meum est corpus meum.*

Respondeo, Negando Sequelam: Quia designat contentum sub speciebus, vt abstrahit à Corpore Christi, & ab alia quauis substantia particulari seu determinata. Nam verba sunt notæ rerum, vt animo concipiuntur. Potest autem contentum sub speciebus ita concipi: tamen sic conceptum est designabile ratione specierum designabilium. Potest etiam dici designari corpus, quatenus abstrahit à Corpore Christi, & quouis alio determinato.

Dices Tertiò, Priùs res debet esse, quàm pronuntietur esse: sed Corpus Christi non est in Eucharistia priùs tempore vel naturâ, quàm dicatur esse: ergo falsum est *Hoc est Corpus meum*, nisi *corpus* accipiatur pro corporis figura.

Respondeo, Dupliciter res potest pronuntiari esse. Primò, Speculatiuè: & sic priùs naturâ debet esse, quàm dicatur esse; quia oratio speculatiua præsupponit suum significatum. Secundò Practicè, Ita vt illa oratio sit causa rei per ipsam significatæ: & sic res est posterior natura, quàm oratio pronuntiata; vt patet in oratione imperatiua, *Fiat lux; Surge, & ambula*; & in alia quauis practica oratione; vt, *Hic ager est tuus*, si tibi hac oratione agrum donem.

Quomodo, & an prius sit rem esse, quàm dici esse.

Dices Quartò, Si est oratio practica, debebat potiùs dici, *Hoc fiat corpus meum*; sicuti, *Fiat lux.*

Respondeo Negando Consequentiam: Nam etiam aliàs Dominus vsus est modo indicatiuo in oratione imperatoria; vt Ioannis 4. *Vade, filius tuus viuit*, & alibi, *Dimittuntur tibi peccata tua.* Ratio est, Quia hæc oratio, *Hoc est enim Corpus meum*; simul explicabat causam, cur deberent illud comedere. At non rectè dixisset, Accipite & comedite; hoc enim fiat corpus meum. Secundò, Quia hæc oratio non solùm debebat esse efficax; sed etiam significatiua eius, quod efficit: efficit autem, vt Corpus Christi sit ibi permanenter: vnde hoc aliquo modo debebat significare; quod optimè fit per verbum *est*.

An Dominus debuerit dicere imperatiuè Hoc fiat Corpus meum.

Obijciunt

16 1. Obiectio

Obijciunt Secundò, Hæc oratio *Hoc est Corpus meum*, est Sacramentalis: ergo significat Corpus Christi ibi esse Sacramentaliter, seu significatiuè tantùm.

Solutio.

Respondeo, Si per *orationem Sacramentalem* intelligas eam, quæ solùm habeat sensum metaphoricum & figuratiuum, vt hæc oratio *Septem boues, sunt septem anni*, Genes. 41. v. 26. *Septem capita, sunt septem montes*, Apoc. 17. v. 9. *Semen est Verbum Dei*, Lucæ 13. v. 12; sic nego hanc orationem esse *Sacramentalem*: de hoc enim est controuersia. Si autē intelligas eam; qua instituitur & perficitur *Sacramentum*, id est, signum sensibile efficax gratiæ; sic admitto esse *Sacramentalem*. Sed non ideò necesse est, vt habeat sensum figuratiuum: vt patet in ista, *Ego te Baptizo* &c. Imò requiritur, vt sit propria, & clara; vt patet ex suprà dictis: sicut etiam verba sacramentalia, quibus vetera Sacramenta sunt instituta, clara sunt.

Quomodo hæc oratio *Hoc est Corpus meum*, sit sacramentalis.

17 3. Obiectio

Obijciunt Tertiò, In alijs multis Scripturę locis, *Est*, accipitur pro *significat*; vel saltem attributum accipitur *figuratè*: ergo &c.

Antecedens patet Exod. 12. *Agnus est Phase*; id est, *transitus*, quia significat transitum. Prioris ad Cor. 10. v. 4. *Petra erat Christus*, & v. 16. *Panis est communicatio corporis Christi*. 1. Cor. 11. v. 25. *Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine*; vbi duplex est tropus: nam *calix* accipitur pro re contenta, & *testamentum* pro signo testamenti.

Solutio.

Respondeo Primò, Etsi in quibusdam locis inueniatur tropus, non tamen inde sequitur etiam hîc, *Hoc est Corpus meum*, esse tropum, ob rationes suprà dictas: seruanda enim semper est proprietas verborum, nisi quando rei absurditas aliud cogit.

Verbum *Est* numquam accipit pro *Significat*, exemplis ostenditur.

Respondeo Secundò, Numquam verbum, *est*, accipitur pro *significat*: quia est simplicissima nota connexionis attributi & subiecti, & ideò nullum admittit tropum.

Agnus.

Quòd ad exempla illa attinet: Agnus, est Phase, seu Pascha propriè; sicut & dies Festus dicitur Pascha; nomine deriuato à transitu Domini. Dies enim dicitur Pascha, quia in eo celebratur memoria transitûs Domini. Agnus autem dicitur Pascha, quia est hostia paschalis; vt patet Lucæ 22. *Necesse erat occidi Pascha*. Vnde verbum

Petra.

est, accipitur propriè. Sic *Petra erat Christus*, id est, Spiritalis petra, quæ Iudæis necessaria præbebat, verè & propriè erat Christus: hæc enim Iudæos comitabatur; non autem rupes illa immobilis: vnde *est*, accipitur propriè.

Panis.

Similiter, *Panis est communicatio corporis Christi*, non est sensus, Panis significat communicationem corporis Christi: sed sensus est, Panis, quem frangimus, id est, immolamus, & distribuimus fidelibus, est communicatio corporis Christi: nempe, quia ille panis propriè est corpus Christi, & per illum realiter corpori Christi vnimur. Quare, *est*; accipitur propriè; sed *panis*, accipitur pro pane cœlesti: quod satis indicatur, cùm dicitur, *Quem frangimus*, id est, immolamus; hoc enim ibi significat *frangere*, vt patet cùm ait, *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur*, 1. ad Corinth. 11. id est, offertur Deo Mystica fractione. Confirmatur; Quia Corpus Christi in cruce fractum non fuit; vt patet ex illa prophetia Exod. 12. *Os non comminuetis ex eo*: ergo fractum fuit in cœna, vbi Christi corpus pro Discipulis immolatum fuit interueniente mystica fractione, non qua in se, sed ratione specierum frangeretur.

In cœna quomodo Christi Corpus fractum.

Calix.

In illo autem testimonio, *Hic est Calix noui Testamenti*, concedi potest in voce *Calicis* esse tropum, etsi quidam negent: non enim vult Dominus dicere, hoc vasculum seu poculum esse nouum testamentum; sed rem in poculo contentam. Verùm hic tropus est æquè clarus, atque propria locutio. Deinde, satis ibidem explicatur, dum Dominus ait, *Accipite & bibite; hic calix est nouum Testamentum*; non enim bibitur calix; sed quod calice continetur. Item, cùm ait, *qui pro vobis effunditur*: atqui non effunditur ipsum vasculum, sed liquor qui in eo est. Denique, Lucas & Paulus dicunt, *Hic est calix nouum Testamentum in meo Sanguine*: Matthæus verò & Marcus dicunt, *Hic est Sanguis meus noui Testamenti*, satis explicantes quid nomine *Calicis* debeat intelligi. Credibile tamen est Dominum dixisse ea verba, quæ Matthæus habet, qui institutioni Eucharistiæ interfuit, & à quo Marcus accepit, qui ferè contraxit Matthæum; Lucas verò & Paulus, qui non interfuerunt, verbis æquiualentibus vsi sunt.

Corpus.

Tropus autem, quem in voce *Corporis* hæretici fingunt, est insolentissimus & obscurissimus. Nusquam enim in vniuersa Scriptura talis tropus inuenitur: nec in vulgari modo loquendi, nec vsquam insinuatur ea voce aliquem tropum contineri, sicut insinuatur de *Calice*.

18 Testamētū.

In voce autem *Testamentum*, nullus est tropus. Vox enim *Testamentum* siue διαθήκη, accipitur dupliciter in Scripturis, sicut & in rebus humanis.

Testamenti duplex acceptio.

Primò, Pro voluntate testatoris, qua de hereditate disponit; siue ea voluntas sit absoluta, siue conditionata. Iuxta hunc modum in Scripturis vocatur *Pactum*, *Fœdus*, & *Promissio*; Exod. 22. *Hic est sanguis fœderis*, id est, testamentum, vt citat Apostolus ad Hebræos 9. Et sensus est, Hic est sanguis, quo sanctificatur pactum, & promissio diuina de terra promissionis, si mandata eius custodieritis. Sic Geneſis 17. Circumcisio dicitur *signum fœderis seu testamenti*. Ieremiæ cap. 31. distinguuntur duo testamenta, Nouum & Vetus.

Secundò, Accipitur pro instrumento authentico, quo voluntas testatoris continetur, & ius ad hereditatem acquiritur: iuxta quem modum *Circumcisio* dicitur *testamentum*. Ecclesiast. 44. *In carnè eius stare fecit testamentum*: & Genes. 17. *Erit pactum meum in carne vestra*. Quia videlicet per circumcisionem dabatur illi populo ius ad terram promissionis. Vnde etiam Sacramenta legis nouæ rectè dicuntur *testamenta Christi*, quia sunt veluti instrumenta authentica continentia diuinam promissionem, nobisque ius ad cœlestem hereditatem tribuentia: sed potissimùm Eucharistia, quia continet Sanguinem Domini pro nobis effusum; & clarè huius Sanguinis effusionem repræsentat, vnde nouum testamentum suam vim habet. Itaque *Calix consecratus* rectissimè & propriè dicitur *testamentum*, accipiendo *testamentum* secundo modo; quia continet diuinam promissionem, eamque nobis applicat, ius tribuens ad cœlestem hereditatem, veluti instrumentum quoddam authenticum.

Quomodo Calix propriè sit & dicatur Testamentū.

Conciliatur Matthæus cum Luca & Paulo.

Dices, Si Sanguis Christi in Eucharistia est *nouum Testamẽtum*, quomodo ergo Matthęus dicit *Hic est sanguis meus noui Testamenti*?

Respondeo, Matthęus accipit *Testamentũ* primo modo, scilicet pro diuina promissione cælestis hęreditatis; nam sanguine Christi sancitur, & firmatur diuina promissio. Cùm autẽ Lucas & Paulus dicunt, *Hic est calix nouum Testamentum*, accipiunt *Testamentum* secundo modo, pro instrumento authentico, quo applicatur diuina promissio. Eodẽ modo Genes. 17. *Circumcisio* vocatur *fœdus* seu *testamentum*, accipiẽdo *Testamentum* secundo modo: nam est veluti instrumentum continens, & applicans diuinam promissionẽ. Vocatur etiam *Signum testamenti*, accipiendo *Testamentum* primo modo. Hinc patet idem valere; *Hic est Sanguis meus noui Testamenti*, &, *Hic est calix nouum Testamentum in meo Sanguine.*

19 4. Obiectio ex Ioan. 6.

Obijciunt Quartò, Ioannis 6. v. 63. *Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quidquam*: ergo Dominus ibi non loquitur de manducanda sua carne. Imò Caro Christi non erit in Eucharistia; nam Eucharistia prodest.

Solutio.

Respondeo, Certum est Carnem Christi, quatenus est vnita Diuinitati, plurimùm prodesse: nã pretium redemptionis nostræ in ea consistit: adeò vt Apostolus ad Collossenses 1. dicat *Nos reconciliatos Deo per Carnem Christi.* Itaque cũ *Caro Christi*, etiam in Eucharistia sit vnita diuinitati, non potest non plurimùm prodesse. Verus ergo sensus illorum verborum est, Carnem nihil prodesse per se, & sine diuinitate; quomodo ab ipsis concipiebatur, cùm putarent nudam, & crudam carnem deuorandam; tamen cum diuinitate plurimùm prodesse, quia sic est spiritus & vita: *Verba*, inquit, *quæ locutus sum vobis*, id est, res, de qua sum locutus, *est spiritus*; id est, non est nuda caro humana; sed est plena spiritu seu diuinitate, quæ illi est substantialiter vnita: more enim Hebræo, id quod aliquo plenum est, eius nomen accipit: Et *vita*, id est, habens vim viuificandi. Ita exponunt hunc locum Tertullianus, Athanasius, Augustinus, Cyrillus Alexand. & Damascenus: vt videre est apud Toletum in Ioannem hoc loco.

Sensus eius *Caro non prodest quidquam.*

20 5. Obiectio ex 1. Cor. 10.

Obijciunt Quintò, 1. ad Corint. 10. v. 1. *Patres nostri eandem escam spiritalem manducauerunt, & eundem potum spiritalem biberunt*: sed illi non sumpserunt corpus, & sanguinem, nisi fide: ergo nec nos.

Solutio.

Respondeo, Non est sensus, illos eandem escam spiritalem nobiscum comedisse, sed eandẽ inter se: sicut omnes Interpretes Græci, & plerique Latini explicant: omnes enim comederunt Manna, & biberunt aquam de petra. Dicitur autem Manna, *esca spiritalis*; quia erat esca significatiua seu mystica; significabat enim Eucharistiam: reipsa tamen non erat esca cælestis, sicut Eucharistia, sed terrenus cibus corpori dumtaxat vtilis, vt patet Ioannis 6. Dices; Augustinus Tract. 26. in Ioan. & alibi, dicit nos, & Iudęos eandem escam manducasse. Respondeo, Solùm vult dicere, illam escam fuisse eandem cum nostra significatione, non re, & virtute: nam idem significabant illa vetera Sacramenta, quod nostra: verùm non idem continebant. Aduerte tamen, hanc expositionem Augustini non esse conuenientem textui; vnde aliorum esse præferendam.

Mens S. Augustini.

Soluuntur obiectiones ex Patribus.

21 Primus locus ex Tertull.

Alterum genus argumentorum est ex Patribus, qui ante exortas hęreses de hoc mysterio securiùs loquebantur. Vnde hæretici adferunt quædam obscuriora, vel alio tendentia, cùm tamen ijdem Patres habeant alia loca clarissima, quibus veritatem præsentiæ corporis Christi explicent. Primò, Tertull. lib. 3. contra Marcionem c. 19. *Sic Deus in Euangelio quoque vestro reuelauit, panem Corpus suum appellans, vt & hinc iam eum intelligas corporis sui figuram pani dedisse, cuius retro*, id est, olim, *corpus in panem Propheta figurauit, ipso Domino hoc Sacramentum posteà interpretaturo.*

Pro nobis facit.

Respondeo, Iste locus probat Christi Corpus esse verè præsens in Eucharistia, vt etiam fatentur Magdeburgenses teste Pamelio. Docet enim Tertullianus *illum panem*, de quo dicitur apud Ieremiam cap. 11. v. 19. *Mittamus lignum in panem eius*, esse corpus Christi; & Christum, vt hanc figuram & hoc vaticinium impleret, vocasse in Euangelio corpus suum, panem: Ioannis 6. Vnde manifestè sequitur, illum panem, quem Christus vocauit corpus suum, fuisse verè corpus eius; non autem fuisse ampliùs panem terrenum, quia Iudæi non miserunt *lignum*, id est, crucem, in panem terrenũ, sed in corpus Christi, quod est panis vitæ in Eucharistia. Quod autem sequitur in Tertulliano *Vt & hinc iam eum intelligas* &c. Sensus est, *Vt hinc intelligas* Christum in veteri Testamento voluisse, vt panis esset figura corporis posteà assumendi, cùm Propheta ipsius corpus per panem figuratè expresserit, ipso Domino hoc Sacramentũ, id est, occultam hanc significationem posteà interpretaturo, nempe cùm Ioannis 6. vocauit *Corpus suum, panem*: & cùm in cœna *panem* tenens manibus, dixit; *Hoc est corpus meum.*

Secundus locus ex Tertull. etiam nobis fauet.

Alter locus est lib. 4. contra Marcionem c. 40. *Acceptum panem, & distributum Discipulis, corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum dicendo, id est, figura corporis mei; figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus.* Respondeo, hic locus etiam est pro nobis, vt optimè ostendit Pamelius; & patet ex verbis prioribus, quę manifestè pro nobis sunt. Illud autem, *id est figura corporis mei*, non est explicatio nominis *Corpus*, sed pronominis *Hoc*: Sensus enim est; acceptum panem, corpus suũ fecit, dicendo *Hoc*; id est, panis, qui olim erat figura corporis mei, nunc est *Corpus meum*: vbi pronomem *Hoc* demonstrat *panem*, non qui manet, sed qui mutatur; seu *contentum sub speciebus panis*; quod sub principio verborum est *panis*, in fine verborum est *Corpus Christi*. Vide sequentia verba, quibus hic sensus planè conuincitur. Sic paulò infrà ait, *Nunc sanguinem suum in vino consecrauit, qui tunc*, scilicet in lege veteri, *eum in vino figurauit.*

Ambrosius explicatur.

Simili modo loquitur Ambrosius lib. 4. de Sacrament. cap. 5. *Dicit*, inquit, *Sacerdos*; *fac nobis hanc oblationem adscriptam, rationabilem, acceptabilẽ, quod est figura corporis, & sanguinis Domini nostri* IESV *Christi*: loquitur namque de pane & vino: infrà enim se satis explicat.

22 Tertius locus ex Augustino.

Obijciunt Secundò, ex Augustino; Primò, Epist. 23. ad Bonifacium: *Si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sunt Sacramenta, non haberent, Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundùm quemdam modum Sacramentum Corporis Christi, Corpus est Christi, Sacramentum san-*

tum Sanguinis Christi, Sanguis Christi: ita Sacramentum fidei, fides est.

Soluitur. Respondeo; D. Augustinum loqui de speciebus Sacramentalibus, quæ dicuntur Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi; quia sunt signa sensibilia repræsentantia Corpus & Sanguinem eius. Dicuntur *quodammodo Corpus Christi*; quia signum potest appellari nomine rei signatæ: hoc modo, inquit Augustinus, *Sacramentum fidei, est quodammodo fides, quia fidem præsentem significat*: quibus verbis hæc veritas potiùs confirmatur, quàm oppugnetur, vt rectè ostendit Paschasius in epist. de Corpore & Sanguine Domini; nam sicut Baptismus in paruulis diciter *Fides*, quia significat fidem in illis præsentem, licet aliter, quàm in adultis, credunt enim solùm habitualiter; ita species Sacramentales significant Corpus Christi præsens, licet alium modum hîc habeat, quàm in cælo.

Quartus locus ex eodem Augustino. Alter locus est ex lib. contra Adimantium c. 12. vbi tractans illud Deuteronomij 12. vers. 23. *Sanguis enim eorum pro anima est*, dicit signum ibi nomine signati appellari; & addit, *Non dubitauit Dominus dicere, hoc est Corpus meum; cùm signum daret corporis sui.*

Quomodo Sacramentum sit signum Christi. Respondeo, Certum est, illud visibile, quod Dominus dabat discipulis, fuisse signum Corporis Christi, non absentis (vt hæretici volunt) sed præsentis; quod fatentur omnes Catholici; sicut sanguis est signum animæ intra latentis, vt ibidem ait Augustinus, & ideò sanguis dicitur anima, quia est signum animæ præsentis. Pari modo Sacramentum Corporis Christi, id est, species visibiles, vocantur Corpus Christi, quia continent illud. Sic Columba, quæ Matthæi 3. apparuit in baptismo Christi, est signum Spiritus S. non absentis, sed præsentis; & Linguæ igneæ, quæ descenderunt super Apostolos Actor. 2.

23 Quintus locus ex eodem Augustino. Tertiò, Ex Commentario in Psal. 3. *Christus*, inquit, *adhibuit Iudam ad conuiuium, in quo corporis sui figuram discipulis commendauit.*

Christus in Eucharistia est signum sui ipsius, & quomodo. Respondeo, Loquitur de figura corporis, vt in cruce suspensi: Christus enim in Eucharistia est figura sui ipsius, vt in cruce suspensi: nam seipsum offerendo in cœna sub specie panis & vini, voluit repræsentare oblationem sui ipsius, quam facturus erat in cruce; quæ repræsentatio quotidie repetitur. Quàm autem apertè Augustinus hanc veritatem doceat, patet ex Concione in Psal. 33. & lib. 12. contra Faustum cap. 10. & 20. & lib. 2. de Peccatorum meritis c. 26. Idem de Tertulliano ostendit Pamelius allatis septem alijs locis ejusdem Auctoris.

Soluuntur obiectiones ex Ratione.

24 An impiicet, idem corpus esse in diuersis locis. TErtium genus argumentorũ est ex Ratione. Præcipua ratio est, quia videtur implicare contradictionem, vt idem corpus sit in diuersis locis simul.

Probatur Primò, Quia si sit vnum, est in se indiuisum; si est in diuersis locis, est à se diuisum & distractum; quod implicat.

Secundò, Quia idem posset sibi ipsi esse dextrũ, & sinistrum; antè, & retrò, sursum, & deorsum. Item simul moueri & quiescere, accedere & recedere.

Tertiò, Idem posset summè frigefieri simul, & calefieri; famere & saturari; sanum esse & ægrotare; viuere & mori; quæ omnia videntur apertam inuoluere repugnantiam.

Quartò, Idem homo posset efficere integrum exercitum. Ponatur enim in decem millibus locorum, & coëat in vnum campum, erit exercitus. Vna lux poterit totum mundum illustrare. Vnus mulus poterit omnia onera ferre.

Curiosa inquisitio exploditur à Diuo Augustino. Respondeo cum D. Augustino lib. 22. de Ciuit. c. 11. agente contra Platonicos: *Ecce qualibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas, quum possidet vanitas!* quasi verò mens humana, quæ infimam in intelligendo vim obtinet, omnia comprehendere possit, quę diuina potentia moliri. Et quasi non sint alia multa certissimâ fide credenda, quæ tamen non minùs videantur impossibilia.

25 Non implicat idem corpus esse in diuersis locis. Dicendum igitur, Nullam inuoluere contradictionem vt vnum corpus sit in duobus locis; ac proinde id Deo esse perfacile. *Hæc de re vide lib. 12. de Perfectionibus diuinis c. 16. num. 119. vbi ex professo materia hæc tractatur.*

Probatur Primò, Quia rem spiritalẽ esse totam in duobus locis, non repugnat. Anima enim rationalis, est tota in oculo, & tota in pede; & præsentia vnioque, quam habet in pede, differt ab vnione, & præsentia, quã habet in oculo; etsi ipsa à seipsa non differat, nec distet. Angelus etiam est totus in singulis partibus spatij, quod occupat: ergo hoc non repugnat rei corporali. Antecedens conceditur ab omnibus.

Consequentia probatur, Quia ratio, cur potissimùm res aliqua nõ videatur posse esse in duobus locis, est; quia non potest à seipsa diuelli; alioquin essent duo. Sed hoc non obstat; nam ea, quæ sunt maximè vnum, & simplicissima, possunt esse in diuersis locis: imò eorum natura hoc postulat; vt patet in rebus spiritalibus: ergo esse in duobus locis non repugnat rebus corporalibus.

Replica ex natura Angelica. Dices, Angelus non potest esse in duobus locis discontinuis, sed solùm in continuis efficientibus vnum integrum locum. Anima etiam non potest esse in partibus à toto separãtis, sed solùm cõiunctis efficientibus vnũ corpus; ac proinde hęc non censetur esse in duobus locis, sed solùm in vno.

Soluitur. Respondeo, Etsi fortè naturæ viribus fieri nequeat; vt Angelus existat in duobus locis non continuis: tamen certũ est, Deum id posse efficere. Cur enim non possit subtrahere præsentiam Angeli, quam habet ad locum medium, conseruatâ eiusdem præsentiâ in locis extremis? nam quidam existimant ipsum Angelum hoc posse. Sic quoque dubium non est, quin Deus possit conseruare animam in membro abscisso; & tunc anima erit tota in diuersis & separatis locis; & nõ in medio: quomodo quidam in S. Dionysio accidisse putant. Adde parum referre ad præsentem quæstionem, sintne loca illa continua, an non: quando constat eandem rem omnino totã posse esse in hoc spatio, & simul in alio ab hoc distincto; & tamen non differre, nec distare à seipsa.

Quomodo per Deum vna res erit in diuersis locis discõtinuis.

Probatur Secundò, Nullam implicat contradictionem; vt vna natura sit in tribus personis re distinctis; vt patet in mysterio Trinitatis. Cur ergo implicet, vt vnum corpus sit in distinctis locis, præsertim cùm illud sit longè admirabilius? nam vna natura sic est in tribus personis re distinctis, vt ipsa singulis perfectè identificetur; corpus autem, quod est in duobus locis, semper manet

Probatur idem corpus posse esse in diuersis locis ex mysterio SS. Trinitatis.

ab ipsis locis distinctum. Quòd si vna natura non distrahitur à seipsa, neque vllo modo diuiditur, dum distinctis personis identificatur; multò minùs vnum corpus à se diuidetur, dum diuersis locis solùm extrinsecùs iungitur. Dices, Hoc conuenit diuinæ naturæ ratione suæ infinitatis. Respondeo, Quòd identificetur diuersis personis, habet quidem ex sua infinitate: Sed corpus etiam suam quandam infinitatem habet, vt Dei omnipotentiæ subiacet, ratione cuius potest in diuersis locis collocari.

Replica soluitur.

Idem probatur ex vnione vnius hypostasis ad duas naturas.

Probatur Tertiò, Non repugnat eandem hypostasim terminare substantialiter diuersissimas naturas, ita vt diuersæ naturæ substantialiter de ipsa prædicentur: ergo neque repugnat, vt idem corpus extrinsecè iungatur diuersis locis: quia vnio hypostasis cum natura est substantialis, & intima; vnio autem corporis cum locis est accidentalis, & externa. Adde, quòd illa hypostasis sic terminet, & sustentet naturam humanam, vt tamen diuinitas per se nullo modo humanam naturam terminet; cùm tamen diuinitas omnino identificetur: quod mysterium sine dubio est difficilius.

Item ex ratione, quòd duo corpora possint esse in eodem loco.

Probatur Quartò, Duo corpora possunt esse in eodem loco sese vicissim penetrando; vt communiter docent Patres, & Doctores. Et patet in natiuitate, & resurrectione Domini, in ingressu eius ad Discipulos ianuis clausis, in adscensu ad cœlos: eritque hoc familiare post resurrectionem omnibus Sanctis. Cur è contrario vnum corpus non possit esse in duobus locis? Sicut enim hîc vnum corpus videtur distrahi in duo, ita ibi duo corpora videntur coalescere in vnum: certum tamen est, non fieri vnum; quidquid aliqui Thomistæ dixerint. Non enim hoc fit illud, etiâsi simul sint; nec differentias suas indiuiduas amittunt: imò præsentiæ illorum intimæ distinctæ manent, & proprium cuiusque vbi. Sic etiam certum esse debet vnum non fieri duo, etiamsi sit in duobus locis.

Denique exemplis.

Probatur Quintò Exemplis. Certùm enim est, Christum, postquam adscendit in cœlum, non descensurum vsque in diem Iudicij. Patet ex illo Actorum 3. v. 21. *Quem oportet quidem cœlum suscipere, vsque in tempora restitutionis omnium.* Et ex D. Augustino in Psal. 54. vbi ait, *Donec sæculum finiatur, sursum est Dominus*; & tamen apparuit Paulo in terris, Actor. 9. vbi Paulus loquitur cum illo, tamquam cum præsente, illumque videt coram, & audit vocem eius, vt patet ex cap. 22. Actor. ergo Christus tunc simul erat in cœlo, & propè terras. Apparuit etiam B. Petro Romæ, teste Hegesippo lib. 3. de Excidio vrbis Hierosolymitanę: & Athanasio in Apologia pro sua fuga: & Ambrosio Oratione contra Auxentium. Apparuit etiam S. Antonio teste Athanasio in vita eius; ita vt ad præsentiam Christi, dæmones diffugerint, & plagæ Antonij curatæ sint. Denique & alijs innumeris apparuit, vt facilè ex probatissimis Auctoribus doceri potest. Et cõfirmatur ex D. Augustino lib. de Cura pro mortuis agenda cap. 17. vbi refert quandam historiam de quodam Ioanne Monacho, qui apparuit alteri longè posito in somnis; cùm tamen ipse ex suo Monasterio non discessisset. Hîc dubitat Augustinus, an spiritus eius reuerà ibi apparuerit, an non. Quare censebat id fieri posse: ait enim; *Si ipse interfuit somnianti, mirabili gratia id potuit, non natura; Dei munere, non propria facultate.*

Ex his etiam patet, Falsam esse sententiã quorundam, qui existimant posse quidem vnum corpus esse in duobus locis indiuisibiliter, sed non extensiuè, seu circumscriptiuè; quam videtur tenere D. Thomas hîc ad 3. & 4. & Henricus à Gandauo Quotl. 9. q. 32. Durandus & Capreolus d. 10. & alij quidam Thomistæ. Ijsdem enim argumentis vtrumque probari potest: imò magis mirabile est, vnum corpus esse in vno loco diuisibiliter, & in altero indiuisibiliter, quàm in duobus diuisibiliter, vt rectè docet Gabriel in Canonem, lectione 46. & Scotus dist. 10. quæst. 2. ibi enim sunt duo miracula, hîc vnum solum. Et sanè vbicumque potest Deus ponere aliquam substantiam, sub modo non naturali, potest etiam sub modo naturali.

26 Non tantũ indiuisibiliter, sed & extensiuè potest esse idem corpus in diuersis locis

Probatur Sextò adferendo causam. Quia Deus potest eandem rem bis producere, & idem numero *esse* bis conferre, dando rei duplicem dependentiam substantialem: ergo potest illam collocare in diuersis locis. Consequentia patet; nam hoc ipso, quo aliquid accipit esse, accipit necessariò præsentiam in aliquo loco.

27 Quomodo possit Deus vnam rem ponere in diuersis locis.

Antecedens probatur; Quia id, quod corruptum vel annihilatum est, potest idem numero instaurari; vt docet communis sententia Doctorũ. Cuius etiam signum est, quod Sancti miraculis bruta reuocasse ad vitam legantur; vbi non alia anima, sed eadem, quæ antè fuerat, excitata fuit: & quòd eadem accidentia in resurrectione sint restituenda, iuxta communiorem Doctorum sententiam: ergo etiamsi maneat res integra, poterit iteratò veluti produci, & accipere nouam dependentiam essentialem, siue in hoc, siue in alio loco. Nam ex hoc quòd res semel producta sit, vel semel existat, non adimitur Deo potestas, quin idẽ numero *esse* possit conferre, siue in hoc loco, siue in alio loco. Pro quo:

Differentia inter Res Spirituales & Corporales.

Notandum est Primò, Res spiritales propter eminentem perfectionem suam infinities posse veluti replicari, & conduplicari totas, ita vt quælibet infinities sit ipsa tota; quo fit vt in singulis partibus, atq; adeò punctis spatij sui tota existat. Res autem corporales ob imperfectionem non replicari totas, sed secundùm partes: quælibet enim habet infinitas partes, in quibus tota species replicatur, non autem totum indiuiduum: vnde secundùm partes quidẽ res corporalis est in diuersis locis, non tamen secundùm se totam.

Notandum Secundò, Quasdam proprietates, quæ rebus spiritalibus conueniunt naturaliter, posse competere in rem corporalem supernaturaliter, per omnipotentiam Dei; vt, existere indiuisibiliter, penetrare molem corpoream, esse impassibilem, existere in diuersis locis. Et ratio est; quia contraria horum, scilicet esse *Coëxtensum loco, exclusiuum alterius, passibile, & in vno loco*, sunt extra substantiam rei corporalis, veluti modi quidã substantiam corpoream sequẽtes iuxtà naturę ordinem. Vnde cùm substantiâ sint posteriores, possunt per diuinam potentiam tolli; & loco illorum alij modi, qui spiritibus proprij sunt, cõmunicari.

Notandum Tertiò, In omnipotentia Creatoris non solùm latere infinitas singulorum generum species, & singularum specierum infinita indiuisua suis rationibus indiuiduantibus distincta: sed

cta: sed etiam quodque indiuiduum; & quæuis ratio seu differentia indiuidualis latet in ipso infinities; ita vt infinities ab eo res eadem numero produci, & per diuersas dependentias substantiales & integras dependere; & in seipsa replicari, idē esse indiuiduum accipiendo, possit, manente perfecta identitate & vnitate numerali. Causę autem creatæ tantùm semel possunt vnam rem producere, quâ productâ non ampliùs habent potentiam ad illam, sed earū vis est exhausta. Ratio est; quia causæ creatæ habent potentiam varijs modis limitatam; & à circumstantijs extrinsecis determinatam ad hanc vel illam rem producendam: quæ circumstantiæ numquam omnes redeunt. At potentia diuina intrinsecè est illimitata, nec determinatur ad operandum ab vllo extrinseco, sed à sola voluntate; quæ pro sua libertate potest velle hoc vel illud indiuiduū producere, prout illi placet, & hac vel illa productione vel creatione: non enim, cùm sit infinita, potest exhauriri, aut impediri per hoc quòd res semel esse inceperit. Ex his patet; non esse Deo difficile eandem rem ponere tot locis, quot voluerit, manente illa re omnino eâdem in seipsa. Quibus præmissis:

Differentia inter causam increatam & creatam.

28 Soluuntur obiectiones hæreticorum ex ratione, petitæ.

Ad Primam Confirmationem suprà num. 24. positam: Respondeo, Id, quod est in duobus locis, est vnum numero, & indiuisum in se, quo ad suam entitatem; & sic etiam indistans est à seipso: modi tamen præsentiarum, quos habet, sunt distincti, & inter se distantes: alia enim est præsentia, quâ hoc corpus dicitur esse hîc; alia, quâ dicitur esse in cælo. Idem enim corpus habet distinctas præsentias, seu distincta vbi, quamuis eius entitas distincta non sit. Quod confirmatur exemplo animæ rationalis; quæ tota est in pede, & tota in capite; tamen in sua entitate est indiuisa: modus tamen vnionis, & præsentiæ, quem habet in capite, diuersus est & distans à modo, quem habet in pede. Quod patet: Nam vnio pendet à re, cui vnitur: at hæc res est diuersa, scilicet pes & caput: ergo & vnio. Similiter præsentia, siue ipsum vbi vnde res dicitur esse hic vel ibi, pendet à spatio. Hinc satis constat diuisionem locorum, & præsentiarum, non obstare vnitati numerali ipsius rei.

Idem potest sibi esse Dextrū & Sinistrum, moueri, & quiescere.

Ad Secundam Confirmationem; Concedo idē sibi posse esse dextrū, & sinistrum; sursum, & deorsum; quia manifestum est animam in capite esse totam sursum respectu sui ipsius, vt est in pedibus. Sic Christus seipsum in manibus suis portauit, teste Augustino in psal. 33. Pari modo, idem poterit moueri, & quiescere, accedere, & recedere, pro vt est in diuersis locis; quod rursus exemplo animæ potest confirmari.

29

Petes: Si idem corpus positum duobus locis, conueniret in vnum locum, coalesceretne in vnā præsentiā? Exempli gratia: Christus in aëre locutus Paulo, si per motum adiecndisset ad locum vbi remanserat in cælo, desineretne distinctio præsentiarum?

Replicatus non potest naturaliter seipsum penetrare.

Respondeo breuiter: Non posse naturaliter in vnum locum conuenire per modum penetrationis, sed necessariò se excludet. Ratio est: quia non potest fieri coniunctio secundùm easdem materiæ & quantitatis partes sed secundùm diuersas; vt patebit, si fingas alterum veluti perluadere alterum. Si tamen per miraculum ponatur in vno loco, non idcirco peribit virtualis distinctio; quia illud vnum retinebit vim duorum, & semper poterit per motū localem in diuersis locis poni. Simile est videre in Angelis, cùm suas replicationes seu totalitates diffusas per magnum spatium, contrahunt in angustum, vel etiam in punctum.

Vnus potest hîc viuere, & alibi mori.

Ad Tertiam Confirmat. Concedo hominem eundem; duobus locis positū, posse in altero viuere, in altero mori; de quo vide Hugonē lib. 2. de Sacramentis parte 9. Ratio est; Quia nō est necesse, vt corpus, quod vno loco vnitum est animę rationali, etiam alio loco vnitum ponatur. Similiter etiam non est necesse, vt si anima rationalis vno loco informet corpus, etiam alibi posita informet. Sicuti enim tota est in capite, & tota extra caput; ita etiam à Deo conseruari posset in capite, & simul extra caput sine vlla informatione, quatenus extra caput est.

An accidētia in corpore replicato etiam necessariò eadem replicentur.

Similiter tale corpus poterit simul summè calescere vno loco, & summè frigefieri in altero, applicatis agentibus: non enim est necesse, vt si quid patiatur in vno loco, etiam illud patiatur in altero: quia accidentia, quæ suscipit, non necessariò replicantur, aut traijciuntur: imò nec possunt sine nouo miraculo. Non enim ignis hîc applicatus alicui corpori, potest calorem, quem hic imprimit, traijcere Romam, vbi idem corpus replicatum existit; vt docet Gabriel suprà: quod est contra Scotum d. 10. q. 2. & Dominicum Sotum: qui putant accidentia absoluta, quę recipiuntur in vno loco, etiam necessariò alibi accipi, sed non respectiua. Verùm de hoc infrà.

Ad Quartam, Admitto totum. Alia argumenta hæreticorum, commodiùs infrà proponentur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm post consecrationem remaneat substantia panis & vini in Sacramento?

30

RESpondetur: Non remanere, sed conuerti in Corpus Christi.

1. Error hæreticorū manere panem in Eucharistia.

Notandi sunt hic aliquot errores. Primus est, Omnium nostrorum hæreticorum, qui sentiunt panem remanere, & nullo modo conuerti in Corpus Christi: quod olim etiam tenuit Berengarius post primam suam palinodiam teste Guitmondo, lib. 1. de Eucharistia in principio. Et Ioannes Hus; à quibus nostri hauserunt. Cùm enim videret Berengarius, se non posse ampliùs tueri Eucharistiam esse solùm figuram Corporis Christi, docuit Christum esse quidem præsentem in Eucharistia, sed simul cum pane; sic vt substantia panis, & Corpus Christi simul sint.

2. Error Ruperti substantiā panis assumi hypostatice à Verbo.

Secundus error. Substantiam quidem panis manere, non tamen eius suppositum: per consecrationem enim substantiam panis assumi hypostaticè à Verbo, sicut natura humana hypostaticè assumpta est; ita vt verè & propriè panis sit Deus, & Deus sit panis: item panis sit corpus Dei; non quidem ex Virgine, sed iam recens assumptum; & Deus habeat duo corpora sibi hypostaticè vnita; alterum carneum, quod est in cœlo, & alterum panaceum, quod est in altari: posse tamen hęc duo corpora dici vnū; quia sunt vnius suppositi. Hæc sententia tribuitur Ruperto: nam lib. 5. in Ioannem exponens illa verba cap. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est*; sic ait: *Verbum caro factum est*;

 non

non mutatum in carnem; ita Verbum caro factum, panis visibilis fit, non mutatum in panem, sed assumendo, & in vnitatem personæ suæ transferendo panem: & fusè lib. 2. de Officijs cap. 2. & 9. Aduerte tamen, non omnino esse certum an Rupertus ita sentiat: nam in cap. 6: Ioannis habet alia verba, quibus videtur rectè sentire, vt *Panem transmutari in carnem, in cibum Angelorum,* & similia. Difficile tamen est, eius verba in sanum sensum interpretari. Similè errorem refert Tho. Waldensis tom. 2. cap. 65.

3. Error Durandi, manere materiam panis.

Tertius error est Durandi in 4. d. 11. q. 3. Non manere quidem totam panis substantiam, sed tamen materiam; alioqui non posse fieri conuersionem, cùm conuersio postulet idem subiectum in termino à quo, & in termino ad quem. Itaque hîc virtute diuina corruptâ formâ panis, materiam panis subitò informari formâ corporis Christi, seu animâ; eo ferè modo, quo alimentum conuertitur in substantiam nostram per nutritionem; nisi quod illud subitò fiat, hoc verò sensim. Pro veritate:

31 De fide est totam substantiã panis verti in corpus Christi.

Dico Primò, Tota substantia panis conuertitur in Corpus Christi, & tota substantia vini in Sanguinem; ita vt nihil eius remaneat. Est fide tenenda.

1. Prob. ex Script.

Probatur Primò, Ex Scriptura. *Hoc est Corpus meum;* vbi Dominus, id, quod exhibet sub specie panis, dicit esse suum Corpus. Ob quę verba semper persuasum fuit in Ecclesia Dei, per consecrationem panis & vini, conuersionem fieri totius substantię panis in substantiam Corporis Christi; & totius substantiæ vini in substantiam Sanguinis eius: vt Concilium Trident. ait; & rursus de nouo declarat sess. 13. cap. 4. Vnde nullo modo audiendi sunt Scotus, Durandus, & Paludanus dist. 11. dum dicunt, etsi verum sit, substantiam panis non manere, tamen id ex verbis Domini non colligi.

Falsa est propositio, *Hic panis est Corpus meum.*

Confirmatur; Si substantia panis manet, pronomen *Hoc* designat panem, & sensus erit, Hic panis est corpùs meum: quod etsi concedant Lutherani, tamen implicat contradictionem: nam disparatum prædicatur de disparato, sicuti si dicam, Hic panis est equus: ergo panis non potest remanere.

1. obiectio.

Dices Primò, Rectè dicimus, Hic homo est Deus: cur non similiter, Hic panis est corpus Christi?

Soluitur.

Respondeo, Est dispar ratio: nam ibi subiectũ & attributum accipiuntur pro eodem, nempe pro supposito subsistente in natura humana, & diuina; idque ob vnionem hypostaticam: vnde sensus est, Hic subsistens in natura humana, est Deus: secus, si diceretur, Hæc humanitas est Deus. Inter panẽ autẽ & corpus Christi non est vnio hypostatica.

2. obiectio.

Dices Secundò, Pronomen *Hoc* non necessariò designat panem, sed potest significare id quod sub pane continetur: vt sensus sit, Hoc contentum sub pane, est corpus Christi; sicut dicimus, demonstrato dolio, Hoc est vinum.

Soluitur.

An, & quãdo pronomen *Hoc* possit tam rem contentam, quàm continens significare.

Respondeo, Hoc fieri non posse: Primò, quia, etsi pronomen *Hoc* possit designare tam rem contentam, quàm continentem, quando res continens naturâ suâ vel vsu hominum est instituta ad continendum, veluti loculus rei (dicimus enim demonstrato dolio vini, Hoc est dolium, hoc est vinum:) tamen id non habet locum, quando res continens non est per se idonea ad continendum: vt si quis sub pane conderet aurum, non rectè diceret, Hoc est aurum. Secundò, Quia quando duę res diuersæ sub vna continẽtur, nõ rectè per pronomen *Hoc* designamus alteram, alterâ omissa: vt de bursa, in qua tantundem est argenti, quantum auri, non rectè dixeris, *Hoc est aurum.* Quare, si substantia panis, vel aliquid eius remanet cum Corpore Christi sub speciebus, non rectè dixit Christus, *Hoc est Corpus meum:* nam secundùm vsitatum, sincerum, & à fraude alienum loquendi modum (quidquid tandem sit de subtilitatibus metaphysicis) pronomen *Hoc* designat totam rem contentam; vel certè eam, quę maiorem cum speciebus coniunctionem habet.

32 2. Probatur ex Concil. Romanũ.

Probatur Secundò, Ex Concilijs. Primò, Ex Concilio Romano sub Gregorio VII. vbi Berengarius abiurans suam hæresim, dicit: *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor panem, & vinum per mysterium sacræ orationis, & verba Redemptoris nostri substantialiter conuerti in veram & propriam Carnem, & Sanguinem Domini.*

Lateranense.

Idem Probatur ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. 1. *Verum Christi Corpus & Sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis & vini, veraciter continetur; transsubstantiatis pane in Corpus, & vino in Sanguinem potestate diuina.*

Constantiense.

Concilium Constantiense sess. 8. damnat articulos Wicleff, quorum primus est; *Substantia panis materialis, & vini materialis manent in Sacramento.* Secundus est; *Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem Sacramento.*

Florentinum.

Concilium Florentinũ, cui etiam Græci subscripserunt: *Ipsorum verborum virtute, substantia panis in Corpus Christi conuertitur.*

Tridentinum.

Denique Concilium Trident. sess. 13. can. 2. *Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini, vna cum Corpore & Sanguine Domini nostri; negauerit quę mirabilem illam, & singularem conuersionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini; quam conuersionem Ecclesia Catholica aptissime Transsubstantiationem appellat; anathema sit.*

33 3. Probatur ex Patribus. Cyprianus

Probatur Tertiò, Ex Patrib. Cyprianus serm. de cœna Domini: *Panis iste, quem Dominus Discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentiâ Verbi factus est caro.*

Cyrillus Hierosolymitanus

Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. Mystago. *Aquam aliquando Christus mutauit in vinum; & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in Sanguinem transmutarit?* Et infrà: *Sub specie panis, datur tibi Corpus, sub specie vini, datur tibi Sanguis.* Et paulò pòst: *Hoc pro certissimo habe, panem hunc, qui videtur a nobis, nõ esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat.*

Nyssenus,

Gregorius Nyssenus in oratione Catechetica; *Rectè Dei verbo sanctificatum panẽ, in Corpus Dei Verbi credimus commutari.*

Ambrosius

Ambrosius cap. 9. de ijs qui Mysterijs initiantur: *Quantis*, inquit, *vtimur exemplis, non hoc esse, quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit: maioremq; vim esse benedictionis, quã naturæ; quia benedictione etiam natura ipsa mutatur.* Et alia plurima.

Chrysostomus.

Chrysostomus homilia de Eucharistia habita in Encœnijs: *Num panem vides? num vinum? num sicut reliqui cibi in secessum vadunt? Absit, ne sic cogites, sicut enim, si cera igni adhibita, illi assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit: sic & hic pura mysteria (id est, panem & vinum) consumi corporis substantiã.*

Augustinus

Augustin. Augustinus serm. 28. de verbis Domini, dicit *Id, quod antè erat panis vulgaris, per verba Christi fieri Corpus eius, & panem illum ἐπιούσιον*, id est, *supersubstantialem, qui animæ nostræ substantiam fulciat.*

Cyrillus Alexand. Cyrillus Alexandrinus epist. ad Calosyrium; *Ne horreremus carnem & sanguinem sacris altaribus apposita, condescendens Deus fragilitati nostræ, influit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis, &c.*

Bernardus. Bernardus serm. de cœna Domini: *Hostia, quam vides, iam non est panis, sed Caro mea: & liquor iste, quem vides, iam non est vinum, sed Sanguis meus: quēadmodum enim illic species cernuntur, quarum res, vel substantiæ ibi nō esse creduntur, sic res veraciter, & substantialiter creditur, cuius species non cernitur.* Vide plura apud Garetium. Idem tenent omnes Doctores Scholastici.

34 An dogma Transsubstantiationis à Concilio Lateran. primò sit inuentū. Ex his patet Primò; Falsum esse, dogma transsubstantiationis esse inuentum Concilij Lateranensis sub Innocentio III. circa annum Domini 1215. vt hæretici calumniantur. Etsi enim in hoc Concilio nomen *Transsubstantiationis* primò receptum fuerit à tota Ecclesia, tamquam commodissimum ad hanc singularem conuersionem explicandam; sicut in Concilio Nicæno I. nomen ὁμούσιος, primò receptum fuit, & in Symbolo positum; tamen dogma ipsum semper in Ecclesia fuit. Patres enim antiqui expressè docent *Substantiam panis conuerti, & mutari in Corpus, in Carnem Christi.* Græci etiam dicunt *Panem* μεταστοιχειῶσθαι, id est, *transelementari*, vt Theophylactus Marci 14. & alij; quod nomen est significantissimum: significat enim *panem mutari secundùm prima sua principia*, nempe materiam & formam. Alij dicunt μεταμορφῶσθαι, id est, *transformari:* quæ omnia idem significant, quod transubstantiari, id est, substantiam, in substantiam conuerti.

Error Scoti. Patet Secundò, Deceptum fuisse Scotum in 4. dist. 11. q. 3. art. 1. dum existimauit ante Concilium Lateranense sub Innocentio III. dogma transsubstantiationis, seu conuersionis panis in Corpus Christi, non fuisse de fide. Nam in Concilio Romano sub Gregorio VII. hoc definitum fuit: & consensus omnium Patrum satis indicat, hoc semper fuisse de fide. Quod etiam apertè insinuat Concil. Tridentinum sessione 13. cap. 4.

35 4. Probatur Ratione. Probatur Quartò: Ratione. Primò, Si maneret panis substantia, panis principaliter, & primariò designaretur per accidentia; quia haberent primarium ordinem ad panem, tamquam ad proprium subiectum: vnde designato eo, quod sub speciebus continetur, magis propriè diceretur; Hoc est panis triticeus; quàm, Hoc est corpus Christi: imò hæc esset fallax locutio. Nam accidentia solùm designant suum subiectum; non autem quod extrinsecè subiecto coniungitur: vt si Angelus occultaret se sub pane, non rectè diceretur, *Hoc est Angelus*, sed, *Hic* est Angelus. Quando autem substantia panis conuertitur in Corpus Christi, accidentia panis eum habent ordinem ad Corpus Christi, quem antè habebant ad substantiam panis, excepta informatione. Nam Corpus Christi est ibi per modum substantiæ sub accidentibus; & mouetur ad motum accidentium; & definit ibi ad desitionem accidentium. Secundò, Si maneret panis, periculum esset, ne rudiores adorarent panem; quia non norunt distinguere, sed simpliciter adorarent quod continetur sub speciebus panis. Tertiò, Quia magna esset indecentia, quòd simul sint panis terrenus & cælestis; cibus ventris, & cibus mentis. Quartò, Quia non posset sumi Eucharistia, nisi solueretur ieiunium; & sic calix numquam sumeretur à ieiunis; quod est cōtra traditionem Apostolicam, teste August. epist. 118. cap. 6. quæ iubet, vt non nisi à ieiunis Corpus & Sanguis Domini sumatur.

1. Ratio.

Quomodo Corpus Christi se habeat ad accidentia Panis, & contrà.

2. Ratio.

3. Ratio. 4. Ratio.

His adde rationem D. Thomæ: *Quia*, inquit, *Corpus Christi nō potest incipere esse in Eucharistia, nisi vel conuersione substantiæ panis in ipsum, vel accessione ipsius ad panem.* Vnde, si panis non conuerteretur in Corpus Christi, deberet Corpus venire ex cælo ad panem per motum localem; quod falsum est. Sed hæc ratio non videtur valdè solida, vt infrà dicetur. Ratio Diu Thomæ parum firma.

36 Obiectiones hæreticorum soluuntur. Obijciunt Hæretici Primò: Scriptura Eucharistiam vocat *Panem*, 1. ad Corinth. 11. Confirmatur, Matth. 26. *Accepit panem, benedixit panem, & fregit panem*; & hoc ipsum, quod *accepit, & fregit, dedit Discipulis:* ergo dedit *panem.*

An, & quo modo S. Eucharistia possit dici panis. Respondeo; Eucharistia vocatur *Panis*: Primò, nō quòd sit panis terrenus, qualis noster; sed quia est verè panis cælestis, & supersubstantialis animę: ad quod significandum, non simpliciter vocatur *Panis*, sed *Panis vitæ*, *Panis qui de cælo descendit*, *Panis quem frangimus*. Simili modo *Manna* vocatur *Panis*, quamuis reuera non esset panis, qualis noster: Exod. 16. Psal. 77. & alibi. Secundò; Dicitur *Panis*; quia ex pane confecta, & retinet panis indolem & proprietates, & etiâ vsum: dum enim sumitur per modum panis, sic corroborat animā, sicut panis communis corroborat corpus. Ad Confirmationem; Respondeo, Id, quod Dominus accepit & benedixit, erat panis communis; sed quod dedit Discipulis, non erat ampliùs panis cōmunis, sed cælestis: intercessit enim benedictio, quę illum panem ex terreno in cęlestem mutauit. Similem locutionem habemus Gen. 18. *Tulit Abraham vitulum, deditque puero, & coxit illum, & posuit coram eis.* Hic non erat idem vitulus, quem accepit, quem coxit, & posuit coram eius, sed mutatus substantialiter.

37 2. Obiectio Obijciunt Secundò, Ex Patribus: Primò, Chrysostomus epistola ad Cæsarium Monachum dicit post consecrationem liberari *panem à panis appellatione, & dignum fieri appellatione Dominici Corporis, etiamsi materia panis in ipso permaneat.*

Soluitur. Respondeo, Auctor ille non est Chrysostomus; sed alius quidam Ioannes Constantinopolitanus, vt ostendit Turrianus lib. 1. de Eucharistia cap. 18. Dicit autem hic Auctor *materiam panis remanere*; quia manet secundùm indolem, proprietates, & effectus panis. Simili modo intelligendus Theodoretus Dialogo 1. non procul à principio; vbi ait, *Symbola & signa, quæ videntur, nomine Corporis & Sanguinis honorauit, non naturam mutans, sed naturæ gratiam adijciens.* Nempe non mutatur natura, quoad externas proprietates sensibiles, licet mutetur, inuisibiliter, vt ibidem Theodoretus insinuat.

Quomodo in Eucharistia materia panis dici possit remanere.

38 Substantia Panis non est vnita Verbo hypostatice. Dico Secundò, Substantia panis non vnitur in Eucharistia hypostaticè verbo diuino, aut Corpori Christi. Est etiam fide tenendum.

Probatur Primò; Quia fide tenendum est panem non manere, vt patet ex dictis: ergo non potest hypostaticè vniri: vnio enim supponit existentiam in propria substantia. Secundò, etiamsi substan-

substantia panis maneret, & Verbo vniretur, non tamen idcircò Caro Christi esset præsens in Eucharistia. Nam Verbum diuinum potest assumere aliam naturam in terris, quamuis corpus, quod ex Virgine assumpsit, non sit in terris: cùm enim sit vbique, potest assumere naturas maximè loco inter se distantes; nec idcircò altera ad alteram trahetur: ergo hæc fictio est prorsus inutilis ad explicandum hoc mysterium: solùm enim ex ea sequitur, Corpus Christi paneum esse in Eucharistia, non carneũ quod ex Virgine sumpsit: quod etsi Rupertus videatur concedere lib.2.de officijs cap.2. est tamen apertè contra Scripturas; *Panis, quem ego dabo, caro meæ est pro sæculi vita.* & 1. ad Corinth. 11. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Item contra omnes Patres, qui semper loquuntur de *corpore carneo*, quod ex Virgine assumpsit, & in mortem pro nobis est traditum. Tertiò, Ex hac sententia sequeretur, Deum tam propriè esse impanatum, quàm incarnatum; & panem triticeum, quàm hominem. Item quotidie nouam fieri vnionem hypostaticam, quę ab initio non fuit; scilicet cum alio, & alio pane; & eandem quotidie desinere.

39 Non remanere materiam panis, contra Durandum probatur.

Dico Tertiò, Materia panis non manet in Eucharistia. Est etiam fide tenendum contra Durandum.

Probatur Primò, Quia tota substantia panis conuertitur & transubstantiatur in Corpus Christi; vt docet Concilium Lateranense, & Tridentinum suprà.

Probatur Secundò, Quia, iuxtà sententiam Durandi, accidentia nó remanerent sine subiecto: quod damnatum est in Concilio Constantiensi sess. 8. Patet hoc, Quia, si materia manet, accidentia retinent suum subiectum; nam materia est subiectum accidentium.

Probatur Tertiò, Etiamsi Anima Christi informaret materiam panis, non tamen idcircò esset ibi caro Christi, quæ de Virgine sumpta est, & pro vita sæculi tradita; quod est contra Scripturas, & Patres; sed esset ibi noua caro, iam ex tempore per nouam conuersionem genita. Dices, Caro Christi sumpta ex Virgine erit ibi per concomitantiam. Respondeo Primò, Hoc non sufficere; debet enim ibi esse directè ex vi consecrationis, & Sacramenti; vt patet ex illis verbis, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Secundò, Nulla est connexio inter hanc carnem, & illam antiquam: quomodo ergo est ibi per concomitantiam? Denique, Si caro antiqua est ibi, quid opus est fingere ibi nouam carnem, quæ nihil ad vim verborum, & Christi intentionem faciat?

Refellitur sententia Durandi ex absurdis

Probatur Quartò; Ex sententia Durandi sequetur esse tria Christi corpora viua re distincta in eodem altari: nempe quod ex Virgine sumptum; quod ex materia panis & Anima conflatur; & quod ex Anima & materia vini: quorum, duo posteriora quotidie fient, & dissoluentur; ac proinde Christus quotidie nascetur, ac morietur: sicut, si vna anima esset in tribus corporibus, & ab vno separaretur, ille homo verè moreretur; & si alteri corpori iungeretur, aliquis verè nasceretur. Si dicas, Materiam panis & vini non constituere cum Anima distinctum corpus, sed agglutinari corpori antiquo, sicut alimentum: Saltem hinc sequetur corpus Christi quotidie secundùm partes gigni & augeri, & rursus destrui & diffluere, vt solent mortalium corpora. Vel si tota illa materia manet informata, Christi corpus immensam molem nunc contraxit. Omitto alia, quæ contra hanc sententiam possent excogitari. Ad rationes Durandi, responsio patebit ex infrà dicendis.

DVBIVM I.

Vtrùm maneat existentia panis, vel etiam gradus aliquis substantialis?

40 Thomistę

QVidam Thomistæ putant existentiam panis manere, & per hanc existere accidētia. Hanc sententiam cùm Bannes in 1. editione Primę Partis fuisset secutus, in secunda sic mutauit, vt tantùm dicat probabilem. Vide q.4.ar.2.

Existentiã panis remanere in Eucharistia, repugnat dogmatibus fidei.

Verùm hæc sententia nullo modo est probabilis. Primò, Quia videtur contra dogmata fidei; quorum vnum est, *Tota substantia panis conuertitur in substantiam Corporis Christi:* Atqui substantia panis includit etiam existentiam panis, sicut substantia corporis Christi includit eius existentiam: ergo hæc etiam conuertitur. Confirmatur; Quia substantia, præcisâ existentiâ, conuerti non potest, cùm non sit ens actu, ac proinde nec conuertibile. Alterum dogma est, *Solùm accidentia panis remanere*, vt expresè habet Concil. Tridentinum sess. 13. can. 2. Vnde infero: ergo nullo modo existentia panis remanet. Patet consequentia; nam hæc existentia non est accidens, sed est id, quod primas partes obtinet in substantia actuali panis.

Repugnat etiam Philosophiæ.

Secundò, Videtur etiam esse contra Philosophiam: quis enim animo concipiat existentiam rei, veluti vestem quamdam aut ornamentum, realiter ab illa separari, & alteri rei conferri; aut accidentia posse formaliter existere per existentiã substantiæ, ipsâ substantiâ peremptâ; cùm rem perimi, sit eius existentiam perimi? Est enim existentia intima cuiusque rei actualitas, seu entitas, quatenus habet esse extra suas causas, sine quâ substantia nihil est, nisi in potentia obiectiua.

41 Sententia Caietani quòd remaneat quædã entitas panis.

Ex his facilè refutatur alia quædam sententia, quam insinuat Caietanus hîc in Respõsione ad 3. & art. 4. vbi docet, etsi non maneat materia specifica panis, manere tamen quandam entitatem, quæ anteà erat panis; & hanc per conuersionem fieri & esse Corpus Christi. Vnde art. 4. ait terminum transubstantiationis esse, vt id, quod erat panis, sit corpus Christi.

Refutatur.

Hinc enim sequitur: Primò, Non totam substantiam panis conuerti: quod est contra fidem. Antecedens patet: nam id, quod manet, non conuertitur in aliud. Secundò, Non manere sola accidentia panis, sed aliquid substantiæ: quod etiam fidei repugnat. Tertiò, Implicat, vt eadem numero entitas, quæ anteà erat panis, nunc sit Corpus Christi. Probatur, quia res finita, quæ identificatur rebus distinctis, in se quoque distincta esse debet, ac proinde diuersa numero. Confirmatur; sola essentia diuina, ob suam immensitatem, potest rebus distinctis identificari; scilicet diuinis personis, quæ realiter distinguuntur: ergo id nulli rei creatæ concedendum. Quartò, In diuersis panibus sint diuersæ numero entitates: ergo, si per consecrationem hæ entitates fiunt & sunt Corpus Christi, ipsum identificabitur rebus pluribus numero distinctis. Denique non potest fieri successio differentiarum specificarum in in-

diuiduo generis præcisè considerato: quia gradus specifici non possunt à genericis separari, cùm in vnam simplicem entitatem coalescant. Confirmatur, quia per eandem formam, panis est panis, & substantia, & entitas. Quomodo autem dicatur, *Id quod fuit panis, nunc est Corpus Christi*, qui modus loquendi videtur Caietanũ mouisse, infrà dicetur.

DVBIVM II.

Vtrùm, si substantia panis non conuerteretur in Corpus Christi, sed maneret, posset ibidem poni Corpus Christi per diuinam potentiam?

42 Respondeo; Omnino tenendum est, potuisse ibi poni Corpus Christi cum pane, & sub pane, sicut modo est sub accidentibus per intimã præsentiam, quamuis accidentia tunc non haberent illum ordinem ad Corpus Christi, quem modò habent. Ratio est, quia sicuti quantitas panis, & alia accidentia, non excludunt Corpus Christi, sic neque substantia panis illud excludere potest quin sub illa possit collocari & intimè præsens esse. Confirmatur; quia si Deus potest duo corpora retinentia suam extensionem simul ponere, multò magis poterit Corpus Christi habens modum existendi spiritualẽ & indiuisibilem ponere sub panis substantia; cùm corpus habens talem modum, nullo modo excludat aliud corpus habens extensionem. Vnde non solùm potest per actionem substantialem & productiuam poni sub pane; sed etiam alibi positum per motum localẽ, seu actionem adductiuam sub pane collocari. Sicut enim actio productiua Corporis Christi sub accidentibus panis, nõ necessariò requirit desitionem panis; ita neque actio adductiua.

Nec obstat, quod D. Thomas hîc in Corpore dicit, rem non posse alicubi, vbi anteà non erat, incipere esse, nisi vel per motum adducatur, vel per conuersionem alterius rei in ipsam ponatur. Quia D. Thomas loquitur de ordinarijs, & consuetis modis, quibus res aliqua incipit esse, vbi anteà non erat; qui modi sunt motus localis, & conuersio. Non tamen intendit negare modum tertium, & extraordinariũ, qui est instar puræ creationis: sed existimauit illum modum hîc locum non habere, Deumque etiam in miraculis, vti modis quàm maximè fieri potest cõsentaneis naturis rerum.

Respondeo est affirmans.

Quæ actione posset sub pane poni Corpus Christi.

Explicatur D. Tho.

ARTICVLVS III.

Vtrùm substantia panis & vini per consecrationẽ annihiletur?

43 Respondetur non annihilari. Ratio est; Quia non desinit in nõ esse absolutè, sed in Corpus, & Sanguinem Domini. Verùm, quia hoc obscurum est:

Notandum est, Conuersionem esse transitum quemdam ex vna natura, vel forma, vel qualitate in aliam: vt cùm vinum vertitur in acetum; cùm aër in aquam; frigidum in calidum. Vnde necesse est conuersionem intrinsecè includere duas mutationes; quarum altera est in termino à quo, altera est in termino ad quem. Terminus enim à quo, desinit esse; vnde mutatur ab esse, ad non esse. Terminus autem ad quem, incipit esse, vel absolutè, vt si anteà non erat; vel secundùm nouam quandam dependentiam, si erat.

Conuersio quid sit, & quid includat.

Hoc ergo articulo quæstio est de mutatione quæ est in termino à quo, sitne annihilatio? Quidam Doctores existimant hanc mutationem, quæ est in termino à quo, scilicet in pane, esse annihilationem. Ratio est; quia panis absolutè desinit esse, sic vt nihil ipsius substantiæ remaneat, perinde ac si nihil aliud succederet: ergo annihilatur. Probatur consequentia; Quia annihilatio est totius desitio in nihil. Et confirmatur, quia panis iste potest reproduci à Deo per creationem: quod signum est fuisse annihilatum. Ita Gabriel Lectione 40. in Canonem, & Occam in 4. q. 6. & Albertus Mag. in 4. dist. 10. quæ sententia non est improbabilis.

Quidam putant panem annihilari.

Melius tamen dicitur, panem non annihilari. Ita passim alij Doctores dist. 11. & D. Tho. hîc. Rationem quidam reddunt: Quia panis, inquiunt, non desinit per meram suspensionem concursus diuini, sed ex vi actionis positiuæ qua species separantur à subiecto. Detractis enim omnibus accidentibus substantia naturaliter desinit esse: nam forma non potest manere in materia sine dispositionibus; vnde necessariò euanescit. Materia quoque non potest priuari omni forma; vnde etiam necessariò desinit esse, cũ prior forma euanescat, & alia non succedat.

44 Melius negatur.

Ratio quorundam.

Sed contrà: Primò, Quia hæc sententia supponit accidentia separari à substantia panis per actionem positiuam, per quã accipiant modum quendam positiuum existendi per se, qui modus sit terminus huius actionis: quod non videtur verum. Nam frustrà ponitur talis modus existendi positiuus in speciebus Sacramentalibus; vt infrà ostẽdemus: vnde etiam frustrà ponitur illa actio separans accidentia, & modum illum conferens. Secundò; Esto, sit talis actio, & talis modus in accidentibus separatis; non tamen videtur facere ad propositum. Nam conuersio panis in Corpus Christi, est integra quædam mutatio substantialis: ergo non debet constare nisi mutationibus substantialibus. Sicut enim substantia composita non constat, nisi substantijs; ita mutatio substantialis composita debet tantummodò cõstare mutationibus substantialibus; qualis est desitio panis & incæptio Corporis Christi. Atqui hæc mutatio circa accidentia, non est mutatio substantialis; quia solùm terminatur ad illum modum accidentis: ergo est extra rationem transsubstantiationis, quæ est mutatio substantialis: ergo ex ea non potest ratio desitionis illius sumi. Confirmatur, quia modus iste desinendi non repugnat annihilationi: quod patet in simili. Si enim Deus separaret ab Angelo intellectum, & voluntatem, & sic Angeli substantia desineret esse, verè annihilaretur. Sic si à toto mundo detraheret omnia accidentia, & ita mundus desineret esse, verè annihilaretur. Tertiò, Ex detractione formæ, vel accidentium, non necessariò sequitur desitio materiæ, vt quæ sit omnium formarum, & accidentium corporalium fundamentum: sed solùm ex ordinatione diuina merè libera, qua statuit illi rei subtrahere concursum conseruatiuum, quę modo naturæ suæ tam dissentaneo existeret. Vnde hæc desitio magis æstimanda est libera subtractione concur-

Refellitur.

concursus diuini, quàm ex positiua illa actione separandi accidentia: ac proinde censebitur annihilatio; nisi quid aliud obstet.

45 Vera ratio, cur Panis hic nõ dicatur annihilari.

Vera igitur ratio, cur hæc desitio panis non sit annihilatio, dicenda est; quia de ratione annihilationis, vt communiter concipitur, est, vt res ita desinat esse, vt illa desitio ex vi actionis per quã, vel propter quam fit, non ordinetur ad vlterius esse; sed sistat in non esse: atqui panis ita desinit, vt illa desitio ordinetur ad vlterius esse, idque ex vi actionis, qua Christi Corpus ponitur sub speciebus. Etsi enim hæc desitio panis immediatè fiat per substractionem influxus conseruatiui (nihil enim est aliud, quàm priuatio essendi, quatenus in primo instanti est pendens à causa priuatiua, scilicet à suspensione actionis conseruatiuæ) tamen censetur fieri ex vi actionis positiuę, qua ponitur ibi Corpus Christi: nam propter illã actionem fit, & ex intentione agentis ordinatur ad esse Corporis Christi sub speciebus. Quia enim intẽdebat Christus ponere suum Corpus sub speciebus tanquam principaliter designabile, sensibile, tractabile per species, necessariò debebat excludere panem. Itaq; substantia panis necessariò desinit ex vi actionis, qua ponitur ibi Corpus Christi; non quidem ex vi, quam habet actio præcisè ex natura sua; sed quam habet, vt subest intentioni Dei ordinantis illam ad sic ponendum Corpus Christi sub speciebus.

46 Obeictio quòd debeat esse formalis repugnantia terminorum.

Dices, Inter terminos conuersionis debet esse formalis repugnantia; ita vt necessariò positio vnius, sit exclusio alterius; vt patet in omnibus conuersionibus formalibus, id est, quæ per successionem formarum in eâdem materia vel subiecto fiunt. Si enim possent simul stare, iam nõ esset conuersio; nam vtrumque conseruaretur. Hinc album non vertitur in dulce, sed in nigrum vel rubrum &c. Sed Corpus Christi non ita excludit substantiam panis à speciebus; nam possunt simul consistere, etiam naturaliter, posito illo modo existendi indiuisibiliter in Corpore Christi: ergo non est conuersio inter illa.

Negatur id de conuersione supernaturali.

Respondeo, In omni conuersione naturali termini ita debent repugnare, vt naturaliter non possint simul consistere. Nam hæc conuersio fit per successionem formarum repugnantium. Secùs tamen res habet in conuersionibus supernaturalibus, quibus totum conuertitur in totum supernaturaliter: nam hîc non succedit vna forma alteri in eadem materia, vel subiecto, sicut in naturali conuersione; sed tota substantia toti substantiæ, sub ijsdem accidentibus, sub quibus non habent illæ duæ substantiæ repugnantiam, nisi illa accidentia debeant informare substantiam, quæ succedit; quod hîc non habet locum: vel illam debeant principaliter designare; quod pendet ex intentione agentis. Sufficit igitur, vt termini repugnent quatenus subsunt intentioni agentis; qui sic intendit ponere Corpus Christi sub speciebus, vt sit principaliter designabile, & sensibile per illas: cum quo stare nequit, vt maneat substantia panis: quod etiam est consentaneum naturis rerum, & dignitati Corporis Christi, quod postulabat, vt esset ibi tamquam primaria substantia, non vt quid accessorium substantiæ panis.

Qualis hic terminorũ repugnantia sufficiat

Confirmantur hæc omnia: Quia vbi est peculiaris modus conuersionis, ibi quoque potest esse peculiaris repugnantia inter id, quod conuertitur, & id, in quod conuertitur: ergo in conuersione supernaturali, quæ tota pendet ex ordinatione diuina, sufficit ea repugnantia, quæ nascitur ex modo existendi, quem Deus intendit. Præsertim cùm in conuersione non videatur requiri repugnantia terminorum ob aliam causam, quàm vt desitio vnius non iungatur per accidens cum inceptione alterius. Atqui ad hoc cauendũ sufficit intentio diuina, consentanea naturis rerum, ordinans desitionem vnius ad inceptionem alterius.

Repugnantia terminorum in Conuersione.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm panis possit conuerti in Corpus Christi?

REspondetur Affirmat. Sed DVBIVM est, *Qua actione fiat hæc conuersio, & quis sit formalis terminus huius actionis?*

47 Prima sententia Scoti, id fieri duplici actione.

Sunt tres sententiæ. Prima est, Diuersis actionibus panem conuerti in Corpus Christi, & Corpus Christi poni sub speciebus panis. Priorem, esse actionem conuersiuam, & terminari ad substantiam Corporis Christi secundùm se, vt est in cælo; vnde ex vi huius actionis illud non poni sub speciebus: quare esse opus alia actione, quam vocant *Adductiuam*, qua Corpus Christi, in quod cõuersus est panis, sub speciebus adducatur. Insinuat Scotus dist. 10. q. 1. & dist. 11. q. 3. & clarè docent eius discipuli.

Secunda sententia id fieri per *Adductionem*.

Secunda sententia: Esse quidem eandem actionem, qua fit cõuersio panis in Corpus Christi; & qua Corpus Christi ponitur sub speciebus panis: sed hanc esse actionem adductiuam, quæ sic adducat Corpus Christi sub speciebus, vt tamen locũ non deserat, quem habet in cælo, sed solùm acquirat nouam præsentiam sub speciebus. Vnde terminum formalem, ad quem terminatur hæc actio, esse præsentiam nouam, seu nouum *vbi*. Ita multi recentiores qui scribunt contra hæreticos, & etiam quidam Scotistæ.

48 Tertia sententia id fieri per solã actionem substantialem conuersiuã.

Tertia sententia: Solam actionem substantialem conuersiuam requiri. Pro qua:

Dico Primò: Eadem actione, qua panis conuertitur in Corpus Christi, cõstituitur idẽ corpus sub speciebus panis. Est quasi certa, & ferè communis Doctorum. Probatur Primò, quia, si non poneretur ibi per actionem conuersiuam, sed per aliam, non poneretur ibi per transsubstantiationem, sed per aliquam aliam actionem extraneam transsubstantiationi, scilicet per actionem adductiuam, ac proinde impertinens esset transsubstantiatio ad hanc præsentiam: quod tamen est contra sensum Patrum, qui censent Corpus Christi ibi esse propter transsubstantiationẽ; vt statim ostendemus. Probatur Secundò, Quia terminus *ad quem* necessariò ponitur ex vi conuersionis, vbi erat terminus *à quo*: ergo actio conuersiua sufficit ad præsentiam Corporis Christi ponendam in Eucharistia. Antecedens patet; nam conuersio fit per successionem diuersarum formarum in eadem materia vel subiecto, aut per successionem diuersarum substantiarum sub ijsdem accidentibus: semper enim termini conuersionis debent comparari ad aliquid idem, in quo, vel sub quo, fiat successio. Confirmatur; quia nisi maneat aliquid

aliquid idem, sub quo fiat successio substãtiarum, nulla erit ratio, cur potiùs panis dicatur cõuersus in Corpus Christi, quàm lapis, si eodẽ momento etiam lapis desineret esse manentibus accidẽtibus seu speciebus. Pari modo nulla erit ratio, cur panis dicatur potiùs conuersus in Corpus Christi, quã in corpus B. Virginis. Si enim Corpus Christi ex vi conuersionis non magis est sub speciebus panis, quàm corpus B. Virginis, sed per nouam actionem debeat adduci; cur potiùs conuersus est panis in Corpus Christi, quàm in corpus Virginis? Vnde patet, hanc sententiam falsam esse, scilicet panem hîc positum posse conuerti in Corpus Christi existens & permanens dumtaxat in cælo, & præter actionem conuersiuam opus esse adductiuã.

49 Actio, qua ponitur Corpus Christi in Sacramẽto non est Adductiua, sed Productiua,

Dico Secundò, Hæc actio, qua panis conuertitur in Corpus Christi, & consequenter, qua Corpus Christi ponitur sub speciebus præsens, nõ est actio adductiua, sed veluti substantialiter productiua Corporis Christi, sic vt terminus eius formalis sit substantia Corporis Christi. Ita sentit D. Thomas: nam passim negat Christum esse in Eucharistia per motum localem, vt patet hoc artic. 4. & suprà artic. 2. Atqui actio adductiua nihil est, nisi motus localis: terminatur enim tantummodò ad nouum vbi, seu nouam præsentiam. Et art. 2. ex eo, quòd Christi Corpus non incipiat esse in Eucharistia per motum localem, concludit debere ibi poni per quandam actionem veluti generatiuam, seu substantialiter productiuam. Et in Responsione ad 1. ibidem dicit, quòd virtus Dei ex pane & vino facit Corpus, & Sanginem suum. Et infrà artic. 7. dicit terminum huius conuersionis esse Corpus Christi; quod cùm non suscipiat magis, & minus, causa est, cur hæc conuersio fiat in instanti. Idem sentire videntur omnes Doctores, qui docent hanc actionem, qua Christi Corpus ponitur in Eucharistia, non fieri in aliquo subiecto præsupposito; & idcircò esse similem creationi: hinc enim sequitur, non esse actionem adductiuam: nam hæc fit in subiecto, quod ei supponitur, scilicet in corpore, quod adducitur, sicut aliæ mutationes accidentales. Ita Halensis 4. parte quæst. 34. membro 3. art. 1. & Henricus Quodlibeto 9. quæst. 9. Bonauentura dist. 10. art. 2. quæst. 1. Sed omnium optimè & clarissimè Gabriel dist. 11. quæst. 1. & in Canonem missæ lectione 40. & 46. *Hanc sententiam copiosè deductam vide lib. 12. de Perfect. diuinis cap. 16. num. 114. & deinceps.*

Fauet D. Thomas,

50 1. Probatur ex SS. Patribus.

Probatur hæc sententia: Primò, Ex Patribus, qui docent *panem mutari, conuerti, transfundi; transelementari in Corpus Christi, & substantiam conuerti in substantiam.* Atqui nulla est conuersio vnius in aliud, sine actione productiua eius, in quod fit conuersio; vt patet in omnibus conuersionibus substantialibus, & accidentalibus: exempli causa, quando aqua conuersa est in vinum, non solùm desijt substantia aquæ, sed producta est ibi substantia vini: quando vxor Loth conuersa est in statuam salis, non solùm ipsa desijt esse, sed producta est statua salis: quando virgæ conuersæ sunt Exodi cap. 7. in serpentes, ita desierunt virgæ, vt producti sint serpentes: sic quando in nutritione sanguis vertitur in carnem, vel chylus in sanguinem, non solùm est desitio, sed etiam substantialis productio. Ergo similiter quando substantia panis vertitur in substantiam Corporis Christi, necesse est Corpus Christi quodammodò produci, id est, accipere esse substantiale, per quandam substantialem dependentiam & influxum: quamuis non propriè dicatur *produci*: nomen enim hoc connotat rem illam antea non extare.

Vrgetur auctoritas Patrum ex verbis *Fieri, Creari,* &c.

Secundò, Quia Patres docent Corpus Christi *fieri, confici, creari*; quæ verba productionem nobis insinuant. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem: *Acceptum panem corpus suum facit, dicendo, Hoc est corpus meum.* Cyprianus sermone de cœna Domini, *Panis iste non effigie, sed naturâ mutatus, omnipotentiâ Verbi factus est caro.* Et infrà: *Qui vsque hodie veracissimum Corpus suum creat, & sanctificat, & benedicit.* Ambrosius lib. de ijs qui Mysterijs initiantur; *Hoc quod conficimus, Corpus ex Virgine est.* Et lib. 4. de Sacramentis cap. 4. *Vbi accedit consecratio, de pane fit Corpus Christi.* Idem Ambrosius sæpè comparat hanc consecrationem cum creatione, & cum formatione Christi in vtero Virginis; quæ sunt actiones substantiales. Similiter Damascenus lib. 4. de Fide cap. 14. Denique sanctus Gaudentius Tractatu 2. de Exodo, *Ipse naturarum creator & Dominus, qui producit de terra panem; de pane rursus, quia potest & promisit, efficit proprium Corpus; & qui de aqua vinum fecit, de vino Sanguinem suum facit.*

2. Probatur Ratione.

Probatur Secundò, Ratione. Prima est, Quia implicat contradictionem Corpus Christi poni in Eucharistia per solam actionem adductiuam, nisi deferat locum, qui est in cælo.

1. Quia implicat Christum per solã actionem Adductiuam poni in Eucharistia.

Quod Probatur; Quia actio adductiua solùm facit nouam præsentiam, seu nouum *vbi* in Corpore Christi, quod est modus quidam eius accidentalis; sicut *esse hic* vel *ibi*: Atqui nullus modus accidẽtalis, nullumúe accidẽs potest intelligi fieri in aliquo subiecto, nisi hoc subiectum priùs naturâ intelligatur præsens negatiuè, id est, indistans à loco, vel à spatio, vbi ille modus vel illud accidens datur; vt per se patet: ergo priùs naturâ Corpus Christi debet intelligi indistans à speciebus, vt possit sub ipsis positiuam quandam præsentiam, seu *vbi positiuum* accipere: ergo per aliquam actionem priorem debet ibi esse positum; ac proinde per actionem quandam productiuam; nulla enim alia fingi potest, si manet in cælo.

Confirmatur; Quia impossibile est intelligi aliquam vnionem inter aliqua duo, nisi priùs naturâ hæc intelligantur esse, & non distare: atqui præsentia positiua est veluti quædam vnio cum spatio, vel cum speciebus: ergo erit necesse vt priùs sint indistantia &c.

51 2. Quia per Adductionem non saluatur Transsubstantiatio.

Secunda Ratio est: Etsi poneremus hanc rationem ponendi Corpus Christi Domini in Eucharistia per actionem adductiuam esse possibilẽ, nullo tamen modo sufficeret præsenti mysterio. Quia per hanc actionem adductiuam non saluatur vera, & propriè dicta *Transsubstantiatio*; quam tamen fateri oportet iuxtà doctrinam Ecclesiæ Catholicæ; vt docet Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 4. Quod

Probatur Primò, Quia propriè dicta *Transsubstantiatio* est conuersio substantialis: atqui conuersio substantialis debet constare duabus mutationibus substantialibus; altera, quâ substantia desinat; altera, quâ alia substantia incipiat esse

vel simpliciter, vel secundùm nouam dependentiam; vt videre est in omnibus alijs conuersionibus substantialibus. Sicut enim substantia composita non constat, nisi ex substantijs, ita mutatio substantialis composita, qualis est *Transsubstantiatio*, constare debet mutationibus substantialibus. Quòd si terminus conuersionis solùm est nouum *vbi*, seu noua *præsentia*, illa mutatio est merè accidentalis ex parte termini ad quem; & nihil est aliud quàm motus localis acquisitus sine amissione: sicut cùm Angelus se extendit ad ampliorem locum, non amisso loco priore. Sed hoc est contra Concilium Tridentinum, quod affirmat *hanc conuersionem propriè, conuenienter, & aptissimè dici transsubstantiationem.* Rursus conuersio substantialis debet terminari ad substantiam, tamquam ad terminum suum formalem. Nec valet, si dicas, Ideò dici substantialem, quia substantia panis desinit. Nam omnis alia mutatio accipit nomen à termino *ad quem*, à quo etiam habet speciem; non à termino *à quo*, qui mutationi positiuæ merè est extrinsecus. Vnde non est ratio vlla, cur hæc conuersio dicatur *Transsubstantiatio* à termino à quo. Et Confirmatur, Quia alioquin erit propriè *Transsubstantiatio*, si substantia panis verteretur in colorem, vel in aliâ qualitatem Corporis Christi: quod per se absurdum est.

Vrgetur ex verbis Cõcil. Tridentini.

Probatur Secundò, Quia *Transsubstantiatio est conuersio totius substantiæ in substantiam*: vt expressè docet Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 4. At non rectè dicitur *conuerti substantia in substantiam*, si Corpus Christi solùm per actionem adductiuam ibi ponatur sub speciebus. Actio enim adductiua solùm mutat loca, non substantias rerum. Quod cõfirmatur; Quia alioqui, si Corpus Christi descenderet de cælo, & subiret species sacramentales, desinente ibi substantiâ panis, diceretur panis conuerti in substantiam Corporis Christi: quod per se absurdum est. Sic enim possemus dicere, cùm Dominus aquam conuertit in vinum, istud vinum non fuisse ibi productum, sed aliunde allatum, & loco aquæ substitutum. Similiter de virga Moysis, quando conuersa est in serpentem, non esse productum serpentem, sed aliunde allatum, & in locum virgæ substitutum: quod est contra sententiam Patrum. Vide D. Augustinum lib. 18. de Ciuitate cap. 18. vbi distinguit veras conuersiones, quæ virtute diuina fiunt, à falsis, quæ arte dæmonum.

Vrgetur ex verbis Concilij Tridentini.

Tertia Ratio est: Corpus Christi per actionē *Transsubstantiationis* non solùm accipit nouam præsentiam, seu nouum *vbi* sub speciebus; sed etiam modum quendã intrinsecum existendi, per quem postulat esse totum in singulis partibus spatij ipsatum specierum, sicut spiritus. Hic enim modus existendi distinctus est à præsentia, & est prior illâ, tamquam eius fundamentum. Sicut modus existendi extensè distinctus est à præsentia corporis. Ergo actio adductiua non sufficit; sed opus est alia priore, & sublimiore. Atqui hæc non potest esse, nisi productiua substantiæ Corporis Christi, & quasi replicatiua eiusdem esse. Confirmatur; Quia modus existendi diuisibiliter, & indiuisibiliter, sunt modi oppositi; sicut modus existendi per se, & in alio: ergo non possunt eidē substantiæ conuenire, nisi illa quod ãmodò virtute sit duplex, duplicem habens dependentiam substantialem.

52 3. Ratio contra Adductionē.

Quarta Ratio est: Si solùm per actionē adductiuam esset sub speciebus, per nullam potentiam posset conseruari in Eucharistia, si poneretur desinere, vt est in cælo. Atqui hoc omnino falsum est: quia tam *verè, realiter, & substantialiter est in Eucharistia*, quàm est in cælo: ergo sicuti potest desinere esse in Eucharistia, ita vt non desinat esse in cælo; ita vicissim diuina virtute fieri potest, vt desinat secundùm dependentiam primam, quam habet in cælo, sic, vt nõ desinat in Eucharistia. Sicut enim, vt est in cælo, non habet intrinsecã dependentiam à se, vt est in Eucharistia; ita vicissim, vt est in Eucharistia, non habet intrinsecam dependentiam à se, vt est in cælo. Ratio est, Quia est omnino idem corpus, habens vtrobique integrum influxum, & totalem dependentiam à Diuina virtute conseruante. 53 4. Ratio.

Instatur iterum ex verbis Concil. Trid.

Confirmatur; Quia vt rectè docet Scotus dist. 10. q. 4. quem plerique alij sequuntur; Deus poterat Christi Corpus ponere in Eucharistia ante Incarnationem; idque per eandē actionem, per quam modò ponitur: Sed tunc illa actio fuisset vera productio, terminata ad ipsam substantiam Corporis Christi: ergo & modò est vera actio productiua eandē vim habens. Quãuis non dicatur absolutè nunc *productio*; eò quòd Corpus Christi antèà existat: quod enim anteà erat, nõ propriè dicitur *produci*. Sed hoc ad modum loquendi pertinet. Scotus.

Dices, Corpus Christi habet veram præsentiã, seu verum *vbi* accidentale: ergo præter actionem, quæ terminatur ad eius substantiã, opus est actione adductiua, quę terminatur ad illã prę̃sentiam. Obiectio.

Respondeo Negando Consequentiam: Nam hæc præsentia consequitur necessariò ex eo, quòd actio substantialis productiua Corporis Christi determinetur per diuinam voluntatem ad certum locum, seu spatium. Sicut, quando condidit Deus terram, non opus erat alia actione, qua poneretur in hoc spatio, quàm actione creatiua, quæ ad substantiam eius terminabatur. Sicut enim operatio diuina, quæ foras prodit, necessario determinatur ad certum genus rerum, ita etiam ad certum spatium, in quo rem illam facit. Solutio.

DVBIVM II.

Quomodò differat hæc actio à creatione, seu actione creatiua?

REspondeo, Differt Primò, Quòd Creatio sit prima collatio ipsius esse, per quam res, ex nõ ente, fit ens; qua cessante, res relabitur in nihil. At hæc actiõ nõ est prima collatio eius esse, quod non erat; sed est iterata collatio eius, quod iam erat, & eiusdem esse noua dependentia. Vnde se habet potiùs per modum conseruationis, quàm creationis. Differt enim Conseruatio à Creatione, quòd Creatio sit prima positio ipsius esse connotans antè hoc instans rem non fuisse. Conseruatio autem est continuatio eiusdem esse post primum instans, & etiam eiusdem actionis. Nam Creatio, & Conseruatio propriè est eadem actio positiua: sed dicitur Creatio in primo instanti in quo est, Conseruatio toto reliquo tempore post illud instans. Itaque, cùm hæc actio non sit prima collatio ipsius esse, sed eiusdem esse continuatio, habet se per modum conseruationis; quamuis non sit propriè illa prima conseruatio, cùm non sit omnino eadem actio. 54 Prima differentia. Creatio & conseruatio, quid.

Differt

Secunda differentia.

Differt Secundò, Quòd creatio non habet terminum *à quo* positiuum, sed solùm negatiuum: est enim productio rei ex nihilo. Hęc autem actio habet terminum *à quo* positiuum, scilicet substantiam panis; nam ex pane fit Corpus Christi.

Aduerte tamen has differentias non ponere aliquem modum intrinsecum in hac actione, sed solùm extrinsecas denominationes, quæ tamen modum loquendi, plurimùm immutant. Nam quod Corpus Christi alibi existat, est extrinsecum huic actioni productiuæ: vt enim est alibi, non est terminus huius actionis, sed præexistit illi; ac proinde nullam intrinsecam connexionem cum eâ habet. Vnde hæc actio ita terminatur ad Corpus Christi, ac si alibi non esset. Similiter extrinsecum est huic actioni, quòd habeat terminum *à quo* positiuum: nam iste terminus nihil positiui cõfert huic actioni, cùm eo momento, quo actio est, terminus ille non sit: dum autẽ non est, non potest aliquid positiui conferre.

55 Soluuntur obiectiones.

Dices Primò, Si hæc actio, qua Christi Corpus ponitur in Eucharistia, non differt vi intrinseca à creatione: ergo quotidie Christi Corpus creatur, vel producitur.

Creatio & conseruatio, etsi quoad intrinseca cõueniant, differunt tamẽ connotato.

Respondeo Negando Consequentiam; Quia nomen creationis, & productionis, non solùm significat id, quod est intrinsecum actioni; sed connotat etiam aliquid extrinsecum; scilicet quod res illa antè non extet, quodque hæc sit prima collatio ipsius esse. Vnde cùm Corpus Christi ante extet, quando ponitur in Eucharistia non dicitur *creari*, sed accipere idem esse in altari, quòd habet in cælo, licet alio modo habeat. Sicut post primum instans, quo mundus cœpit esse, non ampliùs dicitur *creari* vel *produci*, sed *conseruari*; quamuis actio conseruatiua, quoad omnia intrinseca, sit eadem, ac creatiua.

Similiter, Si Corpus Christi fuisset in Eucharistia ante Incarnationem (quod fieri potuisse suprà num. 53. diximus ex Scoto & Gabriele:) quando postea fuisset formatum in vtero Virginis, non diceretur absolutè *produci*, vt rectè ijdem Auctores docent, sed solùm secundùm quid, scilicet secundùm modum essendi naturalem.

Quomodo dici possit *Christi Corpus creari* per consecrationem.

Si tamen Christi Corpus non esset alibi, per hanc actionem consecratoriam posset aliquo modo dici *creari*; quia inciperet esse, ex nulla præsuppositâ materia: tam enim efficax est hæc actio, vt productura sit ex nihilo Corpus Christi, si anteà non existat.

56

Dices Secundò, Si hæc actio esset productiua, sequeretur idem posse producere seipsum: nam Christus Corpus suum in Eucharistia ponit. Item sequeretur, verba consecrationis posse ponere Christi Corpus in Eucharistia, etiamsi non existeret in forma naturali: quod est contra veritatem verborum, *Hoc est Corpus meum*: nam pronomen, *meum*, significat *corpus existens*.

Respondeo ad primam sequelam; Implicat contradictionem, vt aliquid propriè se producat; non tamen implicat, vt aliquid iam existens, suum esse quodammodò replicet & multiplicet.

Si Christus nõ existeret in forma sua naturali, verba consecrationis nihil operarentur.

Ad secundam, Nego sequelam: Aliud enim est loqui de ipsa actione productiua, aliud de virtute verborum, quæ se habet instar actus primi, & potentiæ productiuæ. Nam actio illa ex essentia sua terminatur ad substantiã Corporis Christi; vnde posita illa actione necessariò Christi Corpus ponitur, tamquam eius formalis terminus: verba verò non habent ex essentia sua illam virtutem operandi, sed solùm ex ordinatione & concursu Dei. Deus autem non statuit concurrere cum verbis, nisi Corpus Christi existat naturaliter; vt colligitur ex ipsa verborum forma, & ex eo, quòd hoc mysterium mediante humanitate Christi sit institutum. Vnde si ponatur humanitas Christi non existere, Deus non concurret; & sic verba nullam habebunt vim productiuam. Itaque existentia Corporis Christi in Eucharistia, pendet ab existentia in forma naturali, non dependentiâ intrinsecâ, quæ ex natura rei proueniat, sed extrinsecâ, quæ ex ordinatione diuina, câque liberâ.

DVBIVM III.

Vtrùm Deus rem quamuis possit conuertere in aliam?

REspondeo, & Dico Primò, Nulla creatura potest conuerti in substantiam diuinam. Est communis Doctorum, præter Caietanum initio 3. partis q. 2. art. 1. & Ioannem Maiorem dist. 11. Probatur, Quia essentia diuina est prorsus immutabilis: atqui nihil potest esse terminus conuersionis sine aliqua sui intrinseca mutatione, quâ accipiat nouam aliquam dependentiam substantialem, vel saltem nouam præsentiam: nam actio conuersiua, cùm sit actio positiua, debet ponere aliquid positiuum & reale; non in termino *à quo*, quia hic omnino desinit esse; sed in termino *ad quem*, ac proinde in illo est aliqua mutatio. Confirmatur, Quia si nulla est in illo mutatio: ergo eodem prorsus modo nunc se habet, quo anteà; ac proinde non est ratio, cur in ipsum aliquid dicatur conuersum nunc potiùs, quàm anteà. 57 Creatura non potest conuerti in diuinam substantiã: & cur.

Obiectio.

Dices, Sufficit vt illa actio ponat aliquid positiuum circa creaturam. Sicuti in assumptione humanæ naturæ à Verbo, Verbum est terminus assumptionis sine sui mutatione, per mutationem humanæ naturæ. Confirmatur, Quia si Verbum diuinum assumeret naturam humanam anteà existentem in propria hypostasi, humana persona cõuerteretur in personam diuinam, sine mutatione diuinitatis. Respondeo, Hoc quidem aliquo modo sufficere ad vnionem hypostaticam, nullo tamen modo ad conuersionem: nam id, in quod fit conuersio, debet esse terminus formalis actionis conuersiuæ; ac proinde in ipso debet esse ipsa mutatio. Ibi autem tota mutatio est in creatura: nam naturam humanã existere in se, & existere in alio, sunt termini oppositi, afficientes naturam humanam, & in ea inuicem succedentes. Verbum autem diuinum non est terminus conuersionis, nisi valdè extrinsecè, quatenus est terminus vnionis, ad quã per se primò tendit illa conuersio.

Solutio.

Verbum diuinum minùs potest esse terminus conuersionis, quã vnionis hypostaticæ.

Dico Secundò, Quæuis res creata, quæ per se aliquam entitatem habet, potest in aliam aliquo modo conuerti virtute diuina. Est serè cõmunis Doctorum, præter Durandum. Vide D. Thomã, hoc loco ad 3. & Scotum dist. 11. qu. 1. & 2. Vbi tamẽ aduerte semper debere aliquid manere eius, quod dicitur in aliud conuerti (nempe materiam eius, vel formam, vel accidens) sub quo hæc conuersio fiat. Si enim totum desinat, & aliud substituatur, non est ratio, cur hoc dicatur conuersum in illud. 58 Quæuis res creata videtur in aliam posse conuerti.

Quibus modis res corporales possint cõuerti in res corporales.

Nunc explicatur & probatur Propositio. Res enim corporales possunt conuerti in alias corporales, vel secundùm totam suam substantiam, sicut panis in Corpus Christi. Vel secundùm formas, sicut fit in conuersionibus naturalibus, quando vna forma substantialis per actionem productiuã succedit alteri in eadem materia. Tunc tamen necesse est, vt materia rei, quæ conuertitur, sit capax formæ rei, in quam rem conuertitur, vel naturaliter, vel diuina virtute. Si enim nullo modo sit capax, non poterit fieri talis cõuersio: vnde lapis non posset sic conuerti in cælum; posset tamen cælestis forma poni loco formæ lapidis absque informatione: sed tunc hæc mutatio non esset conuersio lapidis in cælum, sed veluti transsubstantiatio formæ lapidis in formam cæli. Vel denique ratione materiæ, manente cãdem formâ, sub quâ fiat conuersio: vt si lapis vnus ratione materiæ verteretur in alium, posita alia materia sub forma huius per actionem productiuam. Hîc tamen materia illa debet esse capax illius formæ, sub qua succedit; alioquin non erit conuersio compositi in compositum; sed solùm materiæ in materiam, veluti per transsubstantiationem.

Spiritus in corpus cõuerti potest: vel contrà.

Pari modo corpus in spiritum conuerti potest conuersione totali: vt si spiritus actione productiua ponatur sub accidentibus panis, sicut Corpus Christi sub illis ponitur. Similiter spiritus in corpus mutari potest: vt si corporalis substantia producatur sub accidentibus spirituum siue cum aliqua vnione ad ipsa accidentia, siue sine vnione: quod etsi difficile sit intellectu, tamen non videtur implicare. Denique similibus modis substantia in accidens, & accidens in substantiam verti potest.

ARTICVLVS V.

Vtrùm remaneant accidẽtia panis & vini post conuersionem?

59 Respondetur affirmatiuè, vt patet experientia. Vide D. Thomam, qui habet tres causas huius rei.

Accidentia sensibilia manent in Eucharistia.

Notandum est, Certum esse, manere omnia accidentia panis & vini, quæ vllo modo sensibus deprehendi possunt; id enim necessarium erat ad occultandum hoc mysterium: alioqui ratione naturali potuisset deprehendi: quod multum merito fidei detraheret.

Item Accidentia non sensibilia.

Vtrùm autem remaneant alia quædam accidentia occulta, quæ nullo modo sensibus deprehendi possunt, non est ita certum. Valdè tamen probabile est remanere omnia, quæ à substantia panis & vini realiter sunt distincta; id enim magis consentaneum tum rationi, tum modo loquendi Patrum & Conciliorum. Vide Ferrariensem lib. 4. contra gentes cap. 65.

Modi substantiam afficientes non manent.

Modi tamen, qui immediatè substantiam afficiunt, non manent; vt sunt præsentia substantiæ, propinquitas ad locum, vnio cum speciebus, relationes &c.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm facta consecratione remaneat in hoc Sacramento forma substantialis panis?

Respondetur negatiuè. Vide D. Thomam. Nota tantùm, quòd secunda eius ratio firma non sit.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm illa conuersio fiat in instanti?

Respondetur affirmatiuè. Probatur tribus rationibus. Primò, Quia substantia panis desinit in instanti; & similiter Corpus Christi incipit ibi esse in instanti: ergo tota conuersio fit in instanti. Probatur Consequentia; Quia hæc conuersio constat desitione panis, & inceptione Corporis Christi. Secundò, Quia in hac conuersione non est aliquod subiectum, quod successiuè præparetur. Tertiò, Quia perficitur virtute infinita, quæ in instanti operatur. Vide D. Thomam. 60

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm hæc sit falsa, Ex pane fit Corpus Christi?

Respondetur, Hanc esse propriè veram. Vide D. Thomam. Quod ad modum loquendi attinet, Notandum Primò, Eas propositiones, quæ solùm significant transitum vnius in alterũ, seu successionem terminorum, esse propriè veras: vt, *Ex pane, & vino fit Corpus, & Sanguis Christi.* Præpositio enim *Ex* latissimè patet; & solùm indicat terminum *à quo*, siue intrinsecum, siue extrinsecũ. *Mundus fit ex nihilo. Dies ex nocte.* 61 Notabilia quædam circa modũ loquendi in hoc Mysterio.

Notandum Secundò, Eas propositiones, quæ denotant subiectum, vel causam materialem, esse improprias: vt, *De pane fit Corpus Christi. De* enim significat consubstantialitatem: vnde debet hîc accipi pro *Ex*. Similiter, *Panis fit Caro Christi*, est impropria; quomodo interdum loquuntur Patres: vbi *fit* accipitur vt idem fit, quod *transit in Corpus Christi.*

Notandum Tertiò, Propositiones, quæ significant aliquid commune vtrique termino permanere, sumuntur impropriè; nempe non pro re indiuidua, sed vagè pro re contenta sub speciebus, vel pro hoc sensibili: vt, *Panis & vinum post consecrationem sunt verum Corpus & Sanguis Christi*, vt dicitur in Canone, *Ego Berengarius*, de Consecratione dist. 2. vbi *panis*, & *vinum* non accipitur pro hac indiuidua substantia, sed pro contento sub speciebus vagè, vel pro hoc sensibili.

QVÆ-

QVÆSTIO LXXVI.

De modo quo Christus est in hoc Sacramento.

In Octo Articulos diuisa.

ARTICVLVS I. & II.

Virùm totus Christus sit in hoc Sacramento sub vtrauis specie?

1 Responsio est affirmans, & de fide.

REspondetur, Totus Christus, scilicet Corpus, Sanguis, Anima, Vnio hypostatica, & Diuinitas, siue Verbum, existit sub specie panis, & sub specie vini. Est fide tenendũ.

Ex Script.

Probatur Primò, Ex Scriptura Ioannis 6. vbi Dominus ait, *Ego sum panis viuus. Qui manducat me, ipse viuet propter me*: ergo totus Christus est panis in Eucharistia.

Ex Concil.

Probatur Secundò, Ex Concilijs. Primò, Ex Concilio Ephesino apud D. Thomam. Secundò, Ex Concilio Constantiensi sess. 13. *Firmissimè credendum integrum Christi Corpus, & Sanguinẽ tam sub specie panis, quam sub specie vini, veraciter contineri.* Tertiò, Ex Concil. Florent. *Totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini.* Quartò, Ex Tridentino sess. 13. can. 3. *Si quis negauerit in venerabili Sacramẽto Eucharistiæ, sub vnaquaque specie, & sub singulis cuiusque speciei partibus separatione facta totum Christum contineri, anathema sit.*

Ex Patrib.

Probatur Tertiò, Ex Patribus, qui docent Christum esse in hoc Sacramento, in eoque sumi; & hoc Sacramentum esse adorandum: Carnem quoque & Sanguinem Christi in hoc Sacramẽto habere vim viuificatricem, propter vnitam diuinitatem. Vide Cyrillum Catechesi 4. Ambrosium cap. 9. de ijs, qui Mysterijs initiantur.

Ratio assertionis.

Ratio est, Quia diuinitas numquam fuit separata à Carne vel Sanguine Christi, ex quo illa assumpsit. Anima quoque & Sanguis non ampliùs separabuntur à Corpore post eius resurrectionẽ. Vbicunque ergo Corpus Christi est, ibi etiam oportet Sanguinem, Animam, & Diuinitatem esse vnitam: & similiter vbi Sanguis, ibi etiam oportet Corpus, Animã, & Diuinitatem vnitam esse: hęc enim nunquã ampliùs debent separari: *Christus* enim *resurgens ex mortuis, iam non* ampliùs *moritur*, ad Rom. 6. v. 9. Ita Concilium Trident. sess. 13. c. 3. Quod vt melius intelligatur:

2 Quid sit, esse in hoc Sacramẽto *ex vi Verborum*, vel *Concomitanter*.

Notandum est ex communi sententia Doctorũ, & ipsius Concilij loco citato, dupliciter aliquid esse in hoc Sacramento. Primò, *Ex vi verborum*, seu *ex vi Sacramenti*: nempe id, cuius præsentia necessaria est ad verborum veritatem. Sic sub specie panis est solùm Corpus, non autem Sanguis, quidquid dicat Scotus. Corpus enim humanum præcisè consideratũ, vt præscindit à viuo & mortuo, non includit sanguinem, etsi viuum includat. Sub specie autem vini est tantùm Sanguis. Secundò, *Concomitanter*, scilicet id, quod necessariam connexionẽ habet cum corpore vel sanguine. Sic sub specie panis est Sanguis, Anima, & Diuinitas hypostaticè vnita: sub specie vini est Corpus, Anima, Diuinitas: & vtrobique corporis & animi accidentia inseparabilia. Vnde sequitur, si Apostoli in triduo mortis consecrassent, sub specie panis non fore nisi Corpus, & Diuinitatem; sub specie vini Sanguinem & Diuinitatem.

3 Potest Deus in Sacramẽto ponere seorsim Corpus sine Sanguine, &c.

Hic tamen aduerte Primò, Hanc concomitantiam non esse talem, vt per diuinam potentiã hęc seorsim poni nequeant: quamuis enim partes Domini numquam ampliùs sint separandę in cælo, & in formâ naturali; posset tamen Deus sub specie panis seorsim ponere Corpus, sine Sanguine, & Animâ; & sub specie vini seorsim Sanguinẽ, sine Corpore, & Animâ; atque etiam sine vnione hypostaticâ. Ratio est, Quia etsi vnum ex ijs replicetur; non est necesse replicari alterum, sine quo illud potest existere. Sicut, etsi Christus in cælo habeat extensionem secundùm locum, tamen in Sacramento non habet.

Ea quæ directè, & quę concomitanter ponuntur in Eucharistia, ponuntur alia & alia actione.

Aduerte Secundò, Ea quę directè, & quæ concomitanter ponuntur in Eucharistia, non eãdem simplici actione poni: cùm enim sint res distinctę, necesse etiam est distinctis actionibus, quę intrinsecè ad illas terminentur, replicari. Alia igitur est actio, quâ Corpus ibi ponitur; alia, quâ Sanguis; alia, quâ Anima; alia, quâ Vnio hypostatica: etsi hæ omnes quodãmodò vnam actionẽ componãt.

Obiectio.

Dices, Quomodo ergo dicuntur Sanguis, & Anima esse sub specie panis per concomitantiam, cùm ex naturâ actionis, quâ ibi ponitur Corpus, non necessariò comitentur? Respondeo, Ex ordinatione diuinâ: quia statuit Deus, vt nullo vnquam in loco post resurrectionem Corpus à Sanguine, vel Anima, vel Diuinitate separetur; sed hæc semper & vbique sint coniuncta: id enim tùm naturis rerũ, tùm dignitati Corporis Christi erat consentaneum, quod postulat, vt vbique sit *viuum, viuificum, & perfectum. Viuum*, per Animam: *Viuificum*, per Diuinitatem vnitam: *Perfectum*, omnibus suis partibus & ornamentis. Vnde vbicumque ponitur Christi Corpus, ibi etiam ponitur simul per admirabilem illam actionem Anima, Sanguis, & Vnio hypostatica; imò etiam spiritus vitales, & animales, & alia intra Christi Corpus in cælo contenta, quæ ad eius perfectionem & operationes sunt necessaria.

Solutio.

DVBIVM I.

Quid præcisè includit Corpus, quatenus est hic ex vi verborum?

4 *Corpus* hîc nec est sola materia, nec sola materia cum forma Corporeitatis.

SVppono, Non includere solam materiam, vt quidam dixerunt: quia materia non est corpus humanum, aut humana caro. Atqui corpus hîc accipitur pro corpore humano, & carneo. Neque etiam solam materiam cum forma corporeitatis: tùm quia talis forma, quâ prę cisè dicitur esse corporeum, non est: tùm quia, etsi esset, non sufficeret ad corpus humanum. Neque etiam includit animam, quatenus dat esse corporeum: quia Concilium Trident. sess. 13. cap. 3. expresè docet, *Animam ibi esse, non ex vi verborum, sed solùm per concomitantiam.*

5 1. Opinio docet Corpus hîc includere formam substantialem, quatenus dat esse humani corporis.

His positis: Sunt duæ præcipuæ sententiæ: Prior est, Corpus ibi non includere animam, sed formam substantialem, quatenus dat esse humani corporis: hanc autem formam præscindere secundùm se ab animâ humanâ, & formâ cadaueris: tamen in re esse alterutram. Ita pleriq; Thomistæ.

Refutatur.

Sed contrà; Forma substantialis sic abstractè considerata, non est producibilis; nam omnis productio necessariò terminatur per se primò ad aliquod individuum certæ speciei: sed forma substantialis sic præcisè considerata, non est certæ speciei, nec individua: ergo non est producibilis: ergo non est hîc ita præcisè ex vi verborum.

Respondent; Aliud est esse in Eucharistia *ex vi verborum*; aliud esse ibi *ex efficaciâ verborum*: nam *esse ibi ex vi verborum*, nihil est aliud, quàm *esse ibi quia veritas verborum id præcisè postulat*: *Esse autem ibi ex efficacia verborum*, est, *esse per actionem realem verborum*. Vnde dicunt *ex vi verborum esse ibi Animam*, vel *formam cadaueris*, non secundùm rationẽ specificam; sed præcisè vt constituit *corpus humanum*; tamen *ex efficacia verborum*, *esse ibi totam animam secundùm omnes suos gradus*; vel *totam formam cadaueris*.

Verba Sacramentorũ id efficiunt solũ, quod significant.

Sed contrà Primò, Quia verba id solùm efficiunt, quod significant; nam tota ratio efficiendi est ipsa significatio: ergo, si anima vt anima, non est ibi *ex vi significationis verborum*, neque etiam erit *ex efficaciâ verborum*; quia *efficacia* non potest se extendere vltra *significationem*; alioqui etiam vnio hypostatica esset hîc *ex vi verborum*. Secũdò, Quia non est aliquis gradus genericus communis animæ & formæ cadaueris, quo constituatur corpus humanum: nam corpus humanum viuum & mortuum æquiuocè dicitur; nec in aliquo genere propinquo conueniunt. Tertiò, Quia hinc sequetur nomen corporis æquiuocè accipi in forma consecrationis: nam non accipitur pro corpore viuo vel mortuo determinatè; sed indifferenter, vt extendit se ad vtrumque. Vnde vlteriùs sequitur, non idem corpus per consecrationem esse modò in Eucharistia, quod olim fuisset in triduo mortis, si Apostoli tunc consecrassent. Et, non esse idem, quod olim iacuit in sepulchro. Quod est contra Ambrosium lib. de his qui Mysterijs initiantur cap. 9. Denique sequitur, transsubstantiationem, quæ nunc fit, esse diuersæ speciei ab eâ, quæ facta fuisset in triduo mortis.

6 Verior sentia est, corpus solùm includere formas partiales partium heterogenearũ.

Altera igitur sententia, quæ verissima videtur, est: Corpus solùm includere formas partiales partium heterogenearũ; vt formam ossis, carnis, nerui, cartilaginis, cerebri, iecoris, cordis; & reliquarũ. Probatur, Nam certũ est Corpus Christi, vt est in Sacramento ex vi verborũ, constare carne, osse, neruo, &c. Ioannis 6. præcisis hisce à ratione viui & mortui. Atqui caro, os, cerebrum, &c. nõ videntur solis accidentibus differre, sed etiam formis quibusdam substantialibus, imperfectis tamen, & præparatorijs ad formam sublimiorem, scilicet animam; vt docent omnes Medici, quibus hac in re est maximè credendum. Nam corpus humanum non solùm animæ est receptaculum, sed etiam instrumentum: ergo has formas includet. Quæ sententia longè dignior est Corpore Christi, quàm altera, quæ formam cadaueris introducit; quam etiam dicit hypostaticè vnitam in triduo mortis; & futuram fuisse in Sacramento, si quis Apostolorum in triduo mortis celebrasset. Simili modo sanguis formam suam habet, qui hîc est ex vi verborum.

Caro, Ossa, &c. differũt formis substantialibus imperfectis.

Petes, Vtrùm Sanguis hîc sit per modum continui, an discreti? 7

An Sanguis in Sacramento sit per modum continui, an discreti.

Respondeo, Nunc Sanguinem, tam sub specie panis, quàm sub specie vini, esse diuisum secundùm distinctionem venarum & arteriarum, quibus in Corpore Domini continetur. Ratio est, Quia non est extra naturalia sua vasa. Quòd si in triduo mortis facta fuisset consecratio, quando Sanguis varijs locis sparsus erat, credibile omnino est, illum Sanguinem futurum fuisse per modum continui; quia fuisset extra naturalia sua vasa, quibus separatur. Locorum autem externorum distinctio non necessariò debuisset seruari; quia loca ipsa non erant ponenda in Eucharistia. Simile fuisset in particulis Corporis, si ante Incarnationem hoc mysterium fuisset institutum. Etsi enim particulæ illæ infinitis locis extra Sacramentum dispersæ fuissent, tamen eædem particulæ in Sacramento fuissent continuæ & vnitæ.

DVBIVM II.

Vtrùm Verbum diuinum sit in Eucharistiâ per concomitantiam, an ex vi verborum?

8 Affirmatur.

Respondeo; Per concomitantiam. Colligitur ex Concilio Trident. sess. 13. cap. 3. vbi insinuatur solum Corpus esse sub specie panis; & solum Sanguinem esse sub specie vini ex vi verborum; cetera vi connexionis cum his. *Diuinitas*, inquit, *ibi est propter admirabilem eius cum corpore, & anima hypostaticam vnionem*; vbi per *diuinitatem* intelligit ipsum *Verbum diuinũ*, quod per se primò vnitur corpori & animæ. Quòd si diuinitas est ibi solùm ob vnionem cum corpore, & anima: ergo non ex vi verborum, sed ob connexionem, quam habet cum eo, quod ibi est ex vi verborũ: ergo concomitanter.

Vrgetur ex verbis Conc. Trident.

Obiectio.

Dices, Verbum diuinum ait; *Hoc est Corpus meus*: ergo significat expresè hoc *Corpus* esse vnitũ hypostaticè Verbo: ergo Verbum est ibi ex vi verborum consecrationis.

Solutio.

Respondeo, Si ita expresè dixisset: *Hoc est Corpus mihi hypostaticè vnitum*; vel *Hoc est Corpus Filij Dei*; non esset dubitandum, quin *diuinitas* hîc esset ex vi verborum; nam proprietas verborum postularet, vt *Corpus*, quatenus est in Eucharistia, sit vnitum *diuinitati*. At non ita dixit, sed solùm: *Hoc est Corpus meum*; per quod tantummodò significatur identitas *Corporis*, quod est in Eucharistiâ, cum eo quod in formâ suâ naturali est vnitum *Verbo*; non autem quòd illam vnionem etiam habeat in Eucharistiâ: nam etsi poneremus in Eucharistiâ non esse vnitum *Verbo*; tamen verum erit dicere: *Hoc est Corpus meum*.

9 Pater & Spiritus S. etiam concomitãter in hoc Sacramento sunt.

Hinc colligitur etiam Patrem & Spiritum sanctum esse in hoc Sacramento concomitanter; sed concomitantiâ mediatâ; quia ex vi connexionis cum diuinitate Verbi, & ipso Verbo. Sicut enim Verbum diuinũ est ibi peculiari modo ex vi connexionis cũ Corpore Christi, quæ est concomitantia immediata; ita Pater & Spiritus sanctus sunt ibi peculiari modo ex connexione cum Verbo in diuinitate; quæ est concomitantia mediata. Omnia tamen hæc ibi verissimè sunt, & perfectissimè.

ARTI-

ARTICVLVS III.

Vtrùm totus Christus sit sub qualibet parte specierum panis, & vini?

10 Christus est totus sub qualibet particulâ post diuisionẽ.

RESpondeo breuiter, & Dico Primò: Totus Christus est sub quâlibet particulâ specierũ panis, & vini; saltem post fractionem seu diuisionem ipsarum. Est fide tenenda. Probatur ex Concilio Florẽtino, *Sub quâlibet quoque parte hostiæ consecratæ, & vini consecrati, separatione facta, totus est Christus.* Concilium Trident. sess. 13. cap. 3. *Qua propter*, inquit, *verissimum est, tantundem sub altera specie, atque sub vtraque contineri. Totus enim & integer Christus sub panis specie, & sub quâuis ipsius speciei parte: totus item sub vini specie, & sub eius partibus existit.* Can. 3. *Si quis negauerit, sub singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta totum Christũ contineri, anathema sit.* Idem docet Hilarius Papa apud Gratianũ de Consecratione dist. 2. Canone. *Vbi pars est Corporis, ibi & totum. Eadem ratio est in Corpore Domini quæ in Manna, quod in eius figurâ præcessit, de quo dicitur, qui plus collegerat, non habuit amplius: non enim est quantitas visibilis in hoc æstimanda mysterio, sed virtus Sacramenti spiritalis.* Et ibidem Augustinus Canone *Singuli autem totũ accipiunt Christum Dominum; & in singulis portionibus totus est; nec per singulos minuetur, sed integrum se in singulis præbet.* Eucherius Lugdunensis homil. 5. Paschatis: *Corpus Christi tantum est in exiguo, quantũ esse constat in toto: quod cum Ecclesiâ fidelium sumit; sicut plenum est in vniuersis, ita integrum in singulis.* Denique Auctor quidam Græcus apud D. Thomam in Catenâ Luc. 22. *Totum Corpus & Sanguinẽ suscipit, etiamsi mysteriorum partem accipiat. Nam sicut vnum sigillum diuersis suam figuram impartitur, & integrum manet post distributionem: & sicut vna vox penetrat ad multorum auditum: sic nulli dubium sit Corpus & Sanguinem Domini in omnibus reperiri.* Vide Guitmondum lib. 1. de Eucharistiâ, paginâ 2. & sequentibus; vbi id docet ex similitudine vocis, & animæ rationalis.

Floretinũ.

Trident.

Hilarius Papa.

Augustin.

Eucherius.

Auctor Græcus.

Guitmondus.

Ratio.

Ratio est, Quia Christus est in hoc Sacramento per modum substantiæ spiritalis & inextensæ, sicut anima in corpore: ac proinde necessariò totus manet sub singulis portiunculis, præsertim, cùm non desinat ibi esse, quamdiu species saluæ consistunt, seu quamdiu substantia panis non desijsset.

11 Christus ante diuisionem, est sub quâuis particulâ.

Dico Secundò, Totus Christus etiam est sub quauis particula specierum, quantumuis exigua, antè diuisionem. Est certa hæc propositio, licet non de fide, quia non est expressè definita. Contrarium tamen censendum est temerarium, & errori proximum. Colligitur ex Concilio Trident. sess. 13. cap. 3. vbi nõ meminit separationis. Et tenent omnes Doctores, præter Albertũ dist. 13. art. 11. qui videtur sentire Christum esse sub totâ hostiâ ante diuisionem, non autem totum sub singulis partibus: verùm diuisâ hostiâ, subitò totum incipere esse sub singulis particulis diuisis. Sicut in speculo integro vna tantum apparet imago; sed eo fracto tot apparent, quot sunt fragmenta.

Negat Albertus.

A simili.

Probatur conclusio.

Sed Probatur Primò, Si non est totus sub singulis partibus ante diuisionem, ergo neque post. Nam diuisio sola non potest eum constituere, vbi non erat; cùm sit actio, quæ etiam à bestia fieri potest. Neque valet illa similitudo allata de speculo: nam fracto speculo, etiam diuiditur reflexio radiorum; vnde pro vnâ magnâ imagine apparent multæ paruæ. At Christus non diuiditur per diuisionem hostiæ; nec est maior sub magna hostia, quàm sub parua.

Ab indecenti.

Probatur Secundò, Si non est totus in singulis particulis, ergo vnum membrum erit in hac parte, aliud in illa; v. g. Caput in superiore, pedes in inferiore; ac proinde versâ hostiâ sequetur indecens motus & situs Corporis Christi. Itẽ diuisâ hostiâ pars à parte distrahetur: sicut in omnibus fieri videmus, quæ partibus suis per aliud diffusa sunt.

Probatur Tertiò, Cùm partes hostiæ sint homogeneæ, & eiusdem rationis, nulla est ratio, cur potiùs caput sit in hac parte, quàm in illa: ergo est in omnibus. Idem dicendum de pectore, pedibus, & ceteris. Ergo omnes partes Corporis Christi sunt in singulis particulis hostiæ.

Ex vi conuersionis.

Probatur Quartò, allata ratione: Quia ex vi conuersionis, Corpus Christi est vbicunque fuit aliquid substantiæ panis: nam tota substantia panis conuertitur in Corpus Christi: quare necesse est, vt Corpus Christi succedat sub omnibus particulis specierum, sub quibus antè erat substantia panis. Atqui substantia panis erat sub minutissimis quibusque: ergo ibi iam est Corpus Christi.

Et ex modo existendi.

Quòd verò etiam totum sit ibi, probatur ex modo existẽdi: nam existit ibi indiuisibiliter, per modum substantiæ spiritalis; sicut Angelus vbicumque est, totus est. Vnde vlteriùs sequitur, manere totum etiam post separationem partium: nam ita manet, sicut mansura erat substantia panis, in cuius locum succedit: atqui substantia panis mansura erat, donec species corrumperentur: ergo tam diu etiã manere debet Corpus Christi.

Dices, Ergo Christus est infinities in hoc Sacramento; & habet infinitas præsentias. Patet sequela, quia nullus est determinatus numerus particularum panis: nam in homogeneis non dantur minima naturalia coniuncta: nulla enim est pars panis tam parua coniuncta toti, quin sub minore existat forma panis.

Christus potest dici in Eucharistia esse infinities.

Respondeo, Admitto totum, esse infinities. Id enim quodammodò commune est omnibus rebus indiuisibiliter in aliquo loco diuisibili existentibus; vt Angelo, & animæ rationali. Est tamen discrimen, quòd etsi Angelus quodammodò sit infinities præsens, illæ tamen præsentiæ sunt solùm veluti partiales, & inadæquatæ; nec possunt naturaliter diuidi in plures totales: præsentiæ autem Christi, quibus præsens est singulis particulis speciei panis & vini, sunt diuisibiles in præsentias totales & adæquatas: nam facta diuisione hostiæ, totum Corpus Christi habet adæquatam, & perfectam præsentiam in vtrâuis parte. Hæc tamen diuisio non potest naturaliter fieri in infinitas præsentias totales; quia deueniretur tandem ad partes tam exiles specierum, vt sub eis non posset substantia panis seorsim conseruari. Vide lib. 12. de Perfect. diuinis c. 16. n. 126.

Differẽtia inter præsentiam Angeli in loco, & Christi in Eucharistia.

12 Christus etiam est hic sub singulis punctis specierum.

Dico Tertiò, Totus Christus nõ solùm est sub singulis particulis hostiæ, sed etiam sub singulis punctis, & terminis indiuisibilibus; quamuis cum nonnullo discrimine.

Probatur Primò, Quia Christi Corpus in singulis partibus existit indiuisibiliter, sicut Angelus in corpore assumpto, & anima in corpore humano: atqui hæc existunt tota in singulis punctis: ergo etiam Corpus Christi.

Secundò, Quia Corpus Christi habet præsentiam continuã per totas species intimè diffusam: ergo singulis punctis specierum respondet intimè aliquid præsentiæ Christi; ac proinde totum Corpus Christi: nam vbi est aliquid eius, ibi est totum; cùm sit modo indiuisibili.

Dices, Sub puncto specierum non erat substantia panis, cùm hæc necessariò sit extensa; sed solùm punctum substantiæ, qui est modus substantialis: ergo ibi non est Corpus Christi.

Respondeo Negando Consequentiam: Hinc enim solùm sequitur, Corpus Christi non esse sub singulis punctis præcisè ex vi conuersionis, & præsentiâ adæquatâ; non tamen sequitur, quin possit ibi esse ratione modi indiuisibiliter existendi, & inadæquatè. Nam quidquid existit indiuisibiliter, hoc ipso quo continuè existit sub aliquo toto, necesse est, vt non solùm sub omnibus partibus, sed etiam sub omnibus punctis existat. Hæc tamen existentia non est adæquata; quia non potest existere sub solo puncto; sicut nec anima potest existere in solo brachio, quamuis ibi sit tota: quò fit, vt nec punctum, nec superficies hostiæ possit seorsim consecrari, quamuis singulæ particulæ possint.

13 Christus aliter sub punctis, aliter sub partibus continetur.

Hinc patet, Aliter esse sub punctis, aliter sub partibus. Nã sub singulis partibus est directè ex vi conuersionis: omnis enim particula panis, est panis; ac proinde conuertitur in totum Corpus Christi. Deinde est ibi adæquatè: nam sub singulis potest seorsim conseruari, sub quibus substantia panis conseruari poterat. Sub punctis autem solùm est concomitanter, nempe propter modum existendi indiuisibiliter & continuè per totas species.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm quantitas dimensiua Corporis Christi sit in hoc Sacramento?

14 1. Opinio Durandi.

SVnt tres sententiæ. Prima est Durandi dist. 10. quæst. 2. qui, cùm distinguat quantitatem realiter à re quantâ, putat esse probabile, Corpus Christi esse in Eucharistia sine suâ quantitate, ceterisque accidentibus quantitatem comitantibus; vt colore, figura, &c.

Ratio ipsius est, Quia Corpus Christi est in Sacramento, non per modum quantitatis, sed per modum substantiæ: atqui substantia ex se non requirit quantitatem; quin potiùs per eam impeditur, ne sub alia quantitate possit existere: nam vna quantitas excludit alteram. Addit tamen; licet Corpus illud careat quantitate in Sacramento; non tamen carere reali inhærentiâ quantitatis, quę est in cælo.

2. Opinio Occami.

Altera est Guil. Occam in 4. q. 4. & in Tractatu de hoc Sacramento cap. 29. & Gabrielis in Canonem lectione 43. qui docent quantitatem non distingui reipsa à re quâtâ; sed esse duntaxat illius quendam modum, scilicet extensionem in spatio; qui modus etiam reperiatur in accidentibus. Vnde dicũt in Sacramento Eucharistiæ esse totum Corpus Christi cum omnibus accidentibus, quæ sunt res quædam distinctæ; non tamen cum modis, qualis est quantitas. Quare ibi esse sine quantitate. Partes autem Corporis Christi sese penetrare, sic tamen vt seruentur integra organa, cum suis dispositionibus necessarijs.

3. Communis.

Tertia Sententia est communior Doctorum, in Eucharistiâ esse totam quantitatem Corporis Christi. Ita D. Tho. hîc. Scotus dist. 10. q. 1. Bonauentura, Richardus, Paludanus dist. 10. vel 13.

15 Christus hîc non habet actualem extensionem.

Dico Primò, Si quantitas accipiatur pro actuali extensione Corporis Christi, vel accidentium corporalium, sicut videntur accipere Gabriel & Occam; sic haud dubiè quantitas dimensiua Corporis Christi non est in hoc Sacramento. Patet, quia Corpus Christi est hîc modo indiuisibili, nõ extenso, vt dictum est: ergo ille modus extensionis, quem habet in cælo, non est hîc.

Quid propriè sit Quantitas.

Notandum tamen, hanc actualem extensionem impropriè dici quantitatem; nam infinitis modis variari potest manente eâdem quantitate; vt patet, cùm quis ceram nunc in longum protrahit, nunc in planum, nunc in rotundũ format. Quantitas enim propriè, vel est accidens aliquod realiter distinctum à re quantâ, illam intrinsecè ita disponens, vt postulet naturaliter habere partem extra partem: vel certè, est ipsa rei entitas, vt apta extendi, sic vt naturaliter extensionem postulet.

16 Est hîc cũ tota magnitudine sui Corporis, sed modo indiuisibili.

Dico Secundò, Certum est totam magnitudinem, seu molem Corporis Christi esse in Eucharistiâ; sed modo indiuisibili, sic vt Sacramentalibus speciebus non coëxtendatur; sed tota sit sub singulis partibus earum; siue hæc moles sit quid distinctum à re quanta, siue non.

Probatur Primò, Quia Concilium Trident. sess. 13. cap. 3. & can. 2. docet sub speciebus panis non solum esse Corpus Christi, sed etiam Sanguinem, Animam, & Diuinitatem, idque, propter naturalem concomitantiam seu vnionem cum corpore: ergo cùm similiter quantitas molis naturalem habeat vnionem cum Corpore Christi, (nam vel est ipsum corpus, vel accidens eius inseparabile) necessariò debebit ibi esse. Secundò, Corpus Christi in Sacramento nunc est viuens & animatũ: ergo suis organis, & necessarijs dispositionibus distinctum; quæ distinctio, & dispositio sine quantitate esse nequit. Sed maxima difficultas est, vt hoc mente concipiatur. Vnde

17 Esse cum tota sua mole in puncto.

Dico Tertiò, Molem Corporis Christi existere in puncto, non per condensationẽ, neque propriè per penetrationem partium mutuam; sed per hoc, quòd omnes partes, diuinâ virtute, quasi confluant in punctum, sine penetratione, aut condensatione; sed altiori modo.

Non tamẽ per Condensationem.

Ac primum, quod condensatio hîc locum non habet: Patet, quia postulat extensionem. Condensatio enim est, dum multum materiæ est sub extensione exigua. Deinde, condensatio mutaret partes Corporis Christi contra naturam. Nam cerebrum, v.g. fieret multò densius, quàm patiatur naturalis dispositio: similiter ceteræ partes, vt pulmo, &c.

Nec per Penetrationem.

Pari ratione nec penetratio hîc locum habet: Tum quia non potest esse sine extensione partiũ, quæ nullo modo hîc admitti potest, vt suprà ostensum est: Tùm quia vna replicatio penetraret alias

ret alias infinitas in eâdem parte hostiæ; nam in singulis particulis hostiæ necesse est totum Corpus Christi reperiri. Tùm denique, quia concipi potest alius modus magis spiritalis, & dignus tanto mysterio: qui explicatur hac similitudine. Sicut anima rationalis, etsi indiuisibiliter existat; tamen configurat se corpori humano per totum diffusa, & etiam in extremitatibus existens: tamen separata confluit in punctum, retinens eandem configurationem veluti in radice. Ita diuinâ virtute corpus humanum potest, veluti confluere, & se contrahere in punctum, manente tota mole, seu quantitate, & partium distinctione. Simile esset, si lux penetrans corpus humanum, eiusque figuram contrahens, per se existens conseruaretur: posset enim contrahi, & confluere in punctum, & rursus in eandem figuram explicari. Et confirmatur; quia nihil est in corpore humano, quod diuinæ potentiæ ad hoc repugnet; vt patebit ex solutione argumentorum.

Sed modo quodam sublimi, qui explicatur similitudine.

18 Obiectiones hæreticorum soluuntur.

Contra Objiciunt hæretici. Primò, Ex Diuo Augustino epist. 57. ad Dardanum: *Spatia locorum tolle corporibus, & nusquam erunt; & quia nusquam erunt, non erunt.*

Respondeo; Loquitur Augustinus de corporibus, vt naturaliter existunt; alioquin manifestè esset falsum: certum enim est, extra mundum non esse locorum spatia, & tamen Deus posset ibi corpora ponere, & conseruare.

19

Objciunt Secundò, De essentiâ quantitatis est esse extensum, & habere partem extra partem, & partem distare à parte: ergo si in hoc puncto hostiæ est caput Christi v. g. non sunt ibidem pedes; ac proinde non tota eius quantitas est sub quauis particula.

De ratione quantitatis non est, vt actu sit extensa.

Respondeo; Non esse de ratione quantitatis, vt actu extensa sit, aut actu partem extra partem habeat; sicut nec de essentia accidentis est, vt actu sit inhærens; vel substantiæ, vt actu per se sit existens; vt patet in humanitate Christi. Sed sicut solùm aptitudo ad inhærendum, vel per se existendum, est de essentia ipsorum; ita quoque de essentia quantitatis solùm est, vt habeat partes distinctas, & continuatas, quæ naturaliter aptæ sint & postulent esse extra se inuicem, & extensæ. Non igitur in actuali extensione ratio quantitatis consistit, sed in potentiali. Potest itaque Deus actualem extensionem tollere, tanquam accidentariam proprietatem quantitatis, seruatâ integrâ quantitatis essentia; sicut potest ab eâdem quantitate impenetrabilitatem tollere, & efficere vt instar spiritus possit penetrari & penetrare: & ab accidente inhærentiam actualem; & à substantiâ, subsistentiam, seu modum subsistendi per se: quæ tamen non minùs sunt ipsis intrinseca, quàm extensio actualis quantitati. Quod etiam confirmari potest ex Scriptura Matth. 19. vbi Dominus ait: *Deo possibile esse, vt camelus transeat per foramen acus*; vt passim docent Patres in hunc locum; scilicet Origenes, Hilarius, Hieronymus, & Chrysostomus. Et D. Augustinus lib. 2. quæstionum Euangelicarum q. 47. & lib. de Spiritu & littera cap. 1. hinc apertè dicit, id esse facilius, quàm vt diues retinens diuitias, intret in regnum cælorum: quod etsi naturæ viribus sit impossibile, tamen quotidie per gratiam Dei fieri videmus.

Potest actualis extensio à quantitate tolli.

Potest igitur virtute diuinâ tota quantitas Corporis Christi in punctum colligi; ità vt pedes & caput in eodem puncto sint. Rectè tamen dicuntur pedes esse extra caput; quia etsi simul sint in puncto, nõ tamen propriè se inuicè penetrant; nec sunt sibi immediata; nam medium corpus interuenit. Dices, saltem nulla est distantia inter partes, si simul sint. Respondeo, Non est localis distantia; est tamen quædam distantia inter eas, quam vocant *quantitatiuam*; quæ consistit in hoc, quòd partes inter se ordinem habeant, ita vt prima continuetur secundæ, & secunda tertiæ, & tertia quartæ; & sic deinceps: caput enim continuatur collo, non pedibus; collum pectori, & sic deinceps absque vllâ confusione. Vnde cùm inter caput & pedes tota moles media intercedat, dicuntur distare quantitatiuè, seu distantiâ intrinsecâ.

Partes Christi se inuicem nõ penetrant.

Et habent inter se distantiam.

20

Objcitur Tertiò, Saltem Corpus Christi non habet in Eucharistia suam naturalem figuram; quia hæc intrinsecè requirit extensionem partium. Figura enim nascitur intrinsecè ex diuerso partium situ.

Et figuram organicã.

Respondeo, Non habet figuram illam situalẽ; sed habet organicam, id est, eam, quæ nascitur ex intrinseca partium compositione: quæque enim pars organica habet suam intrinsecam molem, partium ex quibus componitur continuationem, dimensionem, mensuram, & vnionem cum aliâ parte sibi conueniente. Quod explicari potest, Primò; Exemplo cochleæ, quæ aliam habet figuram situalem, dum expansa progreditur; aliam dum se contrahit in globum, vel sphæram; tamen retinet eandem organicam figuram: partes enim singulæ retinent suam intrinsecam structuram. Secundò, Exemplo corporis humani; si fingamus illud habere diuinitus eam vim, vt instar spiritus possit se in punctũ contrahere, manente intrinsecâ cuiusque partis structurâ, continuatione, & distinctione.

21

Objcitur Quartò, Maius non potest contineri sub minore: ergo &c. Respondeo; Id quod in se maius est, potest esse sub minore, si accipiat aliũ modum existendi; sicut, si per penetrationem exteriora introrsum cedant. Aduerte tamen Corpus Christi, vt est in Eucharistiâ, non esse propriè maius, vel minus quantitate hostiæ; quia eius quãtitas, vt est ibi, non est vllo modo quantitati hostiæ commensurabilis: nam est ibi per modum rei spiritalis.

Corpus Christi, vt hic est, nec maius nec minus est quantitate hostiæ.

Objcitur Quintò, & vltimo, Res spiritalis non potest existere in corpore, diuisibiliter: ergo res corporalis non potest existere indiuisibiliter.

Respondeo Negando Consequentiam: Spiritus enim non potest esse in corpore diuisibiliter, quia in se est indiuisibilis; ac proinde non potest per corpus diffundi secundùm partes, cùm nullas in se habeat. Corpus autem potest esse indiuisibiliter, quia etsi in se sit diuisibile, tamen partes eius possunt contrahi in punctum.

DVBIVM I.

Vtrùm quantitas & cetera accidentia sint in Eucharistiâ concomitanter?

22 Quantitas,

REspondeo & Dico Primò, Si quãtitas est re distincta à re quantâ, est in Eucharistia concomitanter. Ita D. Thomas hic, & passim Doctores dist. 10. Ratio est, quia transubstantiatio, quæ fit virtute verborum, non terminatur ad quantita-

quantitatem; sed ad solam substantiam Corporis Christi: ergo quantitas, & alia accidentia, non sunt hîc ex vi verborum: ergo per concomitantiam. Confirmatur, Quia veritas verborum non postulat, nisi vt hîc sit substantia Corporis Christi, constans ossibus, neruis, carne, &c. Atqui substantia corporis humani non includit in suo conceptu accidentia; sed formas substantiales quibus vnumquodque organum constituitur: quamuis, vt conuenienter naturæ suæ existat, accidentia requirantur.

Dixi, *Si quantitas est res distincta à substantiâ*: nâ, si non distinguitur, est hîc ex vi verborum; sicut & ipsa corporis substantia.

23 Accidentia corporea absoluta à loco.

Dico Secundò, Omnia etiam accidentia corporea, quæ Corpori Christi per se conueniunt sine ordine ad locum, sunt etiam in Eucharistiâ; & quidem concomitanter. Ita D. Thomas hîc & communis sententia Doctorum. Et colligitur ex Concilio Trident. sess. 13. cap. 3. Ratio est; quia hæc omnia sunt extra substantiam Corporis Christi: ergo non sunt hîc ex vi verborum. Necessariâ tamen connexionem habent cum illo corpore, ita vt corpus sine illis non sit perfectum, nec tamen à loco dependent: ergo debent ibi esse concomitanter. Itaque hîc est claritas illius corporis, & impatibilitas, & subtilitas, & agilitas; & aliæ qualitates naturales & supernaturales. Figura tamen situalis, & extensio non est hîc, quia pendent ex commensuratione ad locum.

Dotes gloriosæ.

24 Accidentia Animæ Christi perpetua.

Dico Tertiò, Omnes quoque Animæ qualitates naturales & supernaturales, omnesque eius perpetuæ functiones sunt in Eucharistiâ, & quidē concomitanter; v. g. lumen gloriæ, visio beatifica, charitas, & cetera illius Animę beatissimæ dona. Ratio est; quia hæc omnia necessariam habent connexionem cum illa anima; & anima cum corpore: ergo & illa cum corpore habent necessariā connexionem.

25 Accidentia facilè mobilia;

De Accidentibus autem corporis, vel animæ quæ facilè mutantur; vt sunt cogitationes volubiles, & volitiones, operationesque sensuum, probabile est, non esse in Eucharistia: quia nullâ stabilem connexionem habent cum anima vel corpore, neque sunt necessaria ad eius perfectionem. Confirmatur; Quia alioqui fatendum erit assiduè in Eucharistiâ fieri eas mutationes, quæ fiunt in corpore, vel anima Christi extra Sacramentum in cælo; quod non est credibile. Probabile tamen valdè est, si quis Apostolorum in triduo mortis confecisset Eucharistiam, eamque seruasset vsque ad resurrectionem, Corpus Christi sub speciebus recepturum fuisse animam, & reliquas perfectiones naturales, & supernaturales, quas extra accipiebat. Ratio est; quia non conueniebat vt corpus illud in Eucharistiâ maneret mortuum, & imperfectum, quando in statu naturali viuens & perfectum erat.

In triduo mortis.

DVBIVM II.

Quomodo intelligendum sit, quod ait D. Thomas Quantitatem Corporis Christi existere sub singulis partibus hostiæ, eò quòd sit ibi concomitanter?

26 Respondeo, Omissa explicatione Caietani, quæ benè refutatur à Scoto dist. 10. q. 1. Sensum D. Thomæ esse, quantitatem ibi esse, non propter seipsam; sed propter substantiam Corporis Christi, quam afficit: vnde oportere, vt accommodetur ipsi corpori, & talē modum existendi habeat, qualem habet corpus: quare, cùm substantia corporis existat indiuisibiliter, oportere vt etiam quantitas similiter existat.

Quantitas est in Eucha. propter sub. stantiam corporis.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Corpus Christi sit in hoc Sacramento, sicut in loco?

27 Respondetur Negatiuè. Ratio est, Quia Corpus Christi est sub speciebus, sicut substantia sub accidentibus, excepta informatione: atqui substantia non est sub accidentibus, tanquam in loco. Vide D. Thomam.

DVBIVM I.

An saltem respectu spatij sit velut in loco? Spatium enim manet immobile dum transfertur Corpus Christi, sicut locus manet immobilis dum transferitur locatum.

28 Respondeo; Corpus Christi verè & propriè est in hoc spatio, in quo sunt species, eo modo, quo res spiritales sunt in loco; sicut Angelus est in spatio corporis assumpti, & anima rationalis in spatio corporis humani. Colligitur ex Concilio Trident. sess. 13. cap. 1.

Responsio est affirmans;

Probatur; Quia vt aliquid dicatur esse propriè hîc, vel ibi; non est necesse, vt loco coëxtendatur per partes, sicut corpora; sed potest esse totum in singulis loci partibus, & punctis; qui modus existendi hîc, vel ibi, est perfectior, quàm corporum; quia totam rem colligit in omnia puncta spatij. Et hoc modo Christi Corpus in Sacramento existens est in loco, adeò vt speciebus detractis possit diuinitùs conseruari in eadem designatione vbi erat antè; non minùs, quàm Angelus, quando corpus assumptum euanuit, potest permanere in eodem loco.

DVBIVM II.

Vtrùm sit hic Circumscriptiuè, an Definitiuè?

29 Respondeo, Propriè neutro modo; vt docet D. Thomas: sed nouo modo, qui est sine exemplo. Non *Circumscriptiuè*: quia per partes non coëxtenditur spatio, neq; superficies ambiens ei configuratur. Non etiam *Definitiuè*: quia non ita est hîc, quin ex vi huius modi existendi possit simul esse alibi naturaliter sine nouo miraculo; vt patet diuisâ hostiâ, & in diuersa translatâ. Id autem, quod *Definitiuè* dicitur esse alicubi, ita debet ibi esse, vt naturaliter repugnet ei esse alibi, ex vi illius modi existendi.

Christus hîc est in loco nouo modo, qui est sine exemplo.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Christi Corpus sit mobiliter in hoc Sacramento?

30 Respondeo, & Dico Primo, Corpus Christi in hoc Sacramento verè & propriè transfertur; ac

Christus ad motum specierum mouetur,

tur; ac proinde mouetur de loco in locum ad motum specierum. Est certa. Nam Concilium Trident. sess. 17. cap. 6. definit: *Christum vnigenitum Dei Filium in processionibus circumgestandum*: quæ circumgestatio non potest fieri sine motu locali. Et ratio est, quia Corpus Christi est realiter connexum speciebus: ergo dū species transferuntur de loco in locum, simul transit Corpus Christi de loco in locum. Vnde reijcienda est sententia Durandi dist. 10. q. 3. quam approbat Caietanus hoc loco; scilicet Corpus Christi, nec per se, nec per accidens moueri ad motum hostiæ; sed solùm dici moueri denominatione extrinseca. Neque id sentit D. Thomas: nam vult Christum moueri secundùm esse, quod habet in Sacramento; quamuis secundùm esse, id est, secundùm modum essendi, quem habet in cælo, maneat immobilis: atqui esse, quod habet in Sacramento, est illi Corpori intrinsecum: ergo motus, quo mouetur secundùm illud esse, est illi intrinsecus. Deinde, si solùm diceretur moueri per denominationem extrinsecam, cò quòd species moueantur; etiam diceretur calefieri, frigefieri, quia species has mutationes subeunt: quod tamen D. Thomas non concedit. Nec obstat, quòd dicat, *illud moueri per accidens*; quia id solùm est, non moueri per se primò; sed ad motum specierum; sicut mouetur anima, dum quis transfert corpus: hinc tamen non sequitur, animam non habere ibi motum intrinsecum.

Durandus & Caietanus negāt.

D. Thomas explicatur.

31 Trāslatione acquirit intrinsecum vbi nouum.

Dico Secundò, Corpus Christi in tali translatione, seu motu, acquirit intrinsecum vbi nouum seu nouam præsentiam ad nouum spatium. Ita Scotus dist. 6. q. 6. Gabriel lectione 47. & sequitur ex priore propositione. Patet, Quando enim Eucharistia defertur ad infirmum, incipit Corpus Christi realiter esse præsens infirmo, cùm anteà non esset præsens: ergo acquisiuit nouam præsentiam. Neque verum est, illam præsentiam solùm esse in speciebus: nam ipsummet Corpus Christi est realiter, & substantialiter præsens, non minùs quàm Angelus erat præsens, dum in corpore assumpto loquebatur Tobiæ.

Confirmatur; Quia Deus detractis speciebus, posset conseruare Corpus Christi in eodem loco; & tunc ipsum esset præsens, & non species. Similiter posset illud tunc mouere de loco in locum, tanquam rem spiritalem. Ergo secundùm se verè præsens est, & non tantùm ratione specierum, per denominationem extrinsecam. Vt omittam, quòd hoc parum videatur differre à præsentia, quam ponunt hæretici. Esse enim præsens per symbolum seu figuram, est esse præsens extrinsecè.

DVBIVM I.

A quo moueatur Corpus Christi, dum mouentur species?

32 Corpus Christi mouetur ab eo qui mouet species.

QVidam volunt moueri à Deo: alij ab Anima Corporis Christi. Vide Scotum dist. 10. quæst. 6.

Respondeo, Corpus Christi moueri ad motum specierum ab eo, qui mouet species. Ita D. Thomas, & communiter Doctores; estque certa. Probatur Primò, Nam de fide est, nos verè manducare Carnem, & bibere Sanguinem Domini: Matth. 26. Ioannis 6. 1. ad Corint. 11. ergo nos mouemus Corpus, & Sanguinem Domini. Patet consequentia: nam *manducare* & *bibere* duo requirunt: Primò, motum quendam localem rei quæ sumitur: debet enim traijci ex ore in stomachum. Secundò, vt hic motus fiat à manducante vitaliter; id est, per potentias animæ: vnde si hæc traiectio fiat per alium, v. g. mediante fistulâ, non erit manducatio. Vnde patet, Corpus Christi non moueri à solo Deo, aut à sola Anima Domini: quia sic traiectio non fieret à manducante. Probatur Secundò, Concilium Trident. definit *Corpus Christi esse circumgestandum in supplicationibus*, à Sacerdote scilicet, non à Deo, vel Anima Christi. Probatur Tertio: Ratione, Quia sicut anteà substantia panis firmiter annexa erat speciebus per naturalem vnionem cum ipsis, sic vt nulla vis creata posset illas separare manentes saluas: ita Corpus Christi, quod succedit in locum panis, firmissimè connectitur speciebus, non mediante aliqua vnione formali, sed mediante vnione effectiua; qualis est, qua magnes vnit sibi ferrum: & simili modo species vniuntur Corpori Christi, ita vt sit mutua vnio effectiua, sicut inter panem & species erat mutua vnio formalis. Huius signū est, quòd Corpus Christi tam diu maneat, quamdiu saluæ sunt species. Hæc igitur vnio & connexio mutua, causa est, cur motis speciebus necessariò etiam moueatur Corpus Christi: sicut, si moueas magnetem, necessariò etiam moues ferrum, quod magnes sibi vniuit.

Concil. Trident.

Inter Christū & species est vnio effectiua. hinc ipse mouetur, ad motum earū.

Notandum tamen est, Deum posse mouere Corpus Christi extra species; & illud rursus ponere sub speciebus. Imò probabile est, Animam Christi per dotem agilitatis posse mouere Corpus suum in Eucharistia, etiam extra species; & rursus speciebus subintroducere, cessante illa vnione effectiua: & tunc Corpus Christi per se primò moueretur; quia motus ab ipso inciperet, non à speciebus. Idem credibile est posse Angelum. Vide Gabrielem lectione 45.

33 Potest moueri Corpus Christi extra species à Deo, vel à sua anima.

DVBIVM II.

Vtrùm mutatio facta in Corpore Christi, quatenus est in Eucharistia, etiam fiat in illo, vt est in cælo; vel contra? Idem quæri potest de omni corpore existente in duobus locis?

REspondeo Negatiuè. Et quidem id manifestum est in motu locali: quia implicat, vt motus localis, quem Christi Corpus habet in Eucharistia, sit idem numero in cælo. Ratio est; quia præsentia, seu vbi, ad quod terminatur motus localis, est essentialiter immobilis: vnde essentialiter differt ab omni alia præsentia.

34 Negatur.

Sed maior difficultas est de motu alterationis: vt de calefactione, frigefactione, &c.

35

Verùm dicendum est, ex naturâ rei non transferri has mutationes, aut terminos earum, quidquid alij dixerint; sed solùm ex diuino beneplacito.

Ex natura rei nec motus alterationis, nec termini earum transferri vel replicari possunt.

Quòd non ex natura rei: Probatur, quia si corpus hic existens & Romæ, calefiat hic; non idcircò calefiet Romæ: ergo ex naturâ rei non transfertur hæc mutatio.

Primò.

Antecedens patet: Primò, Quia fieri potest, vt eo tempore, quo hic calefit, Romæ applicetur causa refrigerans, quæ sine dubio inferet frigus.

Secundò,

Secundò. Secundò; Quia ignis hîc calefaciens, non potest calorem suum traijcere Romam: tùm quia locus ille est extra ambitũ virtutis eius; tùm quia nulla causa naturalis potest idem ponere duobus locis, etiam intra suum ambitum. Dices, ratione subiecti fieri vt sit in duobus locis. Respondeo, Subiectum id non posse efficere: nam subiecti est solùm recipere calorem, non autem influere actiuè dando ei esse: ergo calor iste non replicatur Romæ propter identitatem subiecti; sed necesse est, vt à sua causâ efficiente accipiat esse Romæ; quod tamen eius causa efficiens non potest dare.

Tertiò. Tertiò; Quia corpus, vt est hîc, nullam habet intrinsecam dependentiam à se, vt est Romæ: ergo non est necesse, vt qualitatem, quam hîc accipit, etiam Romæ accipiat.

Quartò. Quartò, Quia præsentiam, situm, extensionem ad locum, vel indiuisibilitatem, quam habet in vno loco, non habet in altero; vt patet in mysterio Eucharistiæ: ergo non est necesse, vt habeat illud accidens etiam in altero loco, quod habet in vno. Si dicas, Illa accidentia pendere à loco, & ideò non traijci in alium locum: Respondeo, ergo ex eo, quòd corpus hîc recipit accidentia, quæ vel non possunt traijci (vt est præsentia, & vbi;) vel non traijciuntur reipsà (vt extensio, figura, situs;) colligimus etiam alia accidentia naturali virtute non traijci. Si enim, propter identitatẽ subiecti, accidens quod in eo hîc recipitur, necessariò deberet etiã alibi in eo recipi, omne accidens in eo receptum deberet traijci; vel certè, si non posset traijci, etiam non posset in eo recipi.

36 Si tempore Passionis fuisset asseruata Eucharistia, non fuisset in ea Christus passus. Hinc sequitur, Si tempore passionis fuisset seruata Eucharistia, Corpus Domini non fuisse alterandum in illa, aut lacerandum, sed prorsus illæsum permansurum etiamsi in forma naturali alteraretur & læderetur: & consequenter nec animam separandam ibidem fuisse.

37 Super est de actibus vitalibus: quos quidam existimant necessariò traijci, propter sympathiã, quam habet anima vt est in vno loco, ad seipsam, vt est in alio.

Actus vitales non replicantur necessariò ad replicationẽ subiecti. Sed contrarium est probabilius. Ratio est, Primò, Quia nulla est dependentia intrinseca inter hominem, vt est hîc, & vt est alibi. Similiter nec inter animam vt hîc, & vt est alibi, quando vtrobique omnino perfectam & adæquatam præsentiã habet. Ergo nulla est ratio, cur sit necesse actum vitalem, qui hîc fit, etiam ibi fieri: vt si hic videas Petrum, etiam eundem videas Romæ.

Secundò, Quia hic actus non traijcitur ratione receptionis; scilicet quòd recipiatur in subiecto duobus in locis constituto; vt patet ex dictis. Neque etiam ratione effectionis; eò quòd efficiatur à causâ in duobus locis constitutâ. Nam quod hîc operatur, non necessariò operatur alibi: Si enim Dominus loquatur in cælo, non opus est illum loqui in Eucharistia; vt omnes fatentur. Neque etiam ratione sympathiæ; quia inter animam, vt est hîc adæquatè & perfectè, & vt est alibi, nulla est sympathia; cùm sympathia requirat dependentiam. Adde, sympathiam non efficere, vt eadem numero actio traijciatur, sed vt noua resultet: vt patet, dum quis læditur in pede. Idem enim dolor non est in capite, sed alius resultat.

Dices, Ergo fieri potest, vt quis in vno loco peccet, & in altero mereatur: ac proinde, vt hîc saluetur, ibi damnetur.

Respondeo, Si loquamur de potentiâ Dei absolutâ, concedo totum. Tamen, quia id non est consentaneum rerum naturis, ideò, positâ tali replicatione in homine viatore, credibile est Deum tali prouidentiâ eum gubernaturum, vt eundem statum consequatur. An quis possit hîc damnari, & alibi saluari.

DVBIVM III.

Vtrùm Corpus Christi, vt est in Eucharistia, possit à causis naturalibus immutari alia mutatione, quàm motu locali?

38 Respondeo, Non posse: quidquid dicant Nominales. Ita D. Thomas, & communior sententia Doctorum. Vide Scotum dist. 10. q. 9. Affirmant nominales. Patet discurrendo per omnia genera mutationũ. Non enim potest generari à causa naturali, cùm iam existat; nec corrumpi, cùm sit incorruptibile. Sed etsi in propria specie mortale esset, vt erat in in vltima cœna, tamen in Eucharistia corrumpi naturaliter nequiret. Ratio est; quia causæ naturales non possent illud alterare qualitatibus corruptiuis, quibus naturale temperamentum euertitur: corruptio autem ex alteratione nascitur. Verius negatur. Nulla causa naturalis potest hîc agere in Corpus Christi.

Probatur Prior pars; Quia vt qualitas aliqua recipiatur in Corpore Christi sub Eucharistia, necesse est vt ipsa accipiat modum existendi indiuisibiliter, & in seipsa replicetur; qui modus est valdè supernaturalis, vnde à nulla causa naturali fieri potest. Quare nulla causa naturalis potest illi aliquam qualitatem imprimere; ac proinde nec potest illud corrumpere. Hinc etiam fit, vt partes Christi, etsi simul sint, nec distent loco; tamen non possint in se vicissim agere, sicut fit in nobis. Ex quo sequitur illud corpus non posse etiam decrescere, vel accrescere. Decretio enim seu imminutio corporis, fit ex eo, quòd aliquæ particulæ ab alijs vi caloris consumantur in auras. Accretio verò ex applicatione alimenti & distributione per membra, eiusque post multas alterationes assimilatione. Neque etiã partes corporis in seinuicem.

39 Vtrùm autem Christi Corpus possit corpora circumstantia immutare, non est ita certum. Nominales affirmant; sed ob meritum fidei dicunt hanc actionem impediri. Nominales putãt Corpus Christi posse immutare corpora circumstãtia.

Verùm contrarium est probabilius, & tenet D. Tho. cum alijs. Ratio est, Quia sicut corpus & corporales qualitates non possunt existere naturaliter, nisi extensa; ita credibile est non posse agere naturaliter, nisi extensa: modus enim agendi, sequitur modum existendi. Confirmatur; quia effectus harum qualitatum naturaliter postulat extensionem: non enim potest calor produci, nisi in re diuisibili: ergo & ipsa causa debet habere extensionem, vt naturaliter possit agere. Patet consequentia: Quia cùm sit causa vniuoca, effectus non habet altiorem modum existendi in ipsa, quàm in passo. Verius negatur.

DVBIVM IV.

Quomodo Corpus Christi desinat esse in Eucharistia?

40 Respondeo, & Dico Primò, Non desinere ibi esse per motum localem, quo, corruptis speciebus adscendat in cælum. Est contra quosdam Theologos huius ætatis. Nõ adscendit localiter in cælum.

Probatur

Probatur Primò, Quia sic Corpus Christi haberet modum existendi spiritalem & indiuisibilem extra Sacramentum, scilicet in aëre, & in cælo: quod est prorsus inauditum, & implicitè est contra doctrinam Ecclesiæ; quæ dum docet Corpus Christi sic esse in Eucharistiâ, implicitè negat illud sic esse alibi. Dogmata enim fidei, quę aliquid peculiare affirmant, habent vim exclusiuam. Vt cùm fides docet Filium assumpsisse naturam humanam, implicitè insinuat Patrem, aut Spiritum sanctum non assumpsisse. Sic cùm docet tres esse personas diuinas, insinuat non esse plures. Ergo pari modo cùm docet Christum in Eucharistiâ esse spiritali, inuisibili, & indiuisibili modo; insinuat eum sic non esse alibi. Secundò, Quia in cælo tot essent replicationes Corporis Christi, quot ab initio fuerunt consecrationes, eæque in dies augerentur. Tertiò, Christus quotidie adscenderet in cælum, sicut olim semel adscendit. Denique, ille modus existendi, non est conueniens functionibus humanæ naturæ: ergo non debet extra Eucharistiam, ob quam solam institutus est, conseruari.

41 Nec desinit hîc esse per solam mutationẽ factam in speciebus.

Dico Secundò, Corpus Christi non desinit ibi esse per solam mutationẽ factam in speciebus. Est contra Caietanum hoc loco. Probatur, Quia corpus habebat hîc veram præsentiam, & sibi intrinsecam, quam corruptis speciebus amittit: ergo non desinit hîc esse per solam extrinsecam denominationem, sed amittit intrinsecam præsentiam, seu intrinsecum vbi.

Obiectio.

Dices, Deus desinit esse in creatura per mutationem solius creaturæ: ergo similiter dici poterit de Corpore Christi.

Solutio.

Respondeo, Desinente creatura, desinit quidem Deus esse in illa; non tamen desinit esse in illo spatio, in quo erat creatura, sed semper manet prę sens ibi, sicut antè, ac proinde nõ immutatur. Quòd si desineret esse in eodem spatio, verè immutaretur. Quare ne faciamus mutabilem, ponimus immensum. Secùs est de Corpore Christi, quod non manet præsens eidem spatio corruptis speciebus.

42 Amittit modum existendi indiuisibiliter.

Dico Tertiò, Corpus Christi non solùm amittit præsentiam ad hoc spatium, sed etiam absolutè modum existendi indiuisibiliter. Patet, Quia nusquam retinet hunc modum, speciebus sacramentalibus desitis.

43 Desinit hîc esse per subtractionem influxus diuini.

Dico Quartò, Christus videtur desinere esse in Eucharistia per subtractionem influxus, & dependentiæ, qua diuinitus ibi fuit positus. Probatur, Quia non retinet duas dependentias substãtiales, duasue replicationes, vt dictum est: ergo desinit secundùm alteram: non secundùm eam, quam habet in cælo, (nam illa non terminatur ad Corpus Christi, vt est in Eucharistia:) ergo secundùm eam quâ ponitur in Eucharistia.

Dices: Ergo si Christus non haberet modum essendi naturalem, desineret in nihilum.

Respondeo, Posita tali hypothesi, conueniret non desinere in nihilum, sed alibi conseruari secundùm illum modum existendi. Si quis tamen supponat ita desinere, vt nunc desinit, & non habere alibi esse, potest concedere desiturum in nihilum: sicuti per actionem transsubstantiationis, si alibi non esset, quodammodò ex nihilo crearetur. Neque mirum est, ex mira hypothesi mira sequi.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm Corpus Christi, prout est in hoc Sacramento, possit videri ab aliquo oculo, saltem glorificato?

REspondeo, Nõ posse videri oculo corporali, vt est in hoc Sacramẽto. Est communis sententia Doctorum dist. 10. exceptis Nominalibus. 44 Non potest hîc videri oculo corporali.

Probatur Primò, Ratione D. Thomæ: Quia corpus visibile debet immutare mediũ per sua accidentia aut qualitates diffundendo species visibiles: sed qualitates Corporis Christi non possunt immutare medium: ergo hoc Corpus non potest videri naturaliter. Maior patet. Probatur minor, Quia qualitates Corporis Christi sunt hîc mediãte substantiâ, scilicet mediante Corpore Christi, ac proinde indiuisibiliter: vnde non habent per se habitudinem ad species panis, vel ad corpus circumstans; id est, non coëxtenduntur speciebus panis vel spatij: ergo non possunt species visibiles diffundere.

Secundò, Quia accidẽtia Corporis Christi sunt hîc per modum substantiæ; id est, secundùm eum modum, qui conuenit substãtiæ per se, vt prescindit ab accidentibus sensibilibus: atqui substantia per se non est visibilis, aut imaginabilis: ergo nec accidentia, vt sunt in Eucharistiâ.

45 Ne quidem supernaturaliter.

Quæ ratio etiam probare videtur, nec supernaturaliter quidem videri posse. Nam oculus corporeus nõ potest eleuari in sua operatione ad videndam substantiã rei in se, vt præscindit ab accidentibus sensibilibus. Quod cõfirmatur; quia Corpus Christi non potest videri ab oculo intuitiuè, sine modo illo, sub quo existit: atqui hic modus penitus est inuisibilis, vtpote extra rationem obiecti sensibilis; sicuti sonus videri non potest: ergo & Corpus Christi affectũ hoc modo, est penitus inuisibile. Maior probatur, quia sicut non potest videri corpus, quod est extensum, nisi videatur illa extensio; ita etiã non potest videri inextensum, seu collectum in statũ indiuisibilem, nisi ille status & modus videatur; visio enim fertur in rẽ, prout est in se; nec potest eam abstrahere à suo modo absoluto, qui illam immediatè afficit. Cõfirmatur, Nõ potest videri nisi in certo spatio vel diuisibili vel indiuisibili: ergo non potest videri, nisi cum illo modo, quẽ habet in spatio. Quare sicuti substantia spoliata colore & luce, non est visibilis; ita etiam color & lux spoliata extensione, non sunt vllo modo visibilia.

46 Nec seipsum hîc videt corporali oculo.

Dices Primò, D. Thom. ad 2. ait, Oculũ Christi videre seipsum sub Sacramento existentem; tamen non videre modũ existendi. Respondeo, Ob hoc argumentum Thomistæ passim existimant oculũ Christi videre seipsum, quatenus est in hoc Sacramento. Sed contrà; Si oculus Christi potest seipsũ videre, vt est in Eucharistia, cur non etiam oculi Beatorũ? nec enim species impediunt: quia nõ solùm interiùs latet, sed etiã est in superficie. Vnde fortasse D. Tho. solùm vult dicere, oculũ Christi, vt est in hoc Sacramento, videre seipsum, nõ vt est in Sacramento; sed vt est in cælo: ita vt oculus videns, & visio sit in Sacramento, res visa in cælo. Quia probabile est, per concomitantiam visionem sui, quam habet de se in cælo, esse in Sacramento.

Dices Secundò, Si lux vel color cõtraheretur in punctum, & tunc continuè multiplicaretur per replicationem sui in aliquo subiecto vel spatio, haberet rationem continui: ergo posset videri: atqui sic fit in hoc Sacramento: ergo &c. Respondeo, Non haberet rationẽ continui materialis, & quãtitatiui, quod per partes diffunditur; sed spiritalis, quod per se totum diffunditur, ita vt totum sit in singulis punctis: vnde non esset visibilis.

DVBIVM I.

An saltem intellectu possit conspici hoc Corpus & quomodo?

47 Christus hic videtur à beatis supernaturaliter.

REspondeo, & Dico Primò, Dubitandum non est, quin lumine supernaturali, tùm in diuinâ essentiâ per cognitionem matutinam; tùm extra per cognitionem vespertinam, possit hoc Corpus cum suo modo existendi intuitiuè cerni.

48

Dico Secundò, Etsi lumine naturali non possit hic modus existendi perfectè cognosci ab Angelo; probabile tamen est, posse ipsum Corpus Christi cerni ab illo in Eucharistia.

Prior pars, Est D. Thomæ & cõmunis sententia Doctorũ: quia hic modus existendi Corporis Christi, in sua ratione est omnino supernaturalis; ac proinde supra naturalem cognitionem Angelicam. Potest tamen hic modus imperfectè cognosci ex analogia eius modi, quo existunt res spirituales; qui modus Angelo satis perspectus est.

49 Et naturaliter cognoscitur ab Angelis.

Altera pars est Scoti d. 10. q. 8. Occami, & Gabrielis lect. 45. pro qua aliquot rationes adfert Scotus. Probatur Primò, Quia Angelus naturaliter facilè videt ibi non esse substantiam panis; & accidentia sine subiecto conseruari; vnde facilè colligit ibi esse Corpus Christi. Sed hæc ratio solùm probat, illud coniecturâ cognosci, supposita generali fide, vel cognitione huius mysterij; non autẽ cognosci intuitiuè. Vnde Probatur Secundò: Corpus Christi est quiddã naturaliter ab Angelo intelligibile: Neque hoc tollitur per illum modum indiuisibilem existendi; nam hic modus est illi corpori accidẽtarius, & quasi superueniens illius substantiæ; vnde non potest auferre id, quod priùs naturâ, & per se, corpori conuenit. Neque indiuisibilitas impedit; quia hic modus existendi non repugnat obiecto intellectûs Angelici, sicut repugnat obiecto sensûs. Neque etiam necesse est illum modũ intuitiuè cognosci; satis est cognosci per analogiam alterius modi naturalis.

Et dæmonibus.

Ex his sequitur, etiam Dæmones Christi præsentiam in Eucharistia naturaliter posse cognoscere. Sed ex hoc adspectu non accipiunt aliquam voluptatem, sed summum horrorem, sicut reus ex præsentia Iudicis.

DVBIVM II.

Vtrùm Christus possit videre in Sacramento oculo corporali ea quæ circumstãt hostiam; vel alias operationes sensuum, aut intellectus habere?

50 Christus hic naturaliter non potest vti sensibus.

REspondeo, & Dico Primò, Naturaliter non potest vti sensibus exterioribus, vel interioribus in Eucharistia. Ratio est, Quia ad hoc requiritur instrumentorum extensio certaque conformatio, & spirituum animalium cooperatio.

Dico Secundò, Ob eandem causam non potest naturaliter intelligere cum conuersione ad phantasmata; id est, cooperante phantasiâ.

Potest naturaliter intelligere absque cõuersione ad phantas. mata.

Dico Tertiò, Videtur tamen naturaliter posse elicere actus intellectûs nõ dependentes vllo modo ab vsu phantasiæ. Ratio est, Quia hi sunt merè spiritales, nec dependent à corporali figurâ, vel cõformatione instrumentorum: modus enim ille existendi indiuisibiliter, est illis actibus naturalis. Idem dicendum de actibus voluntatis. Dices, Vis creata non potest vllum actum vel effectum replicare infinities, sic vt illæ replicationes sint naturaliter separabiles. Respondeo, verum est: Vnde hæc intellectio non poterit elici naturaliter sub omnibus punctis hostiæ, sicuti Corpus Christi & Anima sub omnibus punctis ponitur; sed sub aliquo puncto vel particulâ, vbi Christo placuerit.

51 Et quinimo videre & audire Sacerdoté, &c.

Dico Quartò, Valdè probabile est, Christum in Eucharistia virtute diuina oculo corporali videre Sacerdoté, & alios præsentes; audire eius vocem; & reliqua. Probatur Primò, Quia cùm Dominus per hoc Sacramentum nobiscum habitet corporaliter; omnino decebat, vt haberet aliquod nobiscum corporale commerciũ per sensus corporales, neque ibi esset modo stupido, & mortuo. Secũdò, Quia Deo id facillimũ est, vel dando species indiuisibiles Christi oculo; vel singulari modo concurrendo cum oculo, vt etiam sine speciebus, & spiritibus animalibus videat.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm, quando in hoc Sacramento miraculosè apparet caro, vel puer, sit ibi Corpus Christi?

52 Duplex modus quo Christus in S. Eucharistia appareret.

D. Thomas ponit hîc duos modos, quibus tale quid potest apparere. Circa quæ:

Notandum Primò, Interdum fieri posse, vt Dominus in propria, & sibi intrinseca figura appareat, vt docet Gabriel lectione 51. citans etiam Alexandrum Alensem. Nam exhibuit se aliquando ob singularem deuotionem seruorum suorum in forma pulcherrimi pueri, & permisit se amplecti, & exosculari: vt refert Paschasius lib. de Corpore Domini cap. 14. de quodam Sacerdote, qui id à Domino impetrauit; cuius precibus rursus in pristinam Sacramenti formam est immutatus. Credibile tamen est id esse perrarum: & frequentiùs fieri (vt Docet D. Thomas) vel solâ oculorũ immutatione, vel circũpositione figuræ humanæ circa Eucharistiam. Non tamen vrget quod hic obijcit D. Thomas contra priorem modũ, scilicet Christum nõ posse in propria specie videri, nisi in vno loco: hoc enim suprà q. 75. a. 1. n. 25. refutatum est; & patet ex apparitione, quæ facta est Paulo in viâ, vbi Dominus Paulo in propria & intrinseca specie apparuit, etsi etiam secundùm eandem speciem esset in cælo.

Vt puer.

53 Item duplex modus quo hostia videtur versa in carnem, vel sanguinem.

Notandum Secundò, Quando hostia videtur versa in carnem, vel species vini in Sanguinem; dupliciter id fieri potest, iuxta D. Thomã. Primò, Sine vlla intrinseca mutatione specierum, per solã immutationem oculorum, vel aëris; & tunc sine dubio manet Christi Corpus sub speciebus: quomodo credendum est fieri, quando hęc species parum durat. Secundò, Si Deus mutet ipsas species sacramentales, inductis quibusdam qualitatibus sensibilibus

sensibilibus carnis vel sanguinis; v. g. colore, vel spissitudine, conseruatâ quantitate, & alijs accidẽtibus occultioribus, quę sufficerent ad conseruandam panis, & vini substantiam; & tunc etiam sub tali specie carnis, & sanguinis, manet Christus sacramentaliter.

54 Quando mutantur species Sacramẽtales, ordinariè non est ibi caro Christi naturalis in specie naturali.

Quòd si tamẽ esset specierum mutatio, vt substantia panis, aut vini nequiret cõseruari (vt si totum temperamentum intrinsecũ mutaretur) tunc non maneret ibi Corpus Christi sacramentaliter. Gabriel tamẽ & Alex. Alensis existimant, quando diuinitus mutantur species sacramẽtales, verè poni ibi carnem Christi naturalẽ in specie naturali. Verùm, etsi hic modus Deo sit possibilis, credibile tamen non videtur, quòd eo vtatur, saltem ordinariè, vt illi putant. Primò, Quia interdum ista species carnis & sanguinis diu perseuerat, & sensim nigrescit, & corrumpitur; vt patet in multis locis: Corpus autẽ Domini & Sanguis est incorruptibilis. Secundò, Quia vbicunque est Corpus Domini, ibi etiam est Sanguis, & Anima, iuxta Concilium Trid. sess. 13. c. 3. nam partes Domini nunquã ampliùs separabuntur. Atqui non est probabile in illa portiuncula carnis, tot annis manere Sanguinem eius & Animam. Tertiò, Quia non est credibile, quando Sanguis miraculosè manat ex hostiâ, esse Sanguinem Domini in propria specie. Nam Sanguis Domini non potest esse extra venas, & manere extra corpus; vt patet ex Concil. Trid. Est ergo quiddam miraculo efformatũ; ad significandũ, ibi latere corpus viuum habens sanguinẽ. Concil. Trident.

Notandũ Tertiò, Si Sacerdos non abhorreret, posset illam speciem, quæ in carnẽ versa videtur, sumere in sacrificio; quia nullum est præceptum, quod prohibeat; & pertinet illa sumptio ad sacrificij complementũ. Melius tamen existimatur, vt ad fidelium consolationem, Christique laudem conseruetur. Quod cùm fit, nõ est opus aliam hostiam, vel aliud vinum consecrare: tùm quia id nõ esset complere sacrificiũ inchoatum, sed nouũ instituere: tùm quia Summus Sacerdos Christus cẽsetur tunc dispensare, ne sacrificiũ debeat cõsumi. 55 An sic mutata species possit sumi. An debeat fieri noua consecratio.

QVÆSTIO LXXVII.

De Accidentibus remanentibus in Sacramento.

In Octo Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Accidentia remaneant sine subiecto in hoc Sacramento?

1 De fide est, accidentia remanere sine subiecto.

REspondetur: Accidentia panis & vini post consecrationem remanent sine subiecto. Intellige, de tota collectione. Et sic est fide tenendũ. Probatur Primò, ex Concilio Constantiensi sess. 8. vbi damnatur iste articulus Wicleffi: *Accidentia panis nõ manent sine subiecto.* Itẽ ex Concil. Lateranensi magno sub Innocẽtio III. Florentino, & Tridentino suprà q. 75. a. 2. n. 32. citatis. Idem docet Cyprianus serm. de cœnâ Domini: *Panis iste non effigie, sed naturâ mutatus; omnipotentiâ Verbi factus est caro.* Cyrillus Hierosolym. *sub specie panis datur tibi Corpus; sub specie vini datur tibi Sanguis.* Vide Ambrosium, Gregorium, Cyrillũ Alexandrinũ, & alios suprà q. 75. a. 2. n. 33. citatos. Docent enim communiter Patres, Christi Corpus, & Sanguinem nobis exhiberi sub specie panis & vini, substantiâ illorum mutatâ. Cyprian. Cyrillus Ierosolym.

Probatur Secundò, Fide tenendum est, substantiã panis & vini desinere, & accidẽtia remanere: ergo remanent sine subiecto. Nõ enim inexistunt Corpori Christi, vt etiam fides docet; alioqui Corpus Christi esset album, rotundum, liquidum, fragile, atque adeò passibile: imò nec possunt illi inexistere, quia existunt diuisibiliter; Christi autem Corpus existit indiuisibiliter. Neque etiam inexistunt aëri, vt rectè probat D. Thomas.

DVBIVM I.

Quomodo possit fieri, vt Accidens sit sine subiecto, cùm accidentis esse sit inesse: & accidens omne debeat indiuiduari à subiecto?

2 REspondeo, Thomas Waldensis tom. 2. c. 76. adfert multa testimonia veterum Philosophorũ, qui censebant accidens posse esse sine omni subiecto. Inter SS. Patres Basilius hom. 2. & 6. Hexameron docet lucem illam, quæ fuit creata primo die, fuisse absque subiecto & vehiculo, vsq; ad diem quartum, quando conditũ est corpus solare, in quo lucem illã putat fuisse repositam: triduo autem præcedente, effecisse diem radiorum emissione, noctem verò eorumdem retractione. Basilium sequitur Procopius Gasæus in 1. c. Gen. & Damas. lib. 2. de Fide c. 7. Hęc opinio, etsi vera non sit, non tamẽ est impossibilis, vt, quæ à clarissimis ingenijs asserta sit. *Sicut enim,* (vt rectè Basilius hom. 6.) *aliud est albedo, aliud corpus quod per illã fit album; fit aliud est lux, aliud corpus lucidum: & quãuis nos,* inquit, *ea separare non possimus, nisi cogitatione, Deus tamen reipsa illa separare potest.* Ratio est, Quia actu inexistere non est de ratione formæ accidentariæ; sed est tantummodò modus quidam illius necessarius, vt conuenienter naturæ suæ existat, & subiectum perficiat. Quod confirmatur; quia hæ formæ à Deo instituntę sunt, vt perficiant & exornent substantias creatas, quæ secundùm se alioqui imperfectæ sunt & informes: ergo habent propriã & distinctam entitatem, & perfectionẽ: ergo vnio cum substantia non est de essentia illarum; sed solummodò quædam illarum modificatio in modo existendi. Nunquam enim de essentia rei absolutę, potest esse vnio ad aliquid extrinsecum. De quo vide Scotum dist. 12. quæst. 1. Accidentia posse esse sine omni subiecto, & Philosophi & SS. Patres senserunt. Probatur idem ratione.

Neque verum est, accidentia indiuiduari à subiecto, nisi vt à causa extrinseca, & potiùs *in fieri* quàm *in facto esse*: nam intrinsecè indiuidua sunt per suam intrinsecam differentiam indiuidualem. An accidẽtia indiuiduentur à subiecto.

DVBIVM II.

Vtrùm, vt Accidens per se existat, debeat illi addi aliquis modus positiuus, qui sit veluti subsistentia per se?

3 CAietanus hoc loco affirmat, docetque hunc modum tribuere quantitati vim substantiæ,

Caietanus huiusmodi admittit.

& materiæ primæ; ita vt per eum fiat vice-materia & vice-substantia; possitque subire munus materiæ & subſtantiæ in excipiendis, & sustentandis alijs accidentibus. Alij admittunt quidem modũ positiuum, non tamen tribuunt ei omnia quæ Caietanus, sed solùm, quòd faciat accidens per se existere.

4 Probabilius negatur.

Respondeo, & Dico Primò, Probabilius est nullum modum, vel entitatem positiuam requiri, vt accidens per se subsistat. Ita Scotus dist. 12. q. 1. & Dominicus Soto dist. 10. quæst. 2. art. 2. & insinuat D. Thomas hoc loco.

Probatur Primò, Quia hic modus, seu hæc entitas, vel est subſtãtia vel accidens. Non est subſtantia; tum quia in Eucharistiâ nulla est subſtãtia præter Corpus Christi; tum quia, si esset subſtãtia, deberet esse subiectum accidentiũ; & sic accidentia nõ essent ibi sine subiecto; quod est contra fidem, vt patet ex dictis. Non etiam est accidens; quia nihil iuuaret alia accidẽtia ad existendum per se: nam ipsummet egeret alio modo ad sic existendũ; & iste rursus alio, ficque in infinitum. Si dicas, Esse modum accidentalem oppositum inhærentiæ actuali accidentis. Contrà: Quia hic modus nihil iuuaret, cùm sit res maximè imbecillis, tota pendens ab ipsa accidentis subſtantia.

Probatur Secundò, Quia anima rationalis, dum separatur à corpore, non accipit talẽ modum positiuum existendi per se; sed manet in sua existentia priuata modo vnionis cum corpore; cùm tamen ipsa sit subſtantia, quæ longissimo tempore mansura est separata, & suas functiones obitura: ergo non est credibile accidens accipere talem modum à sua natura tam alienum; præsertim cùm breui tempore vel sit periturum, vel materiæ vniendũ. Antecedens patet, quia alioquin non appeteret vnionem corporis.

Obiectio.

Dices Primò, Per hunc modum accidentia perfectiùs existent per se; eruntque aptiora ad recipienda & sustentanda alia accidentia: ergo hic modus non est negandus.

Solutio.

Respondeo Primò, Admisso Antecedente, nego Consequentiã: Quia cùm hic modus non resultet naturaliter ex separatione accidentis, non est etiam credibile dari à Deo supernaturaliter; tum quia non datur animæ rationali separatę; tũ quia sine hoc modo possunt accidentia seorsim à subiecto existere, quantum satis est ad occultandum Corpus Domini, & ad sustentanda alia accidentia. Vnde superuacaneum est imaginari perfectiorẽ modum; præsertim cùm hîc non agatur de accidentibus illis perficiendis. Respondeo Secundò, Negari etiam potest Antecedens, saltem ex parte: nam accidens, quod est subiectum alterius accidentis, vt quantitas coloris, per suam entitatem illud recipit & sustentat: neque ad hoc officium ille modus quidquã iuuat.

Dices Secundò, D. Thomas hîc ad 4. ait, *Accidens dum per se subsistit esse compositum ex esse, & quod est*: ergo vult accidenti tunc addi nouum modum existendi per se.

Illustratur mens Diui Thomæ.

Respondeo, Solùm vult dicere, accidentia, dum inhærent subiecto, non considerari vt formas, quæ habeant esse; nam suum esse non sibi, sed subiecto hâbent: cùm autem separata sunt, tunc considerari vt habentia esse; quia non applicant alteri, sed sibi tantùm illud habent. Per *esse* autem intelligit existentiam, ad quam tunc comparatur accidens, vt subiectum ad suam formam, iuxta D. Thomam. Et hoc sensu dicit tunc accidentia *composita ex esse, & quod est*.

Dico Secundò, Vt accidentia per se subsistant, satis est, vt illorum existentia vel entitas actualis, diuina virtute, substracto subiecto, conseruetur seu continuetur. Insinuat D. Thomas hîc in Corpore; & docet optimè Scotus. Ratio est, Quia illorum accidentium natura seu entitas actualis, prior est naturâ quãm vnio cũ subiecto: ergo potest conseruari desinente illa vnione; quia id quod prius est, potest conseruari sine posteriore.

5 Vt accidẽs per se subsistat, sufficit continuatio influxus ad uinc.

Aduertendum autem, hanc conseruationem posse dupliciter fieri. Primò, Per solam actionem conseruatiuam, quâ Deus illam formâ anteà conseruabat in subiecto, nullâ creaturâ effectiuè intrinsecè cooperante: hæc enim actio continuata sufficit, vt accidens maneat existens euanescente subiecto: Nam subiectum nullum influxum effectiuum habebat in illud accidens; sed solùm materialiter illud excipiebat; id est, ei vniebatur: vnde fiebat vt conuenienter naturæ suæ existeret. Quare non est imaginandũ, Deum subtracto subiecto supplere vicem subiecti vel materiæ: cùm causalitas materiæ vel subiecti non possit suppleri per aliquem effectiuum influxum: consistit enim in quadam intima vnione formæ, & subiecti; quę vnio necessariò perit desinente subiecto, quamuis maneat idem prorsus influxus Dei in ipsam entitatem formæ. Secundò, Fieri potest hæc conseruatio extra subiectum, per nouum aliquem influxum Dei; quando videlicet ipsum accidens etiam à subiecto effectiuè conseruabatur: tũc enim non sufficit antiquus influxus Dei; sed opus est nouo, quo suppleatur influxus subiecti, vel causæ creatæ; vt per se constat. *Vide lib. 12. de Perfectionibus diuinis cap. 16. num. 111. vbi ostenditur quo pacto species Eucharistiæ per se, nullo subiecto innixa consistant. Vide etiam lib. 3. de Summo Bono cap. 4. num. 48. & sequentibus, vbi latè probatur eâdem actione secundum substantiam, accidens conseruari in subiecto & extra.*

Dupliciter potest accidens extra subiectum conseruari.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Quãtitas panis & vini sit aliorum accidentium subiectum?

6 Prior sententia negans, & facilè defendi potest.

QVidam existimant omnia accidentia in Eucharistia sine subiecto existere; neq; quantitatem esse subiectum reliquorum. Ratio illorũ est; Quia quantitas non est res aliqua distincta à substantia, & qualitatibus; sed est dumtaxat modus quidam illorum, per quem intrinsecè extenduntur: dicunt enim materiam & formam subſtantialem, & qualitates corporales per se esse extensas intrinseco & proprio modo extensionis; in qua extensione possint diuinitus conseruari, reliquis omnibus, quæ realiter ab ipsis distinguuntur, abolitis: vnde nihil opus esse aliâ quantitate distinctâ. Ita Occam in 4. q. 7. Gabriel lectione 44. in Canonem; & aliqui alij. Quæ sententia facilè defendi potest, & mihi prę ceteris placet.

7 Altera sententia communior affirmans.

Verùm receptior sententia est, Cetera accidentia esse in quantitate, tanquam in subiecto. Ita D. Thomas hic, & Scotus dist. 12. qu. 2. & alij passim eâdem dist. Quæ ad meliorem intelligentiam, sic videtur explicanda, Vt quantitas statuatur esse quoddam accidens à cęteris distinctum realiter, magnam habens conformitatem cum materiâ primâ, quod partes materię & formæ extendat,

Quid quãtitas, & ad quẽ vsum.

tendat, efficiatque vt alia firmiter sit extra aliam, neque possint esse naturaliter simul: Sine hac autem quantitate partes materiæ posse esse simul, & confluere in punctum; vnde essent ineptæ ad recipiendam actionem rerum naturalium. Itaque Deus ab initio creauit materiã primam sub quantitate, per quam expanderetur, & idonea fieret ad formas accidentarias, & substantiales recipiendas. Vnde quantitas est prima dispositio materiæ, mediante quâ recipit alias dispositiones, sic vt hæ immediatè insint quantitati; & per quantitatem insint materiæ. Quò fit, vt subtractâ materiâ, & conseruatâ quantitate, reliqua accidentia naturaliter remaneant in quantitate, tanquam in suo immediato subiecto; ita vt nulla in illis fiat mutatio quoad inhærentiam, seu vnionem cum subiecto; sed solùm in quantitate.

Probatur Ratione.

Probat hanc sententiam D. Thomas tribus rationibus: quæ quia facilè solui possent, adde tres alias. Prima est; Quia, nisi illa accidentia essent in aliquo communi subiecto, non haberent inter se aliquam connexionem: vnde facilè exciderent ex se inuicem; neque se mutuo necessariò comitarentur, dum aliquod ex illis moueretur loco. Secunda, Quia non posset dari commoda ratio, cur species vnius hostiæ nõ possent penetrare species alterius hostiæ; si nulla est ibi quantitas impediens penetrationem: nam quantitates propriæ singularum specierum possunt se mutuo penetrare per intimam præsentiam; nam calor penetrat colorem, & contrà. Tertia, Quia agens naturale nõ posset hostiam naturaliter calefacere, si non subesset quantitas; quia non potest naturaliter calorem producere extra subiectum. Hoc enim esset creare. Sed, vt verum fatear, & hæ rationes non difficulter solui possunt. Quare prior sententia mihi magis probatur. *Vide lib. 12. de Perfect. diuinis cap. 16. num. 112. & 113.*

ARTICVLVS III.

Vtrùm Species possint aliquid extrinsecum immutare?

8 Responsio est affirmans, & patet experientia.

REspondeo, Certum est species sacramentales posse immutare res extrinsecas. Patet experientiâ: nam immutant oculos, sensum gustandi, odorandi, & tangendi: item calefaciunt & frigefaciunt. Ratio est, Quia istæ species non à subiecto, sed ex se habent vim agendi: vnde calor separatus nõ minùs est actiuus, quàm immersus materiæ. Confirmatur, Quia existere per se, non impedit actionem, sed potiùs iuuat, expediẽs ipsam vim ab impedimento materiæ: Vnde, quidquid species possunt, dum existunt in substantiâ, possunt etiam separatim.

Quomodo species vini, vinum signant.

Dices, Species vini, dum existunt in substantia vini, possunt producere vinum, si liquor idoneus admisceatur. Atqui hoc non possunt separatæ: quia non agunt in virtute substantiæ vini; vt quæ tunc non existat. Respondeo, Si accidentia vini, cùm inhærent substantiæ vini, possunt per se ex alio liquore vinum generare, non concurrente immediatè ipsa substantia vini (vt videntur sentire Thomistæ:) etiam id possunt dum separatæ sunt. Nam tota actio est ab ipsis accidentibus; ipsa enim sunt virtus substantiæ. Quòd si substãtia vini immediatè debet cooperari (vt vult Scotus dist. 12. q. 3.) accidentia per se non possunt vinum generare, sed causa vniuersalis supplet quod ipsis deest, scilicet influxum, quem haberet substantia, si adesset: & simili modo supplet influxũ formæ, dum species vini calefactæ, vel frigefactę reducunt se ad suam naturalem temperiẽ.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Species possint corrumpi?

9 Affirmatur.

REspondeo, & Dico Primò, Certum est, species sacramẽtales posse corrumpi, & desinere esse; vt experientia docet. Ratio est, Nam cùm hæ sint in quantitate, vt in subiecto, possunt actione agentium naturalium similiter corrumpi introductis contrarijs qualitatibus, sicuti si substantia panis & vini subesset.

An quantitas possit corrumpi in Eucharistia.

Vtrùm autem ipsa quoque quantitas, quæ est aliorum accidentium subiectum, corrumpi vel alterari possit, dubium est ad physicam pertinens. Si enim quantitas est coęua materię, & nihil quantitatis in mundo oritur, vel perit; sed eadem semper manens expanditur per rarefactionẽ, & contrahitur per condensationem, vt magni tenent Philosophi; sic nihil quantitatis perit desinentibus speciebus. Si autem tota quantitas in singulis rerum generationibus, & corruptionibus perit, sicut vult D. Thomas cum suis, concedendum est etiã quantitatem ipsam desinentibus speciebus interire; non per corruptionem propriè, cùm nullum subiectũ subsit; sed per quandam veluti annihilationẽ, Deo desinente illam conseruare. Quando enim actio causæ naturalis adeò inualescit in species, vt iuxta naturæ ordinem substantia panis & vini deberet corrumpi, & consequenter eorum quantitas; tunc quoque Deus desinet illam quantitatẽ in Eucharistiâ conseruare, sinetque in nihilum recidere.

10 Quando desinat esse Corpus Christi sub speciebus.

Dico Secundo, Quando species sacramentales adeò immutantur per causas naturales, vt iuxta naturæ ordinem non posset ampliùs natura panis vel vini sub illis conseruari, eodẽ momento quo desineret panis vel vinum, desinet ibi esse Corpus Christi. Est certa. Et Ratio est, Quia Corpus & Sanguis Christi succedunt in locum substantię panis & vini; vnde respectu mutationum, quæ fient circa species, sic se habent, sicut se haberent substãtiæ panis & vini, exceptâ informatione: ergo desinunt, quando desineret substantia panis & vini. Vide Gabrielem lect. 84. in Canonem Missæ.

ARTICVLVS V. & VI.

Vtrùm in Speciebus sacramentalibus possit aliquid generari vel nutriri?

11 Affirmatur.

REspondetur Affirmatiuè. Est cõmunis sententia, & constat experientia. Si enim hostię multæ comburantur, generantur cineres. Si nimis diu asseruentur, generantur vermes. Et posset homo illis speciebus in magnâ quantitate sumptis per totam vitam sustentari.

Tres sententiæ quomodo aliquid generetur ex speciebus.

Sed difficile est explicare, quomodo id fiat. D. Thomas refutat hîc tres sententias.

Prima est, Generationem, quæ videtur fieri ex speciebus sacramentalibus, fieri ex aëre circumstante: quod benè refutat.

Secunda est, Redire substantiam panis & vini in termino corruptionis specierum: quod refutat duabus rationibus; quarum secunda est bona, & sufficiens; sed prior est valdè difficilis. Nam certum est, diuinâ virtute fieri posse, vt tunc substantiâ panis, & vini redeat absque vllâ conuersione Corporis Christi in illam: quia nihil substantiæ panis permansit in Corpore Christi; vnde etiamsi Corpus Christi nihil perdat, substantia panis potest restitui. Neque exemplum, quod adfertur à D. Thoma de aëre verso in aquam, qui redire non potest, nisi aqua reuertatur in aërem, ad rem facit: quia hîc in termino conuersionis, scilicet in aqua in quam aër conuersus est, manst aëris materia: vnde aër non potest redire, nisi illi sua materia restituatur, ac proinde nisi aqua reuertatur in aërem. In Corpore autem Christi, in quod conuertitur panis, nihil manet panis: vnde, vt panis redeat, non est necesse Corpori Christi quidquam detrahi. Deinde certum est apud omnes Theologos, etiam Diuum Thomam Deum posse eandem numero materiam, vel substantiam reparare. Quare dum hîc dicit, *hæc fieri non posse*, explicandus est D. Thomas, non posse fieri ex vi institutionis huius Sacramenti: quia non habent necessariam connexionem cum eâ. Vide Caietanum.

Tertia Sententia, quam refutat D. Thomas, est, Materiam panis redire; quam ideò reijcit, quia non est ponendum hîc aliquod miraculum, nisi quod ex ipsâ cõsecratione necessariò sequitur.

Sententia D. Thomę.

Vnde tandem ipse concludit, meliùs dici quòd ipsi quantitati miraculosè detur, vt sit primum subiectum subsequentium formarum substantialium: quod etiam tenent quidam alij Thomistę, vt Ferrarienfis lib. 4. contra gentes cap. 66. Insinuat Henricus Quodlibeto 8. qu. 36.

12 Non placet.

Verùm hęc sententia videtur omnino impossibilis, vt ostendit Scotus dist. 12. qu. 3. Primò, Quia inter quantitatem & formam substantialem non potest esse vnio substantialis constituens substantiam; cùm quantitas sit accidens. Secundò, Quia sequeretur vermem genitum ex illis speciebus, non constare vera & substantiali materia, quæ tamen non minùs est de ratione substantiæ corporeæ, quàm forma, sed accidente, scilicet quantitate materiæ: & sic esse vermem mathematicum, non naturalem, nisi ratione formæ: quod sanè esset monstrum inauditum. Idem sequeretur de homine, si longo tempore istis speciebus alatur. Imò sequeretur plurimas res constare quantitate, tamquam parte essentiali, vel totas; vel secundùm partem; & talium rerum fieri generationes vsque ad finem mundi. Tertiò, Sequeretur mundum sensim exhauriri suâ primęuâ materiâ, nec vnquam eam restitui.

13 Sententia verior.

Quare dicendum est: Quando alteratio specierum sacramentalium eousque processit, vt necessariò substantia panis & vini, si subesset, deberet desinere, & alia forma substantialis introduci; eo ipso momento diuinâ virtute substitui materiam, ex qua res gignatur. Ita Guil. Occam in 4. qu. 7. Gabriel lect. 45. in Canonem. Durandus dist. 12. qu. 7. & Scotus dist. 12. quæst. 6.

Explicatur, quomodo ex speciebus aliquid generetur.

Quæ sententia sic explicatur. Primò, Fit introductio dispositionum in quantitate hostiæ à causa naturali, v.g. ab igne. Secundò, Posita vltima dispositione, v. g. calore octo graduum in speciebus, Deus per creationem substituit materiam. Tertio, Quantitatem illam affectam noua dispositione immergit materiæ, vel certè ipsa quantitas naturaliter se illi vnit, cùm sit illi intimè præsens. Quartò, Causa naturalis per dispositionem introductam concurrit naturaliter cum Deo, tanquam primâ causâ, ad producendam formam ignis ex eâdem materiâ. Hæc sententia euitat omnia incommoda aliarum sententiarũ; & iuxta illam, mundus non priuatur suâ primigeniâ materiâ: & optimè saluat actionem rerum naturalium; neque multiplicat miracula sine necessitate: nam institutio huius Sacramenti necessariò hæc omnia postulabat: alioqui industria humana potuisset hoc mysterium comprehendere.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm Species Sacramentales frangantur?

REspondetur, Species Sacramentales frangi, & diuidi: Corpus tamen Christi non frangi propriè, nec diuidi; sed totum manere sub singulis partibus. Dici tamen frangi, per denominationem extrinsecam; quia illud frangitur, sub quo ipsum realiter est præsens per modum continui, & post fractionem per modum discreti.

14 Christus hic propriè non frãgitur, nisi per & propter species.

Notandum est, Patres interdum dicere ipsum Corpus Christi *videri, tangi, dentibus atteri*. Chrysostomus hom. 83. in Ioannem, *Ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis*. Homil. 45. in Ioannem. *Non tantum se videri permittit, sed & tangi, & manducari, & dentes carni suæ infigi*. Homil. 24. in priorem ad Corinth. *Quod in cruce passum non est, id in oblatione patitur, & propter te frangi sustinet, vt omnes satiet*. Similia habet Cyrillus lib. 12. in Ioannem cap. 58. Sensus autem est Christum in Sacramento non solùm videri, tangi, comedi, sicuti in nudo signo; quomodo videntes, aut contrectantes imaginem Christi, dicimur videre & contrectare Christum; & quomodo Iudæi comedentes Agnũ paschalẽ manducabant Christum: sed etiam realiter sub illis signis esse præsentem, illisque tegi, & velari, vt per illa, velut per quoddam velum, ipsum reuerà videamus, tangamus, comedamus, sicuti substantia per sua accidentia videtur, & tangitur. Iuxta quem modum Dominus Lucæ 8. v. 46. muliere fimbriam tangente dixit, *Tetigit me aliquis*. Et quomodo in Scripturis Angeli dicuntur videri in formâ assumptâ.

Quo sensu dicatur hîc Christus videri, tangi &c.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm aliquis liquor vino consecrato possit admisceri?

REspondeo, & Dico Primò, Posse alios liquores speciebus Sacramentalibus misceri; id enim experientia constat.

15 Alij liquores non sanguini, sed speciebus miscẽtur.

Dico Secundò, Isti tamen liquores nõ miscentur propriè ipsi Sanguini. Ratio est; quia ad mixtionẽ requiritur interpositio, contactus, & vnio: Sanguis autem Christi non potest per se tangi, aut diuidi ab alio liquore externo, cùm sit intra sua vasa in Corpore Domini.

Dico Tertiò, Si liquor iste vincatur à speciebus Sacramentalibus, non vertetur in Corpus Domini:

Quid si liquor mixtus vincatur à speciebus Sacram.

Domini: nam hæc conuersio non fit, nisi per verba consecrationis: sed vertetur in substantiam vini, quia species vini ita agunt, ac si vini substantia adesset: atqui, si vini substantia adfuisset, conuertissent liquorem affusum in vinum: ergo similiter modò.

16 Vini non consecrati mixtione non desinet Sanguis Domini.

Dico Quartò, Si vino consecrato infundatur vinum non consecratum eiusdem speciei, non desinet ibi esse Sanguis Christi etiamsi fiat mixtio per totum. Est communior sententia Doctorum.

Probatur; Nam ex altera sententia, quam videtur tenere D. Thomas, sequuntur aliquot grauia incommoda. Primò, Si duo calices vini consecrati inter se misceantur, desinere ibi Corpus & Sanguinem Domini; quod haud dubiè falsum est: nam olim in primitiua Ecclesia, quando communicabant fideles sub vtraque specie, dubitandum non est, quin sæpè ex vno vase in aliud, scilicet ex maiore in minus, vinum consecratum infundere oportuerit: quòd si tunc desijsset ibi esse Sanguis Domini, Ecclesia grauiter decepta fuisset. Secundò, Si vinum consecratum vnius calicis vehementiùs agitetur, desinet ibi esse Sanguis Domini: nã partium diuisio, & mutua intersectio corrumpet priores species. Omitto alia.

Quare ad rationem sententiæ contrariæ: Respondeo, in continuo homogeneo non dari minimam partem inexistentem. Vnde quantumuis se mutuo partes vini intersecent, numquam se per hoc corrumpent: nam hoc ipso, quo se vicissim intersecant, etiam inter se continuantur, sic vt sese mutuo conseruent. Deinde, etiamsi daretur minima pars inexistens, non tamen est necessarium, vt infrà minimam se intersecent; potest enim intersectio sistere, quando deuentum fuerit ad minimas.

17 Respondetur oppositæ sententiæ rationibus.

Dices ex Paludano, Ergo si gutta vini consecrati immitteretur in vas vini non consecrati, non desineret ibi esse Corpus Domini: quod videtur absurdum. Respondeo; Id non esse absurdum, sed verissimum. Vnde hoc vinum ad vsus sacros esset deputandum: Nam totum quodammodò est benedictum, ratione contactus; quamuis non sit cõsecratum. Neque videtur probandum, quod ait Sotus, tale vinum habendum, vt vinum commune.

Obiectio de gutta vini consecrati labente in vas plenũ non consecratum.

QVÆSTIO LXXVIII.

De Forma Sacramenti Eucharistiæ.

In Sex Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm hæc sit Forma huius Sacramenti, Hoc est Corpus meum. Hic est calix Sanguinis mei?

1

REspondetur Affirmatiuè. Ratio est, Quia hęc forma significat consecrationem materiæ; & in personâ Christi profertur, ac proinde significat id, quod est proprium huius Sacramenti: ergo est vera forma huius Sacramenti.

Duplex differentia inter Eucharistiam & reliqua Sacramẽta.

Vbi nota duplicem differentiam inter hoc Sacramentum & alia. Prior est, quòd hoc Sacramentum consistat in consecratione materiæ, id est, in eo, quod materia mutetur in rem sacram; nempe in Corpus, & Sanguinem Domini: alia consistant in vsu materiæ. Hinc fit, vt forma Sacramenti Eucharistiæ debeat significare materiæ consecrationem, id est, conuersionem in rem sacram; aliorum formæ, vsum materiæ.

Altera differentia est, quòd reliqua Sacramenta perficiantur à Ministro, vt Minister est; non autem vt immediatè repręsentat personam Christi; sed vt est distincta persona, habens potestatem à Christo deriuatam. Vnde quando dicit, *Ego te baptizo*: (*Ego*) supponit pro Petro, Paulo, Christi ministro: & verbum *Baptizo* significat proprium actum ministri: neque dicitur operari minister in persona Christi, nisi quatenus potestate Christi operatur. Sed hoc Sacramentum perficitur à Ministro, vt immediatè repræsentat Christi personam; sicut Lex vetus data ab Angelo, vt immediatè repræsentante personam Dei: vnde Angelus sæpè dicebat, *Ego Dominus.* Patet id ex forma huius Sacramenti, *Hoc est Corpus meum*; id est, non *Petri*, non *Pauli*, sed *Christi*.

DVBIVM I.

Vtrùm his verbis fiat consecratio ab Ecclesia?

2

OMisso errore nostrorum hæreticorum, qui non agnoscunt vllam conuersionem, & negant formas consecratorias Sacramentorum: quidam Græci recentiores docent, non solis illis verbis consecrationem fieri; sed quàsdam preces esse necessarias, quæ aliquamdiu post illa verba in illorum Liturgia proferuntur; nempe hæc, vel similia: *Spiritum tuum sanctissimum dimitte nunc quoque, Domine, in nos, & in hac dona sancta proposita, vt superueniens sancta sua præsentia sanctificet & efficiat hunc panem Corpus sanctum Christi tui, & calicem hunc pretiosum Sanguinem Christi tui*: quibus verbis recitatis, dicunt fieri conuersionem. Vnde mox Sacerdos gratias agit Deo, quòd hæc dona sanctificare dignatus sit; vt patet in Liturgiâ S. Iacobi. Ita docet Nicolaus Cabasilas in expositione Liturgiæ cap. 29. & 30. & quidam alij: contra quos agit Bessarion Cardinalis in proprio opusculo.

Græcorum opinio.

Nicolaus Cabasilas.

Bessarion.

Verùm dicendum est; Consecrationem non fieri illis precibus, vt Græci volunt, sed solis verbis Domini, *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus*: vel quod idem est, *Hic est calix Sanguinis mei.* Est ita certum, vt contrarium sit erroneum. Nam Concilium Florentinũ in instructione Armenorum hoc expressè docet, tanquam Doctrinam Ecclesiæ, non repugnantibus Græcis. *Forma*, inquit, *huius Sacramenti sunt verba Saluatoris, quibus hoc Sacramentum conficitur: Sacerdos enim*

3 Sententia Catholica reijcit Græcorum preces vt necessarias in consecratione.

Florentinum.

in persona Christi loquens conficit hoc Sacramentum. Ita Concilium. Atqui illæ preces non sunt *verba Saluatoris:* neque Sacerdos illas pronuntians, dicit illas *in persona Christi*, sed in propria persona ministri. Eadem veritas insinuatur in Concilio Tridentino sess. 13. cap. 3.

Liturgiæ. Probatur Primò, Quia Christus nec dixit, nec iussit dici illas preces. Nam neque Scriptura illas habet, nec traditione constat esse necessariò dicendas: nam in Liturgia latina, quæ putatur D. Petri, non habentur tales preces, nisi ante verba Domini; post autem, nequaquam: nec etiam in Liturgiâ Æthiopum.

Probatur Secundò, Si illis verbis, *Hoc est Corpus meum*, non fieret consecratio, falsa essent illa verba: nam non possunt esse vera, nisi reipsa tunc hoc sit *Corpus Domini.*

Consuetudo Eccles. Probatur Tertiò, Quia prolatis illis verbis, *Hoc est Corpus meum*, consuetudo totius Ecclesiæ habet, vt Eucharistia exhibeatur populo adoranda, etiam apud Græcos; imò apud illos hæc verba, *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur*, proferuntur clarâ voce, & populus respondet, *Amen*; quasi confirmans hoc ita esse: ergo tunc ibi est *Corpus Domini.*

SS. Patres, Iustinus. Probatur Quartò, Ex Patribus. Iustinus Apologia 2. sub finem dicit Panem fieri Corpus Domini per preces Verbi Dei; quas preces dicit esse illa verba, *Hoc est Corpus meum.* Vbi nota illa verba vocari *preces*, sicut & alias Sacramentorum formas; quia implicitam quandam inuocationem diuinæ virtutis continent: nam in actu exercito diuina virtus applicatur ad operandum ex intentione ministri, illa verba proferentis. Cyprianus Cyprian. serm. de cœna Domini. *Ex quo à Domino dictum est, Hoc facite in meam commemorationē: Hoc est Caro mea: & Hic est sanguis meus: quotiescumque his verbis, & hac fide actum est, panis iste substantialis; & calix benedictione solemni consecratus, ad totius hominis salutem proficit.* Hic ostendit Dominum his verbis consecrasse, & nos similiter consecrare. Ambr. Ambros. lib. 4. de Sacrament. c. 4. citatus à D. Thoma, & c. 5. explicat, quæ sint illa verba Domini; & dicit esse hæc, *Hoc est Corpus meum.* Cap. 9. lib. de ijs, qui Mysterijs initiantur, *Ipse clamat Dominus* IESVS, *Hoc est Corpus meum. Ante benedictionem verborum cælestium alia species nominatur: post consecrationem Corpus Christi est.* Gregorius Nyssenus apud Gregor. Euthymium in Panoplia titulo 21. *Panis statim in Corpus mutatur, vt dictum est à Verbo, Hoc est Corpus meum.* Chrysostomus homil. 2. in epist. 2. ad Chrysost. Timoth. *Sicut verba, quæ locutus est Christus eadem sunt, atque ea, quæ Sacerdotes nunc quoque pronuntiant; ita & oblatio eadem est.* Et sermone de proditione Iudæ: *Hoc verbo, Hoc est Corpus meum, proposita consecrantur:* & confert cum illis, *Crescite, & multiplicamini:* hoc tamen esse discriminis, quòd per hæc verba *crescite* &c. vis generatiua causis secundis tribuatur, non autem immediatè fiat ipsa generatio: per verba autem consecrationis, non detur aliqua virtus pani ad conuersionem; sed immediatè fiat ipsa conuersio. Damascenus Damascen. lib. 4. de Fide cap. 14. *Dixit Dominus, Hoc est Corpus meum; hoc facite in meam commemorationem: & omnipotenti eius præcepto efficitur, donec veniat.* Omitto alios. Consentiunt omnes Doctores cum Magistro dist. 8.

4 Ratio primaria est, institutio Christi, quæ nobis traditione innotescit. Congruentia est; quia cùm hoc Sacramentum sit sublimissimum, maximè attingens ipsum Deum, vtpote continens naturam ab ipso assumptam; non decuit fieri, nisi verbis Christi Dei. Confirmatur; quia Baptismus non fit nisi verbis Christi, nec vllas preces adiunctas requirit. Similiter alia Sacramenta præter suam formam non requirunt vllas preces: ergo multò minùs Eucharistia, quæ non in personâ ministri, sed in persona ipsius Christi perficitur, vt dictum suprà. Ratio & Congruentia.

Vnde ad rationem Græcorum: Respondeo, illis precibus solùm peti, non *vt Spiritus sanctus simpliciter efficiat panem Corpus Christi*; sed, *vt efficiat illud nobis Corpus Christi*, sic vt in nobis habeat Corporis Christi effectum. Nam qui manducat indignè, illi non est Corpus Christi sed venenū: ille enim condemnationem æternam manducat & bibit. Respõdetur obiectioni Græcorū.

Vnde Græci in Concilio Florent. sess. vltima interrogati ab Eugenio Papa, cur dicerent illas preces, quibus videretur peti consecratio, cùm iam consecratio esset facta? responderunt, nihil se dubitare, quin consecratio tunc esset facta per verba Christi: addi tamen illas preces, vt peterent Sacrificij fructus: sicut Latini dicunt, *Iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum.* Græcorum in Florentino confessio de hisce precibus.

DVBIVM II.

Vtrùm Dominus eisdem verbis consecrauerit, quibus nos?

5 D. Thomas adfert quatuor opiniones. Sed tres priores carent omni probabilitate, & ferè sunt erroneæ. Sola quarta est vera, scilicet Dominum consecrasse ijsdem verbis, quibus nos. Est communis sententia Patrum, & omnium Doctorum Scholasticorum, exceptis paucis: qui etsi nobiscum sentiant, tamen probabile putāt Christum nullis verbis consecrasse, sed solo imperio voluntatis. Ita Innocent. III. lib. 4. de Mysterijs Missæ cap. 6. Gabriel lect. 36. & 48. Richardus, Armacanus lib. 9. qq. Armeniacarum cap. 5. Sed reuerà hæc sententia non est vllo modo probabilis. Sententia communis affirmat. Non est probabile Christum sine vllis verbis consecrasse.

Probatur Primò, Ex Scripturis: Quia Christus post consecrationem, statim subdit; *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis iussit nos imitari suam actionem in consecrando, offerendo, sumendo, & dispensando: pronomen enim (*hoc*) refertur ad totam Christi actionem; vt communiter docent Theologi, & expressè Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 1. Ergo necesse est, nos eisdem verbis consecrare, quibus Dominus consecrauit. Quod Confirmatur Primò, Quia præcipua actio erat consecratio, in qua etiam includitur oblatio: ergo si ille alijs verbis consecrasset, vel etiam solo voluntatis nutu, non imitaremur illum in primaria actione. Confirmatur Secundò, Quia quando Dominus consecrauit, instituit hoc Sacramentum: ergo oportebat, vt tunc consecraret ritu Sacramentali, per aliqua verba sensibilia; atque adeò eodem ritu, quo nos posteà vti voluit: alioquin vel non fuisset idem Sacramentum, quod nos habemus; vel impertinens fuisset illa consecratio ad institutionem huius Sacramenti. Idē confirmari potest ex serie nostri Canonis; *Qui pridie, quam pateretur &c.* Ex Script.

Secundò,

Ex Patribus.

Secundò, Quia idem docent expresè Patres: Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Gregorius Nyssenus, Chrysostomus, Damascenus, & alij.

6 Obiectio quòd Christus benedixerit panem, id est, in suum Corpus conuerterit ante consecrationem.

Dices; Si Christus consecrauit illis verbis, *Hoc est Corpus meum*; quomodo Euangelistæ significant illum priùs *benedixisse*, deinde *fregisse*, tertiò *dedisse Discipulis*, & tunc demum dixisse, *Accipite & comedite, Hoc est enim Corpus meum?* Nam illa benedictio Christi fuit efficax, ac proinde sanctificauit panem ante illa verba.

Quorundã solutio.

Respondent multi cũ D. Thoma non esse seruatum ordinem ab Euangelistis in narratione, qui seruatus est à Domino in re gerendâ: benedictionem enim illam fuisse factam verbis consecrationis, *Hoc est Corpus meum*; vt videre est apud D. Thomam. Sed hæc sententia non satisfacit.

1. Refutatur ex Græco textu.

Primò, quia in Græco textu apertè significatur Dominum benedixisse panem antequam diceret, *Hoc est Corpus meum*. Matthæus enim, & Marcus dicunt, *Accepto* IESVS *pane, postquam benedixisset, fregit, & dedit ipsis, & dixit*; *Hoc est Corpus meum*: id enim significant hæc verba εὐλογήσας ἔκλασε. Lucas & Paulus habent εὐχαριστήσας ἔκλασε, id est, *Cùm gratias egisset, fregit*. Vnde apertè sequitur præcessisse benedictionẽ & gratiarum actionem, antequam diceret *Hoc est Corpus meum*.

2. Ex Trid.

Secundò non satisfacit, Quia Concilium Trident. sess. 13. cap. 1. id clarè docet; dum ait: *Dominum hoc Sacramentum in vltima cœna instituisse, cùm post panis vinique benedictionem, suum illis Corpus præbere ac suum Sanguinem disertis verbis testatus est*. Tertiò,

3 Ex nostro Canone.

Idem insinuatur in nostro Canone: dum enim dicimus *Benedixit*, crucem formamus super panem; quâ cæremoniâ significamus benedictionem Christi.

Vera solutio.

Dicendum ergo probabilius videri hanc benedictionem non fuisse factam illis verbis, *Hoc est Corpus meum*; ac proinde esse distinctam à consecratione. Insinuat Bonuentura dist. 8. art. 2. q. 3. Dominicus Soto dist. 11. q. 1. art. 2. Armacanus lib. 9. cap. 5. Beda in cap. 14. Marci. Iansenius in cap. 131. Concordiæ.

7 Quid sit hæc *Benedictio*, quidque operata?

Dices; Quid fuit hæc *benedictio?* Respondeo, Videtur fuisse inuocatio diuinę virtutis super panem. Sicut quando panes multiplicauit, eos benedixit; tamen eo momento non fiebat multiplicatio; erat enim inuocatio diuinæ virtutis ad panes multiplicandos debito modo & ordine. Sic in Liturgiâ D. Iacobi, Basilij & etiam nostrâ petimus, vt virtus diuina in panem descendat. Per hanc tamen benedictionem non fuit panis immediatè conuersus, sed diuinæ virtutis assistentia fuit pro omnibus in futurum tempus consecrationibus præparata, & veluti applicata, vt formula verborum legitimè pronuntiata, per eam operaretur, & panem in Corpus Christi conuerteret.

8

Dices; Ergo Dominus bis benedixit materiã. Respondeo, Verum est: Sed hæ duæ benedictiones erant instar vnius; nam altera referebatur ad alteram, habebatque suum completum effectum in fine secundæ benedictionis.

Ordo Actuum Christi consecrãtis Corpus suum.

Itaque Christus in institutione videtur hoc ordine processisse: Primò, *Accepit panem*; Secundò, *Gratias egit Patri, oculis in cælum eleuatis*, vt habet noster Canon & Liturgia D. Iacobi, & Clemens lib. 8. constitutionum Apostolicarum c. 17. Ambrosius lib. 4. de Sacrament. cap. 5. Et confirmatur; quia semper, dum gratiãs ageret Patri, in cœlum suspicere consueuerat: Matth. 14. Marci. 6. Lucæ 9. Ioan. 11. Tertiò, *Benedixit panem*, inuocando Patris omnipotentiam super illum: etsi enim Matthæus & Marcus meminerint *benedictionis panis*, non autem *actionis gratiarum*; Lucas autem & Paulus solùm meminerint *Actionis gratiarum*, non *benedictionis*: tamen certum est, esse actus distinctos, & Dominum vtrumq; adhibuisse: tùm quia *benedictio* respicit panem, *gratiarum actio* respicit Patrem; tum quia omnes Liturgiæ habent Dominum & in consecratione panis, & in consecratione vini gratias egisse Patri, & benedixisse materiam. Verùm quia hi actus iunctim fiebant vnâ oratione continuâ, Euangelistę sub alterâ relinquunt alteram intelligendam; vt rectè Iansenius in Concordia cap. 131. Quartò, *Fregit panem*; id enim Euangelistæ & Paulus expresè dicunt. Quintò, *Porrexit*, & inter porrigendum dixit: *Accipite & comedite, Hoc est Corpus meum*; quæ verba posteriora dicta sunt duplici modo, nempe tanquam verba porrigentis, & tanquam verba consecrantis. Iuxta hanc explicationem omnia sunt clara in narratione Euangelistarum, & Pauli.

Tertius.

Quartus.

Quintus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm hæc sit conueniens Forma consecrationis panis, Hoc est Corpus meum.

9

REspondetur Affirmatiuè. Et Ratio est. Quia hæc forma optimè significat id, quod Sacramento efficitur, quod est transsubstantiatio panis in Corpus Christi facta in instanti.

Enim non est de essentiâ formæ, nec omisso eius mortalis.

Notandum Primò, Particulam (*Enim*) non esse de essentiâ formæ: vnde nec Euangelistæ eam habent. Ratio est; quia non est necessaria ad significandum formæ effectum; sed tantùm additur, vt explicet rationem, cur debeamus manducare id, quod Dominus porrigit: vnde solùm recitatiuè dicitur à Sacerdote, non significatiuè. Quare non videretur peccatum mortiferum, etiamsi ex aliquâ negligentiâ omitteretur, vt Soto notauit.

Vox, *Est*, non necessariò addẽda, non tamen omittitur sine peccato.

Notandum Secundò, Verbum (*Est*) non videri necessariò exprimendum. Nam apud Lucam nõ exprimitur in forma Sanguinis: & Hebræi nunquam solent exprimere; vnde nec Dominus expressisse credendus est. Necessariò tamen subintelligitur iuxta phrasim Hebræam. Neque sine graui peccato potest omitti.

Si loco *Hoc*, diceretur *Hic*, nihil conficeretur.

Notandum Tertiò, Si loco (*Hoc*) diceretur *Hic* aduerbialiter, nihil fieret: quia non significaretur transsubstatiatio. Item si diceretur (*Illud*,) loco *Hoc*: quia *Illud* non designat rem presentem; secùs fortè, si diceretur *Istud*. Item, si diceretur *Hæc res, hic cibus, hoc sensibile*, fieret consecratio; licet esset graue peccatũ, contra traditionem Apostolicam, & vniuersalem Ecclesiæ consuetudinẽ.

Accipite & manducate non spectat ad formã.

Notandum Quartò, Verba illa, *Accipite, & manducate*, non pertinere ad formam; quia per ea solùm datur præceptum vtendi hoc Sacramento: circa ipsum autem Sacramentum nihil operantur: sicut cùm Dominus Ioannis 8. dicebat, *Vade, filius tuus viuit*; illud *vade* nihil operabatur circa filiũ, sed solùm hæc verba, *filius tuus viuit*. Multò minùs necessaria sunt verba, quæ in Canone præcedunt.

Qui pridie

Nec ad cõsecrationẽ faciunt: *Qui pridie quàm pateretur*, vtvult Scotus.

Qui pridie quàm pateretur: quod est contra Scotum dist. 8. q. 2. qui existimat, nisi proferantur omnia verba ab eo loco Canonis, *Qui pridie*, vsque ad, *Hoc est Corpus meum*, non fieri consecrationem: *Quia licet*, inquit, *non sint essentialia, tamen sunt necessaria vt determinent significationem formæ ad Corpus Christi; alioqui Sacerdotem videri loqui de corpore suo.* Sed hæc sententia non est probabilis; tùm quia verba illa præcedentia, non sunt verba Christi, sed Ecclesiæ, vel Euangelistarum: tum quia Patres, & reliqui Doctores docent verba absolutè necessaria esse tantummodò ista, *Hoc est Corpus meum*: quæ sufficienter determinantur ad significandum Corpus Christi, partim ex intentione ministri, vt in ceteris Sacramentis; partim ex eo, quòd ipse loquatur in persona Christi. Sicut cùm Angelus ait, *Ego sum Dominus Deus tuus*, pronomen *ego* non accipitur pro Angelo, sed pro eo, cuius personam Angelus gerit. Idem confirmari potest ex Concilio Florentino suprà citato.

Hæc verba, *Quod pro vobis frãgitur*, non sunt addenda necessariò.

Notandum Quintò, In Liturgijs Græcorum, Iacobi, Basilij, Chrysostomi addi hæc verba in consecratione panis, *quod pro vobis frangitur vel traditur*; sed non sunt necessaria: nam nec apud Matthæum vel Marcum habentur, nec apud plerosque Patres qui referunt formam consecrationis, nec in nostro Canone. Ratio est; quia transsubstantiatio panis in Corpus Christi plenè significatur his verbis, *Hoc est Corpus meum*; vnde illa determinatio, *quod pro vobis frangitur*, non est necessaria; sed solùm additur maioris explicationis causâ.

ARTICVLVS III.

Vtrùm hæc sit conueniens forma Calicis: Hic est calix Sanguinis mei &c.

RESpondetur Affirmatiuè.

11 Notandum tamen contra D. Thomam & quosdam Thomistas, ad consecrationem Calicis sufficere hæc verba, *Hic est calix Sanguinis mei*; vel, *Hic est Sanguis meus*, & reliqua quæ adduntur nihil operari. Ita passim Doctores cum Magistro dist. 8. & qui hoc tempore scribunt contra hæreticos.

Sufficiens forma calicis, quæ.

Verba *noui & æterni* &c. ad formam non sunt necessaria.

Probatur Primò, Quia in Liturgijs Græcorũ S. Iacobi, Basilij, Chrysostomi (quas D. Thomas non videtur vidisse) non habentur hæc verba, *æterni*, &, *mysterium fidei*: & in Liturgia Æthiopum omittitur hoc totum, *Noui & æterni testamenti, mysterium fidei*: quod certum signum est, non esse necessarium.

Responsio Paludani reijcitur.

Respondet Paludanus, illos omnes non consecrare. Sed hoc est magnæ parti Ecclesiæ tribuere intolerabilem errorem in re summi momenti; quem errorem Ecclesia Romana nunquam reprehendit; quemque grauissimi, sanctissimique Patres (quod absit) essent secuti.

Probatur Secundò; Quia alia verba addita non significant aliud, quàm effectum & vsum Sacramenti: ergo non pertinent ad substantiam huius Sacramenti, quod non consistit in vsu.

Probatur Tertiò, Quia in forma consecrationis panis, Dominus etiam addiderat, *Quod pro vobis frangitur*, seu *traditur*; & tamen hoc ibi non pertinet ad substantiam formæ: ergo neque illa verba in consecratione calicis, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur.*

Probatur Quartò, Etiam Corpus Christi sub specie panis est *mysterium fidei*; & tamen hoc non additur: ergo non est de substantia. Ratio est; quia formæ Sacramentorum illud efficiunt, quod significant: atqui hæc verba, *Hic est Sanguis meus*, plenè significant conuersionem vini in Sanguinem, sicut ista, *Hoc est Corpus meum*, plenè significant conuersionem panis in Corpus Christi: ergo sufficiunt.

12 Soti sententia improbabilis.

Neque est probabile, quod docet Dominicus Soto in hunc locum; Hæc verba, *Hic est calix Sanguinis mei*, si sola proferantur, sufficere quidem ad consecrationem; tamen, si addantur reliqua, suspendi consecrationem vsque ad finem illorum; & idcircò etiam reliqua esse de substantia. Si enim sufficiunt illa: ergo omnino fit consecratio illis debitâ intentione prolatis, siue alia addantur, siue non: vt patet in forma consecrationis panis apud Græcos; alioquin oportebit dicere, etiam apud illos suspendi cõsecrationem panis, donec finiantur illa verba, *Quod pro vobis frangitur*: quod nemo dixerit. Confirmatur, quia non est in potestate ministri suspendere effectum Sacramenti; nam Sacramentum operatur instar naturæ, positis necessarijs.

Sine peccato non possunt omitti hæc verba: *Qui pro vobis* &c.

Aduerte tamen, hæc posteriora verba nõ posse sine graui peccato omitti, propter Apostolicam traditionem, & Ecclesiæ vniuersalem consuetudinem, quæ vim legis obtinent.

13 Explicantur verba formę calicis.

Quòd ad sensum formæ attinet: Prior pars est, *Hic est calix Sanguinis mei.* Sensus est; Id quod continetur hoc calice, est Sãguis meus: vel, vt alij volunt, Hic calix continet Sanguinẽ meũ. Matthæus & Marcus habent, *Hic est Sanguis meus noui Testamenti*; quo modo quidam putant Dominum dixisse. Lucas verò & Paulus, *Hic est calix nouum Testamentum*, quod in nostra Liturgia seruatum est: & meritò, vt significetur Sanguis Christi hîc Sacramentaliter libari & offerri.

1. Pars.

2. Pars.

Altera pars, *Noui & æterni Testamenti*; id est, quo confirmatur & applicatur noua dispositio Dei de æternâ hæreditate hominibus conferendâ. Dupliciter autem *Sanguis Christi* dicitur *Sanguis noui Testamenti*: Primò, Quia dispositio, & promissio diuina de æterna hæreditate, confirmata est huius sanguinis effusione; quæ facta est partim in cœna, partim in cruce. Hæc autẽ dispositio, seu promissio dicitur *Nouum Testamentũ*; quia non pertinet ad legem veterem, sed ad nouam; lex enim vetus non habebat expressè nisi terrenas promissiones. Dicitur *Æternum*, vel quia ab æterno præparatur; vel quia de æternâ salute; vel quia nunquam antiquandum, sed duraturũ vsque ad finem sæculi. Secundò, Dicitur: *Sanguis noui Testamenti*; quia Sanguis Christi in Eucharistiâ, est veluti instrumentum quoddam authenticum, continens in se descriptam Christi testatoris voluntatem; eamque nobis applicans, & ius tribuens hæreditatis; sicut testamentum in rebus humanis.

Cur Sãguis Christi dicatur sanguis noui Testamẽti.

3. Pars. Dicitur *Mysterium fidei.*

Tertia Pars, *Mysterium fidei*: quo significatur Sanguinem Christi sub speciebus latentem, esse rem arcanam, sola fide cognoscibilem: vel, ipsum Sanguinem pro nobis effusum esse *Mysterium* à sæculis absconditum, cuius fide eramus iustificandi; nam fide Sanguinis eius reconciliamur Deo:

Ad Rom.

Ad Rom. 3. v. 25. *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in Sanguine ipsius.*

4. Pars. Explicatur verba, *Qui pro vobis* &c.

Quarta Pars, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum:* Græca habent *effunditur.* Sensus est, qui pro vobis & pro multis libatur, offertur. Quæ sententia patet ex Luca, qui expressè dicit *calicem effundi*: sicut enim *frangere* est *immolare*, quando dicitur de pane, seu corpore, prioris ad Corinth. 10. v. 16. *Panis, quem frangimus, nónne communicatio Corporis Domini est?* & Corinth. 11. v. 24. *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur*; quomodo etiam habent Liturgiæ Græcorum: ita hîc *effundere*, est *libare*, *offerre Deo*: nam oblatio liquidorum fit cum effusione. Illud autem *Pro vobis, & pro multis*, variè explicatur. Fortassis non distinguuntur: nam quod vnus Euangelista dicit *Pro vobis*, alius dicit *pro multis*; nemo autem vtrumque habet. Si quis tamen velit distinguere, commodè *Pro multis*, intelligitur de *fidelibus*: nam in Ecclesiâ pro solis fidelibus propriè hoc sacrificium offertur. Vide plura apud Iansenium cap. 131. Concordiæ.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm prædictis verbis insit aliqua vis creata effectiua consecrationis?

14 Excutitur mens Diui Thomæ.

NOtandum, Videri à D. Thoma poni aliquâ vim creatam, à Christo deriuatam; ac proinde aliquam qualitatem realem & supernaturalem: quomodo illum etiam antiqui Thomistæ intelligunt. Tamen in solutione 3. argumenti videtur deflectere ad vim moralem; ait enim, Hanc vim sequi ex significatione: atqui significatio non est quid reale in verbis: ergo nec vis, quæ in ea fundatur. Vide dicta suprà q. 62. art. 4.

ARTICVLVS V.

Vtrùm prædicta locutiones sint veræ?

REspondetur, Esse veras. Ratio est; Quia non significant suum significatum, (seu connexionem extremorum) esse in principio orationis (id enim nullo modo postulat orationis veritas;) sed in termino: atqui tunc verè illorum verborum significatum est; nam substantia, sub speciebus panis & vini contenta, verè est Corpus & Sanguis Christi.

DVBIVM I.

Vtrùm hæc verba, Hoc est Corpus meum *dicantur à Sacerdote tantummodò historicè, seu narrando; an etiam affirmando?*

15 Verba hæc proferuntur affirmatiuè.

VIdentur enim solum historicè dici; nam solùm commemorat, quid Christus dixerit, & egerit.

Respondeo, Certum est, hæc verba non solùm historicè proferri, sed etiam affirmatiuè, tanquâ propria ipsius loquentis. Quod est contra Durandum dist. 8. q. 2. & contra Innocentium III. lib. 4. de mysterijs Missæ cap. 17.

Contrariũ tenet Durandus &c.

Sed tenet communior sententia Doctorum dist. 8. Bonauentura, Scotus, Richardus, Paludanus, Capreolus, & alij. Et D. Thomas hoc loco. Probatur Primò, Quia hoc apertè colligitur ex Concilio Florent. *Forma*, inquit, *huius Sacramenti sunt verba Saluatoris, quibus conficitur hoc Sacramentum: Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum*, &c. Atqui, si solùm *historicè* seu *recitatiuè* dicerentur, loqueretur Sacerdos solùm in persona sua, non *in persona Christi*, sicut cùm recitat passionem.

Probatur Secundò, Si solùm acciperentur *historicè*, non applicarentur ad materiam præsentem Sacerdoti; sed solum ad materiam, quæ præsens erat Christo; ac proinde non fieret consecratio: sicut dum recitantur in passione, vel in epistola prima Apostoli ad Corinth. c. 11.

Probatur Tertiò, Quia formæ ceterorum omnium Sacramentorũ proferuntur *significatiuè*, seu *affirmatiuè*: ergo etiam forma huius Sacramenti.

16 Sacerdos celebrans quædam dicit tantũ in persona sua, quædã etiam in persona Christi.

Aduerte, Sacerdotẽ in actione Liturgiæ quædam loqui solùm in persona sua: veluti cùm confitetur sua peccata, cùm orat super populum, cùm recitat Epistolam, Euangelium, & etiam Canonem vsque ad verba consecrationis: quædam non solùm in persona sua, sed etiam in persona Christi, perinde ac si ipsemet esset Christus; & sic profert hæc verba, *Hoc est Corpus meum*, *Hic est calix Sanguinis mei*: quomodo Angelus Exodi 3. dicit: *Ego sum Deus Patris tui.* Ratio est; quia non solùm intendit proferre verba illa, vt narret quid Christus dixerit & fecerit; sed etiam, vt ipse per eadẽ verba in persona Christi operetur, conuertendo hunc panem præsentem in Corpus Christi; & significet id, quod operatur. Hæc enim duo in eâdem oratione simul posse intendi, & significari, patet exemplis: Vt, si Legatus regis habens in mãdatis te præponere arci, dicat: *Rex mihi iniunxit, vt hanc arcem tibi traderem, dicens; Huius arcis tu esto præfectus*; intendens simul narrare quid rex dixerit, & in persona regis arcem illis ijsdem verbis tradere. Item, si quis dicat: Caluinus dicit, *Christi Corpus non est in Eucharistia*, intendens referre quid Caluinus doceat, & simul significare suam sententiam.

Vox *Hoc vt narratiuè*, vel *affirmatiuè* dicitur, quid significet.

Hîc tamen aduerte, quatenus illa verba, *Hoc est Corpus meum*, dicuntur *historicè*, seu *narratiuè*, pronomen *Hoc* designat contentum sub speciebus panis, qui erat in manibus Christi: quatenus autem dicuntur *affirmatiuè*, designat contentum sub speciebus panis, qui est in manibus Sacerdotis. Neque id mirum; quia potest oratio sub diuersa intentione etiam diuersa significare, sine vllo vitio æquiuocationis; præsertim quando intentiones seu significationes sunt subordinatæ, sicut in propositio.

DVBIVM II.

Vtrùm hæc oratio, Hoc est Corpus meum; *operetur quatenus est vera? An alio modo, scilicet quatenus est neutra, id est, neque vera neque falsa?*

17 operandi

REspondeo, & Dico Primò, Hæc oratio operatur vt significatiua. Probatur; Quia ratio

Hæc Oratio operatur, vt Significatiua.

operandi est significatio; vt videre est in omnibus Sacramentis: omnia enim operantur vt signa. Vnde Cocilium Trident. sess. 13. cap. 3. dicit *Christi Corpus esse ibi ex vi verborum*; id est, ex vi significationis verborum.

Dico Secundò, Non tamen operatur, vt vera speculatiuè, aut vt falsa: sed vt prior naturâ quàm sit vera vel falsa; id est, operatur, vt neutra, iuxta Scotum dist. 8. qu. 2. art. 3. Probatur, Quia veritas illius speculatiua pendet à præsentiâ Corporis Christi; præsentia autem pendet ab operatione: ergo operatio orationis huius est prior naturâ, quàm veritas eius: ergo operatio non pendet ab eius veritate: sed contrà, veritas eius pendet ab eius operatione. Quod confirmatur; quia oratio illa operatur, non quia vera est, sed vt vera sit: priùs enim naturâ est significatiua, quàm sit vera, cùm per se sit indeterminata ad veritatem, vel falsitatem. Vt autem sit vera, operatur suum significatum.

18 Et vt Vera Practicè.

Dico Tertiò, Hæc oratio vt vera practicè, rectè dicitur esse operatiua sui significati, & causa suæ veritatis speculatiuę seu enuntiatiuæ: vt rectè Caietanus hoc loco. Probatur, Quia practica veritas orationis consistit in eo, quòd sit conformis intentioni & potestati loquentis. (Vt patet in hac oratione, *Hic ager erit tuus*, pronuntiata à domino agri cum intentione tibi donandi: erit enim practicè vera, etsi fortè contingat veritatem speculatiuam, quæ pendet ab executione, impediri.) Hinc enim habet, quòd sit vera causa sui significati, ac proinde suæ veritatis speculatiuæ.

Itaque in hac oratione hæc ordine sunt considerandæ. Primò, sonus materialis verborum. Secundò, significatio indeterminata ad verum & falsum. Tertiò, veritas practica. Quartò, operatio eius. Quintò, præsentia Corporis Christi. Sextò, veritas speculatiua.

19 Ordo eorum, quæ hic in hac Oratione considerandæ sunt.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm forma consecrationis panis consequatur suum effectum, antequam perficiatur forma consecrationis vini?

Vide D. Thomam.

QVÆSTIO LXXIX.

De Effectibus Sacramenti Eucharistiæ.

1 Varij effectus Eucharistiæ.

NOtandùm est, Dupliciter considerari Eucharistiam. Primò, Vt Sacramentum est. Secundò, vt Sacrificium. Vt Sacramentum est, habet varios effectus. Primus est, Collatio gratiæ habitualis, & virtutum annexarum; idque eo fine, vt perfectiùs Christo vniamur. Secundus effectus est, Remissio peccati mortalis & venialis. Tertius est, Præseruatio à peccatis futuris. Quartus est, delectatio spiritalis. Quintus est, Glorioſa resurrectio corporum. De primo effectu agemus in quatuor proximè sequẽtibus Dubijs: de ceteris verò in Dubio 5.

Priùs tamen Aduerte, etsi alia Sacramenta gratiam conferant, huic tamen proprium esse conferre gratiam ad eum finem, vt perfectiùs Christo vniamur; vnde potissimum auget charitatem. Aduerte Secundò, Hoc Sacramentum etiam conferre auxilia præuenientia ad excitandã charitatem idonea; vt rectè docet D. Tho. art. 1.

DVBIVM I.

An hoc Sacramentum aliquando conferat primam gratiam? Et consequenter, an aliquando deleat culpam peccati mortalis?

REspondeo, & Dico Primò, Per se, & primaria sui institutione non confert primam gratiam, sed solùm gratiæ augmentum. Ratio est; quia datur per modum cibi, seu alimenti spiritalis ad augendam charitatem. Alimentum autem præsupponit vitam sui generis. Vnde Apostolus 1. ad Corinth. 11. v. 28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat*. Quare nunquam potest sumi Eucharistia directè hac intentione, vt culpa mortalis condonetur; sicut Sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ.

2 Per se non dat primã gratiam.

Dico Secundò, Per accidens tamen fieri posse, vt conferat primam gratiam. Ad hoc tamen non est satis, vt bonâ fide accedas sine conscientiâ peccati mortalis. Nam peccatum mortale non potest vnquam remitti sine aliquâ pœnitentiâ supernaturaliter inspiratâ, saltem attritione: vel certè sine actione virtualiter pœnitentiam continente. Pœnitentia enim est necessarium medium ad remissionem peccati mortalis; vt colligitur ex multis Scripturis, & Concilio Tridentino. Bona autem fides non potest supplere defectum medij necessarij. Itaque requiritur saltem vera attritio in genere de omnibus peccatis cõmissis. Quòd si quis conscientiam peccati mortiferi habeat, præter veram attritionem, etiam requiritur vt bonâ fide existimet se contritum, vel saltem suam pœnitentiam esse sufficientem; quamuis in illâ existimatione fallatur: nam alioqui non excusabitur à transgressione præcepti diuini, quo tenetur in statu gratiæ accedere. Vide D. Thomam art. 3.

3 Sed dat per accidens.

Quid sinõ sis conscius peccati mortalis!

Quid si eius sis cõscius!

DVBIVM II.

Vtrùm eo momento, quo confertur gratia habitualis in Eucharistia, necesse sit habere actualem deuotionem, & non peccare venialiter?

CAietanus hoc loco art. 1. affirmat actualem deuotionem esse necessariam; & etiam, vt tunc non committat peccatum veniale; quia deuotionem impedit. Vnde colligit, omnes illos qui cum distractione cõmunicant, vel celebrant, nõ accipere augmentum gratiæ: quod etiam sensit Du-

4 Caietanus affirmat.

sit Durandus d. 12. q. 4. ad 3. & Bonauentura, Antoninus, Petrus Soto, & quidam alij. Addit tamen Caietanus, hoc augmentum posteà dari, quando se excitabit ad deuotionem. Sed contrarium est longè probabilius. Vnde

5 Homini iusto, ad fructũ Eucharistiæ, non est necessaria actualis deuotio.

Dico Primò, In homine iusto, vt accipiat augmentum gratiæ per hoc Sacramentum, nullam actualem deuotionem esse absolutè necessariam; quamuis saluberrima sit, & procuranda. Ita ferè omnes Doctores cæteri: D. Thomas art. 8. & Sotus in eundem articulum. Victoria quæst. 76. de Eucharistia & alij.

Probatur Primò, Quia alioqui sæpè homines iusti fraudarentur fructu huius Sacramẽti sine suâ culpâ: nam sæpè fit, vt patiantur tunc distractiones planè inuoluntarias: atqui non est credibile, Christum sic instituisse hoc Sacramẽtum, vt eius fructus penderet à dispositione, quę non est in hominis potestate; qualis est deuotio actualis illo momento temporis.

Probatur Secundò, Quia ipsum Sacramentum per se est efficax gratię in homine nõ habente impedimentũ: atqui in homine iusto nullum est impedimentũ infusionis gratiæ, etiãsi careat actuali deuotione: ergo sufficit vt ex intẽtione illud suscipiat. Minor probatur; Tum quia paruulis & amentibus in gratia constitutis, carentia deuotionis non est impedimentum infusionis gratiæ; cur sit adultis impedimentũ, præsertim si sine culpâ, hac deuotione careant? Tũ quia ipsa iustitia habitualis est sufficiens dispositio ad augmentum gratiæ per Sacramentum: nam si attritio in eo, qui est in peccato mortali, potest esse sufficiẽs dispositio cũ bonâ fide ad infusionem primę gratię & iustificationis, vt dictũ est; multò magis iustitia habitualis, quę vi suâ omne peccatum mortiferum excludit, sufficiens dispositio erit ad gratiæ augmentũ.

6 Peccatum veniale cõmissum in susceptione Eucharistiæ, non impedit infusionem gratiæ.

Dico Secundò, Etiam peccatum veniale commissum in susceptione Eucharistiæ, non impedit gratiæ infusionem. Ita D. Thomas art. 8. huius quæstionis, & plerique DD. Gabriel lectione 85. Item Adrianus, Sotus, Victoria.

Probatur Primò, Quia peccatum veniale nõ repugnat gratiæ habituali, ac proinde nec eius infusioni, si aliunde adsit sufficiens causa infusionis; vt hîc. Quia peccatum veniale non impedit, quo minùs quis possit simul mereri alio opere, & ex illo merito accipere gratiam: ergo non impedit efficaciam meritorum Christi, quæ nobis per hoc Sacramentum applicantur.

Probatur Secundò, Quia non erat consentaneũ humanæ fragilitati, vt Deus vellet effectum huius Sacramenti tam efficacis impediri per tam leuem culpam. Vnde 1. ad Corint. 11. non iubemur nos probare nisi de mortiferis, iuxta communem Patrum expositionem.

7 Carentia attentionis si ex negligẽtiâ orta, est hîc veniale.

Aduerte tamen, deuotionis & attentionis absentiam esse peccatum veniale, si ex negligentia proueniat: quia non minorem attentionem & reuerentiam requirit perceptio huius Sacramenti, quàm recitatio horarũ Canonicarum, sed multò maiorem. Non tamen idcircò impeditur effectus Sacramenti, quem vi sua confert.

Soluuntur obiectiones.

Dices Primò, Deus non iustificat adultos conferendo primam gratiam, vel gratiæ augmentum, nisi interuentu motûs liberi arbitrij, quo liberum arbitrium in Deum moueatur. Respondeo, Verũ est: Sed non est necesse, vt ille motus simul sit cum

Solutio.

perceptione Sacramenti; satis est vt ante præcesserit: nam gratia non confertur tunc vi motûs liberi arbitrij, sed vi Sacramenti.

Dices Secundò, Si homo acciperet gratiæ augmentũ, quandocumque communicat in gratia, crescret eius gratia ferè in immensum; quod tamen nõ videtur: nam tales sæpè manent æquè imperfecti, & tepidi atque erant anteà. Respondeo, Non esse dubitandum, quin gratia in huiusmodi mirificè quotidie crescat. Quòd autem hoc incrementum foris non ita appareat, causa est, quòd externus feruor, & passionum moderatio, magis cõparetur vsu, vel per assiduas excitationes diuinæ inspirationis, quàm augmento gratiæ habitualis. Nam inclinatio donorum habitualium gratiæ nõ directè repugnat motibus passionum: vnde etiam fit, vt experimento deprehendi nequeat. Quare fieri potest, vt aliquis maxima charitate sit præditus, & tamẽ subiectus sit vehementioribus passionum motibus, quàm alius, qui longè est charitate inferior. Adde, quòd talis faciat maiora opera interna, licet exteriùs non appareat. 8 Cõmunicãs in gratia, semper in eâ crescit.

DVBIVM III.

Quando hoc Sacramentũ conferat hanc gratiã?

Respondeo, Videri conferre vel in principio manducationis, quando videlicet speciebus imprimitur impetus ab instrumẽtis vitalibus, quo impetu traijcitur in stomachum. Vel certè in fine seu termino manducationis, quãdo iam pertingit in stomachum; tunc enim completur manducatio. Vel denique immediatè post primũ instans manducationis; tunc enim primùm dicitur Corpus Christi manducari, non autem in primo instanti, nec in vltimo. Nam manducari, est vitali actione traijci in stomachum, ac proinde includit motum. Nihil autẽ mouetur in primo & in vltimo instanti motûs; sed solùm in medio: ergo in primo & in vltimo instanti nõ propriè dicitur manducari. Atqui Dominus Ioannis 6. *soli manducanti* promittit gratiam: ergo gratia datur, quando primùm dici potest Eucharistia *manducari*; ac proinde post primum instans manducationis. Quare datur gratia, nõ in instãti temporis nostri, cũ post instans nullũ aliud sit instans immediatũ; sed datur in tempore indeterminato, quod proximè sequitur primũ instans. Nec obstat, quòd infusio illius gratiæ tota simul fiat: etsi enim in se tota simul sit, tamen respectu tẽporis nostri eius infusio non coëxistit instanti temporis nostri, sed tẽpori indeterminato. 9 Quando præcisè Eucharistia det gratiam.

DVBIVM IV.

Vtrùm Eucharistia post manducationem nihil amplius conferat gratiæ habitualis?

Respondeo & Dico Primò, Si post manducationem crescat deuotio sumentis, valdè probabile est, etiam augeri gratiam virtute huius Sacramenti, modò adhuc saluæ sint species. Ita Gabriel lect. 85. Ioan. Maior d. 9. q. 1. & Caiet. hoc loco. Ratio est; Quia promissio gratię per hoc Sacramentũ consequendę maximè facta est propter Christum manducatum, iuxta illud Ioan. 6. v. 57. *Qui manducat me, viuet propter me.* Quod confirmatur; quia cibus corporalis non tantùm prodest in mãducatione, sed etiã post: ergo & hic cibus spiritalis nouum fructũ cõferet, si noua sit dispositio. 10 Crescente deuotione videtur & gratia crescere, si perfiẽt species

Dico Secundò, Si in sumptione desit legitima dispositio, vt si sit in peccato mortifero, & nõ habeat eius 11

Quid, si sumatur in peccato mortali sine attritione?

beat eius saltem attritionem cum bona fide, tunc non confert gratiam: tamen, si impedimentū auferatur, dum adhuc saluæ sunt species, valdè probabile est gratiā conferre. Docent ijdē Doctores. Ratio est; Quia ipsum Sacramentū tunc adhuc est in homine: ergo sublato impedimento poterit suū effectū conferre. Sic cibi corporales, si aliquod sit impedimentū in stomacho, non prosunt, quo sublato incipiunt prodesse. Confirmatur, Quia cetera Sacramenta conferunt suum effectum fictione recedente, eò quòd sint actiones Christi, quę secundùm se sunt viuę: atqui in Eucharistia est Christus ipse: ergo, etsi in sumptione non habuit effectum propter impedimentum; tamen sublato impedimento proderit, cùm adhuc præsens sit.

Recedente impedimẽto videtur prodesse.

DVBIVM V.

De alijs effectibus Sacramenti Eucharistiæ.

12 DIco Primò, Secundus effectus Sacramenti Eucharistiæ, est remissio peccatorum ex opere operato quo ad culpam.

Tribus casibus Eucharistia remittit mortale, sed tantùm per accidẽs.

Culpa quidē mortifera per accidens remittitur in hoc Sacramẽto, idque in tribus casibus. Primò, Si quis exiſtat in peccato mortifero, cuius non sit sibi conscius propter obliuionem, vel ignorantiā crassam; concipiat tamen attritionem in genere de peccatis suis, & sic accedat. Secundò, Si quis sibi conscius sit, & non habens copiā confessoris, concipiat attritionē, existimans bona fide esse contritionem. Tertiò, Si ex inculpato errore existimet etiam attritionem cognitam sufficere. His tribus casibus delebitur peccatum mortale vi huius Sacramenti, sed per accidens; id est, non ex primaria Christi institutione, & intentione suscipientis.

13 Per se remittit venialia.

Culpa autē venialis remittitur directè vi huius Sacramenti, vt colligitur ex Concil. Trid. sess. 13. c. 2. cùm ait, *Hoc Sacramentum esse antidotum, quo liberamur à culpis venialibus, & præseruamur à mortalibus:* apertè insinuans hoc Sacramentum per se, & directè delere venialia, non autē sic mortifera, sed per se à mortiferis præseruare. Porrò duobus modis culpa venialis per hoc Sacramentū remittitur: Primò, Ex opere operato. Quod probatur, Tum quia sumitur per modū alimenti spiritalis, ac proinde instaurat ruinas quotidianarum imperfectionum; sicut corporis alimentum instaurat id, quod calore natiuo absumitur. Tum quia hoc Sacramẽtum ordinatur ad perfectam vnionem nostri cum Christo, cui vnioni culpa venialis aliquo modo repugnat; ac proinde vi huius Sacramenti deleri debet. Secundò, Ex opere operantis. Nam excitat ad actus charitatis, quibus peccata venialia remittuntur.

14 Quæ ad hoc requiratur dispositio.

Petes; Quę dispositio requiratur, vt hoc Sacramentum ex opere operato culpas veniales deleat? Respondeo, In homine iusto non videri aliā dispositionem requiri, quàm vt non habeat actualem affectum huius peccati. Si enim potest tollere peccatum mortiferum sine dispositione quæ per se sufficiat; cur non etiam culpam venialem, cùm ad hanc tollendam sit institutum? Adde, Hoc ceteris Sacramentis esse commune.

Remittit pœnā temporalem solùm concomitãter.

Pœna verò temporalis peccatorum nō remittitur ex opere operato per Eucharistiā, vt est Sacramentum; vt rectè D. Thomas art. 5. Ratio est, Quia vt Sacramentum, non est instituta ad satisfactionem seu remissionem pœnæ, cùm pœna non habeat repugnantiam cum vnione charitatis; sed vt alimentum spiritale charitatis. Confirmatur; Quia, quatenus est Sacrificium, instituta est ad remissionem pœnarum: ergo non erat necesse, vt remitteret pœnam quatenus Sacramentum. Concomitanter tamen, & interuentu operis operantis potest pœnam tollere: quatenus ad feruorem charitatis excitat, quo etiā pœna condonatur. Actus quoque ille, quo quis communicat, cùm sit actus religionis, non solùm est meritorius sed etiam satisfactorius; ac proinde potest referri ad remissionem pœnæ temporalis, siue pro nobis, siue pro alijs. Vide D. Thomam art. 7.

15 Tertius effectus, præseruat à futuris peccatis.

Idque tribus modis,

Dico Secundò, Tertius effectus est, Præseruare à futuris tentationibus & peccatis. Ioan 6. v. 53. *Nisi manducaueritis Carnē filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* id est, non retinebitis vitā spiritalem gratiæ, sed illam facilè amittetis, victi tentationibus; vt Cyrillus, & multi alij exponunt, & Cyprianus de oratione Dominica super versum, *Panem nostrum* &c. Idem docet Concilium Trid. loco citato. Fit autem hæc præseruatio tripliciter. Primò, Augendo habitū charitatis: vnde efficimur robustiores, & propensiores ad diuina. Secundò, Protegēdo nos ab insidijs & tentationibus dæmonis & carnis; idque compescendo dæmonem, ne tantum noceat, quantum alioqui posset & vellet (de quo vide Chrysostomū homil. 45. in Ioannē:) & minuendo fomitis vires, vel sublatis occasionibus quæ fomitem excitant, vel ardorē corporis minuendo, vel oblatis occasionibus quæ moderentur fomitē; vel alio modo. De quo vide Bernardum serm. de cœna Domini; & Cyrillū lib. 4. in Ioan. c. 17. Si enim Dominus mulierem, quæ fimbriam vestimenti dumtaxat cum fide tetigit, à fluxu sanguinis liberauit, quanto magis suo contactu eam carnem à fluxu libidinis liberabit, cui intimè & substantialiter coniungitur? Tertiò, Præueniendo per sanctas inspirationes, & pias affectiones, quibus ad bona opera excitamur, & corroboramur, & facilè tentationibus resistimus: eorum enim auxiliorum Eucharistia est causa, quæ opportuna sunt ad vitam spiritalem, & vnionem cum Christo conseruandam. Non tamen vna sumptio id præstat per totam vitam, sed ad tempus; & tunc rursus sumere oportet, si diuinis præsidijs copiosè volumus fulciri. Vide D. Thomam art. 6.

16 Quartus effectus; dat spiritualem delectationē.

Dico Tertiò, Quartus effectus est delectatio spiritalis; sicut cibus corpori delectationem sensibilē adfert. Patet hoc ex officio de sanctissimo Sacramẽto, & ex Concil. Viēnensi, titulo de Reliquijs, & veneratione Sanctorū: *In hoc*, inquit, *Sacramento habetur omne delectamentum, & omnis saporis suauitas, ipsaque dulcedo Domini degustatur.*

17 Quintus effectus; glorificat corpora in resurrectione.

Dico Quartò, Quintus effectus est gloriosa resurrectio corporū. Corpus enim Christi gloriosū, nostro corpori substantialiter coniunctū, relinquit in eo veluti semen gloriosę resurrectionis. Docet Irenæus lib. 4. cōtra hæreses c. 44. *Quomodo dicunt carnem*, inquit, *in corruptionem deuenire, & non percipere vitam, quæ Corpore Domini & Sanguine alitur?* Et infrà, *Corpora nostra, Eucharistiam percipientia, iam nō sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.* Idem docet Hilarius lib. 8. de Trinitate, Greg. Nissenus oratione Catechetica c. 37. Cyrill. lib. 4. in Ioan. c. 14. & 15. Colligitur apertè ex c. 6. Ioan. v. 54. vbi Dominus ait, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum: & ego resuscitabo eum in nouissimo die.*

Vbi nota,

Qualiter id fiat.

Vbi nota, Hoc non ita intelligendum, quasi Christi Corpus aliquam qualitatem creatam corporibus nostris imprimat, cuius virtute ipsa resurgunt; sed quòd ipsa diuinitas, quæ est virtus operatiua istius corporis, moraliter maneat applicata nostris corporibus, ad ea excitanda in vitam immortalem, & glorioſam; idque propter illius vnifici Corporis sumptionẽ: quod perinde est, ac si vis aliqua creata, cuius virtute resurgeremus, nobis imprimeretur. Nam, quod illa vis creata corporibus nostris impressa præstaret, id præstabit multò meliùs & efficaciùs ipsa virtus diuina vbique præsens, & ratione sumptionis Eucharistiæ moraliter ad hoc determinata. Vnde secundùm æstimationem moralem, non minùs Eucharistia præstat ad resurrectionem, quàm si qualitatẽ creatam imprimeret. Vnde patet duplici titulo nobis conferendam glorioſam resurrectionem. Primò, Ratione animæ beatæ, quæ tale domicilium postulat. Secundò, Ratione sumptionis Eucharistiæ per corpus.

Vide lib. 12. de Perfectionibus diuinis c. 15. vbi pulchrè docetur quomodo sumptione Eucharistia efficiamur immortales, & spiritum Christi per quandam quasi vnionis hypostaticæ extensionem contrahimus, vt hoc modo Deus nos sanctificet, & ad suam vnitatem & vitam redigat.

QVÆSTIO LXXX.

De Sumptione huius Sacramenti.

In Duodecim Articulos diuisa.

1 Varij modi manducandi Christum.

NOtandum est circa art. 1. 2. & 3. quinque modis Christum posse mãducari. Primò, *Spiritualiter secũdùm Diuinitatẽ*: quomodo ab Angelis & Beatis manducatur per visionem & beatam fruitionem, sine integumento. De quo vide Bernar. serm. 33. in Cantica. Secundò, *Spiritualiter secundùm naturam assumptam*: quomodo manducatur ab ijs, qui Christo fide & dilectione adhærent. De quo videtur loqui Augustinus Tract. 25. in Ioannem; *Vt quid paras dentem, & ventrem? Crede, & manducasti. Credere enim in eum, hoc est panem viuum manducare.* Tertiò, *Spiritualiter vt est sub Sacramento*: quomodo manducant ij, qui spiritualiter, & desiderio cum Sacerdote communicant. Quartò, *Sacramentaliter tantùm*: sicut peccatores, qui cũ peccati mortiferi conscientia accedunt. Vide D. Aug. Tract. 26. in Ioan. Quintò, *Sacramentaliter & spiritualiter simul*: sicut quando cum fide & deuotione suscipitur Sacramentum.

Reliqua vide apud D. Thomam.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Peccator sumens Corpus Christi sacramentaliter, peccet?

2 Hæretici negant.

HÆretici Caluinistæ & Lutherani docent peccatorẽ, quò pluribus peccatis est inquinatus, eò aptiorem esse Eucharistiæ percipiendæ. Ratio illorum est; Quia præcipuus Eucharistiæ fructus est remissio peccatorum. Quò ergo plura peccata fuerint, eò maior erit fructus.

3 Catholici affirmant.

Sed fide tenendum est; Peccatorem, qui sibi alicuius peccati mortiferi est conscius, si ante pœnitentiam, acceperit Eucharistiam, mortiferè peccare. Ita definit Concilium Tridentinum sess. 13. can. 5. & 11. & docet cap. 2. & 7.

1. Prob. Ex Scriptura.

Probatur Primò, Ex Scripturis 1. ad Cor. 11. v. 28. *Probet autẽ seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Respondent hæretici, ibi agi de *probatione nostræ fidei*; & illum *sumere indignè*, qui sine fide sumit: dignè autem, qui *cum fide*: *cum fide* autem *sumere* eum, qui credit sibi per Christum condonari peccata. Sed Primò, Hæc expositio euertit illorũ sententiam. Nam si requiritur fides tanquam præparatio necessaria: ergo effectus huius Sacramenti non est remissio peccatorum: nam remissio peccatorum, illorum sententiâ, fit per fidem, quæ iuxta illos sola iustificat, efficiens vt peccata non imputentur; ac proinde soli iustificati dignè accedunt. Deinde, hæc expositio est contra Apostolum. Nam Apostolus ibi non reprehendit Corinthios de incredulitate, sed de prauis moribus; vt patet ex sequentibus verbis. Denique est contra sententiam omnium Patrum, qui hunc locum tractant.

Refellitur hæreticorũ interpretatio de probatione requisita ab Apostolo 1. Cor. 11.

4 2. Prob. à figuris.

Probatur Secundò, Quia figuræ huius Sacramenti non poterant sumi nisi à legaliter mundis; vt patet de Agno paschali, Num. 9. & 2. Paralipom. 30. vbi præcipitur, vt is, qui non fuerit purificatus suo tempore, differat Phase in proximum mensem. Item patet de carnibus sacrificiorum, Leuit. 22. vbi dicitur, Si quis immundus de illis comederit, *Peribit coram Domino*. Denique patet de Panibus propositionis, 1. Regum 21. de quibus vide Hieronymum in 1. caput ad Titum. Ergo ipsa veritas non potest sumi, nisi à mundis spiritaliter. Ad quod significandũ Dominus Ioannis 13. priùs Discipulorum pedes lauit, quàm eis hoc Sacramentum præberet.

3. Prob. Ratione.

Probatur Tertiò, Ratione: Qui sumit hoc Sacramentum in peccato mortifero, quantũ in ipso est, falsam reddit huius Sacramenti significationẽ. Nam hoc Sacramentum significat Corpus Christi mysticum Christo capiti per fidem & charitatẽ vnitum; & eum, qui sumit esse de illo corpore; vt patet ex Apostolo 1. ad Cor. 10. v. 17. *Vnus panis, & vnum corpus sumus, qui de vno pane participamus*: quibus verbis insinuat eos, qui hoc Sacramentum sumunt, debere esse membra vnius corporis, & hærere cum vno capite, & eodem spiritu viuere; vt ostendit D. Augustinus Tract. 26. in Ioannem. Et Confirmatur, Nam hoc Sacramentum datur tanquam alimentum vitæ spiritalis, Ioannis 6. *Caro mea verè est cibus*: ac proinde significat, eum, qui sumit, debere spiritualiter viuere.

Peccator quodammodò falsificat significationem huius Sacramenti.

5 4. Prob. Ab irreuerentia.

Probatur Quartò, Ab irreuerentia: Quia cum hoc Sacramentum cõtineat realiter ipsum fontem sanctitatis, is qui accipit in peccato, grauem irreuerentiam in ipsum cõmittit; præsertim, cùm intra se, suaque viscera ipsum sumat. Secùs esset, si

quis simplici & externo contactu hoc Sacramentum, vel etiam Christi Corpus in propria specie contingeret: etsi D. Thomas in resp. ad 1. contrarium insinuare videatur. Hic enim contactus non esset peccatum mortale, etiamsi fieret à peccatore; modò fiat cum aliqua reuerentia. Imò, si fiat, vt ab ipso sanctificeris, non est peccatū. Neque ideò vetuit Dominus Magdalenæ tangere, quod esset in peccato mortifero: nam omnino credibile est, fuisse tunc in statu gratiæ, quamuis fides eius non esset adhuc tam explicita & perfecta. Sumptio enim intra se, multò maiorem vnionem & familiaritatem designat: vnde meritò maiorem dispositionē requirit. Sicut gestatio Christi in vtero, maiorem sanctitatem postulabat, quàm contactus exterior.

Contactus exterior Corporis Christi in peccato mortali, potest esse absque peccato.

DVBIVM I.

Vtrùm Peccator, qui sibi conscius est mortalis peccati, debeat illud confiteri ante communionem, præsertim si omnino existimet se contritum?

6 REspondeo, Panormitanus in Capit. *De homine.* de Celebratione Missarum, putat talem peccatorem non teneri ad confessionem; sed sufficere contritionē. Idem tenet Caietanus hoc loco, & in Summa verbo Communio. & in Commentario prioris ad Cor. 11. Bartholomęus Fumus verbo Communio. §. vltimo. Idem insinuant Richardus, Paludanus & Adrianus.

Existens in mortali debet & semper debuit Eucharistię præmittere confessionem. Tridentin.

Dico Primò, Teneri talem absolutè præmittere confessionem, saltem ex præcepto Concilij Trid.

Dico Secundò, Hanc obligationē nō esse nouā, sed semper in Ecclesia fuisse. Probatur ex Concil. Trident. sess. 13. c. 7. *Ecclesiastica consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse vt nullus sibi conscius peccati mortiferi, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali cōfessione accedere debeat; quod à Christianis omnibus, etiam ab ijs Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuò seruandum esse decreuit, modò nō desit illis copia Confessoris.* Idem docent reliqui Doctores. Probatur ex Patribus. Cyprianus epist. 10. quę est ad Clerum, reprehendit quosdam Sacerdotes, qui admittebant peccatores ad Eucharistiā, ante confessionem. *Nundum*, inquit, *pœnitentiâ actâ, nundum exomologesi factâ, nundum manu eis ab Episcopo & Clerico impositâ, Eucharistia illis datur, cum scriptum sit, Qui comederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini.* Deinde excusat plebeios, quòd ignorantiâ Scripturarum hoc faciunt; non autem Sacerdotes, qui debent nosse Scripturas. Similia habet epist. 11. & 12. Nā epist. 11. dicit, esse contra Euangelij legē dare Eucharistiam lapsis ante exomologesim: Idem ferè repetit epist. 12. Eusebius lib. 6. historiæ c. 17. refert Philippum Imperatorem, cùm vellet in vigilijs Paschę cum alijs Christianis cōmunicare, non priùs fuisse admissum à Pontifice, quàm confiteretur peccata sua, & inter pœnitentes stetisset.

Cyprian.

Eusebius.

Auctor Ecclesiæ dogmatū.

Auctor de Ecclesiasticis dogmatibus c. 53. *Quem mortalia crimina post baptismum premunt, hortor priùs publicâ pœnitentiâ satisfacere; & ita iudicio Sacerdotis reconciliatum communioni sociari*: quod, vt declaret esse præceptum, ait, *ad iudicium & condemnationem Eucharistiam percipere.*

7 Dico Tertiò, Hæc obligatio, etsi cōsentanea sit legi naturali, suppositā institutione huius Sacramenti, & Sacramenti pœnitentiæ; non tamen est legis naturalis, sed positiuæ diuinæ.

An sit iuris naturā, & quomodo, vt præmittatur confessio Eucharistiæ.

Quòd sit consentanea legi naturali, Probatur: Quia Eucharistia continet id, quod omnium est sanctissimum, scilicet ipsum fontē sanctitatis: ergo consentaneum est, vt homo summam curam adhibeat, vt dignè se ad eam comparet; nam summa illa puritas requirit optimam præparationem: ergo non solùm contritione, sed etiam confessione sacramentali se disponere debet.

Verùm, Etsi hæc ratio probet obligationem esse consentaneam iuri naturali; nō tamen probat eam præcisè ex iure naturali nasci. Nam ius naturale nō obligat nos ad summam diligentiam, nec ad summam certitudinem bonæ dispositionis; sed solùm ne indignè accedamus. Atqui non censetur indignè accedere, qui optimè confidit se esse iustificatum à peccato; vt patet in reliquis Sacramentis viuorum, ad quæ non necesse est, vt homo se disponat per confessionem.

Obiectio.

Dices, Ius naturale obligat vt in extrema necessitate, vel periculo mortis, vtaris remedio confessionis, si aliquo modo possis, quamuis putes te omnino contritum: ergo similiter, quando est communicandum.

Solutio.

Respondeo, Est dispar ratio. Nam ibi est periculum amittendæ salutis irreparabiliter, si fortè, opinione circa tuam contritionem decipiaris; hic autem non est vllum tale periculum: nam ratione bonæ existimationis excusaris à peccato indignæ communionis, nec vllum damnum incurris.

Etiam certus de remisso peccato mortali, debet Eucharistiæ præmittere confessionem.

Adde, Quāuis certus omnino esses remissionis tuorum peccatorum, tamē deberes confiteri ante communionē; vt docent omnes Doctores: quod est euidens signum, hanc obligationem esse iuris positiui, non autem iuris naturalis. Ius enim naturale vtendi aliquo remedio, desinit obligare cessante illius remedij necessitate.

Est iuris diuini positiui, vt præmittatur confessio S. communioni, non Ecclesiastici tantùm.

Tertia pars, Hanc obligationē esse iuris diuini positiui, est multorum Doctorum: Dominici Soti dist. 12. q. 1. a. 4. Melchioris Cani Relectione 5. de Pœnitentia, Couarruuiæ in cap. *Alma* §. 1. n. 7. & aliorum quos citat Couar. Et insinuat Concil. Trid. cùm ait, *Ecclesiastica consuetudo declarat, eam probationem esse necessariam* &c. vbi insinuat, nō esse per Ecclesiā statutum, sed solùm eius cōsuetudine declarari. Idem insinuat Cyprianus locis citatis. Probatur, Quia, si solùm esset iuris humani, facilè potuisset alibi aboleri; sicut alia præcepta Ecclesię. Sed vbique hoc præceptum semper videtur obseruatum; & vbique esse obseruandum patet ex Concilio Trident. sess. 13. can. 11. vbi excommunicat eū, qui docet vel defendit, vel asserit pertinaciter, non esse necessarium præmittere confessionem.

Aduerte tamē, non esse improbabile, hoc præceptū esse dumtaxat Apostolicum, sicut præceptū de Eucharistia à ieiunis sumenda: quod tenet Nauarrus de Pœnitentia dist. 5. in principio, Ioannes Medina Codice de Confessione, & multi alij.

DVBIVM II.

Quando liceat communicare, vel celebrare, absque præuia confessione ei, qui sibi conscius est peccati mortiferi?

8 REspondeo, Id licere, quando concurrunt hæ duæ conditiones, quas notat Conc. Trident. Si necessitas vrgeat: Et desit copia Confessoris.

Ac prior

Ac prior conditio, scilicet necessitas celebrandi, vel communicandi, censetur vrgere:

Casus, quibus sit necessitas cõmunicandi, etiam sine præuia cõfessione.

Primò, Si sis in periculo vitæ propriæ.

Secundò, Si proximus sit in periculo vitæ, & vt ei detur viaticum, necesse est te celebrare.

Tertiò, Si ex officio tenearis celebrare, & non possis per alium: vt Parochi diebus Festis & Dominicis, ne populus careat Sacro.

Quartò, Quando non teneris quidẽ celebrare vel communicare, tamen sine scandalo vel nota infamiæ non potes omittere.

Quintò, Si ex præcepto Ecclesiæ tenearis audire Missam, vel cõmunicare, vt impleas præceptum Ecclesiæ potes communicare vel celebrare, etiãsi non possis confiteri. Ita Dominicus Soto, in hunc art.4.dist.12.q.1. quæ sententia est probabilis: nã probabile est præceptum de præmittenda confessione esse Ecclesiasticum & Apostolicum. Tamen contrarium est probabilius & verius ex contrario fundamento. Probabilius enim est esse præceptum diuinum, vt confessio præmittatur: ac proinde non videtur debere infringi, vt seruetur præceptũ humanum de communione in Paschate, vel Missa audienda die Festo.

Sextò, Si aliter non possit sacrificium perfici: vt si Sacerdos post consecrationem deficeret, & tu solus Sacerdos adesses, deberes perficere inchoatum ab altero sacrificium, etiamsi non possis præmittere confessionem. Ratio est, Nam perfectio sacrificij est maioris momenti.

An Celebrans qui sub Missa recordatur peccati mortalis, teneatur confiteri ante Communionẽ.

Septimò, Si post consecrationem recorderis te esse in peccato mortifero; vel etiam cõmittas peccatum mortiferum, per odium internũ in proximum, vel infidelitatem, vel aliter; teneris quidem statim conteri, sed non teneris confiteri ante communionem, etiamsi commodè posses sine nota Sacerdotem ad altare accersere. Ratio est, Quia non expedit partem illam sacratissimam, & intrinsecã actioni Sacrificij interrumpere: nisi fortè putes te non concepturum veram contritionem, sed solùm attritionem. Quòd si ante consecrationem recorderis peccati mortiferi, teneris confiteri, si cõmodè, & sine nota possis; quidquid dicat Franciscus Victoria q.79. Quia pars illa Missæ solùm est præparatoria, & extrinseca actioni sacrificãdi. Quòd si non possis sine nota Sacerdotẽ accersere, potes progredi concepta contritione, vel etiam desistere, si absit scandalum.

Item, An laicus, qui sub accessũ ad communionem recordatur peccati mortalis,

Idem dicendum de eo, qui iam accedit communicaturus, & recordatur peccati mortiferi nunquam confessi: nam si absque nota non potest se subducere, potest communicare sine præuia illius cõfessione. Quòd si potest se subtrahere commodè, tenetur omnino illud peccatum confiteri ante communionem, etiamsi paulò antè confessus esset alia cum debita diligentia; vt sentiunt omnes ferè Doctores, etiam ante Concilium Trident. vide Nauarrum cap.21.n.49. Et post Concilium res est certa: nam can.11.sess.13. sic ait, *Statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis grauat, quantũcumque etiã se contritos existiment, habita copia Confessoris necessariò præmittendam esse confessionem Sacramentalem.* Et excommunicat eos qui præsumunt contrarium docere & defendere &c. Loquitur autem Concilium de confessione Sacramentali illius peccati mortalis, cuius conscientia quempiam grauat: huius enim confessionem debere præmitti.

Obiectio.

Dices, Qui confessus est cum debita præparatione, & oblitus alicuius peccati mortiferi, non grauatur ampliùs conscientiâ illius peccati, cùm ab illo sit absolutus, licet indirectè: ergo non comprehenditur verbis Concilij.

Solutio.

Sed contrà: Si idcircò conscientia peccati mortiferi illum non grauat, nec tenetur confiteri ante communionem, quòd remissum sit illi hoc peccatum: ergo numquam tenetur illud confiteri; quod sine dubio est falsum, & contra omnes Doctores, & totius Ecclesiæ praxim; vt infrà dicemus. Deinde, Per contritionem veram etiam remittitur peccatum, non minùs quàm per illam absolutionem indirectam; imò magis directè, & propriè: ergo is, qui concepit contritionem sui peccati, idque probabiliter nouit, non ampliùs grauatur illius conscientiâ, & sic poterit communicare sine confessione sacramentali, quamuis copiam Confessoris habeat; quod est contra Concilium. Dicendum ergo, illum grauari conscientiâ peccati mortiferi iuxta Concilium, qui scit se illud commisisse, & nundum subiecisse clauibus Ecclesiæ, vt ab illo directè absoluatur. Hæc est mens Concilij, vt etiam colligitur ex cap.7.

9

Casus, quibus censearis non habere copiã Cõfessoris, & hinc possis communicare sine præuia cõfessione.

Nunc sequitur altera conditio, quę est, Confessoris inopia. Censetur autẽ hæc conditio adesse: Primò, Si Confessor linguam tuam ignoret: non enim, vt communices, teneris confiteri per interpretem, quãuis fortè in periculo mortis tenearis.

Secundò, Si prudenter metuas tibi infamiam, vel aliud malum à Cõfessore: tunc enim illa peccata, de quibus est timor mali, non teneris confiteri. Si tamẽ alia habes mortifera, de quibus nihil times, debes ea confiteri ante communionem; vt rectè Nauarrus c.7.n.6. citans Maiorem. Quòd si præter illa, de quibus times, non habes nisi venialia, non teneris confiteri: quia venialia non sunt materia necessaria, sed voluntaria.

An deesse censeatur Confessor, quando ab aliquo peccato non possit directè te absoluere.

Tertiò, Si Confessor non possit absoluere directè, eò quòd habeas casum Superiori reseruatũ, qui tunc non potest commodè adiri. Ita Fumus verbo Communio §.vltimo, citans Archidiaconũ & Paludanum. Idem tenet Victoria qu.79. Quæ sententia non est improbabilis: nam videtur graue onus idem peccatum bis confiteri, vt fit in hoc casu. Tamen verius videtur, si habeat aliqua mortifera, à quibus inferior potest directè absoluere, quòd ei teneatur confiteri ante communionem, & quidem integrè. Ratio est, Quia hoc onus non est tanti, vt possit excusare ab obseruatione illius præcepti de præmittenda confessione ante communionem; cùm præstò sit Confessor habens directam potestatem in aliqua peccata necessariò confitenda. Et Confirmatur; Quia propter hoc onus non excusaretur homo à præcepto confessionis annuæ, quod constat esse merè humanum: ergo multò minùs ab hoc præcepto, quod probabile est esse diuinum.

Si desit Confessor ordinarius.

Quòd autem quidam dicunt censeri deesse copiam Confessoris ad communicandum, si desit Confessor ordinarius, cui soles deuotiùs confiteri; verum non est, neque securum. Vide Nauar. cap.21. num.49. Soto dist.12. quæst.1. art. 4. & Fumum loco citato.

10

His adde ex Concilio Trident. sess. 13. c.7. Si necessitate vrgente Sacerdos absque præuia confessione celebrauerit, quàm primùm confiteri debere. Circa quod:

Cur,&quo iure Sacerdos qui ex necessitate celebrarit absque præuia cõfessione, debeatquã primum confiteri postea.

Notandum Primò, Quosdam existimare hoc præceptum esse iuris diuini, & oriri ex obligatione illa præmittendi confessionem ante communionem: hanc enim obligationem debere statim post impleri, si ante communionem impleta non fuerit. Sed hæc sententia vera non est. Nam præcepta affirmatiua non obligant nisi certis occasionibus, quæ vbi præterierint, cessat obligatio eorum, siue impleta fuerint, siue non. Exempli gratia, teneris dare elëemosynam in graui vel extrema necessitate proximi, cessante illa necessitate non ampliùs teneris, siue impleueris præceptum, siue non impleueris. Eodem modo teneris confiteri peccatum mortiferum, quando est communicandum vel celebrandum; cùm autem illud tempus præterierit, cessat obligatio confitendi; quia tota ratio obligans cessat. Dicendum ergo est, hoc præceptum esse merè humanum introductum à Concilio Tridentino, vt rectè dixit Nauarrus cap.2. num.9.

11

Cur Laicus non teneatur, vt Sacerdos, statim post confiteri, si communicarit sine præuia cõfessione.

Notandum Secundò, Laicos, qui communicarunt absque confessione, non obligari statim postea confiteri, sed solùm Sacerdotes qui celebrarunt necessitate vrgente: quod est contra Nauarrum loco citato. Ratio est, Quia lex non est extendenda vltra significationem verborum. Adde, Quòd in Sacerdotibus sit peculiaris causa, quæ nõ in Laicis; quia multò crebriùs celebrant, quàm Laici communicent. Neque ratio Nauarri vrget: tùm, quia non est certum, quòd Concilium idem statuisset de Laicis, si interrogatum fuisset: tùm, quia omnino credibile est Concilio benè in mentem venisse Laicorum, & tamen noluisse idem statuere: tùm denique, quia quamuis fortè statuisset, si venisset in mentem; tamen quia reipsà non statuit, non obligauit Laicos. Bonum tamen est Laicos ad hoc hortari.

ARTICVLVS V.

Vtrùm accedere ad hoc Sacramentum cum conscientia peccati mortalis, sit grauissimum omnium peccatorum?

12

Quatuor gradus grauitatis peccatorum.

VIde D. Thomam.

Notandum est, Quatuor esse gradus grauitatis peccatorum. Primus gradus est, Eorũ quæ sunt contra diuinitatem; vt odium Dei, infidelitas, desperatio, blasphemia. Secundus est, Eorum quæ sunt contra Christi humanitatem in seipsâ consideratam: vt verbera & conuitia in Christũ, præsertim eorum qui ipsum agnoscebant, vel facilè poterant agnoscere. Tertius, Eorum quę sunt contra Sacramenta. Quartus, Eorum quæ sunt contra puras creaturas.

Grauitas peccati cõtra Eucharistiam.

Notandum Secundò, Peccata quæ fiunt contra Eucharistiam, esse maiora in genere suo, quàm quæ contra alia Sacramenta, vel etiam contra alias puras creaturas. Dico, *Ex genere suo*; quia non omne peccatum contra Eucharistiam, est absolutè grauius quouis peccato contra alia Sacramenta, vel contra proximum. Nam indignè sumere Eucharistiam ex quodam timore, non ex malitia, ne videlicet deprehendatur in suo peccato, tamen cum aliqua reuerentia, non videtur esse maius peccatum, quàm homicidium ex odio profectum. Ceteris tamen paribus, peccata contra Eucharistiam sunt maiora: v. g. indignè sumere Eucharistiam, longè maius peccatum est, quàm indignè sumere alia Sacramenta: proijcere in terram Eucharistiam, longè grauius est, quàm homicidium. Vnde illud peccatum indignæ sumptionis, solet Deus initio nascentis Ecclesiæ, etiam corporaliter punire, immittendo morbos, vel etiam mortem; vt ait Apostolus 1. Corinth. 11. vers. 30. *Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.*

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Sacerdos debeat denegare Eucharistiam peccatori petenti?

13

Peccatori publico pu. blice negãda est Eucharistia.

REspondeo & Dico Primò, Peccatori publico publicè petenti, seu offerenti sese, denegãda est Eucharistia, nisi etiam publicè constet de eius pœnitentia. Est certa, & communis Doctorum. Vide Chrysostomum homil.83. in Matthæum, & Cyprianum epist. 10. 11. 12. vbi reprehendit quosdam Sacerdotes, quòd lapsos admisissent ad Eucharistiam ante publicam pœnitentiam. Ratio est; Tum quia Sacerdos ex officio tenetur sancta sanctè tractare; ac proinde, quantum in se est, *Non dare sanctum canibus*, id est, ijs, quos constat esse immundos, Matthæi 7. v. 6. Tum, quia, ille peccator non habet ius petendi, & potest sine incommodo ei denegari.

Quis censeatur peccator publicus.

Dicitur autem *peccator publicus*, cuius crimen publicum est. Censetur autem crimen absolutè publicum: *Vel euidentiâ facti*, quando ita notum est, vt nulla probabilitate possit negari: quale est peccatum publici vsurarij, concubinarij, homicidæ qui in loco publico occidit. Vel *euidentiâ Iuris*; scilicet, quando eius confessione in iudicio, vel testium legitima depositione, vel sententiâ Iudicis innotuit. Vide Nauarrum cap. 21. num. 55. Hîc tamen:

Aduerte Primò; Non solùm publico peccatori, sed etiam publicâ infamiâ laboranti, seu publicâ & vehementi suspicione criminis, Eucharistiã in publico denegandam; ob rationem suprà dictã, quia non oportet sanctum dare canibus.

Quid si crimen non sit absolutè publicum.

Secundò, Si crimen quidem non sit absolutè publicum, sed respectu eorum coram quibus petit, debere omnino negari corã illis; nisi fortassis alij aliqui adsint, qui illud ignorant.

Tertiò, Si alibi crimen sit publicum euidentiâ Iuris, vbique Euchariastiam debere negari, quãuis ibi crimen ignoretur. Et ratio est, quia absolutè in foro Ecclesiæ amisit ius publicè petendi, ac proinde sine incomodo potest ei negari. Idem videtur dicendum, si euidentiâ facti crimen sit alibi publicum, & facilè eius fama possit huc manare; vt alibi diximus. Contrarium tamen in hoc casu non est improbabile; & tenet Victoria de Eucharistia q.80.

Peccatori publico occultè pœnitenti & petenti potest dari Eucharistia.

Quartò, Si peccator publicus occultè egerit pœnitentiam, potest ei occultè petenti Eucharistia dari, modò non sit periculum scandali. Ratio est; quia causa denegandi iam cessat; scilicet indignitas ipsius, & scandalum aliorum.

Dico

14 Peccatori occulto publicè danda Eucharistia, non priuatim.

Dico Secundò, Si crimen non est publicum, sed tamen Sacerdoti notum, non potest quidem Eucharistiam ei in publico denegare; priuatim tamen debet, nisi fortè hoc crimen ei ex confessione Sacramentali constaret.

Prior pars patet: Quia Sacramenta sunt communia Ecclesiæ bona: atqui bona cõmunia Reipublicæ non sunt per publicum ministrum dispensanda, præsertim in publico, ex priuata scientia, sed ex publica: ergo cum hîc publicè probus habeatur, non possunt ei publicè Sacramenta ab Ecclesiæ ministro denegari. Quod confirmatur Primò, Quia ex contrario sequerentur grauia scandala & perturbationes in Ecclesia; scilicet alienationes populi à Sacramentis Ecclesiæ, & à Sacerdotibus, & iniustæ multorum infamationes, & alia huiusmodi. Confirmatur Secundò, A simili, in iudice qui cùm sit minister iustitiæ, quæ est bonum commune, non potest ex priuata scientia ius dicere, sed tantùm ex publica: ergo &c. Confirmatur Tertiò, Exemplo Christi Domini, qui etiam Iudæ, occulto peccatori, vnà cum alijs sedenti, & quasi petenti, suum Corpus dedit.

Cur peccatori occulto occultè neganda sit Eucharistia.

Altera Pars, scilicet in occulto denegandam: Probatur, quia hic non timentur illa incommoda: quare ius diuinum, videlicet ne *Sanctum detur canibus*, vim suam obtinet: hoc enim cauendum, quantum in nobis est. Vnde etiam Pastor tunc debet denegare; quidquid dicat Sotus d. 12. art. 1. q. 6. qui existimat Parochum non posse recusare, cùm ex officio teneatur, & alter ius habeat ab eo petendi. Sed decipitur: nam peccator occultus nullum verum ius habet petendi Eucharistiam in illo prauo statu; sicut neque indignè tractandi rẽ sacram: sed solùm habet ius putatiuum, ratione cuius non potest publicè repelli. Priuatim tamen repelli debet, vbi illa iuris præsũptio cessat: quod apertè habetur in Concilio Vasensi cap. 8. & citatur à Gratiano. 6. q. 2. Canone *Si tantum*.

Quid si Sacerdos non sciat crimen, nisi ex confessione.

Tertia Pars Probatur; quia quando crimen constat ex confessione, si ei recuses Eucharistiam, videris tuo modo agendi confessa crimina ei exprobrare, vel aliquo modo extra confessionem obijcere; quod nullo modo licet, ne confessio odiosa reddatur. Vnde debes ei Eucharistiam, etiam in occulto, porrigere; idque ordinariè in praxi seruandum. Si tamen commodè aliquo honesto prætextu posses dissimulare, quasi oblitus, vel quasi desint hostiæ, vel aliud impedimentum sit, id esset amplectendum. Vide Nauarrum c. 21. num. 55. Siluestrum Eucharistia 3. qu. 5. Paludanum dist. 9. qu. 4. conclusione 3.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm nocturna pollutio impediat à Communione?

15 Pollutus ex peccato quando & quantum peccet cõmunicãdo.

RESpondet D. Thomas varijs distinctionibus, quas vide apud ipsum. Notandum, Si quis post pollutionem ex peccato mortifero prouenientem communicet, vel celebret, modò anteà de peccato illo sit confessus & contritus, nec vllus ampliùs restet libidinis sensus, vel mentis distractio; seseque ad deuotionem excitet: non peccat, quamuis nulla grauis causa illum ad communicandum, vel celebrandum vrgeat; sed sola deuotio, vel honor Dei ad hoc inclinet. Ita Paludanus suprà dist. 9. & Nauar. cap. 21. num. 51. Ratio est, Quia nihil necessariò impedit cõmunionem præter peccatum mortiferum præsens. Distractio autem & imaginatio, quæ residua esse potest ex libidinis fluxu, solùm impedit ex decentia; ita vt sit peccatum veniale cum ea communicare, nisi aliqua grauis causa vrgeat; & tunc homo faciat quod in se est, vt eam depellat. Tunc enim ne veniale quidem erit. Ipsa autem corporalis pollutio, cùm omnino præterierit, & nihil eius extet, nullo modo per se impedire potest: præsertim cùm neque ipsa peccati mortiferi macula præterita impediat. Itaque, si peccatum deletum sit, & omnis distractio inde orta sit depulsa; nihil restat quod communionem impedire queat.

16 Quid de eo, qui sine peccato, vel ex actu cõiugali, pollutus est.

Idem dicendum de pollutione nocturna, quæ sine peccato accidit, si nulla inde mentis ineptitudo restet. Item de actu coniugali, quo quis necessitate reddidit debitum; & etiam quo quis petijt, modò nõ libidine, sed solius prolis amore. Quod si affectu voluptatis, consulendum vt eo die abstineat; quia ordinariè est peccatum veniale, ob distractionem remanentem, & affectum mentis non satis purgatum.

Quid noctu polluto agendũ, vt sequenti die communicet.

Curandum autem, vt si quis noctu, etiam sine peccato, talem fluxum sit passus, eò feruentiùs se excitet ad deuotionem, vt nulla restet in mente distractio aut libidinis sensus; alioquin esset saltem veniale sic communicare: nam quantum in nobis est, etiam omnes distractiones in perceptione huius Sacramenti sunt euitandæ. Vide Nauarrum suprà.

17

Quæri hîc non incommodè posset, Vtrùm qui ex praua consuetudine remanente post pœnitentiam, se dormiens aut semidormiens turpiter tangendo polluit, teneatur sub peccato mortali quærere remedium?

Nocturna pollutio quando sub mortali cauenda?

Respondeo, Qui ex praua consuetudine post pœnitentiam remanente se dormiẽs aut semidormiens turpiter tangendo polluit, tenetur sub peccato mortali quærere remedium, & impedire ne id faciat. Tenetur enim in se impedire illud materiale peccatum, quod non naturaliter, sed per prauam phantasiam ipse in se operatur, membris suis voluntarium motũ habentibus. Sicut si dormiret cum alio, & in somnis eum fœdè vel præposterè contingeret &c. teneretur huic malo remedium adhibere: vel si id ipsi ab alio accideret: alioquin censeretur in illud consentire. Secùs est de pollutione naturali quæ absque turpi contactu in somnis accidit. Remedium autem præter cætera, & spiritualia, esse potest, vt manus fasciâ ex collo demissâ colligantur, vt ad illum locum non possint demitti. Itẽ abstinentia cibi & potus &c.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm cibus vel potus præsumptus impediat Communionem?

18 Corpus Christi non nisi à ieiunis sumendum.

RESpondetur; Corpus Domini à ieiunis sumendum esse; quod est traditio Apostolica; vt docent multi Patres, & inter hos Augustinus epistola 118. c. 6. *Ex hoc placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum*

minicum Corpus intraret, quàm reliqui cibi: nam ideò per vniuersum orbem mos iste seruatur. Capite tamen 7. ait, quosdam semel in anno ad imitationem Domini post cœnam hoc Sacramentum sumere: quam consuetudinẽ dicit se nec probare, nec improbare. Et Concilium Carthaginense III. cap. 29. *Vt*, inquit, *Sacramenta altaris non nisi à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuersario, quo cœna Domini celebratur.* Hæc tamen exceptio nunquam fuit vniuersalis, & iam penitus est abrogata; vt colligitur Cap. *Ex parte*, de Celebratione Missarum; vbi Innocentius III. statuit, ne Sacerdos, quando secundum sacrum posteà facturus est, tunc in priori sumat ablutionem. Et ex Concilio Constantiensi sess. 13. vbi damnatur abusus quorundam, qui post cibum celebrabant.

An in die Cœnę liceat à non ieiunis sumi?

19 Infirmi, vel supplicio extremo afficiẽdi, etiam non ieiuni cõmunicare possunt.

Hîc tamen duo sunt notanda. Prius est: Infirmis, qui sunt in periculo vitæ, posse dari Eucharistiam post cibum, etiã sæpiùs in eodem morbo, interpositis septem vel octo diebus, si periculum perseueret. Ita Bartholomæus Fumus verbo *Communio* §. 18. Pari ratione post cibum dari potest extremo supplicio afficiendis, si illud in alterum diem differri nequit: maioris enim momenti est, vt non discedant ex hac vita sine viatico, quàm vt non violetur illa constitutio Ecclesiastica de Ieiunio.

An Sacerdos, non ieiunus possit celebrare, vt infirmus non discedat sine viatico?

Vtrùm verò Sacerdos, qui soluit ieiunium, possit celebrare, vt infirmum, alioqui sine viatico discessurum, communione reficiat, dubium est. Nam Ioannes Maior d. 9. q. 3. existimat posse; addens etiam quædam alia, nempe Sacerdotem tunc debere clanculum, & sine vestibus sola verba consecrationis panis proferre, & non sumere: quæ nullo modo in praxi sunt admittenda; quia contra vniuersalem Ecclesiæ consuetudinem, & contra ius diuinum.

Paludanus d. 8. q. 2. negat: cui assentitur Dominicus Soto d. 12. quæst. 1. art. 8. quæ sententia est tenenda. Ratio est, quia, cùm hoc Sacramentum non sit absolutæ necessitas, & ex illa licentia celebrandi possent sequi graues irreuerentiæ, meritò potuit Ecclesia hoc præcipere & seruare. Aduerte tamen; si alioqui nasceretur scandalum, v. g. desperatio infirmi, perturbatio amicorũ, & odium; posse tunc sacerdotem non ieiunum celebrare. Ratio est, quia lex positiua cessat in casu scandali: scandalum enim iure naturali vitandum est. Similiter, si alioquin sequeretur notabilis infamia sacerdotis. Rarissimè tamen hi casus incidunt.

20 Casus, quibus liceat Sacerdoti non Ieiuno S. Eucharistiã sumere.

Alterum est: Sacerdotem posse hoc Sacramentum sumere ieiunio violato, quinque casibus. Primò, Si loco vini consecrati sumpsit aquam: tunc enim debet consecrare vinum, & sumere, vt Sacrificium sit perfectum.

Secundò, Si celebrans deficiat post consecrationem, & non adsit Sacerdos ieiunus, qui possit perficere: tunc etiam is, qui non est ieiunus, tenetur.

Tertiò, Si sumpta ablutione inueniat aliquas reliquias eiusdem sacrificij, potest illas sumere, quam diu est in altari, etiamsi magna mora intercesserit: vt fit quando datur plebi communio. Ita Victoria, q. 83. Ratio est: quia pertinent ad idem Sacrificium, & censetur adhuc versari in eadem actione, quæ ordinatur ad consummationem illius Sacrificij. Postquam autem ab altari recessit, non potest eas sumere: quia ministeriũ suum impleuit: nisi fortè esset periculum ne perirent. Reliquiæ autem alterius Sacrificij non debent sumi post ablutionẽ, nisi ad vitanda maiora incõmoda.

Quartò, Si periculum ingruat, ne ab hæreticis, hoc Sacramentum indignè tractetur.

Quintò, Ad vitandum scandalum.

DVBIVM.

Quænam sumpta aduersus malignam auram: Quæ oris ablutio: Quæ ciborum prægustatio impediant Sacræ Eucharistiæ sumptionem?

21 Aduersus malignam auram.

REspondeo, Ea quæ sumuntur aduersus malignam auram: Vel facilè liquescunt & diffunduntur; vt succus glycyrrhyzæ, & quæ ex sacharo vel melle composita: Vel non liquescunt & planè sunt arida; vt radix zedoariæ, caryophyllum, cinnamomum &c.

Liquida.

Quæ prioris generis sunt, non possunt ordinariè ore retineri ante communionem: quia est manifestum periculum transmittendi in stomachũ. Si tamen aliquis aliquo casu exigente, tale quid ore teneret, diligenter aduertẽs ne quid deglutiat, sed continuò expuat, non putarem à communione arcendum: modò reipsa non sit sibi conscius quod aliquid demiserit.

Solida.

Quæ secundi sunt generis, non prohibent Doctores iustâ suppetente causâ, ore teneri; v. g. ne maligna aura hauriatur; ne fætor anhelitûs alios offendat &c. modò detur opera, & ratio aduigilet ne quid traijciatur. Non enim licet talia sumere eo animo, vt saliua imbuta virtute illorum, glutiatur, ad stomachum vel cor corroborandũ. Hoc enim est de industria aliquid externi intrò assumere: quia succus aliquis, non sola qualitas, ex illis elicitur, qui mixtus saliuæ in stomachum transit. Itaque non licet ea sumere vt saliua demittatur. Si tamen præter intensionem contingat saliuam imbutam transmitti, non impedit communionem.

22 Oris ablutio.

Idem dicendum de aqua qua os abluitur: Nõ enim licet os & fauces colluere vt aliquid demittatur in stomachum: si tamen præter intentionem contingat traijci humorem, quo linguæ & faucium spongiosa caro per collutionẽ oris imbuta est, id communionem non impedit, vt Doctores tradunt: quia traijcitur in modum saliuæ. Idem dicendum dum homo os colluens interceptus tussi, vel simili incommodo aliquid aquę transmittit: quia planè præter intentionem accidit, idque in officio necessario.

23 Ciborum prægustatio.

Matres & Nutrices quę proli cibum præmandunt, si diligenter cauent, vti debent, quando volunt communicare, nẽ quid transmittant, non sunt prohibendæ à communione, etiamsi saliua sapore ciborum imbuatur. Quòd si præter intentionem contingat aliquid modicum transmitti, non videtur obesse, sicut de aqua dictum est: quia est officium necessarium, & modicum pro nihilo reputatur. Neque videtur esse mens Ecclesiæ, vt ob talem causam prorsus inculpatam à communione arceantur. Est enim hoc præceptum, non diuini, sed Ecclesiastici iuris. Nimis durè præceptum Ecclesiasticum sic interpretaremur. Secùs tamen, si multum transmitteret; v. g. bolum solidum,

lidum, vt interdum fit per obliuionē. Tunc enim communio in aliud tempus esset differenda: nisi grauis aliqua causa prohibeat.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm non-habentibus vsum rationis, sit dandum hoc Sacramentum?

24 Infantibus ne detur Eucharistia.

REspondetur Primò, Ijs, qui nunquam habuerunt vsum rationis, non esse dandam Eucharistiam: vt infantibus, & amentibus à natiuitate. Ratio est; quia ad huius Sacramenti susceptionem requiritur deuotio & reuerentia; & vt accipiatur tanquam cibus spiritalis.

Nec amentibus, nisi aliquando vsi ratione.

Respondetur Secundò, Ijs verò, qui aliquando vsum rationis habuerunt, & hoc Sacramentum desiderauerunt, dandum est saltem in periculo mortis, tanquam viaticum, etiamsi multos annos in amentia fuerint. Ratio est; quia illi habuerunt deuotionem actu ad hoc Sacramentum, quæ adhuc censetur virtute perseuerare aliquo modo.

Olim infantibus dari solita.

Notandum est Primò, In quibusdam Ecclesijs olim fuisse consuetudinem, vt etiam infantibus post Baptismum, & Confirmationem, daretur Eucharistia: vt patet ex Dionysio lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 7. parte 3. sub finem: *Illud verò* (inquit) *quod pueri quoque, qui necdum possunt intelligere, diuini Sacramenti Baptismatis, & altißimorum Communionis sacrosanctæ signorum fiant participes, videtur profanis ridiculum:* &c. Idem colligitur ex Cypriano sermone de Baptizatis; vbi inter alia refert de quadam infantula, quę Eucharistiam euomuit, eò quod panem tinctum idolis immolatum gustasset. Et Auctor de Ecclesiasticis dogmatibus c. 52. *Si paruuli sunt* (nempe qui ab hæreticis sunt baptizati) *vel hebetes, qui doctrinam non capiant, respondeant pro illis, qui eos obtulerunt; & sic per manus impositionem chrismate communiti, Eucharistiæ mysterijs admittantur.*

Cur iam infantibus dari non debeat.

Sed hæc consuetudo ob iustissimas causas iam pridem in Ecclesia est abolita. Primò, Ob maximum periculum irreuerentiæ: fieri enim vix potest, vt infantes Sacramentum vel saliuis non ejiciant, vel non exspuant. Secundò, Quia requiritur reuerentia, & deuotio, & vt accipiatur tanquam cibus spiritualis; quod infantes non possunt. Quare cùm sine illo possint saluari, omnino decet vt illis non detur. Denique fundamentum illorum, qui communionem censebant infantibus esse dandam, sunt verba illa Domini Ioannis 6. *Nisi manducaueritis*: quæ constat non pertinere ad infantes, sed ad solos adultos.

25 Detur omnibus qui implicitè eam desiderarunt.

Notandum Secundò, Non solùm ijs dandum hoc Sacramentum, qui aliquando explicitè hoc desiderarunt, sed etiam ijs, qui implicitè: quales sunt omnes qui Christianè vixerunt, & modò rationis vsu sunt destituti, vt explicitè petere nequeant: quiuis enim Christianus, dum ratione vtitur, censetur implicitè velle suscipere omnia salutis suæ remedia Christianæ plebi communia. Requiritur tamen Primò, Vt præsumatur esse in bono statu; quod semper præsumi debet, quamdiu non constat de contrario. Vnde etsi malè vixit, si tamen posteà signa contritionis dedit, non est prohibendus hoc remedio: vt colligitur ex decreto Cōcilij Carthaginensis citato hic à D. Thoma in Corpore. Secundò, Vt absit periculum eiectionis, vel alterius irreuerentiæ notabilis. Vide Siluestrum, Euchar. 3. q. 5. §. octauo.

ARTICVLVS X.

Vtrùm liceat quotidie hoc Sacramentum suscipere?

26

REspondetur licere, quotidie sumere, modò quotidie sis paratus vt dignè id præstes. Vide D. Thomam, qui id optimè explicat. Idem habet Concilium Tridentinum sessione 22. cap. 6. *Optaret quidem S. Synodus, vt in singulis Missis fideles adstantes non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarentur, quo ad eos sanctißimi huius sacrificij fructus vberior peruenireț. Nec tamen, si id non semper fiat, idcirco Missas illas, vt priuatas, & illicitas damnat,* &c.

Quotidiè cōmunicarè fideles optat Tridē-tinum.

Aduerte tamen; Quia varia sunt hominum negotia, & animarum occupationes, satis esse, vt sæculares octauo quoque die accedant: id enim sufficit ad fructum animorum, & habetur ratio reuerentiæ huius Sacramenti: difficile enim est sæcularibus crebriùs conueniens tempus huic sacratissimæ actioni impendere, & sese debitè præparare. Qui autem planè à mundo sunt segregati, & toti rebus spiritalibus dediti, (quales debent esse religiosi, & hisce similes) ij sæpius possunt communicare; habita tamen ratione ędificationis proximorum, & consuetudinis locorum.

Sæculares octauo die communicent.

Crebriùs Religiosi & Deuoti.

Petes, An sæpiùs in die liceat communicare? Respondeo; non licere, nisi fortassis in euentu: vt v. g. ad impediendam iniuriam huius Sacramenti ab incendio, ab hæreticis &c. Id tamen non est iure diuino prohibitum, sed Ecclesiastico: quod colligitur ex Cap. *Consuluisti*, de Celebratione missarum; & Cap. *Sufficit*, de Consecratione dist. 1. quibus locis Sacerdoti non permittitur secundò celebrare, nisi ob necessitatē. Vnde colligunt Doctores laico nō licere secundò communicare; quod etiam Ecclesiæ consuetudo confirmat. Quauis tamen hora diei potest quis communicare, modò sit ieiunus, & absit scandalum; vt docet Angelus, Eucharistia 3. num. 36. & Siluester Eucharistia 3. q. 15. nulla enim lex obstat, aut consuetudo habens vim præcepti. Secùs de celebratione.

27 Semel duntaxat in die extra necessitatem.

Quauis horā.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm omnino liceat à Communione abstinere?

28

NOtandum est, quosdam Doctores sentire communionem laicam non esse iure diuino præceptam, sed solùm consultam; iure tamen Ecclesiastico esse præceptam. Ita D. Thomas in 4. d. 9. vt testatur Caietanus hic, qui in eam propendet, & Alexand. Halens. 4. p. q. 51. Bonauentura d. 12. art. 4. q. 1. Gabriel in Canonem lectione 87. Ferrariensis 4. contra gentes cap. 61. Siluest. Eucharistia. 3. §. 1.

Diuino præcepto obligamur ad quandoque communicandum.

Sed contrariū est longè probabilius & verius; nempe

nempe hominem teneri aliquando sumere hoc Sacramentum, non solùm Ecclesiæ præcepto, sed etiam diuino mandato. Ita ferè alij Doctores.

Probatur Primò, Ioannis 6. v. 53. *Nisi manducaueritis Carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* quæ verba intelligenda sunt de Eucharistiæ sacramentali sumptione; vt suprà dictum est; & apertè insinuant huius sumptionis necessitatem ad vitam spiritalem: atqui hæc necessitas, non est necessitas medij: ergo est necessitas præcepti. Dices; ibi solùm significari magnam vtilitatem, quæ sæpè meretur nomen necessitatis. Sed contrà: Quia id est contra proprietatem verborum, à qua sine magna ratione non licet recedere. Quomodo enim apertiùs potuisset significare præceptum, seu necessitatem prouenientem ex præcepto, quàm tali modo loquendi? Sic enim alibi necessitatem significat; *Nisi pœnitentiam egeritis.* Deinde, Cur Dominus toties hoc inculcat, si solùm proponit rem consilij, & liberam?

Probatur Secundò, Ex eo Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis Dominus totam hanc actionem scilicet consecrationē, oblationem, dispensationem & sumptionem præcepit fieri in sua Ecclesia.

29 Christus præcepit Communionem quoad substantiam, non tantùm quoad modum.

Dices, Dominus non præcepit hîc ipsam substantiam sumptionis, sed modum; nempe, vt quando volumus sumere, id faciamus in ipsius memoriam: sic enim Apostolus videtur interpretari 1. ad Corinth. 11. v. 26. *Quotiescunque*, inquiens, *manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat:* & noster Canon, *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.*

Sed contrà: Primò, Quia hinc sequeretur non præcipi etiam ipsam consecrationem, & oblationem; sed solum modum necessariò seruandum, quando volumus consecrare vel offerre: quod falsum est. Secundò, Quia istis verbis non præcipitur aliquis modus extrinsecus, cum quo hoc Sacramentum debet consecrari, & sumi; sed intrinsecus, & substantialis: nam ipsa consecratio, oblatio, & sumptio est quædam commemoratio mortis Dominicæ: extrinseca autem memoria mortis Dominicæ non est absolutè necessaria aut præcepta: ergo istis verbis præcipitur ipsa consecratio, oblatio, & sumptio. Tertiò, Quia Concilium Trident. sess. 13. cap. 2. ait, *Dominum præcepisse nos colere sui memoriam in huius Sacramenti sumptione*, insinuans in ipsa sumptione consistere hanc memoriam, & per ipsam coli memoriam mortis eius. Et Confirmatur ex eo, quod subiungitur; *Sumi autem voluit hoc Sacramentum, tanquam cibum spiritalem, & tanquam antidotum* &c. apertè indicans ipsam sumptionem esse præceptam.

DVBIVM I.

Quinam obligentur hoc præcepto?

30 Præcepto Communionis non tenentur infantes.

REspondeo, & Dico Primò, Non obligari infantes. Probatur, non enim per se obligantur; Quia per se non possunt vllo modo obligationi satisfacere, cùm careant vsu rationis. Neque etiam per parentes (sicut ad Baptismum) vt patet ex vsu Ecclesiæ, quæ non dat infantibus Eucharistiā. Deinde, quia Dominus solis adultis loquitur Ioannis 6. cùm ait, *Nisi manducaueritis* &c. Vnde illa verba ad infantes nihil pertinent.

31 Tenentur omnes adulti.

Dico Secundò, Obligantur omnes adulti ratione vtentes, etiam non baptizati; quamuis huic obligationi non possint satisfacere, nisi post baptismum. Probatur; quia Dominus Ioannis 6. omnibus adultis, etiam non baptizatis, dicebat; *Nisi manducaueritis* &c.

Catechumeni.

Hinc sequitur Primò, Catechumenum, qui in periculo mortis per negligentiam omittit baptismum, duplex peccatum committere: alterum contra præceptum baptismi, alterum contra præceptum sumptionis Eucharistiæ: tenebatur enim tunc vtrumque implere, etsi ordine quodam.

Amentes.

Sequitur Secundò, Etiam obligari eos, qui aliquando vsum rationis habuerunt. Quare si incidant in amentiam, & non constet eos esse in malo statu, necessariò debet illis porrigi à Parochis; nisi fortè aliqua notabilis irreuerentia timeretur.

Morte plectendi.

Sequitur Tertiò, Obligari etiam eos, qui morte plectendi sunt: nam ad eos etiam sententia Domini pertinet. Et quamuis Ecclesia ob grauissimam culpam possit eos communione priuare, etiam in extremis; vt patet ex multis canonibus Concilij Elibertini, & ex Concilio Sardicensi can. 2. & Innocentio I. epist. 3: tamen non expedit ob ingens periculum salutis; vnde etiam illi canones sunt reuocati; vt docet Innocētius epistola citata; & Can. *Quæsitum.* 13. q. 2. Concilium Moguntinum dicit ex præcepto canonum sacrorum talibus dandam esse communionem, si pœniteant & confiteantur. Et Capitulo, quod incipit *Super eo*, de hæreticis in 6. præcipitur dari viaticum ante suplicium, etiam hæreticis relapsis, si sufficientia signa dederint pœnitentiæ, & fidei. Idem præcepit Pius V. motu proprio anno 1569. qui receptus est in Hispania (vbi anteà erat contraria consuetudo) & lege regia cōfirmatus. Quare monendi sunt Magistratus, ne id impediant; nam possent esse causa damnationis.

Pueri nec. dum decennes in mortis articulo.

Sequitur Quartò, Obligari etiam pueros in articulo mortis, etiamsi nondum decem annos habeant; modò eo sint iudicio, vt possint peccare mortiferè, & confiteri. Et ratio est, quia tunc sunt capaces necessariæ reuerentiæ & deuotionis; & non expectatur commodius tempus, quo meliùs sint dispositi: ergo tunc tenentur accipere. Confirmatur; quia cùm sint capaces obligationis, censentur ratione articuli mortis iure diuino obligari. Ita Suarez, & multi recentiores. Extra mortis periculum tamen non obligantur: quia expectatur commodiùs tempus, quo magis instruantur, vt deuotiùs percipiant.

DVBIVM II.

Quando obliget hoc præceptum Communionis?

32 Præceptum Communionis obligat in articulo mortis.

REspondeo & Dico Primò, Obligare hoc præceptum in periculo mortis. Ita Durandus d. 9. q. 2. Item Gabriel, Richardus, Dominicus Soto, Petrus Soto, & multi recentiores. Probatur, Quia si homo vnquam in vita obligatur, certè tunc maximè, quando potissimùm se debet ad vnionem cum Christo disponere, & præsidijs huius Sacramenti contra impugnationes dæmonis munire.

Aduerte tamen, quosdam Doctores existimare, eum, qui in Paschate communicauit, non teneri in

Quid si ante in Paschate communicauerit.

neri in mortis articulo, etiamsi ille post multos menses inciderit. Ita Caietanus in Summa, V. Communio. Paludanus d. 9. q. 1. Siluester V. Eucharistia 3. §. 1. Victoria q. 86. Denique Fumus V. Communio. num. 4. Verum, Contrarium est multò probabilius & omnino seruandum in praxi: tum ob rationem allatam; tum quia saltem iure Ecclesiastico tenetur. Nam Canones passim præcipiunt dari hoc Sacramentum infirmis moribundis vt viaticum : vt patet ex paulò antè dictis , & ex Concilio Nicæno , c. 12. vbi excommunicatis è corpore discessuris iubet dari Eucharistiam, vt necessario vitæ suæ viatico non fraudentur : additque hanc esse antiquam legis regulam ; insinuans esse traditionem Apostolicam : nusquam enim inuenitur hoc institutum , semper tamen in Ecclesia diligentissimè obseruatum , sic vt sine graui fidelium offensione non possit prætermitti : quod est signum stricte obligationis.

Quid si ante paucas hebdomades.

Aduerte tamen, Si quis ante sex vel octo dies, vel fortè etiam ante quindecim , communicasset, nihil cogitans de morte propinqua , & *incidat* tunc in mortis periculum, non teneri rursus communicare; vt docet Sotus dist. 12. q. 1. art. 11. Ratio est; quia reipsa communicauit instante mortis periculo , ac proinde huic obligationi quodammodò satisfecit , etsi ignorans . Sic qui die festo audiuit sacrum, ignorans esse festũ, satisfacit præcepto sic vt non teneatur secundò audire: præsertim cùm quisque censeatur habere implicitam intentionem per suos actus satisfaciendi obligationi, si qua subsit ; nisi contrarium explicet . Valdè tamen consulendum, vt rursus cõmunicet, etiamsi pridie ignarus vicinitatis mortis communicasset: nam formaliter non accepit Eucharistiam, vt viaticum, cùm nihil de periculo cogitauerit.

33 Iure diuino aliquoties in vita tenemur cõmunicare.

Dico Secundò , Tenetur præterea homo iure diuino aliquoties in vita Eucharistiam percipere. Ita auctores citati . Ratio est, quia præcipitur à Domino per modum alimenti spiritalis : sed alimentum non solùm in morte sumi debet ; quin potiùs conditio eius postulat, vt in vita sumatur. Confirmatur, quia sicut alimentum corporale sæpiùs sumi debet in vita, ad instaurandas vires corporis , quæ caloris actione debilitantur ; ita alimentum spiritale sæpiùs sumi debet ad vires animæ reficiendas, quæ calore concupiscentiæ & fomitis assiduè debilitantur . Non est tamen contra ius diuinum differre per annum : nam Ecclesia id permittit . Fortasse tamen ad tres , vel quatuor annos extrahere, contra ius diuinum fuerit. Nam modus loquendi ipsius Christi insinuat sæpiùs esse sumendum . Nullum tamen tempus præcisè ab homine determinari potest: nam Christus id non explicuit, sed Ecclesiæ ordinationi permisit.

34 Communio Paschalis, est iuris Ecclesiastici.

Dico Tertiò, Iure Ecclesiastico tenentur omnes adulti vsum rationis sufficientem habentes, communicare quotannis ; idque in Paschate. Patet hoc ex Cap. *Omnes vtriusque sexus*, de Pœnitentibus. Vbi

Aduerte Primò , Tempus Paschatis complecti quindecim dies , qui sunt à Dominica Palmarum inclusiuè, vsq; ad Dominicam in Albis inclusiuè; vt declarauit Eugenius IV. teste Nauarro cap. 21. nu. 45. V. Eucharistia. Vnde sufficit, vt quis aliquo ex his diebus communicet in sua parœcia. Ante autem , vel post communicare non sufficit, nisi alicubi ex consuetudine hoc tempus sit magis extensum: sicut Conimbricæ, & Mediolani complectitur totam quadragesimam.

Ei satisfit sacrilegâ cõmunione,

Aduerte Secundò, Satisfieri huic præcepto etiam per communionem sacrilegam in peccato mortifero , sic vt secundò non tenearis illo anno communicare ; vt docet Couarruuias in Caput *Alma* 1. p. §. 5. n. 1. & Sotus lib. 2. de Iustitia q. 3. art. 10. Ratio est: Quia implet substantiam operis , quam lex præcipit . Nec refert quòd debito modo id non faciat : quia modus ille non præcipitur illa lege , sed lege diuina.

An tempus Paschale præuertendum.

Aduerte Tertiò, Cõmuniter Doctores docere, Eum , qui præuidet se habiturum impedimentũ, non teneri anteuertere tempus Paschale . Ratio est ; quia nemo tenetur anticipare tempus, cui ipsum opus necessariò connexum est; vt patet de festis, & ieiunijs. Nam sic non impletur præceptum: cuius signum est, quia si cessaret impedimentum, teneretur nihilominùs tempore statuto communicare, *quamuis* anteuerti sset illud tempus . Secùs est in præcepto confessionis, quia non est connexum certo tempori , sed sufficit vt fiat intra annum. Vnde si videt fore impedimentum sub finem anni , & illo anno non est confessus sua peccata mortifera , tenetur anteuertere tempus Paschale sua confessione.

Qui in Paschate omisit, tenetur statim post communicare.

Aduerte Quartò , Eum , qui tempore Paschali non communicauit, teneri posteà prima opportunitate. Probat hoc optimè Nauarrus loco citato cap. 21. num. 45. & colligitur ex Capitulo *Omnes vtriusque sexus* , vbi sicut præcipitur vt quiuis confiteatur, saltem semel in anno; ita etiam præcipitur vt quiuis saltem semel in anno communicet, idque ad minus in Paschate ; quod etiam definitur in Concilio Trident. sess. 13. c. 9. ergo sicut confessio , etsi differatur vltra annum , nihilominùs obligat prima opportunitate ; sic & communio . Et ratio est; quia lex non concedit terminum anni , vt tunc obligatio extinguatur ; sed vt solutio obligationis non possit vlteriùs differri. Sicut in contractibus statuitur terminus solutionis , vltra quem non potest differri sine peccato ; vnde si tunc non satisfiat obligationi , non extinguitur, sed assiduè vrget, donec ei satisfiat . Determinatur autem tempus Paschale, tum vt hac ratione communio non differatur vltra annum; sicut sæpè in contractibus determinatur dies , ne vlteriùs differatur : tum quia hoc tempus ob mysterium institutionis huius Sacramenti, & Dominicæ passionis , est conuenientissimum . Non tamen ita alligatur communio tempori Paschali, sicut ieiunium vigiliæ, & Missa diei festo, quorum obligatio perit cum tempore.

Contrariũ est probabile.

Aduerte tamen contrarium non esse improbabile, scilicet quod obligatio extinguatur, si in Paschate non satisfeceris. Ita Antoninus , Siluester, Tabiena , Ioannes Medina , Dominicus Soto, & Franciscus Victoria.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm liceat Corpus Christi sumere sine Sanguine?

Respondetur Affirmatiuè. Vide D. Thomam.

DVB-

DVBIVM I.

Vtrùm Communio sub vtráque specie iure diuino sit laicis præcepta?

35 Error hæreticorum.

NOtandum, Hanc controuersiam ortam in Bohemia ab hinc annos circiter 184. auctore quodam Petro Dresdensi, & quodam Iacobello Vrsinensi, vt refert Æneas Siluius historia Bohemica cap. 35. Nam cum Petrus ille incidisset in locum hunc Ioannis 6. *Nisi manducaueritis* &c. monuit Iacobellum, qui Pragæ concionabatur, vt populum instrueret, non posse eos sine vsu calicis saluari. Hos secuti sunt Lutherani, Caluinistæ, & alij huius temporis hæretici; quamuis Lutherus sæpè dicat vsum calicis non esse necessarium: quin imò in libello qui inscribitur *Formula Missæ*, ait, *Si aliquod Concilium statueret, aut permitteret vtramque speciem, non idcirco debere nos vtráque vti; sed in despectum Concilij, aut vnâ tantùm, aut neutrâ.*

36 Assertio negans est de fide.

Respondeo, & Dico; Fide tenendum est Cõmunionem sub vtráque specie laicis, & ijs qui nõ consecrant, non esse iure diuino præceptam. Patet hoc ex Concilio Constantiensi sess. 13. vbi definitur, & simul sub pœna excommunicationis præcipitur, vt nullus Sacerdos communicet populum sub vtraq; specie. Et ex Concilio Tridentino sess. 21. cap. 1. & canone 1. *Si quis dixerit ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi fideles vtramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit.*

2. Probatur ex Script.

Probatur Primò, Ex Scripturis: Ioannis 6. Dominus apertè indicat, teste Concilio Tridentino sess. 21. c. 1. vnam speciẽ sufficere: *Si quis*, inquit, *manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Itẽ, *Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducet, non moriatur:* quod etiam insinuauit ibidem, quando fecit miraculum in panibus, eos multiplicando, non tamen in potu. Lucæ 24. v. 35. agnitus est Dominus à discipulis in Emmaus *in fractione panis*, id est, *ex pane quẽ dedit illis:* quo loco vel dedit eis Corpus suum sub vna specie panis (vt multi putant:) vel (vt prolabilius censemus cum Iansenio & alijs) dedit eis panem benedictum, qui erat figura Eucharistiæ; vt demonstraret fructum Eucharistiæ in vna specie: statim enim percepto illo pane *aperti sunt oculi eorum.* Actorum 2. v. 42. *Erant*, inquit, *perseuerantes in Doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus:* quo loco etiam hæretici fatentur agi de Eucharistia: nam *fractio panis* iungitur cum *doctrina & orationibus.* Neque per *fractionem panis* debet intelligi *calix*, per Synechdochen; quia multi ex Christianis erant tunc Nazaræi, qui non poterant vsque ad terminum voti sui bibere vinũ: seruabant enim omnes tunc adhuc legalia: quos dubium nõ est communicásse sub specie panis.

Ioan. 6.

Lucæ 24.

Actor. 2.

37 2. Probatur ex consuetudine Ecclesiæ.

Probatur Secundò, Ex consuetudine Ecclesiæ. Primò, Quia olim solet Eucharistia domum à fidelibus deferri, vt tempore opportuno sumeretur; dabatur autem illis sub specie tantùm panis in manibus: Sanguis autem solùm porrigebatur ex calice, idque à Diacono; vt docet Cyrillus Cateches. 5. mystagogica; neque laici poterant illum domum ferre: ergo communicabant domi sub vna specie fideles. Antecedens patet ex Tertulliano lib. 2. ad Vxorem: *Non sciet maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes? & si scierit, panem, non illum credet esse, qui dicitur.* Cyprianus serm. de lapsis, refert exemplum de femina, quæ Eucharistiam in arca inclusam reseruabat sub specie panis. Hieronymus Apologia pro libris contra Iouinianum, dicit quosdam domi sumere Corpus Christi illis diebus, quibus ob actum coniugalem, non audebant ingredi Ecclesiam.

Domi Eucharistia asseruata sub vna specie.

Secundò, Quia solet deferri ad ægrotos, idque vt plurimùm sub sola specie panis: vt patet ex Eusebio lib. 6. historiæ cap. 36. vbi refert ex epistola Dionysij Alexandrini presbyterũ dedisse puero ad se misso particulam Eucharistiæ deferendam Serapioni cuidam ad mortem ægrotanti, & iussisse vt priùs eam madefaceret, quàm seni daret, eò quòd asseruatione species panis esset indurata. Amphilochius in vita beati Basilij dicit eum in extremis accepisse Eucharistiam sub specie panis, quam diu asseruauerat.

Delata ad infirmos.

Tertiò, In pœnam aliquorum criminum solet Clericis aliquando auferri *Communio Clericalis*, & constitui *communio Laica*, quæ etiam vocabatur *Peregrina*. Sic Siricius Papa epist. 1. c. 11. laicam communionem statuit Clerico ducenti viduam. Et Felix III. centum annis posterior epist. 1. cap. 2. Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, qui permittunt se rebaptizari, tantummodò in morte concedit communionem, & quidem laicam. Concilium Agathense, can. 2. statuit Clericis contumacibus peregrinam communionem dandam: & can. 5. *Si quis Clericus furtum Ecclesiæ fecerit, peregrina ei communio detur.* Erat autem *communio Laica* iuxta probabiliorem sententiam, quæ sub sola specie panis dabatur: sic dicta, quòd Laici possent hanc speciem domum deferre, & seipsos communicare. Quæ etiam dicebatur *Peregrina*, eo quòd peregrinis in signum pacis mitteretur.

Sub vna specie in pœnam clericis datur.

Quæ communio Laica vel Peregrina.

Quartò, Apud Græcos tota quadragesima, excepto Sabbato & Dominico, iam olim à mille ducentis annis, fuit vsus communicandi ex præsanctificatis: nam illis diebus non fiebat consecratio: sed tantùm sub vna specie, quę asseruabatur à die Dominico vsque ad diem Sabbati sequentem, communicabat etiã ipse Sacerdos in publica Liturgia, sicut apud Latinos feriâ sextâ hebdomadę sanctæ. Vide Concilium Laodicenum can. 49. *Non oportet*, inquit, *in quadragesima panem offerre, nisi Sabbato & Dominico.* Concilium Trullanum can. 52. *In omnibus sacro sanctæ quadragesimæ ieiunij diebus, præterquam Sabbato & Dominica, & Annuntiationis die, fiat sacrum præsanctificatorum sacrificiũ.*

Communio Græcorum per Quadragesimam ex Præsanctificatis sub vna specie.

Quintò, Manichæi non solent vnquam communicare sub specie vini, vt testatur D. Leo serm. 4. de Quadragesima, eò quòd existimarent vinũ esse fel draconum; sed tantùm sub specie panis: nemo tamen vnquam notauit hunc illorum errorẽ, quasi contra mandatum Dei sub vna specie communicarent. Imò si tunc non fuisset libera communio sub vna specie, non potuissent Manichæi se occultare; sed hæresim suam per communionẽ mox prodidissent; quod tamen falsum est. Nam signum Manichæismi erat, non semel aut bis abstinere à calice, sed semper, vt insinuat Diuus Leo suprà.

Manichæi semper à calice abstinuerũt.

38 3. Prob. Ratione.

Tertiò: (Omissis Doctoribus Scholasticis, qui omnes hoc censent.) Probatur Ratione: Prima est, Quia totus Christus est sub vna specie; vt suprà q. 76. ostan-

quæst. 76. ostensum est, & ratio manifestè conuincit: quid ergo opus est vtraque specie? Si enim totum possum accipere sub vna, non sunt necessariæ duæ. Confirmatur; Quia tota vis huius Sacramenti pendet ex ipso Christo, qui latet sub speciebus: atqui hic æquè perfectus est sub vna, atque sub duabus: ergo tantum accipio per vnam, quantum per duas. Dices, Cur ergo Christus instituit hoc Sacramentum sub duplici specie? Respondeo; Quia hoc Sacramentum non solùm est Sacramentum, sed etiam Sacrificium, & quidem repræsentatiuum. Itaque ob rationem repræsentationis, quæ in hoc sacrificio cernitur, id fecit. Nam hoc Sacrificium debet repræsentare effusionem sanguinis, quæ facta est in sacrificio crucis. Vnde Corpus debet seorsim sub specie panis, & Sanguis sub specie vini consecrari, vt sit perfectũ sacrificium repræsentatiuum. Vt autem sit perfectum Sacramentum, vna species sufficit: nam vna species continet totum Christum, & confert totum effectum, & significat id ipsum, quod confert. Species enim panis, quatenus conficitur ex aqua & farina, significat populum incorporari Christo per hoc Sacramentum: quatenus autem ex multis granis in vnum coëuntibus conflatur, significat hoc Sacramento vnionem membrorum corporis mystici perfici. Pari modo species vini per se sola continet totum Christum, & confert totum effectum, & significat id ipsum, quod confert; nempe vnionem populi cum Christo, propter aquam admixtam; & vnionem membrorum inter se, quia ex multis acinis confluit.

Eucharistia, vt Sacrificium, requirit vtramque speciem; vt Sacramentum, non nisi vnam.

39 Ab incommodis, Primum.

Secunda Ratio est: Si communio sub vtraque specie esset iure diuino præcepta, sequerentur grauissima incommoda. Primò: Indigna tractatio tanti Sacramenti. Nam sæpissimè contingeret Sanguinem Domini effundi; vt in communione rusticorum, senum, debilium, ægrotorum, qui non facilè possunt se accommodare ad bibendum de manu alterius. Secundò: In plurimis locis rarissima communio. Nam cùm apud plurimas nationes non reperiatur vinum, nisi aliunde importatum, quod est carissimum & rarissimum, vt in Iaponia, vbi vix sacrificantibus sufficiens haberi potest: Vel cùm in quibusdam regionibus propter frigus non possit diu conseruari, sed continuò acescat, vt in Norwegia: sequeretur hos homines rarissimè posse communicare, vel fortasse nunquam, præsertim quando Ecclesiæ sunt pauperes. Tertiò: Multa sunt loca frequentissima populo, in quibus solùm vnus est Sacerdos; vbi fieri non poterit, vt omnibus detur communio sub vtraque specie: nam tantum vini simul consecrari non potest. Quartò: Multi abhorrent à vino, nec possunt sine nausea gustare; vt abstemij naturâ vel educatione. Vnde tales, vel carerent fructu huius Sacramenti, vel cum periculo reiectionis illud acciperent.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

40 Ecclesia iustè præcepit Cõmunionem sub vna tantum specie.

Dico Secundò, Ecclesia potuit præcipere communionem sub vna specie, iustasque ad hoc causas habuit. Est fide tenendum, vt suprà.

Prior pars probatur; Quia communio sub vna, vel duabus speciebus, non est iuris diuini: ergo Ecclesia potest de ea disponere. Antecedens patet ex dictis. Consequentia probatur; Quia vbi à Domino non est præscripta certa regula, Ecclesia potest vitandæ confusionis causâ aliquid certi statuere; quod insinuat Apostolus 1. ad Corinth. 14. cùm ait, *Cetera, cùm venero, disponam.* Sic Ecclesia ex causa iussit interdum baptismum conferri trina immersione, interdum vna dumtaxat.

Altera pars probatur Primò, Ex incommodis iam allatis. Deinde, Quia communio sub vna specie iam tum ferè per totam Ecclesiam erat recepta: Concilium enim Constantiense, quod primum hac de re sanxit, videns ab hæreticis hanc consuetudinem oppugnari, tanquam mandato Christi esset repugnans, eam lege stabiliuit, noluitque hæreticorum perfidiâ abrogari. Tertiò, Quia consentaneum est, vt sit conformitas per Ecclesiam in hoc Sacramento sumendo, quæ esse non posset, nisi communio sub vtrâque specie abregaretur, & præciperetur tantùm sub specie panis. Refert tamen Ruardus articulo 15. Paulum III. dispensasse cum Bohemis, si tamen vellent fateri *Calicem non esse ad salutem necessarium.*

Obijciunt hæretici Primò, Dominus expressè præcepit de calice, *Bibite ex eo omnes*, Matth. 26. idque non sine mysterio, cùm non præceperit id de pane: nempe quia sciebat fore, qui calicem Laicis essent negaturi.

41 1. Obiectio *Bibite ex eo omnes.*

Respondeo, Loquitur Apostolis præsentibus, non autem Laicis: vnde Marcus ait, *& biberunt ex eo omnes.* Quòd autem non dixerit de pane, *manducate ex hoc omnes*, Ratio est; Quia non porrexit vnum panem integrum distribuendum per singulos, sed duodecim partes diuisas; vnde facilè aduertebant singulis suam partem sumendam: calicem autem non dedit diuisum, sed vnicum: ne ergo vnus, vel duo totum sumerent, dixit; *Bibite ex eo omnes.* Notandum tamen in Canone nostro, & apud Ambrosium lib. 4. de Sacrament. cap. 5. haberi, Dominum similiter dixisse, *Accipite, manducate ex hoc omnes:* quod est omnino credibile.

Solutio.

Dices Primò, Si solis Apostolis calicem dedit: ergo non licet eum dare Laicis.

Respondeo Negando Consequentiam: Non enim vetuit dari; sed generatim iussit dari hoc Sacramentum, siue sub specie panis, siue sub specie vini, quando dixit; *Hoc facite in meam commemorationem:* præcepit enim his verbis etiam dispensationem huius Sacramenti, non tamen definitè per calicem; vt potest colligi ex Luca, qui solùm refert hoc præceptum post consecrationem panis: & satis constat ex interpretatione, & vsu Ecclesiæ.

Quomodo Dominus præceperit dari Calicem.

Dices Secundò, Ioannis 6. v. 53. dicit Dominus, *Nisi manducaueritis Carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* ergo vtraque species est necessaria ad salutem.

Nisi manducaueritis & biberitis &c. explicatur.

Respondeo; Græcè est ἐὰν μὴ φάγητε, id est, *Si non manducaueritis:* debet autem ea negatio repeti post coniunctionem sequentẽ more Hebræo, vt sensus sit: *Si non manducaueritis Carnem Filij hominis, & non biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* id est, *si neque carnem, neque sanguinem sumpseritis:* negatio enim more Hebræo posita in principio, negat vtramque partem. Sic Psalmo 1. in Hebræo habetur, *Non resurgent impij in iudicio, & peccatores in concilio iustorum.* Ioannis 15. vers. 22. *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent;* id est, *& non locutus eis fuissem.*

42 2. Obiectio ex Patrib. Gelasius. Cyprian.

Obijciunt Secundò, Ex Patribus: Primò, Ex Gelasio, quod benè soluitur hîc à D. Thom. ad 1. Secundò, Ex Cypriano serm. de Cœna Domini: *Lex prohibet esum sanguinis, Euangelium præcipit vt bibatur.*

Respondeo, Cyprianus non facit vim in verbo *bibendi*; sed solùm vult dicere, *Sanguinem præcepto Domini esse sumendum*, siue per modum cibi, siue per modũ potus: nam cibus, inquit, & potus ad eandem rationẽ pertinent, scilicet vt corpus nutriatur, viuat, & conseruetur; non enim modus sumendi, sed res quæ sumitur, conseruat. Simili modo intellige illud D. Augustini q. 57. in Leuiticum, *Ad bibendum sanguinem omnes exhortantur, qui volunt habere vitam.* Nõ enim vim facit in verbo *bibendi*, sed in re quæ sumitur; vt patet ex adiunctis. Quòd verò hæretici obijciant aliquot testimonia Patrum, ex quibus probent vtramque speciem ih vsu fuisse: Respondeo, Nos id minimè negare. Solùm enim dicimus, meritò hanc consuetudinem esse abrogatam. Augustin.

43 Tres Rationes, cur sub duplici specie instituta videatur Eucharistia.

Obijciunt Tertiò, Tres Rationes. Prima est: Dominus instituit hoc Sacramentum sub duplici specie: ergo ab omnibus sic debet sumi.

1. Ratio.

Respondeo, Instituit sub duplici specie, quia illæ duæ species necessariæ erant ad perfectam rationem sacrificij repræsentatiui; non autem ad rationem Sacramenti. Nec verò necessarium est, vt quęuis sacrificij pars ab omnibus sumatur; satis est pro omnibus offerri; vt patet ex sacrificijs legis veteris. Dices, Omnes in sumptione huius Sacramenti debent *commemorare mortem Domini* 1. ad Cor. 11. sed mors Domini nõ repręsentatur perfectè, nisi per duas species: ergo duę debent sumi. Respondeo, Dupliciter *commemorari mortẽ Domini* in proposito: Primò, Expressa repræsentatione: quę commemoratio fit, dum consecratur vtraque species, & ex vi verborum seorsim ponitur Sanguis à Corpore: ad hanc requiritur vtraque species, soliq́ue Sacerdotes sic *mortem Domini commemorant*. Secundò, Per signum qualecunque seu mnemosynon aut memoriale, præsertim in hunc finem relictum. Sicut si amicus moriens relinquat mihi vestem vel annulum, vt in memoriam mortis eius quotannis semel vtar, dicar *hoc vsu mortem eius recolere*: & hoc modo omnes, qui sumunt Eucharistiam, *commemorant mortem Domini*, etiamsi sub vna specie sumant.

Soluitur.

Laici sub vna specie communicando *memorant mortem Domini.*

44 2. Ratio.

Secunda Ratio est: Iudæi omnes in deserto nõ solùm comederunt Manna, sed etiam *biberunt aquã de petra*, teste Apostolo 1. ad Cor. 10. v. 4. Atqui hæc erant figuræ Eucharistiæ sub vtrâque specie sumendæ: ergo & nos in deserto huius vitæ vtrãque speciem debemus accipere.

Soluitur.

Respondeo hoc argumentũ à nobis facit; Quia illi non eodẽ tempore & loco acceperunt *Manna*, & *aquam de petra*; sed aliquot diebus interiectis: Manna enim datum est in deserto Sin, Exodi 16: *aqua* verò in Raphidim Exod. 17. Vnde hęc erant figuræ Eucharistiæ sub vna specie sumendæ; sicut & *panes propositionis*, quibus nullus mysticus potus erat adiunctus; & *participatio Sacrificiorum*, quorum sola caro manducabatur, sanguis autem omniaq́ue libamina effundebantur Deo, vt patet Exod. 25.

45 3. Ratio.

Tertia Ratio est: Duæ species plus conferunt gratiæ spiritalis, quàm vna sola: ergo non rectè altera Laicis subtrahitur. Antecedens probatur, Tum quia vtraque seorsim est efficax gratiæ, & diuersum gratiæ conferendæ instrumentum: tum quia videntur habere distinctum effectum; alius enim est effectus cibi, alius potûs.

Soluitur.

Respondeo Primò, Etiamsi duæ species plus conferrent gratiæ, quàm vna; non tamen idcircò deberet permitti communio sub vtraque, ob periculum indignæ tractationis, aliaq́ue incommoda suprà allata: melius enim est, vt homo aliquâ gratiâ non necessariâ careat, quàm vt tantum Sacramentum, tantis periculis exponatur: quæ etiam vna est ex causis, cur non detur paruulis. Deinde potest hæc iactura facilè compensari frequentatione: qui enim semel communicabat per hebdomadam sub duabus speciebus, communicet bis sub vna.

An plus gratiæ detur per duas, quàm per vnam speciem.

Respondeo Secundò, Non plus gratiæ conferunt duæ species simul sumptæ, quàm vna, vt communiter docent Doctores; D. Thomas hîc ad 3. & ibidem Caietanus fusè: & idem D. Thomas opus. 58. c. 29. in fine. D. Bonauẽtura dist. 11. 2. parte distinctionis art. 1. quæst. 2. Richardus eâdem dist. art. 4. quæst. 6. Gabriel lect. 84. in Canonem. Roffensis in art. 16. Ruardus art. 15. & alij passim: excepto Alexandro Halensi 4. parte quæst. 53. memb. 1. & Gaspare Casalio lib. 2. de Cœna & Calice Domini cap. 25. quamuis dubitanter. Et ratio est, Quia vna specie tantum continetur, quantum duabus: nam totus Christus continetur in vna: vnde etiam totum suum effectum confert per vnam. Nec refert, quòd bis applicetur manducanti; quia alioqui, qui eodem tempore plures sumeret hostias, plus acciperet gratiæ, quàm qui vnam; & qui calicem acciperet tribus haustibus, plus acciperet gratiæ, quàm qui vno; quod per se satis absurdum est. Dices: Ergo, quando Sacerdos accipit Corpus Domini sub specie panis, recipit totum effectum sacramentalem, neque Sanguis postea sumptus quidquam gratiæ confert. Respondeo, Sanguis sub specie vini tunc non confert nouam gratiam, sed confert modo quodam eandem, quam contulit vnà cum Corpore latens sub specie panis: eadem enim gratia datur tunc veluti duplici iure, seu titulo: sunt enim veluti duo testamenta, seu instrumenta authentica, quibus plenissimè confertur eadem hæreditas.

An Sãguis sub specie Vini det alium effectũ ab eo, quem dedit sub specie Panis latens.

Ad Confirmationẽ Antecedentis: Respondeo, Alius est effectus cibi, qui solùm est cibus; & alius est effectus potûs, qui solùm est potus. Sed in rebus spiritalibus idem est cibus & potus animæ: sic *iustitia esuritur & sititur*, & quæque species continet cibum & potum animæ. Simile est in rebus corporalibus, quæ simul vim cibi & potûs obtinent.

DVBIVM II.

Vtrùm saltem Sacerdotes teneantur iure diuino sub vtraque specie hoc Sacramentum consecrare, & sumere?

46 Tenentur ad hoc Sacerdotes iure ecclesiastico.

REspondeo & Dico Primò, Saltem ex præcepto Ecclesiæ debere sub vtraque specie consecrari & sumi à Sacerdotibus. Est cõmunis sententia Doctorum. Patet ex Can. *Relatum*, & Can. *Compertum*, de Consecratione dist. 2. vbi dicitur non sine graui sacrilegio posse hoc mysterium diuidi, scilicet in consecratione, & sumptione.

Dico

Et Diuino. Dico Secundò, Probabilius est iure diuino Sacerdotes teneri sub vtraque specie consecrare, & sumere. Et quidem de *Sumptione*, vix potest esse dubium, si consecratio vtriusque speciei est necessaria: nam sumptio ad rationē sacrificij pertinet, vt infrà dicemus. Vnde Concilium Tolet. Can. *Relatum*, ait, *Quale erit sacrificium, cuius nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?* De *Consecratione* tenent multi Doctores: Caietanus hoc loco, Hosius in Confessione Polonica c. 40. Palud. dist. 11. q. 1. art. 1. Siluester verbo Eucharist. 1. q. 5. & alij.

Luc. 22. Probatur Primò, Ex illis verbis Domini Lucæ 22. v. 43. *Hoc facite in meam commemorationem. Quibus verbis*, vt ait Concil. Trid. sess. 22. c. 1. *præcepit Dominus Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus, vt offerrent & sumerent Corpus, & Sanguinē suum sub speciebus panis & vini, sub quibus ipse obtulerat.* Vbi Concilium insinuat de vtraque specie extare præceptum diuinum. Nec refert, quòd illa verba, *Hoc facite*, apud Lucam referantur tantùm post consecrationem panis, & non post consecrationē vini; quia vel Lucas ea per anticipationem ibi refert, cùm post vtriusque speciei consecrationē insinuet Canon noster dicta esse: vel certè bis dicta sunt à Domino, scilicet, post singulas species; quod indicat Apostolus 1. ad Corinth. 11.

Ratio. Probatur Secundò, Ex ingenti illa cura, qua Ecclesia semper cauit, ne sacrificium relinqueretur imperfectū: vt patet 7. q. 1. Can. *Illud*, & Can. *Nihil*, ex duobus Concilijs Toletanis: idque Ecclesia pluris fecit, quàm vt sumatur à ieiunis, aut confessione præmissa.

Probatur Tertiò, allata ratione: Quia essentia huius sacrificij, scilicet quatenus est repræsentatiuum seu commemoratiuum sacrificij crucis, postulat vt Corpus & Sanguis seorsim sub diuersis speciebus ponantur. Sicut enim sacrificium crucis consistit in reali effusione Sanguinis, eiusq; à Corpore separatione; ita ratio huius sacrificij consistit in sacramentali effusione sanguinis & separatione; quæ fit dum consecrantur Corpus & Sanguis sub diuersis speciebus.

Sed contrà; Si hoc est iuris diuini: ergo Pontifex non potest in eo dispensare: quod videtur falsum. Nam Raphaël Volaterranus l. 7. Geographię cap. de Saxonibus, scribit ab Innocentio VIII. concessum Norwegis, vt sine vino sacrificarent, eò quòd ibi vino careant, & aliunde importatum ob asperitatem frigoris continuò acescat. 47

Respondeo, Admitto Pontificem non posse dispensare: cuius signum est, quòd vsque ad tempora Innocentij VIII. nullum extet vestigium huiusmodi dispensationis, vel vsus. Illud autem Volaterrani videtur valdè vacillare: si enim hoc verum est, mirum certè est alios Auctores illius ætatis rem tam nouam silentio præterijsse; neque extare aliqua signa huius dispensationis apud illā gentem, cùm vix sint centum & quindecim anni. Et cur vsque ad illud tempus dilata dispensatio? Cur idem modò non ita fit, cùm eadem causa duret? Adde, Volaterranum habere, Innocentium concessisse sine vino calicē consecrare; quod sine dubio falsum est: non enim ignorare poterat Innocentius alios liquores consecrari non posse. Pontifex non potest dispensare, vt sub vna tantū specie consecretur.

Aduerte tamen; non esse improbabile, Pontificem posse dispensare ob extremam aliquam necessitatem. Ita tenet Gabriel lect. 53. Adrianus qu. de ieiunio necessario ad sumptionem Eucharistiæ pagina 76. vbi citat pro hac sententia Alexandrum Halensem in Compendio Theolog. lib. 6. Idem tenet Claudius à Sanctis, Repetitione 10. cap. 3. & quidam alij. Contrariū est probabile.

QVÆSTIO LXXXI.

De modo, quo Christus est vsus hoc Sacramento.

In Quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Christus sumpserit Corpus suum & Sanguinem?

1 Respondetur Affirmatiuè. Est valdè probabile, etsi nō certum. Colligitur probabiliter ex Hieronymo q. 2. ad Hedibiam; *Dominus* IESVS *Christus ipse conuiua, & conuiuum; ipse comedens, & qui comeditur.* Chrysost. hom. 83. in Matth. *Vt nō turbarentur Discipuli, priùs Sanguinem suum bibit.* Hesichius in c. 8. Leuit. *Christus in cœna priùs Sanguinem accepit, deinde Discipulis dedit.* Idem docet Glossa in cap. 3. Ruth apud D. Tho. & cōmuniter Doctores, dist. 11. Ratio præcipua est; Quia Christus ibi sacrificauit: atqui sacrificans in primis debet participes esse sacrificij; vt colligitur ex cap. 6. & 7. Leuitici: vbi Sacerdotes priùs iubentur sumere de sacrificijs, deinde populus. Vnde etiam Sacerdotes noui Testamenti debent necessariò sumere Eucharistiam in sacrificio. Deinde quia Christus debebat Apostolis dare exemplum sumendi, sicut & consecrandi: ergo &c.

Cur Christus sumpserit Corpus suum & Sanguinem.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Christus dederit Iudæ Corpus suum?

2 Respondetur Affirmatiuè. Notandum, Quosdam tenuisse contrarium. Sic Hilarius c. 30. in Matth. & Rupertus lib. 10. in Matth. sub finē: quæ sententia etiā habetur apud Clementē lib. 5. Constitutionum Apostolicarum c. 16. & defenditur à Turriano in Commentario illius loci.

Sed quod docet D. Thomas, est quasi certum. Probatur; Marci 14. vbi dicitur, *Et biberunt ex eo omnes:* Iudam autē tunc interfuisse, patet ex c. 22. Lucæ v. 20. vbi cùm Dominus dixisset, *Hic est calix nouum Testamentum in meo Sanguine, qui pro vobis effunditur:* subditur, *Veruntamen ecce manus tradentis me,* Verius est Iudam etiā communicasse. Marci 14. Lucæ 22.

dentis me, mecum est in mensa. Idem docent Patres: Dionysius Areopagita de Ecclesiast. Hierarchia c.3.p.3. sed non nihil obscurè. Et apertè Augustt. Tract. 62. in Ioannem, & Commentario in Psal. 10. & epist. 162. Chrysostomus hom. 46. in Ioan. & homil. 2. de proditione Iudæ. Ambrosius lib. de Apologia Dauid sub finem. Cyprianus serm. de Cœna Domini: & alij. Denique Magister, & Doctores dist. 11.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Christus sumpserit, & dederit Discipulis Corpus impassibile?

3 REspondeo & Dico Primò, Sumpsisse & dedisse Corpus suum passibile, sed modo impassibili: sicuti id, quod est visibile, dedit modo inuisibili.

Passibilitas vel Impassibilitas est in Eucharistia concomitanter.

Vbi aduerte, passibilitatem, & impassibilitatem esse in Eucharistia concomitanter, sicut & ceteras qualitates: vnde quando ipsum Corpus in forma naturali erat passibile, eadē passibilitas ponebatur in Eucharistia, quamuis non posset ibi ab extrinseco pati, vel etiam ab intrinseco naturaliter; ac proinde ponebatur ibi modo impassibili: nō enim magis poterat ibi naturaliter pati, quàm si in se impassibile fuisset. Nūc verò quia Corpus Christi in forma naturali est impassibile, eadē impassibilitas est in Eucharistia, sicut & ceteræ Corporis dotes. Nam ex vi institutionis tale ponitur Corpus Christi in Eucharistia, quale est in seipso, excepta actuali extentione ad locum.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm, si hoc Sacramentum fuisset seruatum, vel consecratum in triduo mortis, Christus ibi fuisset mortuus?

REspondetur Affirmatiuè. Notandum hoc valdè esse credibile: nam Christus absolutè volebat mori pro genere humano: atqui nō fuisset absolutè mortuus, si in Sacramento mansisset viuus. Tamen id non erat necessarium ex natura rei, seu connexione, quam habebat Christus sub Eucharistia ad se ipsum sub forma naturali, vt suprà ostensum est; sed solùm ex ordinatione diuina naturis rerum consentanea. 4

Christus ibi fuisset moriturus, sed sine dolore vel læsione.

Probabilius tamē videtur, dolores in Eucharistia non futuros, sicut nec læsiones: quia cùm naturaliter non possint ibi resultare ex dolore, quem habebat in forma naturali, debuissent diuinitus infligi magno miraculo: quod non videtur satis consentaneum diuinæ bonitati & sapientiæ.

QVÆSTIO LXXXII.

De Ministro huius Sacramenti.

Hic tribus Articulis tractata.

ARTICVLVS I.

Vtrùm consecrare hoc Sacramentū sit proprium Sacerdotis?

1 Hæresis Lutheri, & aliorū.

NOtandum est, Lutherum lib. de Captiuitate Babylonica cap. de Ordine, docere omnem Christianum per baptismum habere potestatem consecrādi. Alibi adiungit etiam Diabolum posse consecrare, modò verba pronuntiet. Quod est satis consentaneum ipsius principijs; quorum vnū est, Sacramenta non operari, nisi excitando fidem: signa enim & verba sacramentalia possunt excitare fidē, à quocunque adhibeantur. Quare Caluinistæ non satis consequenter loquuntur, dum hac in re à Lutheranis recedunt, affirmantes neminem habere potestatē baptizandi, aut Eucharistiam administrandi, nisi Ministrum publicum ad hoc deputatum, esseque irritum, si aliter fiat. Pro veritate:

2 Solt Sacerdotes habent potestatem consecrandi Eucharistiam.

Dico Primò, Fide tenendum est, solos Sacerdotes ritè ordinatos, habere potestatem consecrandi Eucharistiam. Patet hoc ex Concilio Nicæno I. can. 14. vbi inter cetera dicitur, *Sacerdotes habere potestatē offerendi Corpus Domini, non autem Diaconos.* Item ex Concil. Lateranensi sub Innocentio III. *Hoc Sacramentum nemo potest conficere, nisi fuerit Sacerdos ritè ordinatus.* Denique ex Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. & can. 2. & sess. 23. cap. 1. & 4. & can. 6.

Probatur Primò, Ex Scriptura: Luc. 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem:* quod non est dictum, nisi solis Apostolis, & eorū in Sacerdotio successoribus; vt docet Concilium Trident. ergo non est omnium conficere hoc Sacramentū: Consequentia probatur; Quia illi soli possunt hoc conficere, quibus id à Domino est commissum.

Probatur ex verbis, *Hoc facite*, &c.

Antecedens probatur Primò, Quia his verbis non solùm data est potestas, sed etiam præceptum consecrandi Eucharistiam: atqui præceptum consecrandi nō est omnibus datū, sed solis Apostolis, & eorum successoribus: ergo hęc verba non pertinent ad omnes homines. Dices, Illud, *Hoc facite*, refertur solùm ad actionē manducandi, & sic pertinet ad omnes. Sed contrà: Quia inter Euangelistas solus Lucas habet hæc verba, qui non meminit manducationis; sed solùm *Accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens, Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem.* Vnde patet Lucā referre illa verba ad totam Christi actionem; vt sensus sit, *Hoc quod me facere vidistis, facite in meam commemorationem:* id est, *Accipite panem, benedicite, consecrate, offerte, sumite, distribuite:* hæc enim Dominus fecerat, & vnumquodque horum faciēdum est in memoriā ipsius. Vnde Apostolus 1. ad Cor. 11. ex istis verbis colligit, etiam manducationem debere fieri in memoriam Dominicæ mortis, non tamen restringit ea ad solam manducationem. Confirmatur; Quia si non referrentur ad totam Christi actionem, nullum extaret præceptum de huius Sacramenti consecratione.

Antecedens

Per quæ verba Apostoli facti sint Sacerdotes.

Antecedens Probatur Secundò, Quia his verbis Apostoli ordinati sunt Sacerdotes, vt docet hîc D. Tho. & Concilium Trid. sess. 22. can. 2. ergo illis solis directè hæc verba sunt dicta.

Dionysius.

Probatur Secundò, hæc propositio: Ex Patribus. Dionysius Areopagita c. 5. par. 1. Ecclesiast. Hierarchiæ, *Nec ipse Sacerdos erit, nisi Pontificalibus officijs ad hoc fuerit promotus.*

Ignatius.

Ignatius epist. ad Trallianos dicit *Infideli deteriorem esse, qui cùm non sit Sacerdos, audet aliquid circa altaris ministerium.*

Tertul.

Tertull. lib. de Præscriptione ridet Marcionistas, quòd Laicis sacerdotalia munia committerent.

Augustin.

D. Aug. l. 20. de Ciuit. Dei c. 10. distinguit Sacerdotes spiritales & impropriè dictos, ab Episcopis & Presbyteris, qui propriè & ex officio sunt Sacerdotes.

Probatur Tertiò, Ratione: quam vide apud D. Thomam.

3 Ad consecrandũ non est in ministro necessaria fides, vel bonitas, vel iurisdictio.

Dico Secundò, Præter legitimam ordinationẽ, & intentionem faciendi quod Christus instituit, non est quidquam aliud in Ministro absolutè necessarium. Sic non est necessaria fides, vt volebat Cyprianus, & posteà Donatistæ. Nec bonitas seu iustitia, vt volebat Wiclef. Nec potestas iurisdictionis. Ratio est, Quia Sacramenta non pendent ex fide, vel bonitate ministrorum, sed ex meritis, & institutione Christi. Iurisdictio hîc non requiritur; quia consecratio nõ est actus iurisdictionis, cùm non respiciat subditum, sed materiam. Vide quæ dicta sunt suprà qu. 64. & D. Thomam infrà hâc quæst. art. 5. 6. 7. 8.

Sed contrà obijcitur: 1. Petri 2. v. 9. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium;* & Apocal. 5. v. 10. *Fecit nos Deo nostro regnum & Sacerdotes.*

Quomodo omnes Christiani sint Sacerdotes.

Respondeo; Omnes Christianos tales esse *Sacerdotes*, quales sunt *Reges*; scilicet largo & metaphorico modo, quatenus se, & omnia sua Deo offerũt, & ad ipsius gloriam referunt. Sicut enim sacrificium generatim est omne opus bonũ, quo sancta societate Deo inhæremus; ita sacerdotium generatim est consecratio hominis per baptismum. Sed præter hoc sacerdotium, est aliud propriè dictum, quo quis constituitur minister publicus populi Christiani, & mediator inter ipsum & Deum, vt nomine populi, Deo singulare quoddam sacrificiũ offerat, & vicissim diuina dona populo dispenset.

ARTICVLVS II.

Vtrùm plures Sacerdotes possint eandem hostiam consecrare?

4 Respondetur Affirmatiuè. Quod intellige, si omnino simul verba cõsecrationis consummant: alioqui is, qui prior absoluit, solus consecrabit; reliqui nihil efficient.

An abrogãdas mos, quo recens ordonati cum Episcopo consecrant.

Notandum est consuetudinem illam, qua noui Sacerdotes consecrant in ordinatione, nõ esse vniuersalis Ecclesiæ. Vnde Durandus dist. 13. qu. 3. audet eam improbare, dicitque esse abrogandam. Verùm quia etiam in Ecclesia Romana, & plerisque alijs seruatur, non est priuatorum Episcoporũ auctoritate facilè abroganda. Nã in vetusto Pontificali Romano, vt refert Caietanus, de recens ordinatis dicitur, *Dicant omnia, quæ sunt in Missali, sicut si celebrarent.*

5 Sunt autem tres vel quatuor modi, quod ad praxim attinet. Primus, Vt recens ordinati, etiãsi verba consecrationis ante Episcopũ pronuntient, omnes tamen referant suam intentionẽ ad instans, quo finiet Episcopus. Ita faciendum iudicat Innocentius III. lib. 4. de mysterio Missæ c. 25. & D. Thomas, quos sequuntur plerique Thomistæ & Summistæ. Sed hic modus patitur nonnullã difficultatem: nam frustrà refertur intentio ad illud instans, si reuerà illo instanti non finiatur forma, quod rarissimè cõtingit. Nam virtus verborũ non potest suspendi pro arbitrio nostro; imò neque pro arbitrio totius Ecclesiæ; sed in vltimo instãti prolationis operatur, modò legitima adsit intentio.

Potest hæc consecratio fieri quadrupliciter.

Secundus modus est, vt diligẽter attendant, ne ante Episcopũ verba consecrationis pronuntient. Si tamẽ contingat ante illũ finire cum intentione consecrandi, verè cõsecrarunt, & Episcopus nihil posteà faciet. Sed hoc etiam videtur incommodũ non exiguum: si enim contingat eos præuenire, principalis sacrificans reuerà nõ sacrificabit; actus enim sacrificãdi potissimùm in consecratione cõsistit. Deinde, super materia cõsecrata rursus verba consecrationis proferentur: quod videtur esse sacrilegũ: nã materia non est ampliùs consecrabilis.

Tertius modus est, vt non intendant determinatè consecrare, vel non consecrare; sed solùm intendant facere id, quod Ecclesia per illã cæremoniam instituit. Ita consulit hîc Caietanus, estque bonum consilium, & tutus modus.

Quartus modus, vt absolutè intendant solùm pronuntiare illa verba recitatiuè, in signum potestatis acceptæ, cum intentione conditionata consecrandi, si fortè contingat simul cum Episcopo absoluere. Et hic quoque modus tutus est, maximeque rationi consentaneus.

ARTICVLVS III.

Vtrùm dispensatio huius Sacramenti pertineat ad solum Sacerdotem?

6 Responsio est affirmans.

Respondetur Affirmatiuè. Probatur tribus rationibus: de quibus prima & secunda benè conuincunt soli Sacerdoti, & nulli inferiori dispensationẽ huius Sacramenti iure diuino conuenire ex auctoritate Ordinis, & officij. Solus enim Ordo Sacerdotalis, sicut constituit propriũ ministrum qui hoc Sacramentum consecret; ita etiam constituit, qui consecratum populo dispenset.

7 Dispensatio Eucharistiæ committi potest Diacono.

Notandum tamen Primò: Olim Diacono ex commissione licuisse hoc Sacramentũ dispensare, præsertim calicem; vt colligitur ex sermone Cypriani de lapsis; & ex verbis B. Laurentij ad Sixtũ Papam: & interdũ vtramque speciẽ, vt colligitur ex Iustino Apologia 2. pro Christianis: *Absoluta*, inquit, *gratiarum actione Præsulis, Diaconi dant singulis præsentibus partem panis, & calicis diluti, super quæ facta est gratiarum actio: quod alimentum apud nos dicitur Eucharistia.* Verùm hoc non facit eo modo, quo Sacerdos, sed tanquã qui ministrat Sacerdoti; vt ait Clemens Romanus lib. 8. Constitutionum Apostolicarum cap. 28. id est, non ex vi suæ ordinationis, quasi ordinario iure, sed vt Minister & instrumentum Sacerdotis.

Sed non absque necessitate.

Notandum Secundò; Hanc dispensationem Diacono non posse committi, nisi quando Sacerdos per se, aut per alium Sacerdotem commodè non posset: sic enim habet Ecclesiæ praxis, & colligitur ex Canone *Peruenit*, de Consecratione

dist. 2. vbi iubetur Presbyter per seipsum cõmunicare infirmum, sub periculo amittendi sui gradus; & ex Concilio Carthaginensi 4. cap. 38. vbi requiritur necessitas, vt Diacono committatur. Vnde quando Sacerdos commodè per se potest, aut alij Sacerdotes non desunt per quos possit, non potest Diaconus, etiamsi illi præciperetur: quia non potest contra iura obtemperare.

8 Aliquando id potest Diaconus absque cõmissione.

Notandum Tertiò; Posse in certo euentu Diaconum sine commissione, imò etiam nolente Sacerdote Eucharistiam dispensare; vt rectè Dominicus Soto in hunc art. contra Siluestrum verbo *Diaconus*: v. g. vt si aliquis infirmus sine viatico esset decessurus, Sacerdote nolente, vel non valente ei succurrere: in tanta enim necessitate censetur Ius Diacono potestatem tribuere: & colligitur ex Concilio Niceno I. can. 14. vbi conceditur Diaconis, vt proferant Eucharistiã absente Episcopo, vel Presbytero: & ex Gelasio epist. 1. cap. 9. & 10. vbi absolutè id conceditur Diaconis in necessitate: præsentia enim Sacerdotis, potestate suâ abutentis, instar absentis censenda est.

Inferior Diacono.

Notandum Quartò: Inferioribus Diacono cõmitti non posse; nisi fortè in illo casu, quo infirmus sine viatico esset moriturus: tunc enim videtur etiam Laico permitti posse, modo scandalum absit. Probatur; Quia non est contra Ius diuinum, aut contra vllum Canonem, aut contra aliquam Ecclesiæ consuetudinem, quæ vim legis habeat; præsertim cùm exempla antiquitatis non desint. Nam olim Eucharistia solet dari in manus deferenda domum; & etiam aliquando per pueros mitti ad infirmos, vt suprà qu. 80. art. 12. dub. 1. num. 37. attigimus ex Dionysio Alexandrino.

Laicus.

DVBIVM.

Vtrùm requiratur Iurisdictio ad Eucharistia dispensationem?

9 Ad hoc requiritur aliqua iurisdictio.

REspondeo, Requiri aliquam Iurisdictionem vt legitimè & sine peccato fiat; vel ordinariam, qualis est in Pontifice, Episcopo, Parocho, & religionum Prælatis: vel certè delegatam, qualem habent illi quibus id ab ordinario superiore conceditur. Ratio est, Quia bona communia Ecclesiæ non sunt distribuenda nisi per eos qui in Ecclesia habent auctoritatem: atqui Sacramenta sunt bona communia Ecclesiæ. Item hæc administratio pertinet ad officium pastorale & gubernationem Ecclesiæ, sicut publica verbi Dei prædicatio. Colligitur ex Concilio Carthaginensi I. cap. 7. & generatim ex Clementina *Dudum.* de Sepulturis.

10 Sub peccato mortali.

Petes, Quale peccatum est sine tali iurisdictione Eucharistiam administrare? Respondeo, Est peccatum mortale sine facultate ordinarij Pastoris Eucharistiam administrare: quia est vsurpatio iuris alieni in re magni momenti, quæ ex se turbat pacem, & debitam gubernationem Ecclesiæ. Potest tamen quis excusari per ignorantiam, vel quia bona fide existimat non displiciturum Pastori, vel eum ratum habiturum.

Et excommunicatione.

Religiosi ipso facto sunt excõmunicati si præsumpserint Clericis vel Laicis Sacramentum Eucharistiæ administrare sine copia Pastoris proprij: Clementina *Religiosi.* de Priuilegijs.

11 Potestas delegandi.

Concessa facultate administrandæ confessionis, aut eligendi confessarij, non intelligitur potestas concessa Eucharistiæ administrãdæ, aut eligendi Ministri Eucharistiæ. Ratio est, Quia multæ sunt causæ cur concedatur electio Confessarij, quæ non habent locũ in administratione Eucharistiæ; & in vno non censetur contineri alterum.

Potest simplex Parochus cuiuis simplici sacerdoti delegare administrationẽ Eucharistiæ, etiamsi ab Episcopo non sit approbatus; quia nullus Canon hoc requirit, & Concilium Tridentinum solùm loquitur de Sacramento Confessionis.

12 Communio Paschalis apud Mendicantes.

Quando in priuilegijs Mendicantium dicitur, eos posse administrare Eucharistiam quouis tempore præterquam die Paschatis Resurrectionis Domini, non est sermo de solo festo Resurrectionis, vt vult Nauarrus; sed de toto tempore Paschali, quando implere volunt præceptum Ecclesiæ de annua communione in parœcia: vt sensus sit, præterquam tempore Paschatis, quo volunt implere præceptum Ecclesiæ. Vnde etiam ipso die Resurrectionis Religiosi possunt dare Eucharistiam, modò illi quibus dant, iam communicarint vel cõmunicaturi sint in parœcia intra quindecim dies Paschales.

13 Si desit copia Parochi.

Si Parochi vel superioris copia non detur, possunt fideles vrgente necessitate accipere Eucharistiam per modum viatici à Religiosis, vel quibusuis alijs sacerdotibus. Est contra Nauarrum cap. 21. num. 52. Hæc enim censetur esse rationabilis voluntas Parochi, vel certè ipsius Ecclesiæ, vt in re tanti momenti ad salutem ei succurratur per quemuis ad hoc idoneum. Angelus V. Excommunicatio c. 5. Casu 12. n. 5. citans Directorium, Hostiensem, & Archidiaconum.

14 Quoties teneatur Parochus Eucharistiam administrare.

Parochus tenetur administrare Eucharistiam subdito non solùm semel in anno, & in articulo mortis, contra Syluestrum 1. q. 18. V. Confessio; sed quoties ille rationabiliter petit. Itaque, si non nimis frequenter aut sæpiùs petat quàm eius statum decet, aut reuerentiæ Sacramenti conuenit, tenetur. Ita Adrianus in 4. q. 5. de Confess. dub. 8. Sotus dist. 12. Nauarrus in Capit. *Placuit.* de Pœnitentia, dist. 6. n. 152. Ratio est, quia Parochi accipiunt stipendia à fidelibus, non solùm vt necessaria præbeant, sed etiam valdè vtilia saluti animarum: maximè enim ad munus Pastoris pertinet, vtilia cuibus conciliare: vnde non solùm diebus festis, sed etiam aliàs frequenter tenentur Parochi sacrum facere vel procurare.

15 Quando Sacerdos sibi ipsi possit porrigere.

Potest sacerdos extra sacrificium sibiipsi communionem porrigere: v. g. dum ægrotat, si non adsit alius sacerdos, qui id commodè posset: Durandus dist. 13. q. 4. Idem potest laicus in periculo mortis, si sacerdotis copiam non habeat: Caietanus in c. 26. Matth. Ita dicitur Regina Scotiæ quæ nuper indignissimo supplicio in Anglia affecta fuit, habuisse penes se Eucharistiã, & sumpsisse pridiè quàm moreretur: sed hæc fortassis dispensationem habuit.

Quando Laicus.

16 Administrans Eucharistiam in mortali peccato.

Sacerdos dispensans hoc Sacramentum in peccato mortali, peccat mortifero sacrilegio. Ratio est, quia ad huius dispensationem est ordinatus, & gratiam accepit. Non tamen videtur peccatum mortale, si contingat; quod est contra Adrianum: aut si etiam deferat in supplicatione; quia ad hoc non videtur propriè ordinatus. Similiter nec laicus peccat mortaliter etiamsi in peccato mortali existens contingat & deferat ad infirmum; quia ad hoc nó est cõsecratus. Ita Paludanus & Suares.

Eam attingens.

QVÆ-

QVÆSTIO LXXXIII.

De Ritu huius Sacramenti.

In Sex Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Christus in hoc Sacramento immoletur?

1

REspondetur Affirmatiuè: Christus in hoc Sacramento, id est, in Consecratione seu celebratione huius Sacramenti immolatur, id est, sacrificatur. Probatur duabus rationibus à D. Thoma, quæ sic explicandæ sunt. Prior est: Celebratio huius Sacramenti, est repræsentatio sacrificij crucis: ergo dici potest Christus immolari in huius Sacramenti celebratione, saltem repræsentatiuè; nam signa assumunt nomina rerum signatarum. Verùm hoc modo etiam dici potest immolari in figuris veteris testamenti: vnde hic modus est improprius. Altera est: Per celebrationem huius Sacramenti, non solùm vt est susceptio Sacramenti, sed etiam vt est consecratio Corporis & Sanguinis Christi, applicatur nobis fructus Sacrificij crucis, ex opere operato: ergo est immolatio sacrificij. Antecedens supponitur tanquam fide certum. Consequentia probatur: Nam fructus passionis non applicatur nobis ex opere operato, nisi vel per susceptionem Sacramenti, vel per oblationem sacrificij: sed consecratio Corporis & Sanguinis Christi non est susceptio Sacramenti, & tamen per eam applicatur nobis fructus passionis ex opere operato: ergo est oblatio sacrificij.

In celebratione Christus immolatur duobus modis.

Nota D. Thomã in Corpore, vt probet Christum fuisse oblatum in figuris veteris legis, adducere illud Apocalypsis 13. v. 8. *Quorum nomina nõ sunt scripta in libro vitæ Agni, qui occisus est, ab origine mundi.* Verùm locus iste aliter dispungendus est; vt colligitur ex Græco, & optimè ostendit Ribera in illum locum: nam illud *ab origine mundi*, non est iungendum cum *occisus*, sed cum *scripta sunt.*

2 Expenditur ratio D. Thomæ.

Notandum est; Eucharistiam non tantùm esse Sacramentum, sicut sunt cætera Sacramenta; sed etiam sacrificium; atque adeò sacrificium vnicum nouæ legis, in cuius oblatione primarius cultus nostræ Religionis consistit. Itaque tractandum breuiter de Sacrificio, tum generatim, tum ipsius Eucharistiæ; nam hanc partem hæretici vehementer oppugnant: de qua præter ceteros copiosè scripserunt Claudius à Sanctis, Guilielmus Alanus, Bellarminus, Gregorius à Valentia, & postremò Zuares. Nos solùm præcipua prosequemur.

DVBIVM I.

Vtrùm omne opus bonum, quo Deum honoramus, sit propriè dictum Sacrificium?

3 Affirmant hæretici.

HÆretici, vt excludant vnicum, & verum Ecclesiæ sacrificium, ita Sacrificij notionem explicant, vt vel omne opus bonum, vel saltem omne id, quod Deo offertur, dicant esse propriè dictum Sacrificium. Vnde Philippus Melanchthon in locis cõmunibus, Titulo de Sacrificio Eucharistiæ, *Sacrificium* dicit *esse omne opus, quod Deo reddimus, vt eum honore afficiamus.* Caluinus autem *omnem oblationem vult esse sacrificium.* Idem ferè sentiunt alij hæretici, vt refert Gregorius à Valentiã *Apologia* de Sacrificio Missæ, & Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 2.

Dico Primò; Certum est, non omne opus bonũ esse propriè sacrificiũ, etiamsi fiat expresè ad Deum honorandum. Est communis sententia Catholicorũ fide tenenda.

4 Non omne opus bonum esse propriè sacrificium, est de fide.

Probatur Primò, Quia Sacrificium est excellentissimus cultus exterior, quo Deum colimus, & expressiùs eius excellentiam, nostramque subiectionem testamur. Quod ex eo confirmatur, quòd sacrificium nemini possit offerri, nisi Deo; vt ostendit D. August. lib. 10. de Ciuitate Dei, cap. 4. *Vnde nemo vnquam sacrificandum censuit, nisi ei, quem aut Deum scinit, aut putauit, aut finxit*, vt ibidem Augustinus. Cætera autem honoris signa etiam alijs fieri possunt; vt genuflexio, erectio statuæ, & similia. Atqui non omne opus bonum est excellens cultus diuinitatis: imò pleraque nullum honorem præ se ferunt; vt ieiunium, eleëmosyna, & omnia, quæ in proximum fiunt: nisi quatenus obedire Deo, est quodammodò honorare: non enim, qui ieiunat, aut proximo benefacit, expresso signo testatur Dei excellentiam, & suam subiectionem. Quod confirmatur: nam hæc opera non ex eo præcipuam laudẽ habent, quòd Deum honorent; sed quia ob alias causas rectæ rationi, & diuinæ legi sunt consentanea; alioqui Religio non esset virtus à ceteris distincta.

Sacrificium est præstantissimus cultus externus Diuinitatis.

Probatur Secundò, Nam ad rationem sacrificij requiritur Sacerdos, & Altare. Offerre enim sacrificium est proprium munus Sacerdotis. Patet ex Apostolo ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, vt offerat dona, & sacrificia.* Idem patet exemplis Scripturæ: nam in veteri lege soli Sacerdotes offerebant sacrificia; adeò, vt Rex Ozias cùm non esset Sacerdos, & tamen vellet sacrificare, à Deo punitus fuerit lepra 2. Paralip. 26. Idem patet ex nominum affinitate; tum apud Græcos, tum apud Latinos. Nam ἱερεὺς est *Sacerdos*, ἱερεύω *Sacrificio*: Sic *Sacerdos* & *Sacrificus*, idem valet: Sacrificare ergo est proprium munus Sacerdotis.

Ad sacrificium propriè dictũ requiritur Sacerdos.

Quod autem Altare requiratur: Patet tum ex vsu omnium gentium, tum exemplis Scripturæ, vbi altaria non nisi ad sacrificia fuisse erecta legimus, excepto illo vno filiorum Ruben & Gad, de quo Iosue 22. quo præter naturam altaris vsi sunt, nempe in signum, quod haberent ius offerendi cum reliquis tribubus quæ erant vltra Iordanem. Tum ex ipsis nominibus: nam *Altare*, nomen habet à Sacrificio; tum, apud Græcos, tum apud Hebræos: nã ἀπὸ θυσίας dicitur θυσιαστήριον, & à ZABACH, id est, *sacrificauit*, dicitur MIZBEACH, id est, *Altare*. Ratio est, Quia cùm sacrificium sit

Ei Altare.

præstantissimus cultus externus Diuinitatis, requiritur ad illud determinata persona ad hoc peculiariter deputata; similiter determinatus locus, qui vsibus profanis non possit accommodari.

Probatur Tertiò, Si omne opus bonum esset sacrificium, deberet esse sacrificium legis naturalis; ac proinde ratio naturalis dictaret omne tale opus pro sacrificio habendum: atqui hoc falsum est; nam nulla vnquam gens quoduis opus bonum censuit cultum latriæ; sed omnes quædam peculiaria opera externa habuerunt, quæ sola, sacrificia censerentur. Dices; etiamsi non omne opus bonum secundùm se sit sacrificium, tamen quatenus fit ad honorandum Deum, videtur esse sacrificium, cùm sit actus latriæ. Respondeo; hoc nō est esse propriè sacrificium; sed est tantummodò esse actum Religionis imperatum, & directum in finem in quem dirigitur sacrificium, seu ob quem propriè fit sacrificium: sed hoc nihil ponit in ipso actu, nisi denominationem extrinsecam; vnde non facit ipsum actum esse actum latriæ, nisi remotè, quatenus videlicet aliquo modo causatur ab affectu latriæ. Adde, Non omnem actum latriæ esse sacrificium: vt patet in adoratione, laude, voto, iuramento, &c. Vnde etiamsi esset actus Religionis, non tamen idcirco esset sacrificium.

Esto opus bonum fiat in honorē Dei, non inde tamen est Sacrificium.

5 *Soluuntur obiectiones.*

Sed contrà: Obijcitur Primò, Opera bona in Scripturis vocantur sacrificia: Psal. 50. v. 19. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus:* & alibi, *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino.* Ad Hebræos vltimo v. 16. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus.*

Sacrificiū sæpè latè sumitur pro omni bono opere.

Respondeo: Hæc dicuntur *Sacrificia* largè: quia placant Deum instar Sacrificij. Vide Chrysostomum Comment. in Psal. 95. vbi decem genera huiusmodi sacrificiorum enumerat ex Scripturis. Alibi enim Scriptura, vbi strictè accipit nomen *Sacrificij*, distinguit illud ab operibus bonis: 1. Regum 15. v. 22. *Melior est obedientia, quàm victima.* Oseæ 6. v. 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Psal. 50. v. 18. *Si voluisses sacrificium, dedissem.* Quibus locis manifestè insinuatur, obedientiam, misericordiam, aliaque huiusmodi bona opera, non esse propriè sacrificia. Vide Melchiorem Canum lib. 12. de locis cap. 13.

Obijcitur definitio Augustini.

Obijcitur Secundò, Augustinus lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 6. sic ait; *Sacrificium verum est omne opus, quod agitur vt sancta societate inhæreatur Deo, relatum ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possumus:* id est, Sacrificium est omne opus bonum, factum, vt Deo placeamus.

Explicatur

Respondeo; D. Augustinus accipit nomen *sacrificij* latè, pro eo, quo assequimur finem seu effectum Sacrificij, qui est *placere Deo*. Vocat autem tale opus, *verum sacrificium*, ad distinctionem sacrificij externi, quo offertur animal: non quòd perfectiùs & veriùs habeat rationem sacrificij, quàm sacrificium externum; sed quia effectum sacrificij perfectiùs præstat. Nam opus bonum ex charitate profectum, perfectiùs Deum placat, nosque illi iungit, quàm sacrificium externum, secundùm se non proficiscens ex charitate. Hanc esse mentem Augustini patet ex capite 5. Simili modo Christus dixit, *Ego sum vitis vera*: non quòd esset propriè vitis, sed quia est vitis mystica, multò excellentiùs præstans spiritaliter ea, quę vitis sunt. Sic *abstinere à peccatis*, dicitur *verum ieiunium: visitare pupillos, vera religio.*

Dico Secundò, Nō omnis quoque externa oblatio Deo facta sacrificium est, quamuis ex intentione honoris diuini procedat. 6 *Non omnis externa oblatio ad honorem Dei facta, est propriè Sacrificium.*

Probatur Primò, Quia Scriptura passim distinguit *Oblationem* à *Sacrificijs*. Psal. 39. *Sacrificium & oblationem noluisti.* Psal. 50. *Oblationes & holocausta.* Ad Hebræos 5. *Vt offerat dona & sacrificia:* & alibi. Et Cōfirmatur: quia multa in Scripturis dicuntur *Offerri*, quæ tamen non possunt dici *Sacrificari*: vt Filij primogeniti, primitiæ variarum rerum, aurum, argentum, lapides pretiosi, byssus, aliaque plurima. Vide Exodi 25. & 35.

Probatur Secundò; Quia ad rationem sacrificij requiritur mutatio rei. Quod patet, tum ex Scripturis, vbi omnia propriè dicta sacrificia videmus interimi, vel saltem multum immutari, vel per occisionem, vt viuentia: vel per combustionem, vt carnes animalium, & res inanimæ solidę, vt simila, sal, thus: vel per effusionem, vt liquida, sanguis, vinum, aqua; vel alio modo, vt sacrificium Melchisedech. Vide cap. 1. & 2. Leuitici. Tum ex ipso nomine *Sacrificandi*, quod Latinè, Græcè, & Hebraicè significat *occidere*, *mactare*; Græce enim Θύειν est *occidere*, & Hebraicè ZABACH. Tum denique, quia sacrificium est præstantissimus cultus externus. Vnde res tota debet in honorem Dei interimi, vel certè mutari; sic enim ei perfectissimè offertur, dum in nullos vsus humanos cedit; & optimè designat eius perfectū in omnia dominium; quod non tam benè fit sine mutatione. *Vox sacrificandi in linguis S. significat Occidere.*

Probatur Tertiò, Quia ad oblationes non requiritur Sacerdos; quiuis enim potest eas facere. Neque etiam altare; vt patet Exodi 35. & alibi.

DVBIVM II.

Quid sit Sacrificium propriè dictum.

7 *Definitio Sacrificij propriè dicti.*

REspondeo; *Sacrificium est Oblatio externa per legitimum ministrū soli Deo exhibita, in qua substantia aliqua sensibilis immutatur, vel etiam perimitur in protestationem diuini principatūs, nostrąq; seruitutis.*

Oblatio. Primò, Dicitur *Oblatio*. Nam *Oblatio* est genus *Sacrificij*, vt docet D. Thomas q. 85. art. 3. ad. 3. quamuis interdum strictè accipiatur, pro *Oblatione*, quæ solùm est oblatio, & non Sacrificium; vt patet ex dictis.

Externa. Secundò, Dicitur *Externa*, vt distinguatur cōtra internam oblationem, qua mens se suaq; Deo subijcit: quam internam oblationem D. Augustinus vocat *verum sacrificium*; dicitque Deum hoc magis exigere, quàm externum visibile; cùm visibile sacrificium sit Sacramentum, id est, sacrum signum huius inuisibilis. Quæ quomodo intelligenda sint, patet ex dictis: non enim ratio sacrificij propriè conuenit internæ reuerentiæ & submissioni; quamuis verum sit, externum hunc cultum, sine interna submissione, & reuerentiæ affectu, cuius est signum, parui esse æstimandum: sicut omne opus externum parui est momenti, nisi procedat à debito affectu interiore. Et sic patet, Deum magis exigere hunc internum cultum, cuius ipsum sacrificium est signum, quàm externum sacrificium: nam magis placet illi interna æstimatio, reuerentia, & submissio quam mens habet erga ipsum, tanquam primum principium omnium bonorum, quàm externum signum huius submissionis.

Tertiò

Legitimus Minister.

Tertiò, Dicitur *Per legitimum Ministrum.* Nam cùm sacrificium sit præstantissimus cultus externus, debet fieri à persona ad hoc dedicata; sicut & aliæ functiones honoratissimæ in Republica. Quod patet tum in veteri, tum in noua lege, vbi videmus sacrificia semper à Sacerdotibus esse oblata, qui ad id peculiariter erant deputati. Idem seruatũ est apud Ethnicos. Dices, Apud Ethnicos quiuis cogebatur sacrificare; vt patet ex gestis Martyrum. Similiter in lege naturæ quiuis videtur potuisse: nam Abel sacrificium obtulit, cùm tamen non esset primogenitus. Respondeo, Illa, quæ à priuatis offerebantur apud Ethnicos, non erant propriè sacrificia, sed oblationes quædam idololatricæ, quæ dicebantur latè sacrificia. Vnde ad sacrificia propriè dicta erant apud illos cõstituti sacerdotes. In lege naturæ communior sententia Doctorũ est primogenitos fuisse Sacerdotes. Ita Eucherius, Glossa, & Lipomanus in illud Genes. 25. v. 31. *Vende mihi primogenita tua.* Idẽ docet Hieronymus in qq. Hebraicis agens de Melchisedech, vbi dicit esse traditionem Hebræorum omnes primogenitos à Noë vsque ad Aaron fuisse Sacerdotes; quibus etiam debebatur auctoritas quasi regalis, & multæ aliæ prærogatiuæ. De quibus Pererius tomo 2. in Gen. cap. vltimo. Præter hos fuerunt etiam alij, vt Abel, qui id diuina inspiratione fecerunt.

An apud Gentiles, & in lege Naturæ cuilibet esset licitũ sacrificare.

Substantia sensibilis.

Quartò, Dicitur *Substantia sensibilis.* Nam apud omnes gentes, id quod in sacrificio offertur, est aliqua substantia animata, vel inanimata. Et ratio est; quia sacrificium fit ad testandum Deum esse principium omnis esse. Dices; In sacrificio Missæ offertur Corpus & Sanguis Christi, vt infrà dicemus; quæ tamen non possunt sensibus percipi. Respondeo, etsi non possint sensibus percipi secundùm proprias & intrinsecas suas qualitates, percipiuntur tamẽ secundùm eas, sub quibus existunt per modum substantiæ: hæ enim qualitates ita se habent ad Corpus, & Sanguinem Christi, sicut qualitates aliarum substantiarum, ad ipsas substantias, excepta informatione: vnde efficiunt Corpus Christi sensibile, & tractabile, quantum satis est, vt ipsum dicatur sensibiliter offerri, tractari, manducari: vt patet ex suprà dictis.

Immutatur.

Quintò, Dicitur *Immutatur.* Nam de ratione sacrificij est, vt per aliquam realem mutationem offeratur; vt patet ex omnibus sacrificijs veteris legis.

Perimitur.

Sextò, Dicitur *Vel etiam perimitur.* Etsi enim fortè non sit de ratione sacrificij, vt res omnino perimatur; sed sufficere videatur aliqua mutatio, qua in honorem Dei mutetur, ad significandum eius perfectum in omnia Dominium (vti cùm effunditur aqua in honorem Dei, & libatur Deo, sicut fecit Dauid 2. Regum 23.) tamen dubium non est, quin hoc valdè ad perfectionem sacrificij pertineat. Et ratio est: Primò, Quia sic perfectiùs testamur Deum esse auctorem totius esse, & habere vitæ & mortis supremam potestatem. Secundò, Quia sic res non solùm quo ad vsum, sed etiam quo ad substantiam in honorem Dei cedit. Addi potest Tertiò, Deum sic inspirasse primis parentibus, ad repræsentandã mortem Christi, quæ omnium sacrificiorum erat finis, & per omnia debebat præsiguari. Sed hæc repræsentatio, etsi inueniatur in omnibus sacrificijs diuinitus inspiratis, non tamen ad rationem sacrificij pertinet. Nam quamuis Christus non fuisset mortuus, nihilominùs fuissent sacrificia: nam sacrificiorum oblatio est legis naturæ.

Testimoniũ diuini principatus & nostræ seruitutis.

Septimò, Dicitur *In testimonium diuini principatus, & nostræ seruitutis.* Nam sacrificio hęc duo testamur, Deũ esse principium omnium bonorum, & nos esse naturaliter ipsius seruos, in quos plenissimam habeat potestatem. Vnde, si posset fingi aliquod numen, à quo nos non dependeremus, sicut fingebant Manichæus, & Simon Magus, non deberemus ei sacrificium. Dices, Ethnici offerebant etiam Dijs inferioribus, à quibus dumtaxat particularia quædã beneficia expectabant; vt Cereri, &c. Respondeo; In eo faciebant contra rationem naturalem, quæ dictat summum Numen singulari quodam honore colendum, qui alijs sit incommunicabilis.

DVBIVM III.

Quotuplex sit Sacrificium?

8 Diuisio Sacrificij ratione materiæ.

REspondeo; Tripliciter diuidi posse. Primò, Ratione materię. Nam materia vel erat animal aliquod, vel erat res inanima, eaque vel solida, vel liquida. Oblatio animalis dicebatur *Victima*, vel etiam *Hostia*. Oblatio autem rei inanimæ solidæ dicebatur *Immolatio*, iuxta D. Thomã; quamuis hoc nomen etiam ad victimas extendatur. Oblatio rei liquidæ dicebatur *Libamen*. In veteri lege *Victima* constabat solùm his animalibus mundis: oue, capra, hædo, boue, columba, passere, turture: neque aliud genus licebat sacrificare. *Res inanimæ solidæ*, quæ offerebantur in sacrificiũ, erant panis, simila, sal, thus, manipulus spicarum virentium: patet Leuit. 2. & 6. Hæc eleuabat Sacerdos in altum, & inde consumebat contusione, crematione, aut etiam comestione. *Liquida* erant, Sanguis, vinum, oleum, aqua: hæc libatione, vel effusione sacrificabantur. Aduertendum autem *libamina, & rerum inanimatarum oblationes*, esse sacrificia imperfectiora, quàm victimas, in quibus viuum sacrificabatur: vnde & apud Gentiles etiã Dijs minutis fiebant: Victimæ autem solùm duodecim Dijs maioribus, saltem ordinariè.

Victima Oblatio.

Libamen.

9 Alia eiusdẽ diuisio ratione finis vel formæ. *Holocaustum.*

Secundò, Diuiditur partim ex fine, partim ex forma, in *Holocaustum, Sacrificium pro peccato*, & in *Hostiam pacificam. Holocaustum* erat perfectissimum, in quo tota res in fumum resoluta, sursum ascendebat ad testandum omnia à Deo nos habere, & omnia ipsius esse. Vnde potissimùm fiebat in reuerentiam diuinæ Maiestatis, absque alio fine. *Sacrificium pro peccato* partim cremabatur, partim à Sacerdotibus in atrio tẽpli comedebatur. Offerebatur autem non pro peccatis internis, sed quibusdam externis; vt pro peccatis ignorantiæ, maximè circa cæremonias; vt patet Leuit. 4. & 5. item furti, periurij, & calumniæ cap. 6. *Hostia pacifica* offerebatur pro beneficijs acceptis in gratiarum actionem, & tunc eodem die consumebatur. Aliquando etiam pro impetrandis nouis beneficijs; & tunc poterat in posterum diem differri consumptio. Huius pars cremabatur, pars à Sacerdotibus comedebatur, & pars ab ijs qui donauerant.

Sacrificiũ pro peccato.

Hostia pacifica.

10 Tertia diuisio Sacrificij ex effectu. *Propitiatorium. Eucharisticum.*

Tertiò, Diuiditur Sacrificiũ ex effectu, in *Propitiatorium, Eucharisticum, & Impetratorium. Propitiatorium*, quod & *Hilasticon*, offertur pro peccatis, eorumque supplicijs auertendis. *Eucharisticum* offertur in gratiarũ actionẽ pro beneficio accepto.

Hoc, si

Hoc, si offerebatur pro beneficijs in communi, dicebatur *Latreuticum*, id est, *Honorarium*; nam Deo debetur latria ratione beneficij, creationis, & gubernationis. Si autem pro speciali beneficio, dicebatur *Hostia pacifica. Impetratorium* offertur pro beneficio futuro; quod etiã *Hostia pacifica* dicebatur.

Impetratorium.

DVBIVM IV.

Vtrùm liceat hoc tempore offerre Agnum, vel quid simile in Sacrificium?

11 VIdetur id esse licitum: nam offerre sacrificium est legis naturæ, vt docet D. Thomas ar. 1. q. 85. Vnde etiam in statu naturæ nudæ fuissent Sacerdotes, & Sacrificia; nam fuisset cultus externus, quo Deum tanquam totius naturæ conditorem, & Dominum fuissent venerati: quod perfectissimè fit sacrificio.

Superstitiosum est nunc Agnum vel quid simile in Sacrificium offerre.

Respondeo; Non licere, sed fore superstitionẽ, si quis intendat hæc in modum sacrificij offerre.

Probatur Primò; Quia vnicum est verum & proprium Ecclesiæ sacrificium, quod omnibus veteribus sacrificijs successit; vt passim docent Patres. Vnde D. Augustinus lib. 8. de Ciuitate Dei cap. vltimo, probat *Epulas illas, quæ à quibusdã, sepulchris Martyrum solent imponi, non esse sacrificia Martyrum, eò quòd sit vnicum Ecclesiæ sacrificium:* vbi satis insinuat, non posse auctoritate humana addi aliud sacrificium. Et lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 20. *Huius*, inquit, *veri sacrificij multiplicia, variaque signa erant sacrificia prisca Sanctorum, cùm hoc vnum per multa figuraretur.* Idem docet Leo serm. 7. de Passione cap. 1. & 3. Et Ecclesia in collecta; *Deus* inquit, *qui legalium differentiam hostiarum vnius sacrificij perfectione sanxisti.*

Vnicum est in Ecclesia Sacrificium.

Probatur Secundò, Quia sacrificium Ecclesiæ est infinitę dignitatis, continens in se omnium sacrificiorum virtutem: ergo supernacaneũ, & superstitiosum esset aliud addere, tanquam hoc sit minus perfectum. Ideò enim plura instituuntur, quia vnum non sufficit ad omnia impetrãda.

Probatur Tertiò, Sacerdotium, quod est in Ecclesia, est supernaturale, & institutum à Christo: ergo non respicit sacrificium iuris naturæ, sed supernaturale, ab eodem Domino institutum. Sunt enim *Sacerdotium* & *Sacerdos* relatiua, vt euisdem ordinis.

Probatur Quartò, Alia sacrificia ex institutione diuina habent adiunctã protestationem Christi venturi: ergo externo ritu, qui ea vsurparet, censeretur iudaizare.

12 Denique, Hoc ipso, quo Christus instituit nostrum sacerdotium & sacrificium, censetur hominibus prohibuisse institutionem alterius sacerdotij, aut sacrificij: nam hæc institutio propriè pertinet ad supremam potestatem. Vnde etiam censetur illam potestatem, quæ iure naturæ inesset Reipublicæ, sustulisse. Quod confirmatur à simili: nam in lege veteri, hoc ipso, quo Deus instituit illis Sacerdotium, & sacrificia determinauit, censetur ademisse potestatem illi Reipublicæ alia sacrificia adiungendi: sicut etiam, si Respublica aliqua instituereet sacrificia, & sacerdotium, hoc ipso adimeret cuiuis priuato hanc potestatem.

Christus sustulit potestatem alterius Sacrificij instituendi.

DVBIVM V.

Vtrùm Eucharistia in Ecclesia verè & propriè offeratur vt Sacrificium?

HÆretici omnes huius temporis negant, & ideò execrantur Missam tanquam idololatriam. Sed dicendum. 13

Certa fide credendum, Eucharistiam non tantùm esse Sacramentum; sed etiam offerri, vt verè, & propriè dictum sacrificium.

Eucharistia offertur vt verè & propriè dictum Sacrificium.

Probatur Primò, Ex figuris huius mysterij. Prima sit, *Sacrificium Melchisedech*; vt patet ex Psal. 109. & ad Hebræos 7. Atqui ritus Sacerdotij Melchisedech, quatenus à Scriptura nobis proponitur, erat cõstitutus in oblatione panis, & vini; vt patet Gen. 14. ergo Christus obtulit sacrificium sub specie panis, & vini: & consequenter ministri Ecclesiæ in nouo testamento simile Sacrificium offerunt.

1. Probatur ex Figuris.

1. Figura, Sacrificiũ Melchisedech.

Maior patet Gen. 14. v. 18. *Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum: erat enim Sacerdos Dei altissimi.* At, nisi obtulisset panem & vinum in sacrificio, non adderetur, *erat enim Sacerdos Dei altissimi*; nam ad benedicendum Abrahæ non erat opus Sacerdotio: poterat enim vt Rex illi benedicere; sicut Salomon benedixit populo. 3. Regũ 8. & Dauid 2. Regnum 6. & Iosue cap. 1. &. 22.

Prima Consequentia Probatur: Quia dici nequit eum principaliter protulisse ad refectionem, non autem ad sacrificium: nam ibidem dicitur seruos Abraham potitos opimis spolijs, in quibus erant esculenta, & poculenta. Et Confirmatur; Cùm Scriptura describat nobis aliquoties Sacerdotium Melchisedech, tanquam distinctum ab Aaronico, & vt simillimum Sacerdotio Christi; debuit alicubi explicare, quale fuerit eius sacrificium: ignorato enim sacrificio, necesse est Sacerdotij cõditionem ignorare, cùm sint relata: nusquam autem Scriptura explicat eius sacrificium, nisi hîc. Denique omnes Patres passim docent Melchisedech obtulisse panem & vinum, & hanc oblationem fuisse Eucharistiæ typum: Clemens Alexand. lib. 4. Stromatum sub finem; *Melchisedech*, inquit, *rex Salem Sacerdos Dei altissimi, qui panem & vinum sanctificatũ*, id est, sacrificatum, *dedit nutrimentum, in typum Eucharistiæ.* Eusebius lib. 5. Demonstrationis euangelicæ cap. 3. fusè in hanc sententiam scribit Melchisedech pane & vino sacrificasse, *vt præfiguraret Sacrificium, quod Christus & Sacerdotes ab eo descendentes in omnibus gentibus offerunt.* Cypria. epi. 63. *Quis magis*, inquit, *Sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster* Iesvs *Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit; & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem, & vinum; suum scilicet Corpus & Sanguinem?* Augustin. epist. 95. ad Innocentium; *Melchisedech prolato Sacramento mensæ Dominicæ, nouit æternum eius Sacerdotium figurare.* Omitto alios. Vide Garetium.

Vltima Consequentia Probatur: Quia Christus est *Sacerdos in æternum*; Psal. 109. v. 4. id est, vsque ad finem mundi: ergo vsq; ad finem mundi debet offerre sacrificium ipsius Melchisedech: quod, cùm per se non faciat, necesse est, vt faciat per suos ministros in Ecclesia. Nec valet, Si dicas; *Christum dici Sacerdotem in æternum*, eò quòd virtus oblationis crucis maneat in æternum; quia sic etiam natiuitas, passio, & mors, æterna diceretur:

Quomodo Christus sit Sacerdos in æternũ secundùm ordinem Melchisedech.

& Noë

& Noë esse Sacerdos in æternum, quia effectus sacrificij eius æternus est; impetrauit enim, ne in æternum amplius esset vniuersale diluuium; Gen. 8. Deinde, sacrificium crucis non erat secundùm ordinem Melchisedech; sicut neque secundùm ordinem Aaron; cùm hæc sacrificia essent typica: ergo ratione sacrificij crucis non potest dici *Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Est ergo sacerdotium Christi *secundùm ordinem Melchisedech æternum,* quatenus vsque ad finem sæculi per suos ministros offert Corpus suum & Sanguinem sub specie panis & vini.

14 2. Figura: Immolatio Agni Paschalis.

Secunda Figura celebrationis Eucharistiæ, est *Immmolatio Agni Paschalis:* atqui hæc erat verum Sacrificium; vt patet Exodi 12. num. 9. Marci 14: ergo etiam celebratio Eucharistiæ est verum sacrificium. Probatur consequentia: nam veritas debet respondere figuræ. Maior, (scilicet, immolationem Agni Paschalis esse typum Eucharistiæ.) Probatur: Tum ex consensu Patrũ, Leonis serm. 7. de Passione Domini, Gregorij homil. 22. in Euangel. Hieronymi in cap. 26. Marth. Chrysostomi hom. de proditione Iudæ, vbi docet Dominum adimpleuisse Pascha vetus, condendo & offerendo Pascha nouum. Tum ex circumstantijs celebrationis vtriusque. Primò, Quia immmediatè post esum Agni instituit Eucharistiam, quasi hoc sacrificio abolens vmbram, & substituens veritatem. Secundò, Quia sicut Agnus immolabatur in memoriam transitûs Domini, & liberationis populi de Ægypto: ita Eucharistia celebratur in memoriam transitûs Domini per passionem ex hoc mundo, & nostræ liberationis de potestate satanæ. Tertiò, Sicut Agnus immolabatur, & comedebatur veluti in viaticum peregrinorum; ita Eucharistia nihil aliud est, nisi refectio quædam, & viaticum tendentium ad cælestem patriã. Quartò, Agnus non poterat comedi, nisi à circumcisis, mundis, & in Ierusalem: Eucharistia nõ nisi à baptizatis, mundis, & in Ecclesia. Quintò, Agnus immolabatur non à Sacerdotibus Leuiticis: (Nam ante designationem Sacerdotum Leuiticorum fuit institutum hoc sacrificium:) sed à Capitibus familiarũ, quæ quoad hoc retinebant ex lege naturę ius sacerdotij. Eucharistia celebratur à Sacerdotibus noui testamenti, qui sunt Capita familiæ Christi assumpta ex omni tribu.

Qua ratione Agnus Paschalis sit figura Eucharistiæ.

Notandum tamen Agnum Paschalem nõ fuisse figuram Eucharistię, quatenus ipsa includit species panis & vini; sic enim sacrificium Melchisedech eius figura erat; sed quatenus continet verã carnem, & sanguinem veri agni Christi: Agnus enim Paschalis, vt erat hostia cruenta, erat figura sacrificij crucis; quatenus verò continebat carnem agni immaculati, quæ debebat comedi, erat figura Eucharistiæ.

15 3. Figura: Sanguis Testamẽti.

Tertia Figura erat, *Sanguis testamenti:* Exodi 24. & ad Hebræos 9. Atqui Sanguis testamenti veteris apud Moysen erat sanguis victimæ iam immolatæ, & verè sacrificatæ: ergo & *Sanguis testamenti noui* apud Christum in cœna est sanguis victimæ propriè sacrificatæ: ergo Christus in cœna fuit verè immolatus.

1. Obiectio

Dices Primò, Sanguis Christi in cœna erat tantùm sanguis victimæ immolandæ in cruce, nõ autem tunc immolatæ.

Solutio.

Sed contrà: Quia victima priùs debet immolari, quàm sanguis eius libetur: nam ex immolatione victimæ sequitur sanguis. Quod confirmatur exemplo Exodi. 24. v. 8. vbi priùs immolata est victima per Moysen; deinde aspersus sanguis in populum sub illis verbis, *Hic est Sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus.* Ergo etiam Christus priùs debuit seipsum victimam facere, & deinde sanguinem ex sacrificatione prouenientẽ in discipulorum corda spargere sub his verbis, *Hic est Sanguis meus noui testamenti.* Deinde, cùm in celebratione testamenti veteris tria inueniantur: Primum, Promulgatio legis coram populo. Secundum, Immolatio victimæ fœderalis. Tertiũ, Aspersio sanguinis, & manducatio victimæ: Dominus instituens, nouum testamentum, cuius figura erat vetus, impleuit primum, cùm dixit, *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem*; & tertium, cùm dixit, *Comedite, Hoc est Corpus meum: Bibite, Hic est sanguis meus noui testamenti:* ergo non est dubitandum, quin etiam impleuerit secundum, nempe victimæ immolationem.

2. Obiectio

Dices Secundò, Nouum testamentum confirmatum est Sanguine Christi, vt in cruce fuit effusus, non autem vt in cœna. Nam Apostolus ad Hebræos 9. v. 17. ait, *Nouum testamentum Christi morte confirmatum:* ergo sanguis ille testamenti veteris, quo vetus testamentum sanciebatur, nõ erat figura Eucharistiæ, sed occisionis, & effusionis Sanguinis in cruce.

Solutio.

Respondeo Negando Consequentiam: Nam idem omnino erat Sanguis, qui in cœna, & qui in cruce effusus. Vnde illo Sanguine, qui dabatur in cœna, nouum testamentum sancitum est, licet per effusionẽ ipsius in cruce confirmatum sit. Cœptũ tamen est etiam confirmari per effusionem in cœna: nam in cœna erat idem Sanguis, fiebatque repræsentatio effusionis, quæ mox in cruce erat perficienda. Quia enim Christus iã realiter in cruce immolatus, non poterat realiter aspergere Sanguine suo populum ad confirmandum nouum testamentum, sicut Moyses fecerat in figura vituli immolati, dum confirmaret vetus testamentum Exodi 24: ideò præueniens mortem suã, seipsum immolauit in Eucharistia, & condito testamento, Sanguinem suum, quo illud confirmaretur, aspersit super Ecclesiam.

Quòd autẽ sanguis ille veteris testamenti fuerit figura Eucharistiæ: Patet Primò, Quia eodem modo loquendi vtitur hîc Dominus, quo ibi Moyses. Moyses ait, *Hic est Sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Dominus:* Dominus ait, *Hic est Sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis effunditur.* Secundò, Moyses proponit populo suam legem: Dominus hic etiam suam proposuit, cùm dixit, *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem.* Tertiò, Moyses aspersit sanguinem super populum, Christus suum Sanguinem supra corda discipulorum. Quartò, Dominus condidit testamentum in cœna, non in cruce; quod patet: nam testamentũ debet fieri ab homine viuente, libero & sui iuris: Dominus autem cùm in cruce moriebatur, erat vinctus, & damnatus. Item debet fieri coram testibus, & amicis: in cruce aderant solùm hostes, præter Matrem & Ioannem. Præterea disertis verbis testator debet explicare se facere testamẽtum, nominare hæredes, & id quod eis relinquit, seu promittit, & huius relinquere instrumentum authenticum, quo hæreditas applicetur: denique mandare hæredibus, si quid ab illis fieri velit: quę

Christus in Cœna, non in cruce fecit Testamentũ.

omnia

omnia reperiuntur in cœna, non in cruce; ac proinde in cœna condidit testamentum, non in cruce. Vnde vlteriùs sequitur, Sanguinem, quem dedit in cœna, fuisse præfiguratum per sanguinem testamenti veteris.

16 4. Figura: Iuge Sacrificium.

Quarta Figura est, *Iuge sacrificium:* quod erat sacrificium Agni manè, & vespere, idque quotidie. Vnde Danielis 8. & 12. vbi Antichristus dicitur *ablaturus iuge sacrificium*, Patres intelligunt *Sacrificium Eucharistiæ*, quod publicè in Ecclesia celebratur: loquitur enim Daniel de vero sacrificio, quod vsque ad finem mundi durabit, cuius typus erat Iuge Sacrificium Iudaicum.

17 1. Prob. Ex veteri Testamento.

Probatur Secundò, Testimonijs Scripturæ veteris testamenti. Primum, Testimonium: Malachiæ 1. v. 6. *Ad vos, ô Sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & offertis super altare meum panem pollutum; cæcum, claudum & debile immolatis, non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.*

Locus Malachiæ explicatur pro Sacrificio Eucharistiæ.

Hîc Propheta prædicit sacrificiorum legalium, & cæremoniarum cessationem; Gentium vocationem, & mundissimi Eucharistiæ sacrificij in Ecclesia toto orbe ex gentibus colligenda oblationem. Loquitur autem de futuro, tanquam de præsenti, ob prophetiæ certitudinem. Sic exponunt hunc locum omnes Patres: Iustinus Dial. cum Triphone. Irenæus lib. 4 contra hæreses cap. 32. 33. 34. Cyprianus lib. 1. contra Iudæos cap. 16. Eusebius lib. 1. demonstrationis Euangelicæ cap. vltimo. Augustinus lib. 18. de ciuit Dei cap. 35. & alij. Et patet ex ipsis verbis: opponit enim Propheta sacrificium sacrificio, Sacerdotem Sacerdoti, locum loco; panem pollutum, animalia cæca & clauda, oblationi mundæ; contemptum nominis, gloriæ nominis.

Mincha.

Confirmatur Primò, Ex nomine *oblationis*, quæ Hebraicè MINCHA dicitur: numquam enim in Scriptura oratio vel opus bonum vocatur absolutè *Oblatio*, vel *Sacrificium*; sed cum adiuncto, *Sacrificium laudis, Sacrificium iustitiæ, Hostia vociferationis, Vituli labiorum*, &c. Deinde MINCHA in Scripturis significat certum sacrificij genus ex simila, oleo, thure; Leuit. 2. & 6: vnde aptè repræsentat Eucharistiam.

Confirmatur Secundò, Quia hæc *oblatio* dicitur *munda*; idque non solùm, quia incruenta, & mundo ritu offertur; sed quia, vt ait Concilium Trident. sessione 22. cap. 1. *Malitiâ ministrorum nõ potest pollui*, sicut Sacrificia vetera. Talis autem *oblatio* est Eucharistia, eò quòd primarius offerens sit ipse Christus, qui etiam est ipsa hostia. Atqui opera bona, de quibus hunc locum exponunt hæretici, non sunt *oblatio munda:* nam omnia, (ipsorum sententiâ) sunt polluta, & fœda, solumque ex Dei imputatione possunt dici *munda:* vnde non placent Deo, quia munda; sed contrà, ideò censentur munda, quia Deus acceptat illa. At Propheta loquitur de *oblatione*, quę ideò placeat, quòd sit *munda*.

Confirmatur Tertiò, Quia prædicitur oblatio Synagogæ reijcienda, & in eius locum noua quędam in Gentibus successura: atqui oblatio precum, & bonorum operum non successit sacrificio Iudaico, sed semper fuit.

Confirmatur Quartò, Quia dicitur per sacrificium Gentium Deum fore glorificandum, sicut per sacerdotes & sacrificia Synagogæ cõtemptus & inhonoratus: atqui fuit inhonoratus publicè, & in publicis sacrificijs: ergo per publicum, & externum sacrificium Gentium erat glorificandus. Denique, Quia ad solos Sacerdotes est sermo. At sacrificiũ bonorum operũ pertinet ad omnes.

Secundum Testimonium: Prouerbiorum 9. v. 1. *Sapientia ædificauit sibi domum, immolauit victimas suas, miscuit vinum, & posuit mensam:* quem locum Patres de Eucharistia intelligunt. Vide Cyprianum epist. 63. & Augustinum lib. 17. de Ciuitate Dei cap. 20. Omitto alias prophetias obscuriores. Prouerb. 9.

18 3. Probatur ex nouo Testamento.

Probatur Tertiò, Ex Nouo Testamento: Dominus enim seipsum obtulit in cœna sub specie panis & vini; & idipsum præcepit fieri ab Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, cùm dixit, *Hoc facite* &c: ergo Eucharistiæ celebratio est Sacrificium. Maior est communis doctrina Patrum: Irenæi lib. 4. cap. 32. vbi ait, *Noui testamenti nouam docuit oblationem*. Cypriani epist. 63. Gregorij Nysseni oratione prima de Resurrectione. Augustini in Psal. 33. concione 2. *Ipse*, inquit, *de Corpore, & Sanguine suo sacrificium instituit secundùm ordinem Melchisedech*. Et elegantissimè Concilium Trident. sess. 22. c. 1. Et Confirmatur ex verbis institutionis, Lucę 22. *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur*; vel, vt Paulus habet, *quod pro vobis frangitur.* &, *Hic est calix, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum*. Atqui his verbis, *datur, frangitur, effunditur*, non tantùm significatur dari vel effundi Apostolis in cibum & potum, sed maximè dari, & libari Deo in sacrificiũ: non enim dicit *vobis datur*, sed *pro vobis*. Nec obstat in Latina editione haberi, *effundetur*, quasi de sacrificio crucis ageretur; nam Græca constanter habet, *effunditur, datur, frangitur:* similiter Liturgię Patrum S. Iacobi, Basilij, Chrysostomi. Et confirmatur; quia calix non fuit *effusus* in cruce, sed in cœna. 1. Corint. 10. v. 21. *Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* His, & præcedentibus verbis Apostolus clarè docet: Primò, Sicut apud Gentiles & Iudæos sunt mensa sacra seu altare, & sacrificium, quod huic mensæ imponitur; ita apud Christianos esse sacrã mensam; & loco sacrificij Corpus, & Sanguinem Domini, quæ huic imponuntur. Secundò, Sicut Iudæi sumunt hostias, & Gentiles idolothyta ex suis altaribus: ita fideles sumere de mensa Domini, Corpus & Sanguinem Domini. Tertiò, Sicut illi, qui apud Iudæos comedunt hostias, participes sunt altaris, id est, sacrificij; cõsentiunt enim sacrificio, & interpretatiuè sacrificant: ita qui comedunt idolothyta, præsertim in idolijs, sunt participes mensæ dęmoniorum, id est, consentiunt sacrificio dæmonum, & censentur ijs sacrificare. Ex quo relinquit intelligendum, Christianos, qui sumunt Eucharistiam, esse participes altaris Domini, ac proinde consentire in oblationem Eucharistiæ Deo factam, itaque Deo sacrificare. Locus 1. Cor. 10. per comparationem pulchrè explicatur.

19 4. Probatur ex Concil. & PP. vt ipsi hæretici fateantur.

Probatur Quartò, Ex Concilijs, & Patribus. Sed non est necesse hic immorari, nam hæretici fatentur, hanc esse Ecclesiæ, & Patrũ sententiã. Lutherus enim in lib. contra Regem Angliæ, *Vltimò*, inquit, *dicta Patrum inducit Rex pro missario sacrificio; & ridet meam stultitiam, quòd solus velim*

sapere

sapere præ omnibus: hoc est, quod dixi Thomisticos asinos habere nihil, quod producant, nisi multitudinem hominũ, & vsum antiquum. Et l. de Missa priuata: *Hic non curamus, si calamitent Papistæ, Ecclesia, Ecclesia: Patres, Patres: quia vt dixi, horũ dicta, & facta in tam magnis causis nihil curamus: scimus enim ipsos Prophetas lapsos esse, adeoque Apostolos. Verbo Christi iudicamus Ecclesiam, Apostolos, adeoque ipsos Angelos.* Caluinus l. 4. Institut. c. 18. *Et certè,* inquit, *si cogitamus Domini, non hominum cœnam esse, non est cur vlla hominum auctoritate, vel annorum præscriptione, patiamur nos ab illa vel latum vnguem dimoueri.*

20 1. Prob. Ratione.

Probatur Quintò, Ratione: Si Eucharistiæ celebratio non esset verum Christi sacrificiũ, Christiana Religio careret propriè dicto sacrificio, quo, publico ritu & nomine Deus colitur. Sed hoc est absurdissimum. Quod probatur:

1. Ratio.

Primò, Quia omnis Religio, siue vera, siue falsa, semper ad cultum diuinum adhibuit sacrificium: quod est signum, prouenire ex dictamine rationis naturalis; essèque saltem iuris Gentiũ, vt Deus sacrificio colatur. Atqui Christiana Religio est perfectissima religio: ergo non debuit carere omni sacrificio, sed potiùs debuit habere perfectissimum.

2. Ratio.

Secundò, Quia sacrificium est cultus externus Deo proprius; reliqui autẽ cultus conueniunt etiã creaturis: atqui omnis Religio instituitur ad colẽdum Deũ: ergo omnis Religio debet habere cultum sacrificij; alioquin careret eo cultu, qui Deo est proprius, solùmq; haberet cultus creaturis secundùm se communes. Respondent hæretici; cultum Christianæ Religionis esse internum, scilicet fidem, & orationem. Sed contrà: quia non solùm interno, sed etiã externo cultu Deũ colere debemus: constamus enim non solùm animo, sed etiam corpore; & sensibili externoq; cultu in vnam Religionem coalescere debemus, vt August. ait: & externus cultus est protestatio cultus interni; vnde coniunctus interno melior est, quàm internus solus; præsertim ad impetrandum, & ad satisfaciendum, non ad merendum, ceteris paribus: vt patet Danielis 3. vbi tres pueri rogant Deum, vt ita placeat internus eorum affectus, quem tunc sacrificio protestari non poterant, quemadmodum placeret, si sacrificare possent.

Non tantũ interno, sed & externo cultu Deus colendus.

3. Ratio.

Tertiò, Omnes causæ, ob quas Iudæi habuerũt sacrificia, etiã in populo Christiano locũ habent. 1. causa est, Quia Deum nõ solùm animo, sed etiã corpore colere debebant. 2. causa, Quia summo, & proprio cultu debebant Deum colere. 3. Quia mortem Christi, ex qua salus omnium sæculorum pendet, sæpè cõmemorare, & veluti repræsentare debebãt, vtpote qui eam præsentẽ non cernerent. 4. Vt Deum placarent, vel pro beneficis perceptis gratias agerent, vel vt noua impetrarent. Quæ omnes causæ etiam apud nos valent.

Vti Iudæi, ita & Christiani debẽt habere sacrificium.

4. Ratio.

Quartò, Habebant Iudæi Præcepta, Sacramẽta, & Sacrificia. Atqui præcepta non sustulit, sed explicuit, Matt. 5. Sacramenta autem in alia veriora, & præstantiora Sacramẽta mutauit: ergo similiter sacrificium nõ omnino debuit tollere, sed in melius mutare; præsertim, cùm sacrificium non pertineat propriè ad legem Mosaicam, sed ad legem naturæ: quare nullo modo debuit tolli per legem nouam, sed ad præstantissimum & efficacissimum determinari.

5. Ratio.

Quintò, Cùm in Eucharistia sit verè Corpus, & Sanguis Christi, tanquam res permanens; maximè idonea est, vt Deo offeratur. Cur ergo non offeratur? Est enim omniũ donorum Dei præstantissima. Quod autem præstantissimum est, aptissimum est, vt offeratur Deo. Item cur reliqua Sacramenta in vsu sita sunt, & non nisi ab alio sumi possunt; istud autem est quid permanens, & ab ipso Ministro sumitur, nisi vt possit offerri in sacrificium, & ab offerente sumi?

21 Soluuntur obiectiones hæreticorum.

Sed obijciunt hæretici. *Christus est vnicus Sacerdos*, & quidem *in æternum*: ergo non sunt alij Sacerdotes in Ecclesia: ergo nec aliquod sacrificium præter sacrificium crucis. Probatur Cõsequentia: Tum quia multiplicatio Sacerdotum repugnat vnitati sacerdotij Christi: tum quia in veteri lege ideò erãt multi Sacerdotes, *Quòd morte prohiberentur permanere*: at Christus *manet in æternum.*

Christus est *vnicus Sacerdos in æternum.*

Resp. Quia Christus est Sacerdos in æternũ, ideò nõ habet successores, vt rectè docet Apost. ad Hebr. 7. Necesse tamẽ est, vt habeat vicarios, quia per se non ampliùs offert: debet ergo saltem per vicarios offerre, vt Sacerdos dici possit in æternum. Multitudo autem vicariorũ non repugnat vnitati sacerdotij Christi: sicut multitudo vicariorũ Regis in multis locis, nõ impedit, quò minùs sit vnicus Rex, vnus summus Princeps. Simili modo Christus est *vnicus Doctor, vnicus Magister, vnicus Pastor noster:* tamẽ possunt esse multi Doctores, multi Magistri, multi Pastores vicarij sub Christo: sicut sub Aarone erant multi Sacerdotes inferiores. Ratio à priori est: quia sacerdotiũ Christi est sublimius, & vniuersalius; cuius participatio quædam dumtaxat est sacerdotium nostrum: cuius signum est, quòd sacerdotiũ Christi fundetur immediatè in vnione hypostatica, nostrum in charactere per Sacramentum Ordinis impresso.

22 2. Obiect.

Obijciunt Secundò, Sacrificium crucis habet vim infinitam: ergo sacrificium Missę est superuacaneum. Cõfirmatur; Quia Apostolus ad Heb. 10. docet Christum vnica oblatione consummasse in perpetuũ sanctificatos; & acquisita semel remissione peccatorum, nullam ampliùs restare oblationẽ.

Solutio.

Resp. Si hoc argumentum valeret, sequeretur etiam superuacanea fuisse legis naturę, & legis veteris sacrificia omnia: nam etiam homines illius temporis vi sacrificij crucis sanctificati sunt. Item superuacaneum esse baptismum, orationem; imò ipsam quoque fidem, cui hæretici omnia tribuunt: nã cùm virtus sacrificij crucis sit infinita, abundè sola sufficiet. Quare dicendũ est, etiamsi virtus sacrificij crucis sit infinita; tamen sacrificiũ Eucharistiæ non esse superuacaneum, quia applicat nobis portionẽ aliquã fructũs sacrificij crucis; vt docet Tridentinum sess. 22. c. 2. sicut etiam Sacramenta non sunt superflua, quia eiusdem sacrificij fructũ nobis applicant. Virtus enim sacrificij crucis est veluti causa vniuersalis, quæ nobis ex diuina institutione applicari debet per Sacramenta, per sacrificium Eucharistiæ, & per bona opera.

Christus *vnica oblatione* Crucis *consummauit in perpetuum sanctificatos.*

Ad confirmationem; Christus vnica oblatione crucis consummauit genus humanum, nempe ex parte sua, & in præparatione diuinæ voluntatis: nam ex parte sua satis præstitit ad omnium hominum salutem; quam etiam diuina voluntas parata est conferre omnibus, quibus oblatio crucis applicabitur: nam oblatio crucis ita Deo grata fuit, vt propter eam paratus sit omnibus hominibus dare remissionem omnium peccatorũ, ornamenta omnium virtutum, & vitam æternam ijs, quibus eius

virtus, per media à Christo instituta, applicaretur. Pari modo per oblationē crucis facta est remissio omnium peccatorum totius mundi; nempe in prę-paratione diuinæ voluntatis: quia sufficiens pretium oblatum est, ob quod Deus paratus est omnia mundi peccata condonare, si illud hominibus debitè applicetur; & ita nō requiritur alia oblatio pro peccato; quâ nimirum nouum pretium acquiratur. Requiritur tamen alia oblatio, quâ pretium applicetur, sicut requiritur Baptismus, & alia Sacramenta; nam ex parte hominum nondum est facta remissio omnium peccatorum.

23 3 Obiectio. Obijciunt Tertiò, Eucharistia est Sacramentū, & Testamentum Christi, *Hic est calix nouum Testamentum:* ergo non est sacrificium. Prob. conseq. Quia *Sacramentum* est actio Christi, *Sacrificium* autem est actio nostra. Item, *Testamentum* est id, quod nobis dedit Christus; *Sacrificium* autem est id, quod nos damus Christo.

Solutio. Resp. Etiā *Sacrificium Eucharistiæ* est actio Christi: Christus enim est Summus Sacerdos, qui principaliter offert per manus Ministrorū suorum; vt rectè Tridentinum sess. 22. c. 2. Neque etiam absurdum est, idem esse nobis à Deo datū, & à nobis Deo oblatum: quia quidquid offerimus Deo, ab ipso accepimus. Itaq; nihil obstat, quo minùs Eucharistia sit *Testamentum, Sacramentum, & Sacrificiū:* est enim *Testamentum*, tum quatenus continet diuinam promissionem, eamque veluti instrumentum authenticum nobis applicat: tum quatenus inter cetera bona eximia, quæ Christus moriens nobis reliquit, hoc est prętantissimum; quod enim testamento relinquitur, rectè *Testamentum* vocatur. Est *Sacrificium*, quia relictum est, vt Deo offerremus. Est *Sacramentum*, quia etiam relictum est ad sanctificationem animarum nostrarum.

Eucharistia est Testamentū, & Sacramentum, & Sacrificiū.

24 4. Obiect. Obijciunt Quartò, Quidā Patres docent Christum in seipso tantùm semel esse immolatum; & Eucharistiam huius immolationis esse repręsentationem: ergo volunt solùm esse sacrificium figuratum, quatenus est repræsentatio huius sacrificij.

Solutio. Resp. Solùm volunt dicere Christū in Eucharistia non immolari re ipsâ; id est, non cruentè offerri & occidi, sicut in cruce immolatus fuit; sed solū immolari repræsentatione. Propriè enim immolari dicitur res viua, quādo occiditur; Christus autē in Eucharistia verè non occiditur, sed solùm mysticè, & repræsentatione. Hinc tamen non sequitur, quin verè offeratur licet alia ratione, nempe sub specie rei inanimæ: & hoc etiam vult D. Tho. a. 1. Quod autem Patres non velint, Eucharistiam esse nudam repręsentationem sacrificij, sic vt non sit verum sacrificium; patet ex Cypriano epist. 63. vbi dicitur, *Hoc esse plenum & verum sacrificium:* ex Chrysost. hom. 60. ad Populum; & alijs Græcis Patribus, qui hoc Sacrificiū vocant, *Sacrificium terribile, & plenum horroris:* & August. l. 10. de Ciuit. c. 20. vbi vocat *Summum ac verissimum sacrificium.* Simili modo dicunt Patres, *Corpus & Sanguinē Domini offerri in Eucharistia.* At si solùm esset repræsentatio & figura Sacrificij, non diceretur offerri.

Quomodo Christus hîc immolatur.

DVBIVM VI.

In quibus actionibus consistat hoc Sacrificium?

25 NOtandum est, In Missa esse sex partes, de quibus potest esse dubitatio, an pertineant ad essentiam, seu rationem huius sacrificij. Prima est, Oblatio panis & vini per eleuationē cum verbali oratione. Secunda est, Cōsecratio. Tertia est, Oblatio Corporis & Sanguinis Christi post cōsecrationem facta certis verbis, nempe his: *Offerimus præclaræ Maiestati tuæ panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ.* Quarta est, Fractio & commixtio. Quinta est, Consumptio facta per Sacerdotem. Sexta est, Distributio facta populo. De Missa Catechumenorum, quæ extenditur à principio vsque ad oblationem panis, nulla potest esse dubitatio.

26 Oblatio Panis & Vini circa Offertorium non est de ratione sacrificij. Dico Primò, Oblatio vocalis panis & vini, neque ad essentiā huius sacrificij, neque ad eius integritatem pertinet. Ita ferè DD. Vide Alanū l. de Sacrif. c. 18. & Bellarmi. Ratio est: Quia est nuda cæremonia introducta ab Ecclesia ad excitandam deuotionē: imò ante quingentos annos nō fuit in Ecclesia Romana; vt ostēdit Bellar. ex Micrologo.

Dices, Saltem realis oblatio ad rationem huius sacrificij pertinet: nō enim potest hoc Sacrificium offerri, nisi materia consecranda in honorem Dei exhibeatur: atqui hoc ipso, quo profertur materia ad honorē Dei immutanda, censetur Deo offerri.

Resp. Nullam realem oblationem panis & vini esse necessariam, præter eam, qua conuertuntur in Corpus & Sanguinem Christi; vt statim patebit: reliquę omnes oblationes, quę excogitari possunt, sunt nudæ cæremoniæ ad rationē huius Sacrificij non necessariæ. Vnde non rectè dixit Casalius l. 1. de Sacrif. c. 20. esse duo Eucharistiæ sacrificia; alterum panis & vini, alterū Corporis & Sanguinis Domini. Nam eâdē indiuisibili actione hæc omnia offeruntur; panis quidem & vinum, vt terminus *à quo* consecrationis; id est, non vt hostia, quæ propriè offertur, sed vt id, ex quo hostia conficitur. Non enim ipsa desitione panis & vini potissimùm intendimus colere Deū, sed positione Corporis & Sanguinis Christi sub illis speciebus: vnde Corpus & Sanguis Christi offeruntur, vt terminus *ad quem* consecrationis; quomodo offertur id, quod ipso actu sacrificandi, est productum.

Arguitur Casalius.

27 Neb oblatio verbalis post consecrationem. Dico Secundò, Hoc sacrificium etiam non cōsistit in illa verbali oblatione, quæ fit post consecrationem. Probatur, Quia verbalis oblatio non est necessaria ad sacrificium, sed sufficit realis: non enim necesse est dicere *Offero*, sed satis est in actu exercito offerre: vt patet in sacrificijs veteribus. Secundò, Quia Dominus eam non adhibuit. Tertiò, Illa oblatio nihil facit circa rem oblatam: nō enim eam vllo modo immutat, sed solùm est extrinseca locutio, significās id, quod fit; ac proinde per eam non fit oblatio, sed supponit oblationem sacrificij. Denique, ad eam oblationem verbalem non est opus consecratione, aut potestate supernaturali: ergo nullo modo dici potest in ea consistere essentiam sacrificij.

28 Item nec fractio vel mixtio. Dico Tertiò, Neque etiā fractio aut mixtio ad huius sacrificij rationē pertinet. Est contra Melchiorem Canum lib. 12. de locis c. 13. Probatur; Quia Dominus videtur *fregisse* ante consecrationem; idque fecit, non in cæremoniā, sed ad vsum, scilicet ob distributionem: nostra autem fractio fit post consecrationem, & solùm ad cæremoniam, non ad distributionem. Deinde, non est absolutè necessaria: quid enim, si hostia incideret in calicē ante fractionem? Denique, in Liturgia D. Basilij nulla fit eius mentio. Vnde satis patet esse nudam cæremoniam significatiuam.

Dico

29 Nec distributio facta Populo,

Dico Quartò, Distributio facta populo, seu sumptio populi, etiam non est necessaria ad perfectionem huius sacrificij: patet ex Concil. Trid. sess. 22. c. 6. & can. 8. Probatur; Quia Christus non præcepit hanc distributionem fieri quotiescunque hoc sacrificium offertur: ergo non pertinet ad eius perfectionem; non enim potest ad perfectionem eius pertinere, quod Dominus non præcepit. Ratio est; Quia tota actio sacrificandi fit à Sacerdote; sumptio autem est actio populi.

30 Consecratio vel sola, vel maximè pertinet ad rationem huius Sacrificij,

Dico Quintò, Consecrationē Corporis & Sanguinis Domini, vel solā, vel potissimùm pertinere ad rationem huius sacrificij. Est communior sententia Doctorum, D. Thomæ hac q. a. 4. & suprà q. 80. a. 12. ad 3. Gabrielis lect. 26. in Canonē. Bellarm. lib. 1. de Missa c. vlt. Ruardi a. 6. & aliorum.

1. Prob. ex Script.

Probatur Primò, Ex Scriptura: Lucę 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem:* quibus verbis constituit Dominus Apostolos Sacerdotes noui testamenti; ijsque, & eorū in sacerdotio successoribus præcepit, vt offerrēt Corpus suum & Sanguinem, sub specie panis & vini; vt inquit Concilium Trid. sess. 22. c. 1. Atqui his verbis potissimū præcepit consecrationē: hanc enim potissimùm commemorant Euangelistæ ipsum fecisse; & per hanc eius passio potissimùm repręsentatur: ergo oblatio potissimùm consistit in consecratione. Confirmatur, Quia potestas sacerdotalis, quam Dominus his verbis contulit, est merè supernaturalis & diuina, & consistit in charactere sacerdotali; hic enim formaliter constituit sacerdotem nouæ legis, cùm sit participatio sacerdotij Christi. Atqui character per se & directè est potestas cōsecrandi Corpus & Sanguinem Christi: ergo potestas sacerdotalis est potestas consecrandi Corpus Christi: ergo consecratio Corporis Christi est actus directus sacerdotum, & consequenter est oblatio sacrificij: nam sola oblatio sacrificij est proprius & directus actus sacerdotij, vt sacerdotium est.

2. Ex Patribus.

Probatur Secundò, Ex Patribus: Ireneus lib. 4. contra hæreses c. 32. dicit *Christum docuisse noui Testamenti nouam oblationē, quando dixit, Hoc est Corpus meum.* Cyprian. serm. de Cœna Domini, ait, *Cum verbis consecrationis panis benedicitur Eucharistiam fieri medicamentū, & holocaustum.* Chrysost. hom. de proditione Iudæ, *Verba Domini, Hoc est Corpus meum, vsque ad finem mundi præstare sacrificio firmitatem.*

3. Ex Rationibus.

Probatur Tertiò, Ratione. Primò, Quia principalis offerens in nostro sacrificio est ipse Christus; vt Concilium Trid. docet aliquoties: ergo illa actio potissimùm est de essentia huius sacrificij, quæ fit in persona Christi. Atqui nulla est, quæ magis, & veriùs fiat in persona Christi, quàm consecratio; in ea enim loquitur Sacerdos tanquam ipse sit Christus: ergo cōsistit in consecratione.

Prima.

Secundò, Hoc sacrificium est repręsentatiuū sacrificij crucis, seu effusionis sanguinis factæ in cruce. Atqui hæc repręsentatio potissimùm fit per consecrationē, dum Corpus & Sanguis seorsim ponuntur ex vi verborum sub diuersis speciebus, tanquā partes victimę occisæ.

Secunda.

Tertiò, Si consecratio non est de essentia huius sacrificij, nulla actio essentialis huius sacrificij expressa est ab Euangelistis; quod omnino est incredibile. Nam cùm Lucas referat Dominum dixisse, *Hoc facite in meam commemorationem* (quibus verbis præcepit eis suam actionē imitari) debebat sanè illa actio exprimi, quę maximè imitāda erat.

Tertia.

Quartò, Si consecratio non sit de essentia, poterit Sacerdos offerre sacrificium sine cōsecratione, per solam communionem quotiescunque volet: quod tamen est contra sensum communem Doctorum. Deinde sumptio Sacramenti, & oblatio sacrificij non different ritu externo, sed sola intentione ministri sumentis; quod etiā absurdum est. Nā sacrificium externum debet ritu externo, nō sola intentione, distingui ab vsu Sacramēti: alioqui quomodo sciretur à populo sacrificium offerri? Quintò, Consecratio est excellētissima functio Sacerdotis, qua maximè declaramus Dei potestatem, & eminentiam: ergo in ea maximè debet ratio sacrificij constitui, quod est diuinæ eminentiæ protestatio.

Quarta.

Hinc patet non esse probandam quorundā sententiam, qui dixerunt consecrationem esse solùm quid præuium sacrificio, non autem intrinsecè in ipsa sacrificandi actione includi: quomodo operatio illa diuina, qua Verbum Diuinum est incarnatum, est quid præuiū sacrificio crucis; & generatio hostię est quid præuium eius oblationi: ipsam autem sacrificij essentiam consistere duntaxat vel in verbali oblatione Corporis & Sanguinis Christi positi in altari, vel in sumptione.

Quorundā sententia reijcitur.

SED DIFFICVLTAS EST

Qua ratione consecratio ad essentiam huius sacrificij pertineat?

31 Quatenus consecratio pertineat ad essentiam huius Sacrificij.

OMissis varijs sententijs: Respondeo, Eatenus consecratio pertinet ad essentiam huius Sacramenti, quatenus per realē mutationē constituit Corpus & Sanguinem Christi sub speciebus panis & vini; ad honorem Dei. Quod vt intelligatur:

Notandum est; Non solùm actione, qua res destruitur, nos posse protestari diuinū principatum & omnipotentiam, nostramque subiectionem; sed etiam actione, qua res cōstituitur, & quodammodò ad honorem Dei producitur. Nam actio libera productiua rei, nō minùs est idonea ad significandam diuinam potentiam, & dominationem super omnia, quàm actio destruens: ergo ad hoc significandum potest institui; præsertim à Deo, cuius est determinare, quibus actionibus, & rebus coli debeat: sicut si vellet coli mutatione aquę in vinum, & idcircò institueret vt certis verbis fieret in honorem ipsius à publico ministro, hęc mutatio esset sacrificiū. Quare, cùm Christus vellet nos habere eandē hostiam, quam ipse semel pro nobis obtulit in cruce, vt per eandē Deum coleremus & omnia beneficia impetraremus, per quam redemptio & salus nobis parta est; & hanc non possemus habere, nisi supernaturali potestate rursus quodammodò apud nos produceretur, nouum & admirabilē sacrificij modum instituit, quo nō rem aliquam iam antè apud nos existentem, vt in omnibus alijs sacrificijs fieri solet, Deo offerimus, sed quo ipsam hostiam admirabili operatione ad honorem Dei, sub specie panis & vini mystičè mactatam poneremus. Qui sanè modus maximè consentaneus erat dignitati huius hostię; quę talis est, vt Deus magis honoretur eius positione, quàm destructione; præsertim cùm iam sit immortalis. Secùs est de alijs rebus, quę naturaliter existunt, & deinde in honorem Dei consumuntur: nam per earum productionem, cùm à causis naturalibus pendeant, non sic possumus testari diuinum principatum, sicut per destructionem. Vnde

Non sola actione destructiua, sed & productiua, protestamur supremum Dei in nos dominium.

Notanda est diuersitas inter modum huius Sacrificij & aliorum: quòd in alijs sacrificijs id,

Differentia inter sacrificium Eucharistiæ & reliqua sacrificia.

quod primariò offertur, sit materia oblationis, vel potiùs terminus *à quo*, ac proinde ipsi oblationi supponatur; id autem quod secundariò, sit terminus *ad quem* oblationis, seu actionis sacrificalis: verbi gratia, quando sacrificatur ouis, terminus *à quo*, est ouis viua, quæ potissimùm dicitur sacrificari, quatenus ad honorem Dei, eius vita perimitur; vnde etiam supponitur oblationi: terminus autem *ad quem*, est caro eius mortua & sanguis effusus; hæc enim efficiuntur per oblationem, & secundariò per illam offeruntur. Sed contrario modo fit hîc: nam id, quod primariò offertur, est terminus *ad quem* mutationis seu oblationis, ac proinde non supponitur oblationi, sed fit per eam, nempe Corpus, & Sanguis Christi separatim sub specie panis & vini posita. Id autem, quod secundariò offertur, est materia oblationis, seu terminus *à quo*, nempe panis & vini substantiæ, quæ perimuntur: nam etiam hæc suo modo ad substantiam huius sacrificij pertinent, considerati vt à Christo est institutum: sicut ad rationem mutationis suo modo pertinent termini, qui per mutationem desinunt.

32 Ratio, sub qua consecratio pertineat ad essentiam huius sacrificij.

Hinc patet Primò; Qua ratione pertineat consecratio ad essentiam huius sacrificij, nempe quatenus per eam constituitur Corpus, & Sanguis Christi seorsim ex vi verborũ sub specie panis & vini, tanquam partes hostiæ mactatæ: nam sic per consecrationem fit aliquid sacrum circa rem oblatam, eiusque materiam; id est, aliqua mutatio mystica, seu significatiua alicuius rei sacræ, & quidem duplicis: nam quatenus per eam panis mutatur in Corpus, & vinum in Sanguinem, significamus omnia diuinæ potentiæ esse subiecta, & omnia ab ipso pendere: quatenus autem hæc ponuntur seorsim, significamus effusionẽ Sanguinis in cruce. Prior significatio pertinet ad rationem huius sacrificij, quà sacrificium est: Posterior autem pertinet, quà est sacrificium repræsentatiuum sacrificij crucis: vtraque tamen pertinet ad essentiam huius sacrificij, vt à Christo est institutum: sicuti ad essentiam sacrificij agni pertinebat non solùm occisio, sed etiam assatio, & ossium integritas: sine his enim non tam fuisset sacrificium, quàm sacrilegium.

Ipsa consecratio est simul oblatio in hoc sacrificio.

Patet Secundò, Vnâ eâdemque potestate & actione consecrari Corpus, & Sanguinem Domini, & offerri. Nam oblatio, seu consecratio eius nihil est aliud, quàm consecratio, quâ ponitur sub specie panis & vini, ex ordinatione diuina significans diuinum principatum & sacrificium crucis. Itaque quicunque consecrat, hoc ipso necessariò sacrificat; & contrà: neque possunt hæc vnquam separari, modò vtriusque speciei fiat consecratio. Nec refert, etiamsi quis expressè intendat non offerre: si enim intendit absolutè consecrare, hoc ipso intendit implicitè, & in effectu offerre: nam ipsa consecratio ex institutione diuina, intrinsecè est sacrificij oblatio, & eâdẽ potestate perficitur: sicut qui intendit conferre Sacramentum, hoc ipso implicitè intendit sanctificare, etiamsi expressè id nolit.

Quid offeratur in hoc sacrificio.

Patet Tertiò, Non solùm id offerri, quod oblationi supponitur, eamque antecedit; sed etiam id, quod per eam efficitur: potest enim actus sacrificandi ita esse efficax, vt ipsam hostiã ad honorem Dei producat, siue illa hostia vlteriùs sit mutanda, siue non: nam illa mutatio, quę fit tum circa materiam hostiæ, tum circa ipsam hostiam, dum sic producitur, sufficere potest ad rationem sacrificij.

Patet Quartò, Quomodo in mysterio Eucharistiæ differat ratio Sacrificij, & Sacramenti. Nam ratio Sacrificij potissimũ consistit in cõsecratione vtriusque speciei: Sacramentum autem in termino consecrationis, seu sacrificij; ita tamen, vt vtraque species seorsim sit perfectum Sacramentum. Differt hîc ratio sacrificij & sacramenti.

33 Sumptio sacerdotis etiam pertinet ad rationem huius sacrificij.

Dico Sextò, Valdè probabile est etiã pertinere sumptionem ad rationem huius nostri sacrificij, quatenus est mystica hostiæ consumptio facta à Sacerdote. Insinuat D. Thomas infrà art. 6. Tenet Melchior Canus lib. 12. de locis c. 13. Dom. Soto dist. 13. q. 1. art. 6. & 8. Bellarminus lib. 1. de Missa cap. vltimo: & multi alij.

Notandum tamen, hoc nõ esse sic intelligendũ, (vt quidam volunt) quasi sine sumptione consecratio nullo modo possit habere rationẽ sacrificij; aut sumptio sit principalis actio huius sacrificij: neutrum enim verum est. Si enim consecratio cõparetur cum sumptione, est multò principalior: est enim magis supernaturalis, directè requirens supernaturalem potestatem; magis etiam insinuat diuinam potentiam & dominationem, & sacrificium crucis; & in ipsa potuisset tota ratio huius sacrificij constitui, si Christo ita fuisset visum. Tamen quia voluit sacrificium nostrum esse holocaustum, quod est perfectissima sacrificij forma, voluit etiam illud consumi: hoc enim ad rationem holocausti requiritur. Et ideò ipsa sumptio facta per Sacerdotem, quatenus est mystica quædam hostiæ consumptio, & peremptio, etiam pertinet ad rationem huius sacrificij; sicut ipsa sumptio ad rationem sacrificij Melchisedech, iuxta communem sentẽtiam pertinebat. Neque mirum videri debet, duas actiones constitui de ratione vnius sacrificij; quia id etiam videmus in sacrificijs veteris legis: primùm enim animal priuabatur vitâ, deinde carnes comburebantur. Nunc

6. Rationes

Probatur Primò, Prioris ad Cor. 11. v. 24. *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur: Hic calix Sanguinis mei, qui pro vobis effunditur:* hæc *fractio*, & *effusio* haud dubiè pertinent ad rationem sacrificij: dicitur enim *pro vobis frangitur, pro vobis effunditur:* Atqui *frangi*, est cum fractione & peremptione immolari: *effundi*, cum effusione libari: significatur enim his nominibus oblatio coniuncta cum *fractione* & *effusione*. Sed hæc *fractio* & *effusio* fit per sumptionem: ergo sumptio pertinet ad rationem huius oblationis. Prima.

Secundò, Quia nostra Religio nõ solùm debet habere perfectissimam hostiam, sed etiam perfectissimam sacrificandi formam: sed hæc forma cernitur in holocausto, de cuius ratione est consumptio: ergo actio, qua consumitur, pertinet ad eius substantiam. Secunda.

Tertiò, Quia si consumptio non esset de substantia sacrificij, non posset dari vlla ratio, cur iure diuino necessaria sit hęc sumptio Sacerdotibus: holocausta enim veteris testamenti nõ edebantur. Tertia.

Quartò, Cur Ecclesia tantoperè semper curauit, vt Sacerdos sumeret oblata, adeò vt non sumentem suspendat vno anno? vt patet Canone *Relatum*, de Consecratione dist. 2. Et si contigerit sacerdotem mori post consecrationem, cur iubet alium perficere; nisi quia existimauit id necessarium ad perfectionem huius sacrificij? Quarta.

Quintò,

Quinta.

Quintò, Si sumptio non esset de ratione huius sacrificij, non magis esset necessaria, quàm fractio, aut oblatio verbalis: non enim est fundamentum, vnde colligatur maior necessitas.

Sexta.

Sextò denique, Si contingat araneum incidere in calicem consecratum, debet alius calix consecrari; idque ideò, quia prior non poterat sumi. Quid opus erat alio calice, si in consecratione prioris erat perfectum sacrificium?

Dices, Nostrum sacrificium offertur à Sacerdote in persona Christi: atqui sumptio non fit in persona Christi: ergo &c.

An tota Actio in hoc Sacrificio fiat in Persona Christi.

Respondeo Primò, Non facilè probari potest totam actionem, qua offertur hoc sacrificium, debere fieri in persona Christi: sufficit enim primariam sic fieri, præsertim cùm sumptio sit etiam vsus Sacramenti, qui fit ad propriam sanctificationem. Respondeo Secundò, Etiam sumptio Sacerdotis fit aliquo modo in persona Christi, sicut & aliorum Sacramentorum consecratio: cuius signũ est, quòd ipse sumat, non sicut Apostoli in cœna, qui vt Laici sumebant porrectũ ab alio; sed sicut Dominus, sua potestate proferens, & sibi porrigens sua dona.

Ex hactenus dictis ferè patet responsio ad quatuor subiectas propositiones, de quibus non ita pridem rogatus. Itaque

QVÆRITVR QVID SENTIENDVM DE QVATVOR SVBIECTIS PROPOSITIONIBVS?

Prima, Ad essentialem rationem sacrificij, prout est de iure naturæ, non requiritur mutatio; quæ tamen requiritur ad hoc vt oblatio Sacrificij rationem habeat, prout sacrificij vox in Scriptura sumitur, & ratio etymologiæ requirit.

Secunda, Formalis ratio cuiuscunq; sacrificij est oblatio seu relatio ad Deum: hostia autem & quæ circa eam accidunt, materia.

Tertia, Formalis ratio sacrificij Missæ, quatenus est sacrificium propriè dictum, est præsentatio hostiæ Deo facta in recognitionẽ summi dominij, cui ex instituto Christi, adiuncta est præsentatio eiusdem hostiæ in memoriã dominicæ passionis ad propitiationem, & sic, vt hæc omnia simul concurrant ad essentiam sacrificij Missæ.

Quarta, Inter prædictos modos quibus dicitur sacrificium Missæ offerri, prioribus repudiatis, duo illi probabiles sunt, quibus dicitur illud offerri, aut quia in altari ponitur, *aut* per verba offerimus: *& has sententias posse retineri donec ab Ecclesia aliquid declaretur.*

Prima propositio non videtur admittenda.

Respondeo Primò: Prima propositio videtur à veritate aliena. Primò, quia si ratio sacrificij pro vt est iuris naturæ, nõ requirit mutationem: ergo solùm ex lege positiua diuina vel humana; atqui hoc verum non est; tum quia nec Scriptura nec Patres talis legis positiuę meminerunt, qua statutum sit, vt sacrificia Deo per mutationem rerum offerantur; tum quia gentiles sacrificia sua per mutationem offerebant, siue animalium, siue rerũ inanimatarum, vt thuris, salis, vini: nec facilè quis inuenerit apud eos sacrificia appellari, in quibus nulla fiebat mutatio. Secundò, Ratio naturalis dictat diuinum numen esse colendum interemptione rerum in ipsius honorem facta; vt sic testemur omnia nos ab ipso habere, & ipsum habere perfectum dominium in omnia, & vitæ necisque potestatem: ergo ius naturæ dictat hanc mutationem in sacrificio adhibendam; nam sacrificium est perfectissimus actus externus, quo Numen colitur; vnde etiam diuino Numini est proprium; vt docent omnes Doctores, Tertiò, quia Scriptura ad rationem sacrificij requirit mutationem rerum ad honorem Dei factam: atqui Scriptura non requirit aliquid ad rationẽ sacrificij in genere, nisi quod lege naturæ requiritur, nempe sacerdotiũ, altare, hostiam, & hostiæ interemptionem in honorem Dei; vt patet ex ijs locis quibus loquitur de sacrificijs legis naturę. Vnde hæc propositio nõ videtur sibi satis constare. Addo, neminem Doctorum veterum aut recentiorum, quòd sciam, tradidisse sacrificij rationem prout est legis naturæ, non requirere mutationem. Vnde hæc propositio videtur etiam nonnihil nouitatis & temeritatis continere. Quod enim sine authore asseritur & sine sufficienti ratione, in materia Theologica non caret temeritate.

Scripturæ.

Est contra communẽ sensum DD.

Respondeo Secundò: Secunda propositio duas habet partes, quarũ neutra videtur vera, imò vtraque contra communem sententiã Doctorũ. Nam si ratio formalis sacrificij consistit in oblatione seu relatione ad Deum præcisè; sequitur manifestè ad rationem sacrificij non requiri mutationem; quod est contra suprà dicta, & contra communem sententiam Doctorum; qui distinguunt sacrificium ab oblatione Deo facta, quòd sacrificium fiat per interemptionem rei. Deinde, oblatio primitiarum & primogenitorum erit verè & propriè sacrificium, contra communem sententiam, & modum loquendi Scripturarum: quia est oblatio Deo facta in recognitionem supremæ potestatis & supremi dominij. Præterea, castigatio carnis facta ad honorandum Deum in corporibus nostris, tanquam authorem & dominum eorum, erit sacrificium; imò omne opus bonum præsertim externum ad hunc finem relatum: nam ratio formalis ei conueniet. Possunt enim hęc fieri non solùm propter Deum, tanquam propter finem quem promereamur, sed etiam ad ipsum honorandum tanquam supremum Monarcham & Dominum. Præterea, hæc ratio sacrificij videtur omnino conuenire cum ea, quam assignat Caluinus lib. 4. Instit. cap. 18. §. 13. vbi dicit Sacrificium esse quidquid Deo offertur; & cum ea, quam Lutherani: *Sacrificium est sacra actio ad hoc principaliter instituta, vt per eam testemur nos Deum pro vero Deo agnoscere, eumque honore afficiamus.* Qui hæretici passim à Catholicis Doctoribus refutantur, vt à Bellarmino, Gregorio à Valencia &c. cõ quòd mutationem à ratione formali excludant. Denique, non satis videtur constare cum prima propositione, in qua dicitur sacrificij rationem prout in Scripturis sumitur, includere mutationem: inde enim sequitur, verũ nõ esse sacrificij cuiusque rationem formalẽ consistere in relatione ad Deum, nempe præscindendo à mutatione.

2. Propos. Simpliciter repugnat communi.

Oblatio primitiarum &c.

Castigatio carnis.

Caluinus. Lutherani.

Altera pars etiam vera non videtur: si enim omnia quæ circa hostiam accidunt ad materiam pertinent: ergo & ipsa mutatio: ergo hæc non pertinet ad rationẽ formalem, contra suprà dicta, & contra primam propositionem. Item, ergo sacrificium non habet rationem formalem externam & sensibilem, sed relationẽ duntaxat internam insensibilem: si enim relatio in Deum est ratio formalis, & ea quæ fiunt circa hostiam sint materia: ergo ratio formalis est interna, non externa; nam externę actiones materiæ accidunt. Atqui oportet etiam dare rationem formalẽ ex-

Materia.

ternam (nam loquimur de externo sacrificio quatenus externum est , & obiectum actus interni) sicut in oratione & eleëmosyna externa datur ratio formalis externa, per quam opera externa sunt idonea obiecta voluntatibus internis. Denique communis sententia Doctorum mutationē materiæ ponit pro forma specifica sacrificij , per quam ab oblatione & primitijs distinguatur. Vnde & hæc pars contra communem sententiam videtur.

1. Propositio non videtur probabilis.

Respondeo Tertiò: Tertia propositio quatenus ponit præsentationem hostię factam Deo in recognitionem summi dominij , esse formalem rationem sacrificij Missæ , non videtur probabilis , si præcisè & tantùm in ea præsentatione rationem formalem ponat . Primò , quia omnes authores , quantum memini , in ratione sacrificij Missæ tanquam partem principalem & essentialem includunt consecrationem , quamuis diuersitas sit in modo explicandi : dicere ergo quod eius ratio consistat in præsentatione illa, est contra communem sententiam Doctorum. Secundò, Si consistat in illa præsentatione : ergo ad offerendum sacrificium nō requiritur ordinatio per Sacramentum Ordinis, quo diuina illa potestas confertur sacerdotibus , sed solùm ad aliquid præuiū sacrificio, nempe ad consecrandum; quod est contra formam ordinationis, *Accipe potestatem offerendi:* nam in ea non fit expressè mentio nisi potestatis offerendi . Consequentia patet , quia ad præsentandam Deo hostiam consecratam , dicendo, *Offero tibi Domine Corpus & Sanguinem Vnigeniti tui* &c. non requiritur vlla potestas supernaturalis; nam quiuis fidelis eam facere potest , saltem secundùm substantiam operis , vt author fatetur; sicut potest administrare Eucharistiam secundùm substantiam operis. Dicere autem quemuis fidelem per se sacrificiū Missæ offerre quoad substantiam operis, est omninò à veritate alienum ; imò errori proximum; sic enim modo quodam omnes erunt veri sacerdotes , quia verum sacrificiū nouæ legis secundùm substantiam operis offerre possunt; & idem sacrificium erit Laici & Sacerdotis; nam substantiâ & intrinseco valore idem erit. Si dicas laicum non iure offerre, sacerdotem iure; sicut laicus non iure administrat Eucharistiam, sacerdos autem iure & legitimè , & ad hoc opus ei esse potestate ordinis : hoc non satisfacit; Primò, quia hoc non minuit dignitatem & valorem Sacrificij in se ; cùm enim substantia sacrificij sit eadem , eadem quoque erit dignitas, idem valor ex opere operato , sicut eadem est porrectio hostiæ per laicum & per sacerdotem : imo in necessitate laicus poterat olim Eucharistiā porrigere & sibi & alteri, saltem mediante vasculo. Verum igitur erit laicos offerre sacrificium Missæ non minùs quàm sacerdotes ; & eorum sacrificium non esse minoris pretij quàm sacerdotum, quod est omnes laicos facere sacerdotes saltem respectu substātiæ sacrificij, quod videtur hæreticum. Secundò, etiam iure laicus offeret; nulla enim lex diuina , aut Ecclesiastica vetat , quo minus quisque & ore & corde offerat per se cælesti Patri Filium vnigenitum , etiam accedendo propè altare & eleuando manus ad cælum ; ergo laici non minùs erunt sacerdotes , quàm ordinati. Denique si ratio formalis sacrificij Missæ consistit in illâ præsentatione , sacerdos verè & propriè poterit offerre sacrificium Missæ , etiamsi ipse non consecrarit, sed alius ; quod est contra communem sententiam : sic enim in Paraseue fiet verum sacrificium ; & quotiescunque sacerdos in aliquod templum veniens, præsentabit corde & voce hostias consecratas Deo. Omitto alia; vt quòd Dominus non legatur tale quid dixisse , *Offero tibi pater.* Omitto verba illa , *Offerimus tibi* , non esse actionem quâ offerimus, sed significare illam duntaxat. Nec verum est ipsum gratiarum actione obtulisse : nam actio gratiarum præcessit hostiam; oblatio autem vel simul est, vel posterior . Deinde , nemo Doctorum est qui dicat ipsum obtulisse gratiarū actione ; nisi fortè illa idem fuit quod Consecratio. Omitto item ; Quòd illa præsentatio, vel est actus internus tantùm , & sic non erit externum sacrificium; vel aliquis externus procedens ab interno: si est externus actus, erunt aliqua verba, vel aliqua actio : atqui nulla verba iure diuino requiruntur præter verba consecrationis ; nulla etiam actio requiritur præter actionem quæ fit consecratione, quæ est cōstitutiua Corporis Christi sub speciebus, & præter manducationem: est non ergo quærenda vlla præsentatio aut oblatio ab his distincta. Omitto Sacrificium Missæ potissimùm repræsentare sacrificium crucis , ratione consecrationis & sumptionis; vt docent Doctores; non autem ratione verbalis oblationis.

Consequētia sententiæ propositæ.

Respondeo Quartò ; Non videtur probabilis illa sententia quæ per verba *Offerimus* putat essentialiter fieri sacrificium Missæ, vt patet ex dictis . Et illis verbis, nō offerimus, sed significamus nos offerre . Nec etiam illa sententia quæ dicit illud offerri, quia in altari hostia ponitur; nisi intelligatur de illâ positione, quâ ponitur verbis consecrationis; hæc enim est probabilis & multorum Doctorum . Vnde puto has sententias non posse tutò teneri.

4. Propositio est etiā improbabilis.

DVBIVM VII.

Quibus modis hoc Sacrificium suum fructum conferat?

SVppono, Hoc sacrificium conferre varium fructum: sed de modo difficultas est. 34

Per modū meriti.

Respondeo igitur quatuor modis conferre. Primò, *Per modum meriti:* si tamen persona immediatè offerens sit Deo grata . Ratio est ; Quia est præstantissimus actus Religionis supernaturalis, ac proinde secundùm se valdè meritorius , modo ex parte subiecti non sit impedimentum . Et hic fructus sacrificij est personalis, nec potest alteri communicari.

35 Per modū satisfactionis.

Secundò , *Per modum satisfactionis :* nam omne opus meritorium est etiam satisfactorium . Hic fructus potest alteri communicari. Verùm hi duo modi sunt etiam communes alijs bonis operibus, & tantùm conueniunt sacrificio , quatenus est actio ministri , vel aliorum, qui actu cum ministro concurrunt : non autem , quatenus est actio Christi, vel Ecclesiæ vniuersalis ; vt infrà patebit.

36 Per modū impetrationis.

Tertius igitur modus est, quo confert fructum *Per modum impetrationis* ; idque immediatè ijs, pro quibus offertur. Ratio est , Quia *impetratio* fit per orationem, & per alia bona opera, quatenus orationi adiunguntur , vt diuinam voluntatem flectamus ad concessionem eius, quod petimus; sed,

hoc

hoc sacrificium est opus præstantissimum, maximè idoneum ad inclinandam diuinam voluntatē, & adiungitur orationi, vt patet ex vsu Ecclesiæ: ergo est impetratorium beneficiorum Dei. Quin imo, præter cæteras causas, ob hanc etiam directè videtur institutum à Christo, vt per illud possemus omnia opportuna ad salutem impetrare. Cuius signum est, quod in persona sua offerri voluit, idque cùm representatione sacrificij crucis, quò diuinam voluntatē magis moueremus. Hinc videmus Ecclesiam per ministrum suum in oblatione petere varia beneficia à Deo, pro viuis & defunctis, spiritalia, & temporalia. Nam hoc sacrificium ratione suæ excellentiæ, & principalis offerentis, & mysticæ significationis, est maximè idoneum ad impetrandum, quod petitur. Hanc autem vim habet sacrificium, non solùm quatenus est actio ministri, sed etiam quatenus est actio Christi; cuius statui non repugnat, vt nobis aliquid impetret, cùm etiam nunc pro nobis interpellet. Item quatenus est sacrificium Ecclesiæ.

37 Confert denique suum effectum ex opere operato.

Quartus modus est, quo fructum confert *Ex opere operato*: Quem modum admittunt passim omnes Doctores, & recentiores, qui scribunt cōtra hæreticos.

Ex Scrip.

Probatur Primò, Ex Scriptura, Matth. 26. vers. 28. *Hic est Sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum:* quod intelligendum esse de *effusione mystica*, colligitur ex Luca: ergo hoc sacrificium habet annexam promissionem *remissionis peccatorum:* ergo confert eam ex vi promissionis diuinę; & consequenter *ex opere operato. Conferre* enim *ex opere operato*, nihil est aliud, quàm conferre, ex vi operis externi: quæ vis nihil est aliud, quàm institutio, seu promissio diuina ipsi operi annexa.

Ex Trid.

Probatur Secundò, Ex Concilio Trident. sess. 22. cap. 1. vbi ait, *Hoc sacrificium Eucharistiæ esse à Domino institutum, vt per hoc sacrificij crucis virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur peccatorum, applicaretur:* Atqui hæc applicatio cùm fiat ex vi institutionis Christi, necesse est, vt fiat ex opere operato. Confirmatur; quia si solùm fieret per modum impetrationis, aut ex opere operantis, id est, deuotione offerentis, non aliter fieret, quàm per sacrificium veteris legis; ac proinde hoc sacrificium in modo applicandi fructum crucis, nihil haberet peculiare.

Ex Ratione.

Probatur Tertiò, Ratione. Primò, Quia hoc sacrificium habet effectum aliquem infallibilem, qui nullo modo pendet à bonitate ministri, vt habet communis Ecclesiæ sensus, qui effectus non crescit ex deuotione ministri, sicut nec effectus Sacramentorum: ergo confert illum ex opere operato. Patet consequentia; nam id, quod infallibiliter confertur per opus externum, & nullo modo pendet à bonitate ministri, necessariò pendet ex vi promissionis diuinæ ipsi operi annexæ: quod est pendere ex opere operato. Secundò, Quia Sacramenta nouæ legis conferunt aliquem effectum ex opere operato: ergo oportuit, vt sacrificium nouæ legis simili modo aliquem effectum sibi conuenientem conferret. Patet consequentia; tum quia ratio sacrificij est dignior: tum quia id postulabat excellentia nouæ legis. Et confirmatur; quia, si sacrificia veteris legis vim habebant ad tollendas immunditias carnis legales, & quasdam irregularitates, vt colligitur ad Hebræos 9. cur negabimus hoc sacrificium simili modo habere vim ad tollendas immunditias conscientiæ? Præsertim cùm sit actio Christi, vt principalis offerentis; ac proinde sit actio per se viua, maximè idonea ad talem modum operandi.

Quis effectus censeatur haberi ex opere operato.

DVBIVM VIII.

Quem fructum conferat?

38 Quos fructus hoc Sacrificiū conferat per modum impetrationis.

RESpondeo & Dico Primò, *Per modum impetrationis* confert auxilium præueniens, tum sufficiens, tum efficax; ac proinde contritionem, remissionem peccati mortalis; & iustificationem; remissionem culparum venialium, & pœnarum temporalium; denique varia beneficia temporalia. Est certa.

Probatur Primò, Ex vsu Ecclesiæ: quia hæc omnia petuntur in oblatione huius sacrificij: sentit ergo Ecclesia hoc sacrificium ad omnia ista impetranda valere.

Probatur Secundò, Hoc sacrificium valet ad omnia, ad quæ valet oratio: nam quatenus proficiscitur ex intentione impetrandi, est realis quędam oratio, multò efficacior ad flectendū Deum, quàm oratio verbalis.

Hic fructus etiam datur, esto Minister non sit in statu gratię.

Aduertendum autem, Impetrari hęc bona, non solùm quando minister est in statu gratiæ, sed etiā quando est in peccato, & nihil sua deuotione confert. Ratio est; Quia non offert hoc sacrificium, vt persona priuata, sed vt repræsentat Ecclesiam tanquam Legatus Ecclesiæ, quæ Deo est charissima: imò, vt repręsentat ipsum Christum; nam in persona Christi offert. Itaque Deus in ipso non tam respicit qualis ipse sit fide & sanctitate, sed qualis ille, cuius ipse munere fungitur, cuiusque personam ipse sustinet & repręsentat. Sicut Rex, ad quem mittitur Legatus à filio, vel à Republica, non respicit merita & conditiones Legati; sed eius, cuius ille personā sustinet, & muneris quod eius nomine offertur. Idem dicendum de orationibus ministrorum Ecclesiæ, quas nomine Ecclesiæ faciunt: habent enim vim impetrandi, etiamsi minister malus sit, cùm in persona Ecclesiæ fiant, quæ Deo est charissima; alioqui Ecclesię non esset satis consultum, cùm plurimi ex eius ministris sint peccatores. Iuuāt tamen multū ad impetrandum per hoc sacrificium, Ministri sanctitas, & Ecclesiæ orationes; sicut Legatus, qui priuatim Regi charissimus est, faciliùs impetrat: nam priuata illa amicitia, cooperatur ad animum Regis inclinandum.

Vis Orationum Ecclesiæ.

Iuuat sanctitas Ministri ad hunc effectum impetrandum.

39 Missa boni sacerdotis.

Hinc sequitur Primò; Missam boni Sacerdotis, non solùm ratione orationū Ecclesiæ esse meliorem Missā peccatoris, sed etiam ratione ipsius oblationis, seu sacrificij, quatenus hæc est aliquo modo efficacior ad impetrandum, dum procedit ab offerente etiam priuatim amico.

Sequitur Secundò, Quò plures in Ecclesia sunt sanctitate eminentes, eò maiorem vim impetrādi habere orationes & sacrificia, quæ nomine Ecclesiæ offeruntur; vt rectè docet Gabriel lectione 26. in Canonem, & Couarruuias in Cap. *Alma*, 1. parte §. 5. nu. 6. qui citat alios.

Obiectio contra Missam mali sacerdotis.

Dices; Si sacrificium oblatum à ministro peccatore habet vim impetrandi: ergo non impetrat ex opere operantis: ergo ex opere operato: & consequenter hic modus non distinguitur ab altero, qui est *ex opere operato*.

Quorundã solutio.

Ob hoc argumentum quidam Doctores, dum loquuntur de hac impetratione, dicunt fructum dari ex opere operato. Ita Gabriel suprà, & quidam alij.

Differentia inter modũ quo Sacrificium cõfert fructum per modum Impetrationis, & eum quo ex Opere operato.

Sed, si propriè loquamur, est magna distinctio inter hosce duos modos. Primò, Quia impetratio extendit se ad omne genus beneficiorum, & ad omne genus hominum. Certum tamen est, hoc sacrificium ex opere operato non conferre omne genus beneficiorum: non enim salutem temporalem, pacem, serenitatem, pluuias, fructuum abundantiam, & similia; neque Ethnicis, & non baptizatis ex opere operato fructum confert. Secundò, Quia effectus impetrationis sacrificij, non est per se infallibilis; eò quòd non nitatur certa promissione, ac proinde nec lege iustitiæ, sed solùm liberalitate, & misericordia Dei. Nec refert; quòd res oblata sit dignissima: dignitas enim, etsi reddat illam idoneam ad mouendum Deum, non tamen infallibiliter mouet, nisi accedat promissio. Effectus autem, qui est ex opere operato, est omnino infallibilis; quia nititur non dignitate naturali operis, aut solâ misericordiâ, sed solâ promissione diuinâ operi annexa. Tertiò, Effectus impetrationis debet intendi, & peti ab eo, qui impetrat; vt patet in orationibus: effectus autem qui est ex opere operato, non debet intendi per voluntatẽ; vt patet in Sacramentis: hoc ipso enim quo confertur Sacramentum homini disposito, etiam confertur effectus, velit nolit minister.

Ob has rationes alij dicunt effectum impetrationis dari ex opere operantis, non proximi, sed remoti: vt in proposito, ob deuotionem, & sanctitatem Ecclesiæ. Ita Couarruuias.

Nõ placet.

Sed hoc etiam non propriè dicitur: Quia, etsi neque minister, neque Ecclesia concurrat aliquo actu deuotionis ad hoc sacrificium, tamen habebit vim impetrandi. Deinde, non tantùm habet vim impetrandi, quatenus offertur in persona Ecclesiæ, sed etiam quatenus offertur in persona Christi, quamuis non requiratur vt Christus aliquo actu voluntatis concurrat. Itaque propriè loquendo, modus iste impetrationis neque est ex opere operantis, neq; ex opere operato; sed præcisè nititur dignitate hostiæ, & principalis offerentis, qui est Christus; & secundariò, sanctitate Ecclesiæ.

Solutio ex mente Autoris.

40 Qui sint effectus ex opere operato.

Dico Secundò, Hoc sacrificium ex opere operato, confert remissionem pœnæ temporalis, & auxilium gratiæ præuenientis.

1. Remissio pœnæ temporalis.

Prior pars est communis Doctorum. Probatur; Quia, si habet aliquã vim ex opere operato (quod suprà ostensum est) maximè, habet ad remissionem pœnæ temporalis: sicut enim sacrificium offerri potest pro absentibus, nihilque de eo cogitantibus; ita remissio pœnę temporalis fieri potest, & per se apta est fieri, sine vlla intrinseca mutatione animæ, aut motu pio, per solam extrinsecam condonationem. Quare commodissimè meritum Christi per sacrificium ad hunc effectum potest applicari. Secundò, Quia ad remissionem pœnæ temporalis nullum erat propriè remedium institutum: ergo conuenientissimè id tributum est sacrificio. Quod insinuat Concilium Trident. sess. 22. cap. 1. vt suprà dictum est.

2. Auxiliũ præueniens

Altera pars de auxilio præueniente, non est ita certa; est tamen satis probabilis. Probatur Primò, Quia sicuti sacrificia veteris legis valebant ad emundationem carnis ex opere operato; ita sacrificiũ nouę legis debuit valere suo modo *ad emundationem conscientiæ ab operibus mortuis*; quod fit conferendo auxilium præueniens. Probatur Secundò, Quia id insinuat Concilium Trident. sess. 22. cap. 2. *Huius sacrificij oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* Idque probat, quia vna eademque est hostia; & idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit. Vbi insinuat ideò habere hanc vim, quia est actio Christi, ac proinde *ex opere operato*. Probatur Tertiò, Ex forma consecrationis calicis, vbi promittitur *remissio peccatorum* per hoc sacrificium; quod non est intelligendum de immediata remissione, sed mediante dono contritionis.

41 Sacrificiu non conferre immediatè primam vel secundam gratiam.

Dico Tertiò, Hoc sacrificium neque per modum impetrationis, neque ex opere operato confert immediatè primam gratiã iustificationis, aut gratiæ augmentum in iustis, sed solùm mediatè, quatenus confert ad hæc auxilium præueniens. Est certa hæc propositio. Prior pars est contra quosdam, qui dixerunt, si hoc sacrificium offeratur pro homine attrito, eum iustificari, perinde ac si susciperet Sacramentũ: inter quos Catarinus.

Probatur quòd non ex opere operato. Primò, Quia neque id habet ex dignitate suæ naturæ, cùm ne sacrificium quidem crucis id habeat (non enim sacrificium crucis immediatè, sine applicatione Sacramenti vnquam iustificat attritũ:) neque ex aliqua peculiari Christi promissione, cùm nusquam huius promissionis deprehendantur vestigia; etsi enim ex Scriptura & Patribus confirmetur hoc sacrificium valere ad remissionẽ peccatorum, & iustificationem; non tamen id ita intelligendum, quasi immediatè ad hoc valeat; sed quod mediante legitima dispositione, scilicet cõtritione, ad quam confert auxilium: quod insinuat Concilium Trident. sess. 22. cap. 2. in verbis citatis. Vbi satis indicat, nõ dimitti peccata mortifera per hoc Sacrificium, nisi quatenus confert, vel impetrat donum pœnitentiæ, id est, auxilium præueniens, quo concipimus contritionem.

Secundò, Concilium Trident. sess. 7. in proœmio dicit, *Per Sacramenta omnis vera iustitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur.* Vbi Concilium non agnoscit aliud remedium à Christo institutum, quo detur immediatè prima iustificatio, vel reparetur amissa, quàm remedium sacramentorum. Falsum igitur est illam etiam reparari immediatè per hoc sacrificium.

Tertiò, Si hoc sacrificium sic immediatè iustificat attritum, quid opus est Sacramento Pœnitentiæ? Non enim opus est ad eundem effectum duobus remedijs per se sufficientibus. Neque Christus duo remedia ad vnum effectum directè instituit, sed singula ad vnum tantùm. Vnde cùm instituerit Sacramentum Pœnitentiæ, tanquam necessarium ad remissionẽ peccati mortiferi post baptismum commissi, non est credibile quòd etiam hoc sacrificium voluerit habere hanc vim immediatè remittendi peccata.

Quartò, Quia alioqui Sacerdos attritus offerens pro seipso statim iustificaretur, quamuis sciret solùm se esse attritum. Nam si hoc Sacrificiũ est institutum ad remissionem culpę mortiferæ, non est necesse vt putet eam condonatam, sed poterit illud offerre, vt condonetur. Similiter si offerat

ferat pro alio, qui solùm habet attritionem, ille iustificabitur etiamsi dormiat: quæ sanè sunt valdè absurda.

Cur minùs hoc sacrificium immediatè iustificet, quâ sacramenta quædam.

Quintò, Sacrificium merè extrinsecè applicatur ei, pro quo offertur; nec vllam requirit illius cooperationem: ergo non potest conuenienter supplere defectũ dispositionis intrinsecę, scilicet contritionis; ac proinde non potest iustificare attritum. Secùs est de Sacramentis, quę realiter applicantur, & aliquam recipientis cooperationem requirunt. Vnde, cùm in se contineant pretium Sanguinis Christi, possunt supplere defectum dispositionis, quę aliàs esset necessaria; & ideò possunt immediatè gratiam conferre.

Ijsdem rationibus facilè probari potest hoc sacrificium neque per modum impetrationis hanc vim habere immediatè iustificandi. Quod etiam inde confirmatur, quia non operatur per modum impetrationis, nisi vt oratio quędam: sed imprudens esset oratio, quæ peteret hominem sic iustificare; cùm iste modus sit omnino extra ordinarius, & alienus à conditione iustificationis, & nimium fouens negligentiam humanam; cùm suppetat alius modus conuenientissimus, videlicet vt inspiret ei contritionis vel saltem attritionis spiritum, & vsum Sacramenti Pœnitentiæ.

Non confert immediatè augmentum gratiæ.

Ijsdem rationibus facilè etiam probari potest Altera Pars, nempe non conferre immediatè augmentum gratiæ. Quod confirmatur: Primò, Quia Eucharistia, vt Sacramentum, est instituta ad hoc incrementum: ergo non erat opus, vt ad idem valeret, quatenus sacrificium; sed ad aliud: vt ad remissionem pœnarum, & similia. Secundò, Quia alioquin paruulo baptizato hoc Sacrificiũ conferret augmentum gratiæ: quod est præter mentem Ecclesiæ, quæ nunquam in hunc finem offert. Antecedens patet; quia cùm sacrificium non requirat actualem dispositionem in eo, pro quo offertur, vt illi effectum suum conferat, sed sufficiat status gratiæ; nulla est ratio, cur etiam paruulis iam per baptismum iustificatis hoc augmentum non conferatur, si confertur adultis.

42 Nec immediatè remittit culpam venialẽ, sed reatum pœnæ.

Dico Quartò, Probabilius etiam est, hoc sacrificium non habere vim remittendæ culpæ venialis immediatè absque vlla hominis dispositione, sicut potest remittere reatum, seu debitum pœnæ huius peccati. Ita Dominicus Soto d. 11. q. 2. art. 5.

Probatur prior Pars: Primò, Quia peccatum veniale committitur nostra libertate: ergo conueniens ratio prouidentiæ diuinæ postulat, vt nõ mera extrinseca condonatione, sed interueniente aliquo actu libero remittatur. Secundò, Quia culpa venialis maculam quandam infert animæ, qua eius nitor nonnihil obscuratur: ergo sine aliqua intrinseca animi mutatione, quæ huic maculæ aliquo modo repugnat, non tollitur.

Reatus pœnæ ex opere operato, & per modum impetrationis tollitur hoc sacrificio.

Altera Pars patet ex dictis suprà num. 39. Vbi aduerte; non solùm ex opere operato, sed etiam per modum impetrationis, per hoc sacrificium pœnæ reatum tolli. Cùm enim hæc condonatio non postulet vllam mutationem animæ, sed per solam extrinsecam condonationem possit fieri, rectè etiam possumus à Deo petere, vt immediatè condonet: vt patet, quando oramus pro fidelibus defunctis: Si dicas; tunc non peti, vt Deus immediatè condonet pœnã; sed applicari ipsis hanc orationem, quatenus est opus satisfactorium, & sic interuenire solutionem; quia Deus non condonat pœnam, nisi interuentu alicuius satisfactionis. Respondeo, id non rectè dici: nam Sancti in cælo orant pro defunctis, vt constat ex Collecta Ecclesiæ, *Deus veniæ largitor* &c. Et tamen oratio illorum non est satisfactoria, sed solùm impetratoria: ergo non applicatur illis tunc satisfactio illius orationis, & quasi solutio quædam, sed petitur immediata condonatio. Confirmatur: quia neque est illa mens orantis; neque conuenienter potest fieri applicatio satisfactionis, quæ est in oratione per ipsammet orationem: nam opus applicandum supponi debet actui applicationis, & ab ea distingui. Vt interim omittam valdè exiguã esse satisfactionem in breui oratiuncula. Fateor quidem, Deum non condonare pœnam, nisi alicuius satisfactionis, seu solutionis interuentu; hoc enim summa illa iustitia postulat: sufficit tamen satisfactio Christi in proposito, quæ immediatè potest applicari ad hunc effectum per orationem, ac proinde per sacrificium.

Defunctis pœna immediatè remittitur.

Pro hoc & sequentibus Dubijs, Vide lib. 12. de Perfectionibus Diuinis c. 14. vbi tractatur ad quid datum sit nobis hoc sacrificium, & quantam vim habeat.

DVBIVM IX.

Quibus confert Sacrificium suos fructus?

NOtandum est, Eos, quibus prodest hoc sacrificium, esse vel offerentes, vel illos pro quibus offertur. Offerentes sunt; Primò, Sacerdos. Secundò, Qui aliquo actu coöperantur; vt ministri, assistentes, & conferentes elcëmosynam. Tertiò, Qui nullo modo cooperantur actu, sed solùm remotè dicuntur offerre; quatenus sunt membra Ecclesiæ. Nunc 43

Qui censeantur offerre hoc sacrificiũ.

Respondeo & Dico Primò, Ipsi Sacerdoti offerenti fructum confert ex opere operato, & per modum impetrationis; idque sub duplici ratione: Primò, quatenus est minister publicus offerens in persona Christi; & hunc fructum confert illi nõ pro se determinatè, sed pro ijs quibus ipse vult applicare sacrificium. Colligitur hoc ex D. Tho. suprà q. 79. art. 5. & 7. estque ferè communis sententia. Ratio est, quia effectus, qui huic sacrificio respondet, maximè sequitur ex eo, quatenus est actio ministri publici offerentis in persona Christi. Hic tamen fructus non ita datur Sacerdoti, vt ipsius maneat; sed vt sit in eius potestate applicare eum sibi, vel alteri: non enim est propter Sacerdotem, sed propter eum, pro quo offertur sacrificium. Offertur autem pro eo, pro quo Sacerdos voluerit. Itaque quòd hic fructus huic, vel illi conferatur, pendet ex intentione, & applicatione Sacerdotis. Confirmatur; nam sacrificium per se non determinat personam, cui fructus est conferendus. (Fit enim immediatè Deo, nec postulat vt pro aliquo offeratur, seu vt alicui applicetur. Secùs est de Sacramento quod ex natura sua postulat alicui certæ personæ applicari, cùm consistat in receptione, ordineturque ad hominis sanctificationem.) Quare hęc determinatio reliquitur ipsi ministro. 44

Quis fructus detur Sacerdoti vt est persona publica.

Potest hũc fructum alteri applicare.

Secundò, Quatenus minister est etiam persona quædam priuata suam habens deuotionem, qua ad hoc sacrificium concurrat: non enim est peioris conditionis, quam alij priuatim offerentes. Et hic fructus recipitur in ipso Sacerdote: nam datur ipsi pro se, tanquam personæ priuatæ: vnde etiam

Quis fructus ei detur, vt est persona priuata.

etiam requirit statum gratiæ, estque maior vel minor pro maiore, vel minore dispositione; secùs est de fructu priore, qui respondet sacrificio, vt est actio ministri publici: hic enim non requirit statum gratiæ in ministro, vt suprà dictum est, cùm non detur ipsi pro se, sed pro Ecclesia: neque est maior vel minor, ob maiorem, vel minorem ministri sanctitatem (loquimur enim de fructu, qui est ex opere operato) sicut nec fructus Sacramentorum maior est vel minor ob ministri sanctitatem. Vide Diuum Thomam quæst. 82. art. 6.

Non potest hunc fructum alteri applicare.

Notandum autem: Valdè probabile esse, fructum eum quem sacerdos accipit, vt persona priuata, ex opere operato, non posse alijs applicari: sicut nec remissio pœnæ temporalis, quæ confertur per Baptismum, aut per satisfactionem Sacramentalem, aut per indulgentias, alijs applicari potest; nisi id expresè concedatur quoad Indulgentias. Hæc enim non ita habemus in potestate, vt possimus nos illorum fructu priuare, vt illum in alium conferamus, sicut in potestate habemus opera nostra satisfactoria. Ratio est; quia id quod ex opere operato vim habet, non tam est opus nostrum, quàm Christi: vnde non est in nostra potestate impedire ne in nobis fructum habeat, quando nobis applicatur.

45 Propinquè offerentibus suus fructus respondet.

Dico Secundò, Alijs offerentibus, qui peculiari aliquo modo concurrunt actu vel virtute ad hoc sacrificium, valdè probabile est dari aliquem fructum ex opere operato, pro modo concursûs, & deuotionis cuiusque: verbi gratia, ministrantibus, assistentibus, & procurantibus sacrificium. Ita Caietanus tom. 2. Opusculorum. Tractatu 3. qu. 2. & alij passim. Ratio est, quia ceteris paribus maximè participes esse debent fructûs sacrificij, qui actu aliquo ad illud cooperantur. Non enim videtur consentaneum, vt is, qui actu Missæ sacrificio assistit, non plus accipiat, quàm is, qui cum pari deuotione procul abest: nam ad sacrificium externum actu externo cooperatur. Quod confirmatur ex verbis Canonis, *Memento Domine omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis.*

46 Remotè offerentibus non respondet fructus ex opere operato.

Dico Tertiò, Qui nullo actu concurrunt ad hoc sacrificium, sed solùm remotè dicuntur offerre, quatenus sunt membra Ecclesiæ, quæ per ministros suos offert, ijs, ratione huius modi offerendi nõ prouenit aliquis fructus ex opere operato. Probatur; Quia non est credibile, omnibus membris Ecclesiæ, ratione cuiusq; sacrificij quod offertur in Ecclesia, dari aliquod auxilium speciale, vel condonari aliquid pœnæ temporalis: tum quia nulla ratio id suadet, nec auctoritas insinuat; tum quia vnicuique quotidie aliquot millia gratiarum præuenientium dari deberent, & infinitæ propè partes debiti temporalis detrahi: quò fieret vt vix iusti haberent aliquid debiti temporalis pœnæ. Ratio est: quia effectus ex opere operato non datur, nisi ijs, quibus ipsum opus peculiariter applicatur; idque vel mediante actione propria, vel aliena; vt patet in Sacramentis, & in hoc sacrificio, dum per ministrum alicui applicatur. Cur enim conferatur effectus illis, quibus causa nullo modo applicatur? Illa autem habitudo, qua omnia Ecclesiæ membra comparantur ad hoc sacrificium, tanquam offerentes in habitu, est valdè extrinseca, & remota, nec sufficit ad actualem applicationem.

Dices: Saltem omnes isti accipiunt aliquem fructum ex singulis sacrificijs per modum impetrationis.

Imò nec per modũ impetrationis.

Respondeo; Neque id esse necessarium; vt rectè Gabriel lectione 27. in Canonem. Etsi enim hoc sacrificium nomine totius Ecclesiæ offeratur, non tamen necesse est, vt singulis Ecclesiæ membris aliquid in particulari detur. Imò etiãsi oretur *pro omnibus orthodoxis & Catholicæ fidei cultoribus*, non est necesse singulis aliquid dari: tum quia impetratio non est infallibilis; tum quia sufficit aliquid commune dari, quod ad omnes aliquo modo pertingat: vt est tranquillitas Ecclesiæ, protectio fidei, auersio hæreseon, & etiam calamitatum temporalium. Nunc agendum

De iis rro qvibvs hoc sacrificivm offertvr.

Notandum est, Esse sex vel septem hominum genera, de quibus potest dubitari: nempe Damnati, Beati; Fideles defuncti, qui in purgatorio sunt; Fideles viui, qui sunt Ecclesiæ membra; Præcisi ab Ecclesia; & Infideles, qui numquam fuerunt in Ecclesia. 47

Non prodest Damnatis.

Dico Primò; Non prodest vllo modo damnatis. Est certa, & communis. Ratio est; quia non sunt capaces fructus sacrificij crucis, qui per hoc sacrificium applicatur. Confirmatur; quia nec potentiâ, nec actu sunt ampliùs membra Ecclesiæ: atqui hoc sacrificium est sacrificium Ecclesiæ, solumque valet pro ijs, qui aliquo modo ad Ecclesiam pertinent. Nec obstat, quod Diuus Augustinus c. 110. Enchiridij dicat, *Quibusdam valere hoc sacrificium, vt ipsis plena fiat remissio, alijs vt tolerabilior sit damnatio:* loquitur enim de ijs, qui sunt in purgatorio: *Damnationem* vocat supplicium, ad quod damnati sunt. Nam Augustinus eodem cap. expresè docet, ijs qui in æternum damnati sunt, non prodesse. Idem lib. 1. de Anima, & eius origine cap. 9. & 11. docet *Sacrificium Ioc non posse offerri pro paruulis defunctis ante baptismum, quia perierunt.* Idem docet Innocentius III. Capitulo *Cùm Marthæ* de Celebratione Missarum.

48 Prodest Beatis.

Dico Secundò, Beatis cum Christo regnantibus aliquo modo prodest hoc sacrificium. Primò, Ad quoddam gaudium accidentarium. Secundò, Ad gloriam quandam extrinsecam in Ecclesia: gaudent enim Dei honore, nostroque profectu: & illis honorificum est ab hominibus in tanto mysterio commemorari, tanquam nostros Patronos, & hoc sacrificium in eorum memoriam & honorem Deo offerri. Nam offertur sacrificium Deo, tum in gratiarum actionem pro beneficijs in Sanctos collatis, quæ etiam in nos redundant; tum ad petendam gratiam, vt eos possimus imitari; tum vt velit eos esse nostros Patronos, & apud ipsum intercessores, vt optimè docet Concilium Trid. sess. 22. c. 2. Vide etiam Innocentium III. Cap. *Cùm Marthæ* de Celebratione Missarum.

49 Prodest plurimum in Purgatorio existentibus.

Dico Tertiò, Fidelibus defunctis, qui in Purgatorio expiantur, etiam plurimum prodest ad pœnarum mitigationem, & solutionem. Est fide tenendum, vt patet ex Conc. Trid. sess. 22. can. 3.

Probatur Primò: 2. Machabæorum 12. vbi Iudas Machabæus offerri iussit sacrificia pro cœsis in bello; & Scriptura probat hoc factum:

Sancta

Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.

Probatur Secundò ; Quia in omnibus Liturgijs oratur pro defunctis. Ex quo intelligimus Ecclesiam semper in sacrificio Missæ pro defunctis orasse; esseque traditionem Apostolicam : vt rectè Chrysostomus Hom. 69. ad Populum. Idé docent plurima Concilia, & omnes Patres. Imo est antiqua hæresis Aërei non esse pro defunctis offerendum sacrificium, vt testatur Epiphanius in Anacephaleosi. Et D. Augustinus hæresi 53. Ratio est ; quia sacrificium est bonum commune totius Ecclesiæ ; cùm nomine Ecclesiæ, & à ministro publico offeratur : atqui bonum commune debet esse tale, vt possit distribui & prodesse singulis membris, maximè si indigeant : ergo cùm fideles in purgatorio sint vera & viua membra Ecclesiæ, vtpote ei copulata fide, spe, & charitate; & maximè opus habeant auxilio alieno, cùm seipsos iuuare nequeant, oportet vt fructus huius sacrificij etiam ad illos pertineat.

50 Sed difficultas est, quomodo illis prosit : Per modum impetrationis, an ex opere operato?

Ex opere operato, & per modum impetrationis.

Respõdeo vtroque modo. De impetratione nemo Catholicus potest dubitare. De modo ex opere operato, quidam videntur negare; vt Melchior Canus lib. 12. de locis cap. 13. ad 9. & Dominicus Soto d. 13. q. 2. art. 1. Dicunt enim hoc sacrificium non habere infallibilem effectum in illis ; sed, si Deo ita visum fuerit. Vnde sequitur non prodesse illis ex opere operato, cùm hic fructus omnino sit infallibilis in eo, qui est capax, & non ponit obicem.

Sed contrarium est probabilius : quod tenet Ruardus art. 16. Petrus Soto lect. 7. de Eucharistia, & ipse D. Thomas in 4. d. 45. q. 2. a. 3. ad 3.

Probatur Primò ; Quia in forma sacerdotij sine distinctione dicitur, *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro viuis & defunctis in nomine Domini :* ergo eodem modo offertur, & prodest. Item Cõcilium Trid. sess. 22. cap. 1. eodem modo loquitur, cùm ait; *offerri pro viuis & defunctis.* Secundò, Quia animę illę adhuc sunt partim in via, & possunt ab Ecclesia iuuari : & aliàs hoc sacrificium ex se satis habet dignitatis, vt conueniens fuerit hanc vim ei à Christo tribui : & in modo applicandi nulla est repugnantia : (non enim applicari debet ipsi animæ per corpus, sicut Sacramentum; neque ad infusionem gratiæ, vel eius augmentũ; sed solùm per extrinsecam ordinationem, sicut oratio ; idque ad effectum *merè extrinsecum,* qui est extrinseca condonatio:) ergo nulla est ratio, cur hęc virtus ei non sit concedenda.

51 Prodest plurimùm viuis Fidelibus, pro quibus offertur.

Dico Quartò, Prodest etiam plurimùm fidelibus viuis, pro quibus offertur : nam pro his maximè est institutum. Et patet ex Canone *Pro omnibus orthodoxis, & Ecclesiæ Apostolicæ cultoribus.* Qui tamen sunt in statu peccati mortiferi, ijs non prodest ad satisfactionem, sed solùm ad impetrationem auxilij præuenientis, & protectionis ne in peccatis moriantur. Catechumenis quoque, etiãsi in gratia sint, non prodest ex opere operato. Ratio est; quia Baptismus est ianua ad cætera Sacramenta, & ad omnem fructum, qui modo Sacramentali confertur. Prodest tamen per modum impetrationis ; vnde etiam pro illis defunctis offerri potest, si non constat in peccato mortifero obijsse.

An Catechumenis.

Dico Quintò, Prodest etiam præcisis ; vt hæreticis, schismaticis, & excommunicatis, quando pro illis directè, vel indirectè offertur. Vbi

52 An præcisis ab Ecclia.

Notandum est ; Non licere quidem pro huiusmodi sacrificium offerre in persona ministri publici; hoc enim prohibitum est ab Ecclesia ; vt patet Cap. *A nobis,* 2. de Sententia Excommunicationis: Si tamen quis offerat, fructum percipient. Et ratio est, quia Ecclesia nõ potest suo præcepto tollere vim sacrificij, quam habet ex opere operato; sicut nec vim Sacramentorum. Vnde, etiamsi contra præceptum Ecclesiæ alicui applicetur, vim habebit. Pari modo non potest tollere vim impetrandi, quam habet quatenus offertur in persona Christi, seu quatenus offertur à ministro publico Christum repræsentante. Nam hæc vis nullo modo pendet ab Ecclesia, sed ab ipsa præstantia sacrificij, & principali offerente. Grauiter tamen peccabit minister, sciens & prudens contra mandatum Ecclesiæ faciens.

Quomodo illicitum sit pro illis sacrificare.

Et quibus id modis liceat.

Aduerte tamen, Duobus modis licitè posse pro his sacrificium offerri : Primò indirectè, agendo tamen personam publicam ; vt quando sacerdos offert sacrificium, & orat pro Ecclesiæ propagatione, & vnione; pro hæresi on extirpatione, fidei exaltatione : nam sic indirectè orat pro hæreticorum & schismaticorum conuersione. Secundò, Directè, sed vt persona priuata, orando, & repręsentando Deo hoc sacrificium pro huius vel illius hæretici conuersione, vel in genere pro cõuersione hæreticorum. Ratio est ; quia hoc nullo iure est prohibitum, & per se est valdè pium : vnde non est dubitandum, quin in *Memento* liceat pro illis orare.

53 An prosit Infidelibus

Dico Sextò, Pro infidelibus qui nunquam fuerunt in Ecclesia, vt sunt Idololatræ, Turcæ, Iudæi, licet offerre sacrificium ; & illis prodest per modum impetrationis. Patet ; quia Apostolus 1. ad Corint. 2. iubet orari pro Regibus & Principibus in sacrificio, qui tamen erant ethnici. Et Tertull. lib. ad Scapulam, *Sacrificamus,* inquit, *pro salute Imperatoris.* Idem quoque fiebat in veteri testamento ; offerebant enim Iudæi sacrificium pro Dario, pro Spartiatis, & pro Heliodoro. Neque Ecclesia hoc vnquam prohibuit.

54 Non prodest ex opere operato nisi illis, quibus Minister intendit applicare.

Dico Septimò, Hoc tamen sacrificium non prodest ex opere operato, nisi illis, quibus minister intendit applicare ; quamuis possit prodesse per modum impetrationis.

Prior pars probatur ; Quia sacrificium, ex se, dum fit, non determinat personam, cui fructus est conferendus ; quia tantùm tendit ad honorandum Deum, sicut laus : ergo hæc determinatio iure diuino naturali relicta est arbitrio sacerdotis offerentis ; cui sicut data est potestas offerendi sacrificij, ita & applicandi : nemo enim commodiùs potest applicare aliquid, quàm is, qui illud habet in sua potestate.

Dices, Ecclesia seu Prælati, qui sunt Superiores, videntur validè posse applicare sacrificia suorum subditorum. Quod confirmatur ; Nam Ecclesia præscribit orationes, quibus oretur pro Pontifice, Episcopo, Rege, pro Orthodoxis viuis & defunctis. Quòd si Sacerdos inferior contra voluntatem Superioris applicet sacrificium, Deo non erit accepta talis applicatio.

Respondeo ; Aliud est loqui de orationibus sacrificio annexis, aliud de ipsius sacrificij substantia : Ora-

An possit Ecclesia facere, vt alteri prosit ex opere operato, quàm cui sacerdos intẽdit applicare.

tia? Orationes enim potuit Ecclesia præscribere pro certis rebus, & personis; quas si Sacerdos vt Ecclesiæ minister recitet, modò non sit præcisus, habebunt vim impetrandi, etiamsi ipse id non intendat. Ratio est; quia Deus respicit in illis, non Sacerdotis deuotionem & intentionem, sed Ecclesiæ, cuius personam gerit dum orat: ergo cùm tanquam minister Ecclesiæ orat pro certis personis, illis proderit per modum impetrationis. Sed sacrificium immediatè pendet ex institutione diuina, sicut & Sacramenta. Vnde, sicut Sacramenta vim habent in eo, cui per ministrum applicantur, quidquid Ecclesia prohibeat, eò quòd ipse operetur potestate à Christo accepta: ita sacrificium vim habet ex opere operato in illis duntaxat, quibus per proximum ministrum applicatur, qui personam Christi gerit.

Nec refert, quòd hęc applicatio sit contra obedientiam, vel etiam contra iustitiam. Etsi enim Deus non acceptet illam in meritum, seu vt est actio priuatæ personæ: acceptat tamen quatenus est actio ministri personã ipsius gerentis: sic enim eadem est applicatio, & intentio Christi & ministri. Confirmatur: Quia hæc potestas applicandi conuenit Sacerdoti ex vi characteris; vt patet ex verbis formæ, *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro viuis & defunctis in nomine Domini*: ergo non potest per Ecclesiam auferri, impediri, aut limitari: vt patet in simili de potestate applicandi alia Sacramenta.

Pro quibus teneatur sacerdos orare, vel applicare hoc sacrificium.

His adde, re ipsâ nullum extare præceptum, quo sacerdos obligetur huic vel illi, vel etiam toti Ecclesiæ applicare sacrificium. Solùm obligatur orare pro vniuersali Ecclesia, pro Papa, Antistite, Rege, adstantibus, orthodoxis omnibus in genere, denique pro defunctis: & vt summum, non obligatur pro his offerre sacrificium, nisi vt habet vim per modũ impetrationis. Vnde potest illud applicare alteri, quatenus habet vim ex opere operato.

Si sacerdos nulli applicet, cui proderit ex opere operato.

Dices, Ergo si sacerdos obliuiscatur applicare alicui sacrificium, nullus inde proueniet fructus ex opere operato.

Respondeo, Quidam dicunt, posse postea applicari. Sed hoc parum est credibile: Quia, sicut Sacramentum consistens in actione, solùm potest applicari, dum fit à ministro; tunc enim, non aliàs est in eius potestate: ita etiam sacrificiũ tantùm potest applicari, dum fit; tunc enim tantummodò est in potestate ministri. Confirmatur; Quia effectus, qui datur ex opere operato, non potest suspendi arbitrio ministri, sed statim datur causâ positâ. Vnde aliter dicendum: Quando alteri nõ applicat, censetur implicitè applicare sibi; & sic fructum ex opere operato habet sacrificium in sacerdote. Dices; Quid si non cupiat sibi applicare, vel si non habeat debitum pœnæ temporalis? Respondeo, Tunc non habebit effectum ex opere operato, scilicet remissionis pœnarum; sicuti effectum eum non habet cùm Sacerdos illum applicat ei qui non est capax. Manet autem tunc satisfactio illa, quam sacrificium debebat conferre, in immenso thesauro satisfactionum Christi, nec quidquam tunc inde depromitur satisfactionis. Non tamen illi thesauro tunc aliquid noui accedit, vt Soto insinuat; sed antiqua satisfactio non applicatur. Sicut etiam, cùm Sacramenti vis irrita redditur per indispositionem recipientis, nihil noui accedit thesauro, sed vetus meritum Christi non applicatur efficaciter, & cum effectu: quamuis nonnulla sit differentia.

Altera Pars, scilicet posse sacrificium prodesse per modum impetrationis sine applicatione Sacerdotis, patet ex dictis: nam iunguntur illi orationes Ecclesiæ pro varijs rebus & personis, quæ per hoc sacrificium fiunt exaudibiles apud Deũ.

DVBIVM X.

Vtrùm hoc sacrificium habeat effectum aliquo modo infinitum?

OMissis opinionibus Doctorum, quos recenset Petrus Nauarra. lib. 2. de Restitutione circa num. 360. 55

Dico Primò, Hoc sacrificium secundùm se est infinitæ dignitatis in genere sacrificij, sic vt præstantius cogitari non possit: ac proinde per se est infiniti valoris ad impetrandum. Est communis Doctorum. Vide D. Thom. suprà q. 79. art. 5. & ibidem Caietanum. Hoc sacrificium secundùm se est infinitæ dignitatis.

Prior Pars Probatur; Quia res oblata est infinitæ dignitatis, cùm totus Christus offeratur; & etiam primarius offerens, qui etiam est ipse Christus: ergo ipse actus sacrificandi censetur infinitæ dignitatis. Probatur consequentia; quia ex his duobus dignitas sacrificij pensatur.

Dices, Proximus offerens est Sacerdos, qui est finitę dignitatis.

Respondeo; Hoc non refert. Nam Sacerdos nõ offert hoc sacrificium, vt homo priuatus, sed vt gerens personam Christi; atque adeò quatenus ipse mysticè seu repræsentatiuè est Christus. Cuius signum est, tum quia loquitur vt Christus, *Hoc est Corpus meum*: tum quia, si Christus esset in statu merendi, & satisfaciendi, & ita offerret per ministrum, sicut modò offert, infinitè mereretur, & satisfaceret, perinde ac si per seipsum offerret: Sicut tantundem meretur Dominus & satisfacit per famulum conferens eleëmosynam, & per legatum exhibens honorem & obedientiam, quantum si per seipsum. Itaque sacrificiũ hoc à Christo suam habet æstimationem, non minùs quàm illud, quod ipse Christus in cœna obtulit: hoc enim est illi par in ratione sacrificij, & in dignitate impetrandi. Quod confirmatur; Quia ipsa transubstantiatio fit virtute Christi, quatenus ex vi institutionis, virtus diuina Christi ad hoc est applicata vsque ad finem sæculi; & etiam quatenus actu voluntas Christi ad singula sacrificia cõcurrit; vt cui omnia sint præsentia, eaque Patri actu offert: sicuti si Rex per legatum exhibens honorem Pontifici, posset ipsemet esse præsens, & Pontifici in legato honorem deferre.

Vnde Patet; Triplici ratione Christum dici *Principalem offerentem:* Primò, Quia Sacerdos offert hoc sacrificium, vt repræsentat personam Christi, seu vt ipse est mysticè Christus: sicuti legatus Regis defert honorem Pontifici, vt repræsentat suum Principem: & Angelus tradidit legem, vt repręsentans Deum; vt patet Actorũ 7. 56 Tribus ex titulis dicitur Christus esse principalis offerens.

Secundò, Quatenus ipse vim tribuit verbis sacerdotis, & sua virtute diuina concurrit, idque ex vi primæ institutionis, seu illius voluntatis, quâ primò instituit hoc sacrificium: vt colligitur ex Chrysostomo Hom. De proditione Iudę circa medium.

medium. Et hi duo modi in rigore sufficiunt, vt Christus dicatur *principalis offerens.*

Tertiò, Quatenus actu concurrit per intellectum, & voluntatem humanam ad singula sacrificia suorum ministrorum, ijs præsidens, & superintendens, tanquam summus Sacerdos, & actu interno ea offerens Patri in memoriã suæ Passionis. Probatur hic modus; Quia sic magis propriè dicetur offerre; & aliàs hic modus est illi facillimus, cùm hoc sacrificium non minùs sit ipsi præsens quoad mentem seu intellectum, quàm si ipse esset in Altari: ergo non videtur dubitandum, quin sic offerat. Confirmatur Primò, A simili: Quia, si Rex, dum per Legatum defert honorẽ Pontifici, posset esse mente præsens Legato & Pontifici, per se etiam concurreret, saltem mente & voluntate illum honorem deferendo; hic enim modus honorandi est perfectior: ergo, cùm Christus possit actu concurrere, reuerà facit. Confirmatur Secundò, Quia *Christus est Sacerdos in æternum*, id est, vsque ad finem sæculi: ergo decet, vt ipse etiam actu cooperetur ad sacrificium. Patet consequentia; quia munus sacerdotij esset in ipso otiosum, solumque extrinseca denominatione diceretur *offerens.* Dices, Non esse conueniens, vt per se concurrat. Contrà: Quia Christus secundùm naturam humanam manet diuinitate inferior; vnde oportet vt eam colat actu latriæ: cur non etiam actu sacrificij, qui est perfectissimus actus latriæ? præsertim, cùm opus materiale sacrificij non debeat ab ipso fieri, sed possit fieri per ministrum, ipso duntaxat spiritualiter cooperante. Confirmatur Tertiò, Quia id quoque insinuant Patres: Chrysostomus homil. 60. ad Populum: *Non sunt humanæ virtutis opera proposita: qui tunc ipsa fecit in illa cœna, idem nunc quoque ea facit: nos ministrorum tenemus locum: qui verè sanctificat ea, & immutat, ipse est.* Et infrà: *Cùm videris Sacerdotem offerentem, ne Sacerdotem esse putes hoc facientem, sed Christi manum inuisibiliter extensam.* D. Augustin. Tract. 5. in Ioannem fusè docet Christum in omni baptismo baptizare: idem ergo, & potiori iure dicendum est de hoc sacrificio. Vide etiam Cyprianũ epist. 63. & Concilium Trident. sess. 22. cap. 2.

Quomodo Christus actu concurrat in omni sacrificio.

57 Hoc sacrificium nullum effectũ infinitum impetrat.

Dico Secundò; Reipsâ tamen non potest aliquem effectum infinitũ impetrare. Probatur Primò; quia talis effectus est impossibilis inter dona creata. Secundò; quia impetratio non solùm pendet ex dignitate oblationis, sed etiam ex intentione oblationeque offerentis, & ordinatione Dei concedentis: atqui offerens non potest prudenter petere fructum infinitum: Deus quoque non statuit concedere, nisi intra mensuram ab ipso definitam. Vnde etiam Christi operationes, etsi essent infinitè meritoriæ, tamen reipsâ nullum effectum infinitum meruerunt. Tertiò; quia sacrificium non est reipsâ impetratorium, nisi quatenus annexum est orationi, seu petitioni, saltem internæ; vt suprà dictum est: atqui non quæuis oratio valet ad quiduis impetrandum; sed debet aliquo modo esse proportionata rei, quæ petitur: maiori enim conatu, feruore, & constantia petenda est res magna, quàm parua; difficilis, quàm facilis; vt rectè Scotus Quodlib. 20. & Gabriel lectione 27. idque propterea: nam alioqui redderemur segnes, & tepidi, & parui diuina dona æstimaremus, si tam facilis esset impetratio: ergo, cùm oratio nõ sit semper cuiuis bono obtinendo proportionata, non potest semper reipsâ impetrare, etiamsi sacrificio sit comitata.

58 Oblatum pro multis non tantũ dat singulis, quantũ si pro vno tantùm oblatum.

Dico Tertiò, Sacrificium hoc oblatum pro multis à ministro, reipsâ non confert tantum singulis neque per modum impetrationis, neque ex opere operato, quantum si pro vno tantum oblatum esset.

Prior Pars Probatur: Quia etsi in se sit infinitæ dignitatis, tamen non applicatur nisi mediante oratione: atqui vna oratio, quę applicatur multis, non est ita idonea, & proportionata multis beneficijs impetrandis, atque vni vel paucis. Vnde, sicut pro vna re ardua, verbi gratia, pro impetranda conuersione magni peccatoris, ordinariè oportet plures orationes fundere, & plura sacrificia offerre, quàm pro conuersione mediocris; iuxta illud 1. Ioannis 5. *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis*, &c. ita pro beneficio aliquo multis impetrando, oportet ordinariè plures orationes & sacrificia offerre, quàm si paucis, vel vni sit impetrandum: nam longè maius est tale beneficium conferri multis, quàm paucis; vt rectè Gabriel lect. 27. Vnde quòd quidam dicunt, hoc sacrificium oblatum pro multis speciatim, tantùm valere singulis ad impetrandum, quantum si pro singulis duntaxat oblatum fuisset; non videtur verum, nisi pro multis multiplicentur etiam affectus orantis & orationes. Quòd si affectus quoque, & saltem internæ petitiones multiplicentur, sic omnino verum est. Et ita intelligi possunt isti Doctores. Vnde multitudo eorum, pro quibus oratur in *Memento*, non diminuit quidquam in singulis effectum impetrationis; quia multiplicantur affectus, & petitiones offerentis.

Altera Pars; Quòd etiam ex opere operato non valeat tantum multis, quàm paucis: est ferè communis sententia Doctorum, vt inquit Gabriel.

Probatur Primò, Quia alioqui Sacerdos insipienter faceret, si aliquibus in particulari hoc sacrificium applicaret: semper enim offerendum esset pro omnibus iustis, cùm non minùs profuturum sit vnicuique, quàm si pro eo solo oblatum fuisset: atqui hoc est contra vsum in Ecclesia receptum.

Secundò, Quia alioqui Sacerdos pro vno sacrificio posset centum stipendia (sustentationis, non æstimationis rei) accipere; & centum obligationibus contractis cum diuersis, vno sacrificio satisfacere.

59 Non licet nisi vnum stipendium propter vnum sacrificium accipere.

Hinc sequitur, Sacerdotem non posse propter vnum sacrificium accipere, nisi vnum stipendium sustentationis: nam alioqui iniuriam faciet ei, cum quo prius conuenit: hic enim, saltem implicitè, cupit totum fructum sacrificij, præsertim eum qui est ex opere operato, sibi applicari.

Aduerte tamen, Si hoc stipendium sit valdè paruum & insufficiens ad victum diurnum, posse secundum, & fortè etiam tertium accipi. Ita Dominicus Soto dist. 13. quæst. 2. art. 1. & Melchior Canus lib. 12. De locis cap. 13. & quidam alij Doctores eiusdem ordinis: quorum sententia, saltem sic limitata, satis est probabilis.

60 An, si pro pluribus applicetur, etiam in eis sit inæqualis fructus extra inæqualem eorum dispositionem.

Petes; Vtrùm, si illi, pro quibus offert, sint inæquales in gratia, vel actuali deuotione, singuli recipiant effectum, præsertim remissionis pœnæ, secundùm mensuram dispositionis suæ, sicut in Sacramentis contingit?

Respondeo: Ita videtur sentire D. Thomas q.79. art.5. Petrus Nauarra, & quidam alij. Sed contrarium videtur verius: quod tenet Durandus d.45.q.3. & colligitur ex D. Thoma eâdem dist. q.2.art.4. vbi dicit, suffragium, quod prodest ex applicatione alterius, pendere ex intẽtione applicantis. Ratio est: Quia effectus sacrificij, qui datur alteri, pro quo fit oblatio, totus pendet ex intentione Sacerdotis applicantis: gratia autem, quæ in ipso requiritur cui applicatur sacrificium, solùm requiritur vt dispositio tollens impedimentum. Secùs est de effectibus Sacramentorum: quia non pendent ex intentione ministri, sed ex ipsa substantia Sacramenti, quæ veluti naturaliter operatur iuxta dispositionem suscipientis. Confirmatur; Quia satisfactio propria applicata alteri, non prodest ei plus vel minus iuxta eius dispositionem, sed iuxta voluntatem applicantis: ergo similiter hîc. Ratio à priori est, Quia hic fructus sacrificij non confertur per modum naturalis efficientiæ sicut ignis calefacit; neque mediante actione recipientis, sicut Sacramenta effectũ conferunt: sed per modum donationis moralis, quæ tota pendet, & secundùm suam substantiam, & quantitatem, ab intentione donantis.

61 Oblatum pro multis simul offerentibus, tantũ prodest singulis, quantũ si pro vno solo.

Dico Quartò, Si multi offerentes cooperentur Sacerdoti ad huius sacrificij oblationem, singulis, quatenus offerentes sunt, tantum prodest ex opere operato, & per modum impetrationis, quantum si soli cum Sacerdote obtulissent. Hoc modo potest fructus huius sacrificij dici infinitus extensiuè, non actu, sed potentiâ; quatenus plures, & plures in infinitũ possunt suo modo actu concurrere, & fructum percipere. Est communis sententia Doctorũ. Et ita fortè intelligendus est Caietanus qu.79.art.5. & tom.2.Opusculo 3.qu.2. & alij eiusdem ordinis, qui docent hoc sacrificium oblatum pro multis, prodesse singulis secundùm ipsorum deuotionem.

Probatur Primò, Quia alioqui longè satius esset audire Missam priuatã, id est, cui pauci intersunt, quàm publicã, cui multi. Secundò, Quando plures sunt offerentes, plures quoque sunt actiones, quibus cooperantur ad sacrificandũ; quæ actiones sunt veluti diuersæ applicationes, quibus ipsum sacrificiũ singulis applicatur, & singuli ipsius sunt participes: ergo ex parte applicationis huius non minuitur fructus: nam singulis tam perfectè applicatur, quàm si soli essent. Neque etiam minuitur ex parte sacrificij; aut rei oblatæ; quia vtrumque infinitę dignitatis est: ergo cùm sit eadem dispositio in singulis, (vt supponimus) quando multi sunt & quando pauci, eundem effectũ singulis confert quando multi sunt, quem contulisset si pauci fuissent. Confirmatur à simili: Si eadem hostia à pluribus sumi posset, tantum cõferret singulis, quantum si singuli soli fuissent: nam integrè, & independenter à ceteris, singulis esset applicata: ergo idem sacrificium, per diuersos actus offerentium applicatum, ipsis offerentibus tantum conferet, quantum si soli essent.

62 Omnium sacrificiorũ perfectionẽ eminenter continet.

Ex dictis constat, Hoc sacrificium habere in se eminenter omnem perfectionem sacrificij, esseque non solùm *Honorarium*, seu *Latreuticum*, quod *Holocaustum* dicitur, sed etiam *Propitiatorium*, quod vocatur *Sacrificium pro peccato*, & *Eucharisticum*, & *Impetratorium*; quorum vtrumque dicitur *Hostia pacifica*. Et hoc sensu docent Patres, *Omnes differentias, seu species hostiarum veterum vnâ Eucharistiæ oblatione contineri*. De quo vide Augustinum lib.1. contra Aduersarium Legis & Prophetarũ c.20. & l.17. de Ciuit. cap.20. Chrysostomum in Psalm.95. & Leonem serm.7. de Passione.

In ARTIC. II. & Reliquos.

De requisitis ad Sacrificiũ Missæ.

63 Necessaria ad hoc sacrificium celebrandũ.

NOtandũ est, In hoc sacrificio, vt ab Ecclesia celebratur, multa requiri: quę ad octo genera reuocari possunt. 1. Sacerdos. 2. Ministrans. 3. Materia. 4. Tempus. 5. Locus. 6. Vestes & Vasa sacra. 7. Verba præscripta & leges. 8. Varię cæremonię.

DE SACERDOTE.

Sacerdos sit in gratia.

Dico Primò, Sacerdos debet esse sine conscientia peccati mortiferi, vel certè, si conscientiam talis peccati habeat, debet præmittere confessionem, si commodè potest; iuxta suprà dicta q.80. art.4.

Absque censura.

Dico Secundò, Requiritur etiam, vt non sit aliqua censura implicatus; scilicet Excommunicatione maiore vel minore, Suspensione à diuinis, Irregularitate, vel Interdicto; quamuis hæc censura esset occulta.

Excipe casum.

Notandum tamen: Ad vitandum scandalũ, vel infamiam, si prudenter ea timeretur ex omissione Sacri, posse talem celebrare, modò interim doleat de peccato, & proponat prima opportunitate petere absolutionem. Ita multi recentiores; & inter ceteros Ludouicus Lopes 2.p. pag.580. vbi citat Siluestrũ, Alphon.à Castro, Nauar. & Cordubã. Ratio est; Quia sicut iugum Domini suaue est, ita quoque mandata Ecclesiæ: vnde nõ censetur Ecclesia velle hominem obligare cum graui iactura famæ, vel rerum suarum ad censurarum obseruationem: multoque minùs, quando inde sequeretur scandalum, quod iure naturę vitare tenemur. Sufficit ergo, vt tunc, faciat quod in se est ad dignè celebrandum.

64 Sit ieiunus.

Dico Tertiò, Requiritur etiam, vt sit ieiunus. Debet autẽ hoc ieiunium esse perfectissimum, ita vt homo nihil à media nocte, id est, post horam duodecimam, per modum cibi, potûs, aut medicinæ sumpserit; vt docent omnes Doctores cum D. Thoma suprà qu.80. art.8.

65 Si in altari deficiat.

Dico Quartò, Si contingat Sacerdotem in altari deficere ante consecrationem, nihil amplius necesse est ab alio suppleri. Si tamẽ adsit alius Sacerdos ieiunus, qui velit, prosequi, potest. Si post consecrationẽ; quamuis vnius tantùm speciei, debet sacrificium ab aliquo alio compleri, quamuis hic ieiunus nõ sit, si alius haberi nequit; idq; incipiendo vbi prior defierat. Ratio est; Quia maius est præceptũ integritatis sacrificij, quã ne fiat à nõ ieiuno. Quã ab causam etiã sine confessione præmissa id fieri potest, si copia confessoris nõ datur.

DE MINISTRANTE.

66 Vnus ministrans sufficit.

Dico Primò, In missis priuatis sufficit habere vnicum ministrantẽ, qui vicem populi gerat. Est communis sententia Doctorum: & patet ex consuetudine Ecclesiæ. Illa autem verba Canonis: *Memento omnium circumstantium*, intelligenda conditionatè, si qui adsint.

Ne sit fœmina.

Dico Secundò, Ministrans non potest esse femina. Est communis sententia Doctorum, ex Cap. *Inhibendum*, de Cohabitatione Clericorum. *Prohibendum quoque est, vt nulla femina ad Altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare, aut intra cancellos stare*

stare, siue sedere. Dom. Soto d. 13. q. 2. a. 5. dicit, ob nullam necessitatem id sine dispensatione esse permittendum, potiusque Sacerdotem debere sibi ipsi ministrare, quàm id feminæ permittere.

67 Quando liceat sine ministro celebrare.

Petes, An ergo aliquando liceat sine omni ministro celebrare?

Respondeo; Licere cum dispensatione Papæ: sine eâ ordinariè non licere. Dico *Ordinariè*: quia ob aliquam necessitatem incidentem interdum licet sine dispensatione: exempli gratia, si aliquis sine viatico esset moriturus; si Sacerdos, alioqui in magno aliquo festo, sacro esset cariturus: ita Dominicus Soto suprà, & alij recentiores.

DE MATERIA.

68 Dico Primò, Materia adhibenda, est panis triticeus azymus, & vinum purum, cui modica aqua admixta.

Quid fieri debeat, si aqua vino mixta non fuerit.

Dico Secundò, Si quis oblitus suo tempore admiscere aquã, recordetur ante calicis consecrationem, statim eam apponat, & prosequatur. Si post consecrationem calicis recordetur, non potest admiscere; quia tunc non potest in Sanguinem Domini conuerti. Græci tamẽ olim solent admiscere aquam, & quidem calidam post consecrationem; vt patet ex Liturgia Chrysostomi, & ex Nicolao Cabasila, cap. 37. Expositionis Liturgię.

69 Quid fiet, si calice sumpto, sentiat non fuisse vinum, sed aquam.

Dico Tertiò, Si sumpto calice deprehenderit non fuisse vinũ, sed aquam, accedat ad cornu Altaris, tanquam accepturus ablutionem, ne pateat error, & accepto vino cum pauxilla aqua, redeat ad mediũ Altaris, submisséque pronuntiet verba consecrationis calicis, incipiens à *Simili modo, postquam* &c. vsque ad, *Vnde & nos memores*; neque calicem eleuet, sed statim sumat. Ita Nauar. c. 25. num. 91. ex Scoto. Sed

Aduerte, Sufficere verba consecrationis calicis, sicut in Missali ponuntur, omissis antecedentibus: nã Scoti sententia nititur falso fundamento; quòd existimet verba illa priora esse necessaria ad essentiam consecrationis.

Consilium D. Thomę.

Quòd si nemo prorsus adsit, præter ministrum, qui non offendetur, cõsultiùs erit seruare id, quod D. Thomas præscribit art. 6. ad 4. Nempe, vt apponatur alia hostia, si prior sumpta sit; & vinum cum aqua; & incipiatur ab illis verbis, *Qui pridie:* & sic deinceps pergatur vsque ad finem: nam hoc etiam præscribitur in regulis Missalis, quæ tamen regulæ non semper obligant; multæ enim ex illis non sunt ordinationes, sed solùm instructiones iuxta probabilem sententiam Doctorum datæ.

Dices; Hoc modo non perficietur sacrificium prius imperfectum, sed nouum perfectũ succedet; & sic prius relinquetur imperfectum, quia caruit consecratione Sanguinis: quare hoc modo non euitabitur incommodum.

Respondeo; Etsi noua illa cõsecratio vtriusque speciei, sit per se integrum sacrificium; tamen, quia actio prioris sacrificij imperfecti adhuc durat; consecratio, quæ immediatè inseritur, censetur ad idem officium pertinere, tanquam vna continua actio ordinata ad vnum perfectum sacrificium: vnde in fine Sacri non liceret ita consecrare, quia non censeretur vna actio.

70 Dico Quartò, Si araneus, vel quid aliud venenatum, inciderit in calicem consecratum, non debet sumi; sed aliud vinum cum aqua imponi, statimque consecrari, & sumi, vt dictum est. Neque verum est, quod quidam dicunt, tunc aliam etiam hostiam esse consecrandam: nam prima consecratio vtriusque speciei fuit legitima, ac proinde fuit perfectum sacrificium ex parte consecrationis; quare consecratio vini non repetitur, nisi ob sumptionem.

Quid si aranea, vel quid venenatum in calicem inciderit.

Aduertendum autem in hoc casu species vini infectas veneno, vel seruandas donec exhalentur, aut omnino corrumpantur; & tunc in piscinã post Altare proijciendas: vel (quod commodius est) stupa, vel panno lineo imbibendas; quo siccato, & combusto, cineres in piscinam proijciendos.

DE TEMPORE.

71 An Sacerdos teneatur aliquãdo celebrare ex præcepto.

Dico Primò, Etsi multi Doctores teneãt, nullo præcepto sub peccato mortifero teneri Sacerdotes aliquando offerre sacrificium; sed satis esse, vt in Paschate simpliciter communicent: tamen contrarium est multò probabilius, & verius, & in praxi sequendum: quod tenet D. Thom. suprà q. 82. art. 10. Durandus, Paludanus, & alij d. 13. Siluester verbo *Missa* 1. §. 7. & alij Summistæ.

Probatur Primò, Lucæ 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem:* quibus verbis præcepit Dominus Apostolis, & eorum in sacerdotio successoribus, vt offerrent hoc sacrificium, vt testatur Concilium Trident. sess. 22. c. 1.

Probatur Secundò, Quia censetur esse quidam contemptus muneris sacerdotalis, eo nunquam vti; & ipsius sacrificij, illud nunquam offerre, cùm ad hoc sit consecratus: nisi tamen iusta aliqua interueniat causa.

Probatur Tertiò, Quia Sacerdos accipit onus intercedendi pro populo, & offerẽdi sacrificia pro peccatis. Satis tamen est, si in magnis Ecclesiæ festis celebret, ad vitandum peccatum mortiferum. Adde, quod Concil. Trid. sess. 23. c. 14. præcipit Episcopis, *Vt curent, vt Sacerdotes saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus Missas celebrent: & ij, qui curam animarum habent, tam frequenter, vt muneri suo satisfaciant.*

Præceptum Concilij Trid.

Dico Secundò, Quouis die per totum annum licitum est offerre hoc sacrificium, præterquam die Veneris sancto.

72 Licet quouis die celebrare; nõ tamen *Veneris sancto.*

Consentiunt Doctores; præterquam de feria quinta & Sabbato sanctæ hebdomadæ. Sed communior sententia est feria quinta licere; modò fiat absque scandalo. Ratio est; Quia nullum est ius scriptum id prohibens, nec vlla consuetudo in contrarium vim legis habens. Ita Sotus dist. 13. q. 2. art. 2. Nauar. c. 21. n. 88. & alij.

Die Iouis sancto.

De Sabbato idem dicendum est cum Soto, & multis recentioribus; quidquid dicat Nauarrus. Ratio est; Quia etsi in Canone *Sabbato*, de Consecratione d. 3. eodem modo de Sabbato, atque de Feria sexta dicatur, *Sacramenta non celebrari*; tamen generali consuetudine hoc de Sabbato est abrogatum. Nam in tota Ecclesia sacrificiũ eo die offertur. Ideò enim olim non offerebatur sacrificium Sabbato sancto, quia ad repræsentandam quietem Domini in sepulchro, differebatur vsque ad mediam noctem sequentem, & tunc primum offerebatur: quod Ecclesia contraria consuetudine iam sustulit anticipando tempus. Vnde saltem ab eo tempore, quo in Ecclesia publicè offertur, licet etiam priuatim celebrare, modò absit offensio.

Sabbato sancto.

Dico Tertiò, Vno die nemo potest facere, nisi vnum Sacrum; vt patet ex Canone *Sufficit*, de Cõsecratione

73

Non licet, extra casus, in die nisi vnam Missam facere.

secratione d. 1. & Cap. *Consuluisti*, de Celebratione Missarum. Excipiuntur tamen aliquot casus: nam in nocte Natiuitatis ex decreto Theleſphori Papæ licitum est facere tria. Item quando aliqua rationabilis necessitas vrget. Vide Nauarrũ c. 25. nu. 87. vbi enumerat sex vel septem casus. Cauendum tamen tunc est, ne in priore sacrificio Sacerdos sumat ablutionem.

74 Qua diei hora liceat celebrare.

Dico Quartò, Quòd ad horam celebrandi attinet: Ea est ordinariè ab initio auroræ (id est crepusculi, quo aliquid lucis apparet) vsque ad horã duodecimam. Est communis. Initium auroræ seu crepusculi, ita Doctores interpretantur, vt liceat duabus horis ante ortum solis.

Quare, Si quis habeat priuilegium, vt possit duabus horis ante auroram, ille poterit quatuor horis ante ortum solis: nam alioqui priuilegium nihil operaretur; vt notauit Suares.

Potest tamen ob aliquam necessitatem tempus ordinarium anticipari: vt si infirmo danda esset communio: si opifices, & viatores alioqui carituri Sacro: maximè si id fiat permittente Episcopo, qui in hoc ob iustam causam potest dispensare; vt Doctores affirmant.

75 An liceat vsque ad tertiam pomeridianam,

Ab hora duodecima vsque ad tertiam pomeridianam Nauarrus nu. 85. affirmat ob aliquam rationabilem causam licere celebrare, modò id fiat priuatim, & sine scandalo: quia nullus Canon, aut ratio id vetat. Quare priuilegia hac de re nihil continere, nisi Ius commune. Eandem sententiam sequitur Candelabrum, & inclinat Summa Angelica, & Rosella. Consuetudo tamen Ecclesiæ est in contrariũ. Vnde, nisi sit causa magni momenti, probabilius videtur, cum Dom. Soto, non licere: quamuis Nauarri sententia non sit improbabilis. Posset tamen Episcopus dispensare pro aliquot vicibus, licet fortassis non posset generalè dare priuilegium.

76 An sit peccatum celebrare non iocto Matutino.

Dico Quintò, Ante recitatum officium matutinum celebrare, non est peccatum mortiferũ. Ita Sotus suprà, & alij passim: quamuis ferè omnes Canonistæ sint in contraria sententia; sed sine iusta ratione. Addo, Si sit causa aliqua rationabilis, nullum fore peccatum. Ratio est; Quia nullum est Ius illud præcipiens, nec consuetudo vlla in contrarium tam strictè obligans. Nam quod Matutinum consueuit dici ante Sacrũ, id inde prouenit; non quòd iste ordo per se sit necessarius, sed quia tempus recitandi Matutini ordinariè præcedit: deberet enim Matutinum recitari nocte, vel saltem primo quoque tempore manè. Vnde non videtur esse vllum peccatum dicere Sacrum ante preces matutinas, nisi quatenus illæ preces nimium postponuntur, post debitum suum tempus, idque sine iusta causa.

DE LOCO.

77 Locus sit Sacer.

Dico Primò, Locus Iure communi debet esse sacer: id est, benedictus, aut consecratus. Est communis sententia Doctorum. Cõsecratio fit à solo Episcopo, & cum vnctione Chrismatis, quo parietes vnguntur. Benedictio fit sine Chrismate; vnde facilè ea committitur simplici Sacerdoti. Extra talem locũ non licet celebrare sine dispensatione, vel necessitate; & videtur graue peccatum, si contrarium fiat: etsi Sotus dicat non esse mortiferum; d. 13. q. 2. a. 3. Præsertim si fiat ob aliquam causam cum bona fide.

78 Dispensatio ante Concil. Trid. poterat dari ab Episcopo, vt quouis loco honesto, sine alia causa liceret celebrare; vt patet ex Canone *Missarum*, de Consecratione d. 1. Post Concilium putat Nauarrus c. 25. n. 61. Episcopum non posse dispensare. Sic enim sess. 22. ait Cõcilium; *Neue patiantur Episcopi priuatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum tantùm cultum dedicata oratoria, hoc sacrificium peragi.* Verùm probabilius est Episcopis non esse ademptam potestatẽ dispensandi, quando iusta interuenit causa; nam verba Concilij id non significant. Intelligẽda ergo sunt prohiberi Episcopo, ne id permittat pro suo arbitratu, & sine iusta causa; sicut anteà poterãt permittere, vt Sacerdotes in priuatis domibus Sacrũ facerent, quamuis nullus esset ibi locus diuino cultui deputatus. Potest itaque Episcopus in domo priuata locum certum assignare, qui maneat cultui diuino deputatus; & concedere, vt ibi quotidie Sacrũ dicatur super Altare portatile, quamuis locus non sit benedictus, vt apertè colligitur ex Concilio. An Episcopus possit dispensare.

Deinde ex causa iusta potest concedere, vt etiã in loco cõmuni domus priuatæ, modò sit decens, Sacrum dicatur; etiamsi locus ille ante & post functionibus secularibus occupetur. Quibus de causis liceat extra loca sacra celebrare.

Ob necessitatem autẽ licet, non solùm in domo priuata, & loco profano; sed etiam sub dio: vt in Castris, in Supplicationibus ad exiguas Capellas.

Item in itinere, vt inquit D. Thom. quod intelligo, si multis diebus non occurrat locus decens.

Episcopus autem pro suo arbitratu potest dicere Sacrum in domo, vel extra domum, quando est in itinere.

Poterant etiã olim Mendicantes celebrare quouis loco honesto cũ Altari portatili; vt patet Cap. *In his*, de Priuilegijs. Sed hoc reuocatum est per Concilium Trid. loco citato, nisi posteà auctoritate Pontificis sit illis concessum.

79 Violatur locus sacer, 1. Occisione hominis

Dico Secundò, Locus ille debet esse nõ violatus. Violatur autem: Primò, Occisione voluntariâ hominis ibidẽ factâ. Si casu, aut per amentiã fiat, non violatur: quia non est voluntaria. Similiter si fiat ratione necessariæ defensionis; nam etiam non censetur voluntaria. Si Iudex plectat reum in Ecclesia, violatur; quia fit iniuria loco sacro per talem occisionem.

80 2. Effusione Sanguinis.

Secundò, Per iniuriosam sanguinis effusionem. Debet autem esse copiosa, vt indicat nomen *Effusionis*; & ex graui percussione. Vnde emissio sanguinis ex pugna puerorum non violat locum; vt notat Victoria q. 99. Graue vulnus inflictum in Ecclesia, violat; etiamsi sanguis ibi non effluat. Similiter, si percussor est extra Ecclesiã, & percussus in Ecclesia, violatur. Secùs, si percussor sit in Ecclesia, & percussus extra: quia externum peccatũ non perficitur in Ecclesia.

81 3. Effusione voluntaria seminis.

Tertiò; Per voluntariam effusionem seminis humani. Intellige in aliqua notabili copia. Per actum coniugalem Dominicus Soto d. 13. q. 2. a. 3. putat non violari; similiter Glossa in can. *Ecclesijs*, de Cõsecratione d. 1. Nauarrus verò & alij affirmant violari. Sed distinguendum est cum Couarruuia in 4. decretal. par. 2. cap. 7. §. 2. n. 3. & alijs, quos ipse citat: non violari, quando licitè fit: vt quando vterque coniux, vel alter, cogitur in Ecclesia ad aliquot dies remanere, nec possunt commodè differre, aut alibi facere. Quando autem fit illicitè, tunc violatur: verbi gratia, quando commodè possunt alibi.

Quartò,

82 4. Sepultura excommunicati.

Quartò, Si excommunicatus ibi sepeliatur. Hoc intellige de excommunicato nominatim, vel notorio percussore Clerici; vt notauit Victoria loco citato. Ratio est; Quia hi duntaxat vitandi sunt post Concilium Constantiense. Vnde probabile est post mortem non necessariò esse vitandos in sepultura.

83 5. Sepultura Infidelis.

An violetur si ab Episcopo excõmunicato benedicatur.

Quintò, Si infidelis ibi sepeliatur; vt Iudæus, Paganus, Turca; vel etiam infans nondum baptizatus, tamen editus in lucem. Alius casus ponitur à Nauarro, Siluestro, & alijs: Violari Ecclesiam, si ipsa ab Episcopo publicè excommunicato consecretur, aut benedicatur. Sed id optimè refutatur à recentioribus; quia nullo Iure probatur: idque meritò: nam pollutio Ecclesiæ supponit consecrationem, vel benedictionem eius: ergo per ipsam consecrationem, vel benedictionem non potest pollui.

84 6. Renouatione parietum; nõ tamen soli.

Sextò, Polluitur, si maior pars parietum renouetur. Sed Aduerte, tunc pollui solùm negatiuè, quatenus deletur consecratio. Vnde iterum consecranda est. Et Ratio est; Quia consecratio censetur esse in parietibus Ecclesiæ. *Secùs est de benedictione*, quæ in ipso solo consistit.

85 Violatio debet esse publica.

Notandum autem Primò, Locum non censeri violatum, nisi res sit publica; idque vel iuridicâ confessione, vel euidentiâ facti, quæ talis sit, vt passim constet eo modo, quo talis res moraliter constare solet.

Celebrans in loco violato, qualiter peccet.

Notandum Secundò, Non incurri irregularitatem ex celebratione in loco violato: quidquid aliqui dixerint: vt colligitur ex Cap. *Is qui*, de Sententia excommunicationis in 6. Sed incurri solum peccatum mortiferum, si fiat sine necessitate, vel priuilegio. Necessitas excusat, si alioqui populus deberet carere Sacro die Festo: Si viaticum infirmo dandum, &c. Episcopus etiam potest dispensare, vt in loco polluto celebretur.

86 Altare sit lapideum consecratũ.

Dico Tertiò, Debet etiam offerri hoc sacrificium super Altare lapideum consecratum. Vide D. Thomam art. 3. ad 5. Non est necesse lapidem esse ingentem; satis est, vt capiat hostiam, & calicem, saltem pro maiori parte.

Quomodo pereat consecratio.

Perit autem hæc consecratio: Primò, Si lapis ita frangatur, vt in neutra parte possit commodè calix, & hostia collocari. Quòd si altera pars sit ad hoc sufficiens, illa manet consecrata; quia figura non est de essentia. Secundò, Si superior lapis separetur à sua structura, cui erat affixus. Quod solùm habet locum in altari immobili: Altare enim portatile non amittit consecrationem, quamuis separetur à ligno, cui erat inclusum. Nam lignum istud solùm est ad ornatum, vel custodiam: neque in eo, aut in coniunctione lapidis cum illo, est consecratio, sed in solo lapide.

Reliquiæ.

Reliquiæ non sunt necessariæ ad rationem consecrationis, quidquid alij dixerint. Nam nullus Canon id probat; vt rectè ostendit Suares.

DE VESTIBVS ET VASIS SACRIS.

87 Non licet celebrare sine his vestibus.

Dico Primò, Sacerdos non potest offerre sacrificium sine vestibus sacris ab Ecclesia præscriptis.

Et quidem nullo casu (loquendo de eo, qui humano more solet occurrere) licitum est offerre sine omnibus vestibus sacris; vt rectè Caietanus. Quia non est Sacramentum tantæ necessitatis, vt hoc vniuersale præceptum tantoperè ad reuerentiam huius sacrificij pertinens, debeat infringi.

Excipe casum.

Fingi tamen posset casus, in quo liceret: vt, si constaret, vel valdè probabile esset, hominem moribundum rationis vsu destitutum, esse duntaxat attritum, nec aliud Sacramentum ei posset adhiberi.

Stola vel manipulus.

Sine stola, vel manipulo, ob grauem causam, v. g. ad dandum viaticum, dicere Sacrum, non censetur peccatum, saltem graue.

Perit benedictio.

Dico Secundò, Hæ vestes omnes debent esse benedictæ. Quę benedictio perit, quando ita mutantur, vt non sint idoneæ ad suum vsum: verbi gratia, si cingulum rumpatur, si manica separetur ab Alba.

Paramenta Altaris.

Dico Tertiò, Præter hæc, Altare debet sterni saltem duabus mappis; vel vna duplicata, licet non benedicta, & Corporali lineo benedicto.

88 Calix & Patena ex qua materia.

Dico Quartò, Calix constare debet auro, argento, vel stanno, saltem interna superficie; & esse consecratus vnctione Chrismatis. Similiter Patena. Manet autem hæc consecratio, quamdiu hæc manent integra, & idonea ad suum vsum. Quòd si scyphus calicis separetur à pede, perit consecratio: quia sine pede non est idoneus ad vsum. Excipitur calix tornatilis, quia tali animo censetur benedictus. Si calix interiùs inauretur, rursus adhibenda est consecratio; quia inauratura est instar noui vasculi interiùs inserti.

DE PRECIBVS ET CÆREMONIIS.

89

Hæ preces, verba, & cæremoniæ necessariò in Missa adhibenda sunt, quæ in Missali Romano præscribuntur. Patet ex diplomate Pij V. quod Missali præfigitur, vbi sic dicitur: *Mandantes, & districtè omnibus, & singulis Patriarchis &c. & reliquis personis Ecclesiasticis in virtute sanctæ obedientiæ præcipientes, vt ceteris omnibus orationibus, & ritibus ex alijs Missalibus, quantumuis vetustis hactenus obseruari consuetis in posterum penitus omissis, & planè reiectis, Missam iuxta ritum, modum, ac normam, quæ per Missale hoc à nobis nunc traditur, decantent & legant. Neque in Missæ celebratione alias cæremonias, vel preces, quam quæ in hoc Missali continentur, addere, vel recitare præsumant.*

90

Aduerte tamen Primò, Missalia, quæ ducentis annis continuò in aliqua Ecclesia sunt vsurpata, permitti Clericis illius Ecclesiæ: sicut dictum est de Breuiarijs, l. 2. de Iustit. & Iure c. 37. dub. 12.

Aduerte Secundò, Non esse statim peccatum mortiferum, si quis aliquid in cæremonijs mutet, vel aliquam priuatam orationem interserat, si materia sit exigua: non tamen à veniali posse excusari.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

QVÆSTIO LXXXIV.

In Decem Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Pœnitentia sit Sacramentum?

1 Duo errores hæreticorum.

NOtandum est: Esse hîc duos præcipuos errores. Prior est Nouatianorum, qui negant esse in Ecclesia aliquod Sacramentum, aut remedium, quo illi, qui post baptismum lapsi sunt, possint reconciliari; sed tantummodò à Deo veniam, illis esse expectandam. Colligitur ex Ambrosio lib. 1. de Pœnitentia cap. 2. quamuis ibidem addat, posteriores Nouatianos hanc sententiam mitigasse, & dumtaxat negasse potestatẽ absoluendi à grauissimis criminibus. Colligitur etiam ex Socrate lib. 4. histor. c. 24. & ex multis opusculis Cypriani. Idem anteà tenuerunt Montanistæ, vt testatur Hieronymus epistola de erroribus Montani ad Marcellam.

Alter error est hæreticorum huius temporis, præsertim Caluinistarum; qui, etsi cum Nouatianis doceant non esse in Ministris Ecclesiæ vllam veram, & iudiciariam potestatem remittendi peccata; tamen admittunt aliquod remedium pro lapsis: verùm hoc remedium esse baptismum memoriâ repetitum; per solam enim baptismi memoriam remitti omnia peccata quoad culpam & quoad pœnam, ideoque hoc rectè vocari Sacramentum Pœnitentiæ; non autem ritum illum, qui constat actibus Pœnitentis, & verbo Absolutionis. Ita Caluinus in Antidoto apud Ruardum, art. 3. & Bellarminũ de Sacramento Pœnitentiæ.

2 Pœnitentia est verum sacramentum.

Dico Primò, Fide tenendum est, Pœnitentiam esse verum, & propriè dictum nouæ legis Sacramentum à Christo Domino institutum. Patet ex Concilio Tridentino sess. 14. can. 1. *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica Pœnitentiam non esse verè ac propriè Sacramentum à Christo Domino institutum; anathema sit.*

1. Prob. ex Scriptura.

Probatur Primò, Ex Scriptura Ioan. 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Hîc duo insinuantur, quæ requiruntur ad naturã Sacramenti, & sufficiunt; vt etiam fatentur hæretici: nempe ritus externus, & promissio gratiæ, seu remissionis peccatorum. Esse autẽ hæc duo hoc loco, Probatur: Quia Dominus concedit hîc Ecclesiæ ministris potestatem remittendi peccata, quæ inter homines exerceri non potest, nisi interuentu alicuius signi externi; tùm ex parte ministri, quo significet se absoluere, & nomine Dei remittere; tùm ex parte peccatoris, quo significet se peccata detestari, & ab illis velle recedere; nam solũ huiusmodi peccata sunt remittenda: ergo implicitè hîc significatur duplex ritus, seu cæremonia externa: verbum scilicet Absolutionis, & signa pœnitentis. Promissio verò gratiæ hîc expressissimè ponitur; nam promittitur *remissio peccatorum* omnibus, quibus ministri se eam impendere significauerint.

3 An locus Ioan. 20. intelligatur tantùm de remissione peccatorum post Baptismum.

Petes, An hic locus solùm intelligendus sit de remissione peccatorum post baptismum, cùm Dominus videatur generatim loqui?

Respondeo, Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioannem cap. 16. existimat generatim esse intelligendum: ait enim, Ministros Ecclesiæ, & Spiritum sanctum in ministris, dupliciter remittere peccata. Primò, Per Baptismum. Secundò, Per Pœnitentiam, ijs scilicet, qui iam Ecclesiæ sunt incorporati. Sed alij ferè omnes intelligunt de remissione per Pœnitentiam post Baptismum. Ita Chrysostomus, Theophilactus, & alij in hunc locum. Ambrosius lib. 1. de Pœnitentia cap. 2. & Patianus epistola 3. ad Symphronianum, vbi refutat Nouatianos, qui dicebant, hoc loco tantummodò dari potestatem remittendi peccata per Baptismum. Et ratio est; Quia hîc datur Ecclesiæ potestas clauium, quæ est potestas iudiciaria: atqui Ecclesia non exercet potestatem iudiciariam in non-baptizatos, vt constat 1. ad Corinth. 5. Secundò, Ad baptismum non est necessaria potestas clauium; nam etiam à femina dari potest. Tertiò, Qui baptizat, non propriè dicitur remittere peccata, aut habere ad hoc vllam auctoritatem; sed solus Deus est, qui ad baptismum peccata remittit. Denique Concilium Trident. sess. 14. cap. 1. apertè docet hoc loco institutum esse Sacramentum Pœnitentiæ.

4 2. Prob. ex Concilijs.

Probatur Secundò, Ex Cõcilijs: Florentino in instructione Armenorum, & Tridentino locis citatis: & ex Capitulo *Ad abolendum*, Lucij III. *de Hæreticis*, vbi numeratur Confessio peccatorum inter ecclesiastica Sacramenta; & damnantur omnes, qui aliter sentiunt de Sacramentis, quàm Ecclesia Romana sentit.

3. Prob. ex Patribus. Tertullian. Ambros.

Probatur Tertiò, Ex Patribus: Tertullianus lib. de Pœnitentia docet esse duas ianuas ad remissionem peccatorum in Ecclesia, Baptismum & Pœnitentiam. Ambrosius lib. 1. de Pœnitentia cap. 7. probat contra Nouatianos, Sacerdotes posse remittere peccata per pœnitentiam iam baptizatis; quia per baptismum possunt remittere, seu tollere etiam à non-baptizatis; esse enim parem vbique rationem: nam etiam in pœnitentia, nomen, id est, virtutem Dei, operari: & lib. 2. cap. 2. *Similiter impoßibile videbatur per pœnitentiam peccata remitti.* (sicuti videlicet, videbatur impossibile

sibile per aquã peccata ablui.) *Concesit hoc Christus Apostolis suis, quod nunc ab Apostolis ad Sacerdotum officia transmissum est.* Hieronymus Dialogo 2. cõtra Pelagianos. *Quod*, inquit, *scriptum est (sanguis Christi emundat nos ab omni peccato) tã in Confessione baptismatis, quam in clementia pœnitudinis est accipiendum.* Et Epistola 1. quę est ad Heliodorum: *Absit*, inquit, *vt de his aliquid sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi Corpus sacro ore conficiunt, per quos nos etiam Christiani sumus; qui claues regni cælorum habentes, quodammodò ante diem iudicij iudicant.* Nec obstat quòd idem D. Hieronymus in cap. 16. Matthæi in illa verba, *Tibi dabo claues*, dicat, *Episcopos & Presbyteros ita soluere, & alligare peccatorem, sicut Sacerdos in veteri Testamento leprosum faciebat mundum, vel immundum*; Tantum enim vult dicere, hominem non esse causam principalem, nec sua auctoritate absoluere; sed Deum ad hominis absolutionem liberare à peccato, & spiritualiter gratiam infundere: Vult enim deprimere quorumdam supercilium, qui putabant se etiam fontes qui vitam non emendabant, posse soluere, & insontes ligare; vt patet ex eius verbis. D. Augustinus multis in locis comparat reconciliationem cum baptismo; vt lib. 1. de Adulterinis coniugijs cap. vlt: & lib. 2. cap. 6. & alibi: & Epistola 180. confert reconciliationem cum baptismo & Eucharistia. Lib. 50. homiliarũ in Quinquagesima cap. 10. & 11. *Implicatus tam mortiferis vinculis peccatorum detrectat aut differt confugere ad ipsas Ecclesiæ claues, quibus soluatur in terra, vt sit solutus in cælo:* & infrà, *Cùm in se protulerit seuerissimæ medicinæ sententiam, veniat ad Antistites, per quos in Ecclesia claues ministrantur.* Et Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, Potestatem remittendi peccata confert cum baptismo, & cum potestate conficiendæ Eucharistiæ; & dicit nostris Sacerdotibus concessum esse purgare animæ sordes, & non tantùm purgatas probare, seu ostendere; sicut olim sacerdotes legales solùm declarabant purgatos à lepra. Cyrillus lib. 12. in Ioannem cap. 56. apertè docet, ministros Ecclesiæ remittere peccata per pœnitentiam non minùs, quàm per baptismum. Leo Epistolâ 91. ferè totâ hoc ipsum docet perelegãter. Denique Magister, & omnes Doctores dist. 14. quamuis quidam non satis benè explicent.

Hieronymus. Augustin. Chrysost. Cyrillus. Leo. Magister

5 4. Prob ex Ratione.

Probatur Quartò, Ratione: Primò, quia Christus non satis consuluisset Ecclesiæ suæ, si nullum reconciliationis remedium lapsis reliquisset; cùm ferè omnes contingat post baptismum labi: quò fieret, vt paucissimi omnino saluarentur; sicut olim in lege veteri. Nam difficile est, tam perfectam assequi contritionem, vt absque Sacramento ad iustificationem sufficiat. Secundò, Christus remedium instituit pro ijs qui nondum ipsius familiæ erãt insiti (scilicet baptismum:) ergo non est dubitandum, quin instituerit simile remedium pro suis domesticis, quorum ipse fragilitatem probè nouerat. Et Confirmatur: quia, si instituit remedium pro peccato originali, cur non etiam pro actualibus, quæ non minùs, sed multò magis homini nocent? Tertiò, Ecclesia nostra est media inter Ecclesiam veterem seu synagogam, & cælestem; vt testatur Dionysius cap. 1. de Ecclesiastica Hierarchia: ergo debet sanctificari per aliquid, quod partim sit spirituale, partim corporale: atqui hoc est Sacramentum: ergo est aliquod Sacramentum, quo Ecclesia purgetur.

6 Obiectio soluitur.

Dices: Si Pœnitentia est Sacramentum; ergo constat materia & forma; quæ tamen hîc non conspiciuntur: Satisfactio enim interdum peragitur diu post absolutionem: interdum non est necessaria, vt in morituris. Confessio autem fit ante absolutionem. Contritio denique est actus interior.

Pœnitentia non cõsistit in sola absolutione, sed includit actus pœnitentis quasi materiam.

Respõdeo: Scotus dist. 14. q. 4. & Nominales, volunt absolutionem solam esse Sacramentũ Pœnitentiæ, ob rationem dictam: actus autem pœnitentis esse quidem necessarios, sed non esse Sacramenti materiam aut partem. Verùm hæc sententia, etsi non sit erronea, cùm necessariò requirat actus pœnitentis, tamen in modo loquendi nõ est probabilis. Primò, quia Concilium Florentinũ dicit *Actus pœnitentis esse quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ: Verba sacerdotis, Ego te absoluo, esse formam.* Idem expressè docet Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 3. & Catechismus Concilij. Insinuant ergo apertè, hæc intrinsecè pertinere ad constitutionem huius Sacramenti, veluti materiam & formam. Secundò, Actio pœnitentis est signum sensibile gratiæ iustificantis diuinitùs institutũ, quod est Sacramentum, vel pars Sacramenti. Tertiò, *Omne Sacramentum tribus perficitur; materiâ, formâ, & ministro*; vt inquit Concilium Florentinum: habet ergo hoc Sacramentum suam quoque Materiam. Certum ergo sit, Pœnitentiam non consistere in sola absolutione, sed intrinsecè includere actus pœnitentis: hi enim propriè dicuntur *Pœnitentia*, & nomen Sacramento tribuunt.

Quasi materia.

Dices: Cur Concilia non vocant eos absolutè *materiam*, sed *quasi materiam*? Respondeo: Quia propriè *materia* dicitur substantia aliqua sensibilis; vt aqua, chrisma, panis, oleum; qualis inuenitur in alijs Sacramentis: Actus autẽ pœnitentis hanc materiam imitantur; vnde dicuntur *quasi materia.* Verbum Absolutionis, est *forma*, quia perficit actus pœnitẽtis in ratione Sacramẽti, & expressiùs significat, & principaliùs efficit huius Sacramenti effectum.

7 Pœnitentia est sacramentum per se distinctum à Baptismo.

Dico Secundò, Sacramentum Pœnitentiæ non est ipsum Sacramentum baptismi memoriâ repetitum; sed est Sacramentum omnino distinctum. Est fidei: vt patet ex Concilio Tridentino sess. 14. c. 2. & can. 2. *Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum, Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit: quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideò Pœnitentiam non rectè secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit.*

Hebræ 6.

Probatur Primò, Ad Hebræos 6. v. 4. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati* (id est baptizati) *rursus renouari ad pœnitentiam.* Hic Apostolus negat per baptismum iterum posse hominem renouari, vt explicant hunc locum Ambrosius, Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, & alij. Et Auctor *De vera & falsa pœnitentia* cap. 3. ostendit contra Nouatianos, hunc locum necessariò intelligendum de renouatione per baptismum, quo rursus renouari non possumus: non autẽ de ea, quæ fit per pœnitentiam, per hanc enim nos posse renouari.

Probatur Secundò, Scriptura nusquam meminit huius remedij: quod sanè mirum esset, si per illud iustificaremur; quin potiùs lapsos remittit ad pœnitentiam: vt patet 1. Ioannis 1. v. 9. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus & iustus, vt remittat nobis peccata*; & Actorum 8. Petrus Simo-

nem Magum baptizatum hortatur ad pœnitentiam, non ad memoriam baptismi. Confirmatur; quia in veteri lege memoria Circumcisionis, quæ erat typus Baptismi, non erat remedium peccatorum; sed varia sacrificia, & expiationes: ergo neque nunc memoria Baptismi, sed alia quædam expiatio.

Probatur Tertiò, Quia Patres passim docent, hominem post baptismum lapsum multò difficilius reconciliari, quàm ante baptismum: Quia scilicet Pœnitentia, quâ reconciliatur post baptismum, requirit magnum dolorem, luctum, lacrymas, ieiunia, orationes, & similes acerbitates peccato respondentes, quibus ipsum veluti ex æquo vindicetur, vt inquit Theodoretus libro 5. Decretorum Diuinorum cap. de Pœnitentia sub finem. Vnde quidam Patres Pœnitentiam vocant *Baptismum lacrymarum*, quidam *Secundam post naufragium tabulam*: baptismus enim est veluti nauis, quâ facilè peruenimus ad salutis portum; sed facto hoc nauigio per peccata relinquitur nobis *Pœnitentia* veluti *tabula* quædam, quam apprehendamus, quâ non nisi magno cum labore euadamus interitum animæ. Hanc comparationem habet Tertullianus lib. de Pœnitentia, & Ambrosius lib. ad Virginem lapsam cap. 8. & Hieronymus epistola ad Demetriadem.

Baptismus lacrymarū.

Secunda post naufragium tabula.

Denique ratio est; Quia non erat consentaneū optimæ gubernationi diuinæ prouidentiæ, vt illi, qui lumen fidei, & alia multa dona à Deo acceperant, & Dei voluntatem cognoscebant, tam facilè reconciliarentur, quàm illi, qui nondum talibus beneficijs affecti fuerant; neque diuinā voluntatem cognouerant: iuxta illud Lucæ 12. v. 47. *Seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit, plagis vapulabit multis.*

8 Obiectio Caluini ex S. Fulgentio.

Sed obijcit Caluinus: Baptismus à Fulgentio lib. de fide ad Petrum cap. 3. vocatur *Sacramentum fidei, & pœnitentiæ.* Et Marci 1. v. 4. dicitur Ioannes *Prædicasse baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.*

Respondeo: *Baptismus* vocatur ibi *Sacramentum Pœnitentiæ* à Fulgentio, non cuiusuis, sed eius quę præcedit baptismum, quam Apostoli iubentur prædicare Lucæ vltimo; & de qua Actorum 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum*: Baptismus enim est signum, illum pœnitere anteactæ vitę. Nō est autem *Sacramentum eius Pœnitentiæ*, quæ post baptismum agitur, de quo nobis est sermo. Ioannes autem prædicabat, baptismum non Christi, sed suum; qui dicebatur *Baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum*, quia ad pœnitentiam præparabat, & consequenter ad remissionem peccatorum per pœnitentiam obtinendam.

DVBIVM I.

CIRCA RESPONSIONEM AD TERTIVM.

***Vtrùm in hoc Sacramento sint distinguenda illa tria, quæ in alijs pleriſque reperiuntur: scilicet,* Sacramentum tantùm, res tantùm, & res & Sacramentum simul.**

9 Quæstio hæc non adeò necessaria.

REspondeo, Non magnoperè id fuisse necessariū, nisi Hugo de S. Victore & Magister id excogitassent, quos secuti sunt Doctores Scholastici: quia nulla auctoritas Scripturæ, Concilio-rum, aut Patrum ad hoc cogit. Dici tamen potest; Id, quod est *Sacramentum tantùm*, esse actus externos pœnitentis cum verbo absolutionis. Id, quod est *Sacramentum & res simul*, esse pœnitentiā interiorem: hæc enim significatur actibus externis, & etiam ipsa est signum remissionis peccatorum. Ipsa autem remissio est *res tantum*. Ita D. Thomas hoc loco, & alij plerique Doctores.

DVBIVM II.

***Vtrùm verum sit, quod habet D. Thomas,* Primum esse causam secundi, & secundum tertij?**

RAtio dubitandi est: quia Pœnitentia interior non efficitur ab actibus externis, sed potiùs est causa eorum, scilicet confessionis, & externi doloris, & satisfactionis: neque sequitur absolutionem, sed ei supponitur tanquam materia vel dispositio. 10

Caietanus, vt hæc explicet, quædam dicit, quæ non sunt vera. Primum est, Attritionem interdū esse ita perfectam vt cum solo voto Sacramenti fiat contritio, & iustificet. Verùm hoc videtur falsum; tum quia attritio nunquam potest fieri contritio, cùm obiecto & specie distinguantur; tum quia attritio nunquam potest iustificare; hoc enim soli contritioni conuenit; vt apertè colligitur ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4. Caietani expositio refellitur.

Alterum est, Attritionem esse interdum imperfectam, sic vt cum voto Sacramenti non iustificet; tamen Sacramentum externum accedens efficere vt fiat contritio; & ita contritionem vlteriùs esse causam iustificationis: & in hoc casu verum esse quod ait Diuus Thomas. Vbi Caietanus videtur sentire Sacramentū Pœnitentię tunc non iustificare, nisi ex attrito faciendo contritum, ac proinde non nisi mediante motu contritionis: quod sine dubio non est verum. Nam non requiritur motus cōtritionis dum absoluimur, aut immediatè post, vt quisque in se experitur, & patet in eo qui absoluitur in amentia. Neque mediante motu contritionis iustificat hoc Sacramentum, quasi primò, & immediatè excitet contritionem, & per contritionē iustificet: nam per se & immediatè iustitiam confert homini dispositō.

Dominicus Soto aliter hîc respondet, Interiorem Pœnitentiam dupliciter considerari: primò, quatenus est prior naturâ infusione gratiæ; & sic non esse contritionem, sed naturalem dispositionem, quę non habet rationem meriti: secundò, vt est posterior naturâ, quàm gratia quâ informatur; & tunc habere rationem contritionis, & esse effectum absolutionis, & causam remissionis peccati: *Vnde infero* (inquit) *eadem contritio, vt est effectus Sacramenti, est res; vt autem est causa remissionis peccati, est Sacramentum.* 11 Reijcitur similiter expositio Dom. Soti.

Sed hæc non videntur vera. Primò; quia de ratione contritionis non est, vt sit meritoria remissionis peccati; sed solùm, vt sit dolor de peccato super omnia, quatenus est offensio Dei. Secundò, etiam priùs naturâ, quàm infunditur gratia, est vera contritio; alioqui dolor iste solùm denominatione extrinseca esset contritio. Tertiò; quia contritio, etiam vt est posterior gratiâ, id est, vt consideratur iā in subiecto grato, non est causa remissionis peccatorum, vt vult Sotus, sed supponit eam; multoque minùs eam meretur.

Respondeo

12 Vera dubij solutio.

Respondeo ergo ad dubium proprositum dupliciter. Primò, non esse necessariũ, vt id quod est *Sacramentum tantum*, sit causa eius, quod dicitur *res & Sacramentum*; sicut etiam id, quod est *res & Sacramentum simul*, non necessariò est causa eius, quod est *res tantum*: nam contractus coniugij, est Sacramentum tantùm; coniunctio autem Christi & Ecclesiæ, est res & Sacramentum simul; vt docet Magister dist. 26. & Bonauentura ibidem; & tamen cõtractus noster non est causa coniunctionis Christi & Ecclesiæ. Pari ratione Character in tribus Sacramentis, est res & Sacramentum; tamen propriè non est causa eius, quod est res tantùm, scilicet gratiæ.

Secundò responderi potest, Pœnitentiam, præsertim attritionem, dupliciter considerari posse: Primò, quatenus antecedit absolutionem Sacerdotis; & sic pertinere ad id, quod est Sacramentum tantùm. Secundò, quatenus est absolutione posterior; & sic est res & Sacramentum simul: nã est effectus Sacramenti, scilicet actionis externæ, & est causa remissionis peccatorum, quæ est res tantùm. Est (inquam) effectus Sacramenti, non secundùm substantiam suam (nam sic antecedit) sed secundùm virtutem Sacramentalẽ; hanc enim virtutem accipit maximè à formula absolutionis, in qua potissimùm est vis Sacramentalis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm peccata sint propria materia huius Sacramenti?

13 Materia alia *ex qua*, alia *circa quã*, alia *in qua*,

Respondetur Affirmatiuè, esse materiam, sed remotam. Vbi nota, Triplicem esse pœnitentiæ materiam. Prima & essentialis, est materia ex qua ipsa constat, qui sunt actus pœnitentis: Secunda, est materia circa quam, vt peccata post baptismum commissa: circa hæc enim versatur, sicut medicina circa morbos vt expellantur. Tertia, est materia in quâ, quę est ipse pœnitens. Quod patet à simili. Pœnitentia est enim veluti quoddam animæ medicamentum: triplex autem est medicamenti materia. *Materia ex qua*, sunt actus ægroti, & ipsum pharmacum; medicamentum enim duabus veluti partibus constat, nempe exercitatione corporis actioneque ipsius naturæ, & pharmaco: in pharmaco tamen videtur esse præcipua vis curationis. *Materia circa quam*, sunt morbi, vt expellendi: *in qua*, est ipse æger.

DVBIVM.

Cur in hoc Sacramento non sit aliqua materia externa corporalis; vt aqua, oleum, panis, sicut in alijs Sacramentis?

14 Ratio D. Thomæ.

Respondet D. Thomas art. 1. ad 1. in illis esse externam materiam, in quibus est excellens effectus; vt in Baptismo, in quo tollitur omnis culpa & pœna: in Confirmatione, vbi datur plenitudo spiritus: in Ordine vbi datur potestas super Christi corpus verum: in extrema Vnctione, vbi præter gratiam quæ datur, etiam reliquiæ peccatorum abstergũtur. In effectu autẽ Matrimonij, & Pœnitentiæ non cernitur huiusmodi aliqua excellentia.

His adde aliam causam, quæ videtur esse præcipua & primaria: quòd Pœnitentia, & Matrimonium sunt actus suscipientiũ, quos Dominus suâ gratiâ dignatus est in Sacramenta formare, & perficere superadditâ virtute efficaci gratiæ: nam ex se Pœnitentia & Matrimonium erant valdè imperfecta, & parùm ad salutem vtilia. Reliqua verò non sunt actus suscipientium, sed extrinsecùs à ministro applicantur: vnde conuenientissimum erat, vt haberent loco materiæ substantiam aliquam sensibilem. Requiruntur quidem actus suscipientium in his Sacramẽtis, nõ tamen vt partes Sacramentorum, sed vt dispositiones & præparationes suscipientium, vt Sacramentum in illis vim habeat. 15 Alia Ratio.

ARTICVLVS III.

Vtrùm hæc sit forma huius Sacramenti, Ego te absoluo?

16

Respondetur, Sufficientem formam huius Sacramenti esse, *Ego te absoluo à peccatis tuis.* Est communis sententia Doctorum. Et patet ex Concilio Florentino, & ex Tridentino sess. 14. cap. 3. vbi dicitur, *Formam huius Sacramenti, in qua præcipue vis sita est, esse, Ego te absoluo*; & additur, *& cætera*: per illud, *& cætera*, intelligens *à peccatis tuis.* Vbi

Aduerte, Hæc omnia verba aliquo modo ad essentiam formæ pertinere, scilicet, vel expressè, vel implicitè. Ratio est: quia necesse est, omnia illa concipi ad significandum effectũ huius Sacramenti, qui est liberatio à peccatis facta more iudiciali. Expressio tamen pronominis *Ego* non est absolutè necessaria; quia implicitè, quantum satis est, continetur in verbo *Absoluo*. Pari ratione expressio illa, *à peccatis tuis*, non est necessaria; quia implicitè continetur in verbo *Absoluo*: Non enim potest intelligi, fieri absolutionem ab alijs, quàm à peccatis, quæ pœnitens iam enumerauit, & censuris hisce adiunctis. Vnde expressè ad substantiã huius formæ sufficiunt hæc duo, *Absoluo te*; vt colligitur ex D. Thoma, & vt Caietanus in Summa V. *Absolutio*, & alij passim. Quæ verba precisè necessaria, & sufficiant ad formam Pœnitentiæ.

17

Notandum tamen est; omnem aliam orationem huic æquiualentem sufficere ad essentiam huius Sacramenti; vt, *Remitto, vel condono tibe peccata tua. Remittuntur tibi peccata tua. Sis absolutus. Absoluaris.* Id enim commune est omnibus Sacramentis, vt orationes idem valentes, idẽ efficiant. Imò probabile est sufficere: *Absoluat te Christus*; vt patet ex forma Baptismi Græcorum: nam Christus est principalis minister: & tunc sub intelligeretur persona ministri, scilicet *per me*; sicut modò sub intelligitur persona Christi, cùm dicitur, *ego te absoluo*: Absoluimus enim Christi auctoritate. In hoc tamen casu necessarium est, vt tali forma non vtatur merè deprecatoriè, quasi rogans Christum, vt eum absoluat; sic enim non efficeretur Sacramentum: nam reuerà ipse non absolueret. Vnde D. Thomas scripsit quoddam Opusculum contra quemdam, qui dicebat formam debere esse deprecatoriam. Sed debet illa vti, tamquã ex auctoritate, intendens absoluere veluti minister sub Christo. Esset enim graue peccatum tali forma vti, quâ Sacramentum redderetur ambiguum: 18 An, & quo modo, sit bona forma, *Absoluat te Christus.*

guum : tùm quia sententia in iudicio non solet ita ab aliquo iudice pronuntiari : tùm quia Dominus Ioannis 20. v. 27. ait, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; quasi dicat, ipsos habere potestatem remittendi; & non solùm deprecatoriè, sed etiam ex authoritate remittere peccata: vnde debent dicere, *Remitto tibi peccata.*

19 Inuocatio S. Trinitatis, non est de essentia huius formæ.

Ex his infertur Primò, Illa verba *in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*, non pertinere ad essentiam formæ: quod est contra Durandum dist. 22. q. 2. Nam nec Matthæi 16. nec 18. neq; Ioan. 20. quibus locis Dominus de hac potestate loquitur, fit mentio inuocationis Trinitatis, sicuti fit, quando agitur de baptismo, Matthæi vltimo. Et ratio est: quia in hoc Sacramento non fit illa professio fidei Christianæ, quæ in Baptismo, & Confirmatione: vnde neque illa additio fuit necessaria. Non sunt tamen illa verba omittenda: nam expressiùs significatur causa principalis, cuius authoritate datur absolutio. Fortasse tamen omissio hæc non est mortiferum peccatum, sicut nec omissio pronominis *Ego*, vel *à peccatis tuis*, vt Dominicus Soto ait.

Neque Preces.

Infertur Secundò; Preces quæ antecedunt formam, *Misereatur*, & *Dominus noster*; & quæ sequuntur, *passio Domini, & cætera*, nullo modo pertinere ad essentiam formæ, sed solùm ad maiorem quandam reuerentiam, & deuotionem impetrandam; vt docet Concilium Trident. sess. 14. cap. 3. vnde ob iustam causam possunt omitti.

Neque expressio auctoritatis.

Infertur Tertiò; Non esse dicendum *Absoluo te authoritate Papæ*: quia absoluit Sacerdos auctoritate diuina. Papa tantummodò materiam subijcit, efficiendo vt hic sit meus subditus. Dum tamen quis absoluit ab excommunicatione, suspensione, interdicto, aut dispensat in voto, potest mentio fieri concessę auctoritatis à Papa: quia hęc absolutio est dūtaxat ex potestate iurisdictionis, quæ descendit à Papa.

Malè additur, A confessis & cõtritis.

Infertur Quartò, Ineptè addi *à confessis & contritis.* Nam etiam de oblitis datur absolutio, etsi indirectè. Contritio verò non est absolutè necessaria, quia claues etiam de attritis absoluunt. Nihil tamen horum vitiat formam, quando legitima adest intentio. Sed est

DVBIVM I.

Quem sensum habeat hæc forma?

RAtio dubitandi est: quia sæpè non videtur esse vera: vt, quotiescumque quis per contritionem est iustificatus ante confessionem: tunc enim nullum est peccatum, à quo fiat absolutio: suppono enim etiam venialia esse condonata.

20 Expositio Magistri, sed erronea.

Sunt variæ sententiæ. Prima est Magistri dist. 18. qui dicit sensum esse, *Ego te ostendo, vel declaro esse absolutum*: existimat enim Sacerdotem non tollere maculam, & reatum pœnæ æternæ, sed hæc à solo Deo tolli: Sacerdotem autem sua absolutione, tanquam sententiâ declaratoriâ, tantummodò declarare hæc à Deo esse sublata; & præterea habere potestatem imponendi pœnitentiam pro pœna temporali, & partem huius pœnæ condonandæ. Idem sentire videtur Bonauentura, Gabriel, & Maior eâdem dist.

Sed hæc sententia videtur erronea: nam euertit potestatem clauium Ecclesiæ; estque contra illud Matth. 18. v. 18. *Quidquid solueritis super terram, erit solutum & in cœlo, & cæt.* & Ioan. 20. v. 27. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Vnde damnatur hæc expositio à Concilio Tridentino sess. 14. cap. 6. & canone 9. vbi sic dicitur, *Si quis dixerit, absolutionem Sacramentalem non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi & declarandi remissa esse peccata confitenti; anathema sit.*

An, & quomodo, Solus Deus remittat peccata.

Dices ex Magistro: Solus Deus dicitur in Scripturis absoluere & delere peccata, & iniquitates: ergo id non facit sacerdos.

Respondeo: Solus Deus id facit propria auctoritate. Qui autem propria auctoritate facit, absolutè dicitur solus facere; quia etiam dum alius facit, ipse potissimùm dicitur facere, cuius auctoritate fit: Sacerdos tamen etiam verè, & propriè remittit, & delet peccata auctoritate diuina; quod patet in cæteris Sacramentis. Nam si homo auctoritate diuina verè baptizat, & abluit animã à peccatis, cur non etiam per Sacramentum Pœnitentiæ verè absoluat, & deleat peccata, cum Pœnitentia sit nouæ legis Sacramentum gratiæ efficax?

21 Alia expositio Hugonis.

Secunda sententia est: Sacerdotem à peccatis absoluere, sed tantummodò secundùm obligationem pœnæ æternæ, quæ commutetur in temporalem: culpam verò vi contritionis à solo Deo remitti. Ita Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis part. 14. c. 18. & Richardus de S. Victore opusculo de potestate ligandi & soluendi cap. 10.

Idem sentire videtur Abulensis 1. parte sui defensorij cap. 6. qui etiam addit *Impropriè & abusiuè dici, Absoluo te à peccatis: Quia* (inquit) *peccatum, seu culpa, priuatio est: priuatio autem non habet rationem vinculi. Sed solum obligatio ad pœnam, quæ reatus pœna dicitur, est instar vinculi, ac proinde ab hac tantummodò fit absolutio.*

Sed contra Primò: Hæc sententia Hugonis & Richardi videtur damnata à Pio V. & Gregorio XIII. quasi in terminis: sic enim habet illa damnata propositio: *Peccator pœnitens non viuificatur ministerio Sacerdotis absoluentis, sed à solo Deo, qui pœnitentiam suggerens & inspirans viuificat eum, & resuscitat: ministerio autem sacerdotis reatus solus tollitur.*

Secundò; Quia Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 14. expresè docet *Pœnam æternam simul cum culpa remitti per Sacramentum, vel Sacramenti votum.*

Tertiò: Quia, si homo per contritionem liberatur à culpa, etiam necessario liberatur à reatu pœnæ æternæ: ergo ineptè hæc diuiduntur, & tribuuntur diuersis causis. Antecedens probatur: nam, si per contritionem deletur culpa, ergo infunditur gratia, & iustificatio: ergo fit Filius Dei, & consequenter hæres vitæ æternæ, iuxta Apostolum: ergo non manet reus pœnæ æternæ. Fieri enim nequit, vt simul quis sit reus pœnę æternæ, & habeat ius ad vitam æternam.

Quomodo labes peccati, habeat rationem vinculi.

Ad Abulensem autem, Respondeo; Etsi priuatio, vel potiùs labes illa moralis, quæ manet post actum peccati, physicè considerata nõ sit vinculum; tamen æstimatione morali vinculum esse potest: nam primum detinet hominem inter ea, quæ odio Dei digna sunt, adeò vt neque homo, neque vlla creatura possit se suis viribus ab eo expedire. Secundò obligat illum ad sarciendam iniuriam Deo factam. Quare etiamsi nullam pœnã peccatis Deus statuisset, tamen ipsa peccata secundùm se essent vincula quædam, & funes insolubiles,

biles, iuxta illud Prouerb. 5. v. 22. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Itaq; ab his vinculis propriè debemus solui & absolui. Accedit, quòd tota Ecclesia hac forma vtatur, *Ego te absoluo, & cætera:* quæ forma maximè consentanea est verbis Domini Matth. 16. & 18. *Quæcumque solueritis super terram:* in quibus verbis nulla est Catachresis.

22 Opinio D. Thomæ. Tertia sententia est D. Thomæ hoc loco, qui dicit sensum esse, *Impendo tibi Sacramentum absolutionis:* quod Caietanus exponit, *Ego te sacramentaliter absoluo.*

Nauarri sententia, & optima. Quarta sententia est: sensum esse, *Quantum est ex vi Sacramenti, absoluo te à peccatis tuis.* Ita Nauarrus de Pœnitentia d. 6. cap. 1. Dominicus Soto in hunc art. Petrus Soto lectione 4. de Confessione, & alij. Quæ expositio sine dubio est optima: nam sic veritas huius formæ saluatur in proprio sensu, siue peccata sint ante condonata, siue non: Simili modo intelligi possunt formæ Baptismi & Confirmationis.

Vtiliter ab eodem peccato sæpiùs absoluimur. Addendum tamen est; quamdiu manet aliqua obligatio pœnæ, conferi aliquid peccati remanere; quia manet in suo proximo effectu; quò fit, vt homo de eodem peccato possit ampliùs, & ampliùs absolui. Nã primò absolui potest à culpa, & pœna æterna. Secundò, à magna parte pœnę temporalis restantis. Tertiò, à reliqua parte. Vnde Propheta Psalmo 50. v. 4. orat, *Ampliùs lauа me Domine* &c. cùm tamen culpa iam esset remissa. Quartò, etiamsi peccatum omnino sit remissum secundùm culpam & pœnam, potest tamen iterũ remitti, & rursum homo ab eo absolui ex parte Dei, & virtute Sacramenti. Nam potest se homo propter peccata præterita iam condonata rursus accusare, & tanquam ex se reum coram Deo sistere; sicque rursus donari gratiâ, quâ ab ijsdem peccatis mundetur & absoluatur. Et hoc modo videtur rogare Propheta, *Ampliùs lauа me Domine;* & *delicta iuuentutis meæ ne memineris:* non enim pœnam dumtaxat condonari cupit, sed etiam culpam & maculam abstergi.

Soluitur obiectio. Dices: Iste verè non est ligatus peccatis, nec immundus: ergo non potest verè absolui, nec mundari.

Respondeo Negando Consequentiam: Sufficit enim, aliquando fuisse ligatum, & immundũ, & vt se rursus propter illa peccata, tamquam ex se reum, & immundum, coram Deo constituat. Tunc enim potest rursum solui illis vinculis, quæ antè fuerunt, quantum est ex parte Dei & virtute Sacramenti: nam vi Sacramenti datur noua gratia illorum peccatorũ deletiua. Sicut enim donatio eiusdem rei sæpiùs fieri potest, si per illam donationẽ semper aliquid noui obtineatur, quo res donata perfectiùs possideatur; vt patet in donatione, quâ datur Spiritus sanctus: ita remissio eiusdem criminis sæpiùs efficaciter fieri potest, si per illam noua gratia obtineatur ad illius criminis perfectiorem abolitionem, præsertim quando homo rursum de illo se accusat, & se reũ constituit.

DVBIVM II.

Vtrùm verbis Absolutionis possit addi aliqua conditio?

23 REspondeo & Dico Primò; Nunquam licere addere conditionem de futuro, vel quæ tali conditioni æquipolleat: vt *Absoluo te si restitues. Si Deus videt te restituturum.* Ratio est: quia Sacramentorum effectus non possunt suspendi posito Sacramento; nam operantur tunc in modũ causæ naturalis. Cuius vlterior ratio est, quia Sacramẽta nouæ legis sunt instituta, vt sint signa efficacia gratiæ præsentis, dum applicantur, ac proinde contra illorum naturam & institutionem est, velle eorum effectum in futurum suspendere.

Non potest addi conditio de futuro.

Sed de præsenti vel præterito. Dico Secundò; Interdum ex causa licet addere conditionem de præterito, vel præsenti: Ratio est, quia hæc conditio, si sit in re, non suspendit effectum; si non sit in re, non est intentio Sacramenti, ac proinde vitatur sacrilegium. Exempli gratia: Si aliquis subitò moribundus dederit solùm signa contritionis, potest absolui sub conditione tacita, *si est capax:* Sic si dubitas, an peccatorem absolueris, nec possis dubium tollere, potes absoluere sub conditione tacita, *Absoluo te, si non es absolutus.*

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Impositio manuum Sacerdotis sit necessaria?

24 REspondetur, Non esse necessariam: nusquã enim Dominus, vbi loquitur de potestate clauium, meminit impositionis manuum. Ratio est, quia ad proferendam sententiam iudiciariam non est vlla manuum impositio necessaria: atqui hoc Sacramentum confertur per modum sententiæ iudiciariæ: ergo.

Manus impositio nec necessaria, nec expediens.

Hæc sententia est contra quemdam Doctorem antiquum, qui asserebat illam esse necessariam ad Sacramenti substantiam: contra quem disputat D. Thomas Opusculo 22. cap. 4. Argumenta eius refert hîc, & dissoluit. Adde: Non solùm non esse necessariam, sed nec expedientem, præsertim circa feminas. Similiter, inquit Sotus, nec eleuatio manuum necessaria est, quamuis hæc magis sit vsitata.

25 Dices; Cur ergo ab Augustino hoc Sacramentũ vocatur *Impositio manus?* vt lib. 3. de Baptismo contra Donatistas cap. 20. *Manus* (inquit) *impositio non sicut Baptismus repeti non potest:* & lib. 5. de Baptismo cap. 20. *Quomodo* (inquit) *exaudit homicidam deprecantem vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel supra capita eorum, quibus manus imponitur.* Vbi per manus impositionem intelligere videtur Sacramentum Ordinis & Pœnitentiæ: & cap. 23. *Manus ab hæresi redeunti propterea imponitur, ne extra omnem culpam fuisse videatur.*

Cur tamen ab ea hoc sacramentũ dicatur Manus impositio. Respondeo; Rem interdum accipere nomen à circumstantia extrinseca, quæ nullo modo est necessaria: Sicut sacrificium Eucharistiæ vocatur *Missa* à dimissione populi: & ipsa Eucharistia vocatur *Synaxis* à populi congregatione & conuentu.

ARTICVLVS V.

Vtrùm hoc Sacramentum sit necessarium ad salutem?

26 REspondetur. In noua lege necessarium ad salutem omnibus post Baptismum lapsis in peccatum

Lapsis post baptismum in mortale, est necessarium, saltē in voto.

peccatum mortiferum. Patet hoc ex Concilio Tridentino sess. 14. can. 1. 6. 7. Et colligitur Ioan. 20. vbi Dominus dedit Apostolis potestatem *remittendi peccata* per Sacramentum Pœnitentiæ, & *retinendi* negata absolutione: ergo nō potest quis à peccato post Baptismum commisso liberari, nisi per Sacerdotis absolutionem. Ratio est: quia nemo potest iustificari sine merito Passionis Christi: atqui hoc in noua lege non applicatur nobis, nisi per aliquod Sacramentum, seu symbolum externū, vel certè non sine eius voto: idque partim, vt facilius iustificaremur, partim vt beneficium nostræ redemptionis in peccatorum expiatione expressiùs agnosceremus & testaremur.

Quando, & quale votum sufficiat.

Dixi, *vel non sine eius voto*: Quia Sacramentum reipsà adhibitum non semper est necessarium ad iustificationem: sed tunc duntaxat, quando adest copia confessoris, & præceptum vrget: alijs temporibus votum sufficit, & quidem implicitum inclusum in contritione. Sicut enim contritio includit propositum seruandi omnia mandata, ita etiam includit propositum vtendi illis præsidijs, quæ Dominus ad delendum peccata instituit. Explicitum autem votum non est absolutè necessarium. Et ratio est; quia vera contritio per se sufficiens est absque alio actu ad hominē iustificandum, sicut sufficiens erat in lege naturæ & veteri: nam per Sacramentorum institutionem nihil est eius virtuti detractum: quare non requirit aliquem actum sibi coniunctum, qui iure naturæ non est necessarius. Confirmatur: quia hoc expressum propositum confitendi non iustificat; solùm enim requiritur propter opus externum iustificans: ergo quando non est opportunitas operis externi, non est hoc expressum propositum necessarium, sed ipsa contritio iustificat. Supposita tamen huius Sacramenti institutione, & diuino mandato de eius vsu, in contritione includitur votum seu propositum huius Sacramenti, sicut & aliorum præceptorum seruandorum; quod propositum sic inclusum sufficit, sicut suprà de Baptismo dictum est.

ARTICVLVS VI. & VII.

Vtrùm Pœnitentia sit secunda tabula post naufragiū? & Vtrùm hoc Sacramentum fuerit conuenienter in lege noua institutum?

27 AD vtrumque respondetur Affirmatiuè. De Sexto art. vide D. Thomam.

Quòd autem Sacramentum hoc fit conuenienter in lege noua institutum: Probatur Primò, Ex parte Christi, qui instituit, qui est sapientissimus, vtpote Dei Sapientia. Secundò, Ex parte nouæ legis, & temporis gratiæ; cuius remedia debebant esse & facilia, & certa, & copiosæ vtilitatis: tale autem remedium est hoc Sacramentum. Facilè enim est confiteri sua peccata, nec possumus esse humano more certiores remissionis peccatorum, quàm per hoc Sacramentum, quod ex opere operato sanctificat. Denique non potest non esse vtilissimum, in quo tot virtutum, vt fidei, spei, humilitatis, & pœnitentiæ actus obeuntur, & dantur remedia contra futura peccata. Tertiò ex parte Ecclesiæ, in quâ oportebat esse potestatem remittendi peccata ad meliorem eius gubernationem, & ne plerique in desperationem inciderent.

DVBIVM I.

Vbi, & quando hoc Sacramentum sit institutum?

28 RESpondeo esse institutum Ioannis 20. v. 23. post resurrectionem; vbi Dominus insufflans ait, *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta sunt.* Ita docet Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 1 & can. 3. Ex alijs autem Scripturæ locis non ita euidenter conuincitur: nam Matth. 16. v. 13. quādo dicitur Petro, *Et tibi dabo claues regni cœlorum*: & Matth. 18. v. 18. vbi omnibus Apostolis dicitur, *Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis* &c. generatim quidem promittitur hoc Sacramentum, non tamen datur vel instituitur.

Institutum est Ioan. 20. post resurrectionem.

Actus pœnitentiæ fuit semper necessarius ad salutem.

Nec obstat illud Matth. 4. v. 17. *Pœnitentiā agite, appropinquauit enim regnum cœlorum*: & Lucæ vltimo, *Oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis, prædicari in nomine eius pœnitentiam in omnes gentes*: non enim est ibi sermo de Sacramento Pœnitentiæ, sed de actu virtutis Pœnitentiæ, qui omni tempore fuit necessarius ad remissionem peccati: nam est iuris naturalis, vt inquit D. Thomas; vel potiùs, iuris supernaturalis, quod tamen ordini gratiæ est connaturale, sicut præceptum fidei, spei, & Charitatis.

Elevatius nunc est in sacramentum.

Verùm, Quia hic actus pœnitentiæ in nobis erat imperfectus, & raro tantus, quantus esse debebat, vnde pauci à peccato liberati fuissent, Christus qui in noua lege venerat omnia perficere, assumpsit illum in materiā Sacramenti, superaddens illi vim Sacramentalem, & verbum absolutionis, quo faciliùs certiùs & copiosiùs sanctificaremur.

DVBIVM II.

Vtrùm ratio naturalis dictet sine vlla reuelatione, dolorem peccati esse necessarium, & huius doloris esse aliqua edenda signa?

29 CAietanus æstimat, ratione naturali non cognosci, de peccato præterito esse dolendū, aut hunc dolorem esse peccati remedium, & valere ad reconciliationem. Similiter existimat, non cognosci, exterius aliquod signum doloris esse prodendum, nisi ob peccatum publicum.

Verior opinio affirmat contra Caietanum.

Sed profectò contrariū est longè probabilius. Ac Primò, cognosci ratione naturali, dolendum esse de peccato, patet: Quia naturaliter cognoscimus peccatum esse malum contra dictamen rectæ rationis, atque adeò contra proprium bonum hominis, quod est honestum: ergo esse de eo dolendū. Item naturaliter possumus cognoscere, Deum offendi peccatis: tum quia sunt contra legem rationis, cuius ipsum cognoscimus esse auctorem: tum quia ethnici id cognouerunt, vt patet ex Gorgia Platonis lib. 4. de Republ. Vnde nulla gens est tam barbara, quæ iram Deorum placare non nitatur. Secundò, dolorem & vindictam esse remedium

remedium peccati. Nam naturaliter cognoscimus Deum esse benignum, ac proinde pœnitentiâ placari. Quod confirmat vsus omnium gentium, quæ à Dijs suis veniam precantur, variisque modis eos conantur placare.

30 Dices: Ergo etiam voluntas potest solis naturæ viribus dolere de peccato, vt est offensio Dei.

An solis naturæ viribus possimus dolere de peccatis.

Respondeo Primò, Negando Consequentiam: Quia voluntati difficilius est efficaciter præstare pœnitentiam, quàm intellectui eam cognoscere. Respondeo Secundò, Admitti potest, voluntatem posse solis naturæ viribus aliquo modo dolere de peccato, sed imperfectè, & non quantum oportet ad remissionem peccati. Quia non eâ æstimatione intellectus & voluntas potest de eo dolere, quâ par est de tanto malo doleri; neque etiam ex eo amore, quo par est, tantum bonum amari. Hoc enim sine auxilio gratiæ præstare nequit, cùm in hoc supernaturalis ratio actus ipsius consistat.

ARTICVLVS VIII. & IX.

Vtrùm homo debeat vsque ad finem vitæ pœnitere, idque continuò?

31 De peccato ritè confesso, non teneris amplius dolere.

REspondetur; Hominem non posse continuò actu pœnitere, sed benè potest habitu.

Notandum est breuiter: Si quis semel peccatum suum confessus fuit, & de eo doluit, sicut oportet, pœnitentiamque impositam impleuit, non obligari, vt ampliùs de eo actu doleat; sicut rectè hic docet Caietanus. Imò post habitam contritionem, vel attritionem cum Sacramento, non tenetur homo sub nouo peccato ampliùs elicere in se actum displicentiæ peccati, aut doloris, vt idem docet: sufficit enim, vt semper displiceat negatiuè, id est, vt nunquam placeat.

32 An consulatur, vt quis sæpè de peccatis actu doleat.

Petes: An saltem sit consulendum, vt quis frequenter peccata sua commemoret, & dolorem de illis in se excitet?

Respondeo, Si inde non perturbatur scrupulis, vel nouis tentationibus, vel non impeditur ab vtilioribus exercitijs, valdè bonum est subinde hoc facere. Secùs verò, si hoc modo fouerentur scrupuli, vel alia huiusmodi incommodá: tunc enim satius est, vt solùm in genere doleat se Deum crebrò offendisse. Et hic generalis dolor vsque ad finem vitæ perdurare debet; non quidem sub præcepto, sed sub consilio. Ita intellige Diuum Thomam articulo 8. Quare non rectè dixit Melchior Canus Relectione de Pœnitentia parte 4. teneri nos saltem sub peccato veniali actu dolere de peccatis præteritis, quando occurrunt memoriæ: eò quòd tunc nolle dolere de peccato, sit peccatum veniale, cùm sit actus otiosus. Nam potest quis iusta ratione nolle immorari huiusmodi cogitationi, aut nolle dolorem elicere: vt si timet scrupulos, nouas tentationes, aut alia incommoda; tunc enim nullum erit peccatum nolle dolere.

Canus refellitur.

ARTICVLVS X.

Vtrùm Sacramentum Pœnitentiæ debeat iterari?

REspondetur Affirmatiuè. Ratio est: Quia non imprimit characterem. Vide D. Thomam: cuius argumenta, etsi primariò solùm probent pœnitentiam posse iterari, vt est actus virtutis; secundariò tamen etiam probant, pœnitentiæ Sacramentum iterari posse. Nam hoc Sacramentum nihil est aliud, quàm perfectio quædam & consummatio actus pœnitendi. 33

Notandum hîc est; Nouatianum, & adiutorem eius Nouatum, non negasse, quin interior, & etiam exterior pœnitentia, quatenus virtus est, possit iterari, & quin homo possit sæpiùs Deo reconciliari; nam hoc vbique Scriptura clarè docet: sed non esse in Ecclesiâ aliquam potestatem, aut Sacramentum, per quod, homo post Baptismum lapsus, Deo reconcilietur.

Error Nouatianorum, quis.

QVÆSTIO LXXXV.

De Pœnitentia, vt est virtus.

In Sex Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Pœnitentia sit virtus?

1 Vis vocis *Pœnitentia* excutitur contra hæreticos.

NOtandum est, Nomen Latinum *Pœnitentia*, & Græcum μετάνοια passim in Scripturis, & apud Auctores tum Ecclesiasticos, tum profanos, vsurpari non pro *nuda resipiscentia* (vt volunt nostri hæretici) sed pro dolore, & detestatione peccatorum, & vindicta pro ijsdem sponte suscepta: Iob cap. vltimo, vers. 6. *Ago pœnitentiam in fauilla & cinere*; id est, vindico peccata mea. Lucæ 10. vers. 13. *Si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis; olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Matthæi 12. & Lucæ 11. dicitur, *Niniuitæ egisse pœnitentiam ad prædicationem Ionæ*. Quibus locis hæretici, vt tollant omnem afflictionem & pœnã pro peccatis susceptam, pro, *egerunt pœnitentiam*, vertunt, *resipuerunt*: sed absurdè: nam Scriptura apertè loquitur de dolore & vindicta pro peccatis assumpta; ideò enim dicit *in cinere & cilicio pœnitentiam egissent*: absurdè autem diceretur, *in cinere & cilicio resipuissent*. Et Niniuitæ grauem afflictionem assumpserunt, vt videre est Ionæ capite 3. scilicet ieiunium, cilicium, preces. *Nuda* autem *resipiscentia* non requirit vllam afflictionem

ctionem ob peccata commissa, imò ne dolorem quidem. Vide Ruardum articulo 3. His adde, simili modo apud profanos has voces vsurpari, vt patet ex illo distichо Ausonij:

Sum Dea, quæ facti, non-factique exigo pœnas:
Nempe vt pœniteat, sic Metanœa vocor.

His positis:

2 Pœnitentia est virtus.

Respondetur, Pœnitentiam esse virtutem. Probatur Primò: Quia detestari peccatum, & illud compensare, & in se vindicare, est opus rectæ rationi consentaneum, & arduum: ergo est actus virtutis: atqui hoc opus est actus pœnitentiæ: ergo pœnitentia est virtus. Confirmatur Primò: Quia nihil aliud ad rationem virtutis requiritur: virtutes enim dantur ad actus difficiles, ad quos ipsę pœnitentię naturales non sufficiunt, & conformant illos rectę rationi, seu iudicio prudentiæ. Confirmatur Secundò: Quia consistit in medio duorum vitiorum: quidam enim lætantur de peccatis suis; quidam ita dolent vt desperent: pœnitentia verò medium tenens, ita dolet, vt peccatum emendet, seu compenset.

Probatur Secundò: Quia præcepta legis diuinæ non dantur, nisi de functionibus virtutum: de Pœnitentia autem datur præceptum diuinum, vt patet Ioëlis 2. vers. 22. *Conuertimini ad me in fletu & planctu*: & Matthæi 4. vers. 17. *Pœnitentiam agite*: ergo.

Probatur Tertiò: Quia detestari & vindicare alterius peccata est virtus, nempe in Iudice, qui in alterum potestatem habet: ergo multò magis virtus est detestari, & vindicare sua peccata; cùm quisque in seipsum potestatem habeat, vt veluti Iudex nomine Dei se ipsum tanquam reum puniat.

3 Pœnitentia variè describitur,

Notandum autem est; Pœnitentiam variè à Patribus, & Doctoribus describi. Primò, Quatenus est habitus quidam. Sic Magister dist. 14. *Pœnitentia*, inquit, *est virtus, seu gratia, quâ commissa mala cum proposito emendationis plangimus, & plangenda iterum non committimus*. Cui similis est illa Gregorij homiliâ 34. in Euangelia, *Pœnitentia est, præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere*. Vbi: Aduerte Primò, Pœnitentiam esse gratiam seu donum Dei gratuitum: quia nec viribus naturæ, nec nostris meritis veram pœnitentiam consequi possumus; sed necesse est eam gratis aspirari. Aduerte Secundò, Propositum emendationis includere duo, scilicet propositum in posterum abstinendi, & voluntatem compensandi, vindicandique peccata. Illa autem pars, *Et plangenda iterum non committimus*, non est necessaria, sed maioris explicationis causa additur; vt significetur, pœnitentiam includere voluntatem efficacem.

1. Vt est habitus.

2. Vt est actus.

Secundò describitur Pœnitentia, vt est actus: *Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, semper puniens quod dolet commisisse*. Sic Auctor de vera & falsa Pœnitentia. *Semper*, id est, *quoties aliquid mali commisit*.

3. Ex fine.

Tertiò describitur ex fine: sic ab Authore hypognosticon lib. 3. *Pœnitentia est res optima, quæ omnes defectus reuocat ad perfectum*: id est, *æqualitatem*, pro illis satis faciendo. Omitto alias descriptiones, quæ ex his facilè possunt intelligi.

4 Ex quibus patet Primò; Pœnitentiam non solùm esse virtutem, sed etiam eximiam virtutem, vt quæ summum malum ab anima depellat, Deo honorem restituat, & totam hominis vitam corrigat. Pœnitentia est virtus eximia.

Secundò patet, Esse duos præcipuos Pœnitentiæ actus, scilicet dolorem de peccatis commissis, & eorum vindictam, seu compensationem. Sunt quidem & alij actus, sed his connexi; vt Detestatio peccati, quæ naturâ prior est dolore, eique supponitur, sicut amor prior est gaudio. Propositum mutandæ vitæ, quod sequitur dolorem: Confessio peccati, quæ est signum doloris, & medium ad compensandam iniuriam, & reconciliationem obtinendam. Duo eius actus præcipui.

Sed contrà: Obijcies Primò: Omnis virtus est per se expetenda: atqui pœnitentia non est vllo modo per se expetenda, sed solùm suppositо peccato: ergo non est virtus. 5 1. Obiect. quod pœnitentia nō sit per se expetenda.

Respondent quidam, Habitum pœnitentiæ per se primò versari quidem circa detestationem & expulsionem mali: nihilominùs tamen esse virtutem. Esse enim duo genera virtutum; vnum earum, quæ per se primò feruntur in bonum, & has esse per se expetendas; alterum earum, quæ ad malum destruendum, & talem esse Pœnitentiam. Ita Dominicus Soto, & quidam alij. Quorundā solutio.

Sed hæc sententia displicet Caietano artic. 2. & Durando distinctione 14. quæst. 1. & meritò. Ratio est: Quia omnis detestatio, & odium mali nascitur ex amore boni contrarij, ac proinde amor & odium proueniunt ab eodem habitu, & inclinatione: vt patet in omnibus virtutibus. Habitu enim temperantiæ detestamur actus intemperatos; & habitu iustitiæ, iniustos; & sic de cæteris: ergo non datur aliqua virtus, cuius primus actus sit odium seu dolor mali, sed necesse est primum actum omnis virtutis esse amorem alicuius boni, seu obiecti honesti. Quod autem Sotus ait, Verecundiam esse virtutem, & tamen primariò versari circa malum, est enim *Timor dedecoris instantis*; non videtur verum: tum quia Verecundia non est virtus, sed passio; tum quia, si concipiatur vt habitualis inclinatio, per se primò tendit in bonum, nempe in affectionem honoris: ideò enim times dedecus, quia affectus es honori. Cuius signum est, quòd illi, qui non curant honorem, vt impudentes, non verecundentur, Aristotele teste. Quare hæc ex eodem habitu proueniunt. Similiter Iustitia vindicatiua non respicit per se primò malum, sed bonum; nam ex amore æquitatis vindicat delicta. Displicet. Nec verecundia, nec iustitia vindicatiua primariò versatur circa malū.

Dicendum ergo est, Pœnitentiæ habitum non supponere necessariò malum, sed per se primò ferri in bonum; vt statim patebit: quamuis *pœnitere*, quod est quidam actus ipsius, malum supponat. Quare habitus Pœnitentiæ etiam erat in statu innocentiæ, estque homini per se expetendus; licet pœnitere, non sit expetendum, neque in statu innocentiæ fuerit. Simile quiddam reperitur in virtute Spei, vt alibi dictum est. 6 Vera solutio, Pœnitentiæ habitum per se ferri in bonum.

Obijcitur Secundò, Quod factum est, infectum fieri nequit: ergo ridiculum est dolere de peccatis iam præteritis. 7 2. Obiect. quòd facta, nequeant fieri infecta.

Respondeo, Neminem dolere de eo, cuius contrarium per se est impossibile: vt nemo dolet, quod non potest volare, (nisi fortassis propter aliud, sicut damnati dolent, quòd Deus sit, & tantę sit potentiæ, non quòd hæc per se displiceant, sed propter pœnas quas infert.) Pari ratione nemo Solutio.

dolet,

dolet, quòd id, quod factum est, non fit ineffectũ, postquam positum est esse factum; nam quòd hęc duo non possint simul stare, nullum est malum, nec materia doloris: sed quòd tale peccatum factum sit, cùm tunc potuerit non fieri. Nec refert, quòd nunc impossibile sit, non esse factum; quia hoc per accidens est, & ex suppositione quâ supponitur esse factum: nam sine illâ suppositione potest absolutè esse non factum: quare dolet de eo, quod absolutè est possibile non esse factum, nempe quòd hoc peccatum sit commissum. Quomodo etiam damnati dolent de suâ damnatione, quamuis iam impossibile sit eam excutere: concipiunt enim illam tanquam olim euitabilem, & ideò dolent tanquam de malo per se euitabili; quamuis & suppositione iam sit ineuitabile. Accedit, quòd iste dolor sit summè vtilis, cùm valeat ad compensandam peccati iniuriam, eiusque maculam & reatum abolendum, & reconciliationem impetrandam. Itaque etsi dolor iste sit inefficax, & inutilis vt faciat peccatum non esse commissum, & ad hoc non dirigatur; tamen vtilis est ad illud delendum, & ad omne eius malum sic abolendum, ac si commissum non esset: denique ad cauendum in futurum.

Quomodo damnati doleant de suâ damnatione.

Vtilitas Pœnitentiæ.

8 3. Obiect. quòd Pœnitentia sit sine Charitate.

Obijcitur Tertiò: Id quòd est extra Charitatem, nihil est. 1. ad Corinthios 13. Sed pœnitentia est cum peccato, ac proinde extra Charitatem: ergo nihil est, ac proinde pœnitentia non est virtus.

Solutio.

Respondeo, Id quòd est sine Charitate, dicitur apud Apostolum *nihil esse*, quia est insufficiens ad vitam æternam, & potest homo cum eo damnari; qualia sunt fides, scientia mysteriorum, cognitio linguarum, prophetia, donum miraculorum, &c: hæc tamen plurimum prosunt cum Charitate. Pari ratione pœnitentia ex Charitate proficiscens plurimum prodest. Adde perfectam Pœnitentiam sine Charitate esse non posse; imperfectam autem disponere, & sensim adducere ad Charitatem; ac proinde virtus esse potest.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Pœnitentia sit virtus specialis?

9 Respondetur Affirmatiuè. Ratio est: quia in actu pœnitentiæ inuenitur specialis ratio honesti, scilicet perimere peccatum, eiusque iniuriam compensare.

Qui actus præcipui Pœnitentię.

Notandum est Primò: Pœnitentiæ generatim acceptæ esse duos præcipuos actus, dolorem de peccato seu errore commisso, & voluntatem emendandi: quicumque enim facti alicuius pœnitentiâ ducitur, hos duos actus habet, etiamsi consideret istud factum dumtaxat, vt est contra rectam rationem, aut contra bonum, vel propositum ipsius auctoris. Quòd si illud factum etiam consideretur, vt alteri iniuriosum, sic voluntas emendandi non solùm includit *resipiscentiam*, id est, propositum cauendi in posterum, sed etiam propositum compensandi iniuriam. Iniuria enim censetur manere post factum, veluti læsio quædam alteri inflicta, donec vel condonetur, vel iusta satisfactione compensetur. Itaque ad emendationem criminis, seu vt crimen tollatur, necesse est, interuenire compensationem, nisi fortè alterius condonatio præueniat; quod non fit in proposito.

Notandum Secundò: Peccatum dupliciter spectari posse: Primò, vt est contra propriam honestatem virtutis oppositæ; seu vt est contra rectam rationem. Secundò, quatenus est offensio Dei, id est, malum quoddam Dei, ipsum quodammodò lædens, & idcircò ipsum ad iracundiam, & inimicitiam prouocans. His positis:

10 Dolere de peccato, vt est contra proprium bonum oppositæ virtutis, nõ est opus specialis virtutis.

Dico Primò: Dolere de peccato commisso, quatenus est cõtra proprium bonum virtutis oppositæ, non est opus specialis virtutis, sed illius contra quam est illud peccatum. Patet hæc Propositio: Quia sicuti vnaquæque virtus amat actus sibi consentientes, ijsque delectatur, ita odit contrarios, ijsque dolet: eâdem enim inclinatione ferimur in aliquod bonum, & auersamur malum illi contrarium. Sic temperans dolet de actibus intemperatis, iustus de iniustis, humilis de superbis; & si ipse eos admisit, pœnitet eum admissorum. *Pœnitere* enim nihil addit supra rationem doloris, quàm respectum quemdam ad malum, vt à se commissum. Nam possumus dolere de omni malo, pœnitere autem tantummodò de malo à nobis admisso. Quare vnâ eâdemque virtute detestamur aliquod malum, de eo dolemus, & etiam pœnitemus, si illud à nobis commissum sit. Tantùm enim differunt, vt genus & species; omne enim pœnitere est dolere, sed non contrà. Aduertendum autem est, Etsi talis dolor de peccato non sufficiat ad veram contritionem, sufficere tamen ad veram attritionem, sic, vt accedente Sacramento sufficiat ad iustificationem, vt docet Concilium Tridentinum, sessione 14. canone 4.

Pœnitere, & dolere quomodo differant.

11 Dolere de peccato, vt offensa Dei, est actus Charitatis.

Dico Secundò: Dolere de peccato, vt est offensio Dei, est actus Charitatis. Ita Scotus distinctione 14. quæstione 2.

Probatur Primò: Quia, sicut Charitatis est, velle Deo bonum, & gaudere de omni opere bono, quo ipsi obeditur, & honoratur; ita etiam Charitatis est, dolere de omni eo, quod quodammodò est malum ipsius; quale est omne opus, quo ipse quodammodò contemnitur, & inhonoratur: ergo, si tale aliquod opus ab homine committatur, Charitatis est pœnitere de illo. Secundò, Charitatis est dolere de peccato ad reconciliationem, id est, ad recuperandam amicitiam: atqui talis dolor pertinet ad perfectam Pœnitentiam: ergo Pœnitentia respectu huius actus non distinguitur à Charitate. Tertiò probatur ex Concilio Tridentino sessione 6. canone 6. vbi odium & detestationem peccati, quam vocat *Pœnitentiam*, docet prouenire ex dilectione Dei: censet ergo hunc actum Pœnitentiæ esse actum Charitatis.

Hîc tamen Notandum est, vt quis de peccato suo doleat, seu pœniteat perfectè, expedire non tantùm in genere peccatum considerare, vt est offensa Dei; sed particulares rationes, & malitias, ob quas Deum offendit, eiusque inimicitiam & iram contrahit. Est enim peccatum quidam contemptus Dei, & iniuria, & inhonoratio, & inobedientia, & ingratitudo: omnes enim istæ malitiæ sunt in omni peccato mortifero quodammodò formaliter distinctæ, & omnibus illis offenditur Deus. Itaque ob singulas meritò pœnitere debemus, non solùm quatenus

Quæ malitię sint in quouis peccato mortali.

honestati, & bono virtutis contrariæ aduersantur, sed etiam quatenus sunt quoddam malum Dei, ipsius offensiuum.

12 Velle compensare iniuriam Deo per peccatum factam, cuius virtutis actus sit.

Dico Tertiò: Velle compensare iniuriam Deo per peccatum irrogatam, & illam in se vindicare, videtur esse actus virtutis à Charitate, & à cæteris virtutibus particularibus distincte, excepta Religione, & Iustitiâ quadam erga Deum, de quâ art. 3. Est ferè communis sententia Doctorum: D. Thomæ hoc loco, Bonauenturæ, Scoti, Richardi, dist. 14. & aliorum. Pro quo:

Debet fieri compensatio iniuriæ per peccatū facta.

Notandum est, per peccatum fieri iniuriam Deo, quatenus ipse contemnitur, & quodammodò spoliatur honore summi boni, & peccatori plus tribuitur, quam debeatur. Vtràque autem ratione debet fieri compensatio. Et quidem quatenus Deo fit iniuria, debet fieri compensatio dolore animi ad ipsum directo, confessione culpæ, & petione veniæ. Cùm enim non possimus illam iniuriam efficaciter reparare, tenemur illam reparare saltem affectu, scilicet dolore animi, & signis huius affectus; scilicet accusatione nostri, & petione veniæ. Quatenus autem peccator sibi nimium indulsit, sic compensatio fit per vindictam, & quamdam sui punitionem; quæ fit contra naturalem voluntatis inclinationem; quamuis hæc etiam fiat ad compensationem iniuriæ in Deum commissæ. Nunc

Probatur conclusio.

Probatur propositio: Charitas, aut alia virtus, non spectat in suo obiecto rationem honestatis, quæ est compensare iniuriam illatam: ergo est aliqua virtus distincta à Charitate, & à cæteris, quæ hanc honestatem spectet. Patet consequentia: nam vbicumque in obiecto est aliqua distincta ratio honestatis, ibi quoque debet esse distincta virtus.

13 1. Obiectio

Dices Primò, Hæc compensatio iniuriæ potissimùm fit dolore peccatorum: atqui hic dolor est actus Charitatis: ergo velle compensare iniuriam, est actus Charitatis.

Soluitur.

Respondeo Negando Consequentiam: Quia actus, quo fit compensatio iniuriæ, non necessariò elicitur ab eadem virtute, à quâ procedit voluntas compensandi iniuriam; vt patet in Christo, qui omnium virtutum actionibus satisfecit pro nobis, cùm tamen voluntas satisfaciendi, seu compensandi iniuriam Deo illatam, fuerit actus vnius virtutis. Pari ratione, actiones quibus nos satisfacimus hominibus, & compensamus, vel vindicamus iniurias, non eliciuntur immediatè à virtute Iustitiæ, sed à potentijs motiuis, quæ in membris resident. Et ratio est, quia id, quo fit compensatio iniuriæ, est obiectum Iustitiæ, & actus eius imperatus, non elicitus: per hunc enim fit æqualitas, non per actum elicitum: vnde potest esse alterius virtutis, quàm Iustitiæ.

2. Obiectio

Dices Secundò: Voluntas compensandi iniuriam potest proficisci à Charitate: nam Charitatis est velle tollere peccatum, quatenus malum est, & iniuria: ergo hic actus non debet assignari alteri virtuti, quàm Charitati.

Soluitur.

Respondeo Negando Consequentiam: Nam hinc solùm sequitur voluntatem compensandi iniuriam, posse imperari à Charitate. Charitatis enim est immediatè velle delere peccatum, quatenus est offensio Dei: sed quia hoc fieri non potest, nisi interuentu alicuius compensationis, imperat Charitas Iustitiæ, seu illi virtuti, cuius est instaurare æqualitatem, vt velit compensare; & ipsa voluntas compensandi imperat actum, quo fit compensatio, scilicet dolorem de peccato directum ad personam offensam. Possunt enim virtutes sibi vicissim imperare ad consequendos suos proprios fines. Sic affectus Temperantiæ imperat orationem, vt impetret virtutem Temperantiæ, vel eius augmentum: & contrà, virtus Orationis, siue affectus Orationis imperat actus Temperantiæ, vt Deum meliùs oret. Simili modo voluntas delendi peccata, vt est malum Dei, est actus Charitatis, & imperat voluntatem compensandi pro modulo hominis, quæ voluntas est actus cuiusdam Iustitiæ: & hæc rursus imperat alium actum Charitatis, qui est dolor de illo peccato. Simili modo vindicare iniuriam Dei continet propriam honestatem, quam non respicit Charitas, sed Iustitia quædam erga Deum.

14 Voluntas benè viuendi deinceps, à qua virtute oriatur.

Dico Quartò: Voluntas benè viuendi in posterum potest esse actus vel Charitatis, vel Obedientiæ, vel ex generali quodam affectu honesti, pro diuersa ratione, quâ voluntas mouetur ad hunc actum. Explicatur: Si quis enim proponat benè viuere, quia id placet Deo, sic est actus Charitatis: vult enim illud, quatenus est quoddam bonum Dei, ad quod immediatè inclinat Charitas. Si autem id velit, vt ipse placeat Deo, sitque eius amicus, sic est actus imperatus à charitate: Nam velle Deo placere, eique esse amicum, est actus Charitatis per modum intentionis, qui imperat alium actum, scilicet voluntatem benè viuendi; quæ voluntas potest esse elicita vel ab ipsa virtute Charitatis, vel ab alia, scilicet ab Obedientia, vel affectu honesti. Si autem proponat benè viuere, vt satisfaciat præcepto diuino, sic est actus Obedientiæ. Si autem, vt saluus sit, est actus imperatus à virtute Spei, elicitus autem ab alia virtute. Si denique id proponat, quia id decet hominem Christianum, est actus cuiusdam affectus generalis ad honestum supernaturale.

15 Quomodo Pœnitentia sit, vel non sit distincta ab aliis virtutibus.

Ex dictis patet, qua ratione virtus Pœnitentiæ sit virtus specialis distincta à cæteris, & quomodo non sit distincta. Si enim accipiatur Pœnitentia, quatenus eius actus est dolere de peccato, vt est contra proprium bonum virtutis, sic non distinguitur à singulis virtutibus; quò fit vt attritio possit esse actus cuiusuis virtutis. Si autem accipiatur, quatenus eius actus est dolere de peccato, vt offendit Deum, sic non distinguitur à Charitate. Si consideretur, vt eius actus est velle compensare iniuriam Deo illatam, siue perfectè siue imperfectè; sic non distinguitur à quadam virtute Iustitiæ erga Deum. Si denique consideretur, vt proponit emendationem, sic quoque non distinguitur à Charitate, vel ab Obedientia, vel ab affectu generali honesti, qui collectionem virtutum sequitur.

ARTICVLVS III.

Vtrùm virtus Pœnitentiæ sit species Iustitiæ?

16 REspondetur, esse speciem Iustitiæ commutatiuæ.

Notan-

Notandum est, Satis constare ex dictis, qualis virtus sit Pœnitentia, quatenus eius actus est, dolere de peccato. Solùm difficultas superest, quæ virtus sit, quatenus eius actus est compensare & vindicare iniuriam.

Pœnitentia, vt cõpensans iniuriam Deo illatam, ad Iustitiam pertinet.

Respondeo & Dico Primò: Pœnitentia hoc modo considerata, non est Iustitia propriè dicta: pertinet tamen ad virtutem Iustitiæ, sicut pars potentialis.

Prior Pars est contra Durandum dist. 14 qu. 2. Ratio est: Quia Iustitia propriè dicta respicit perfectam æqualitatem rei ad rem: atqui inter iniuriam Deo illatam, & nostram satisfactionem, seu compensationem, non potest esse perfecta æqualitas: loquimur enim de iniuria peccati mortiferi, quæ sola est absolutè iniuria in Deum. Confirmatur: Quia si qua esset æquiualens compensatio pro iniuria peccati, ea esset contritio: atqui hæc nullo modo est æquiualens, vt dictum est quæst. 1. de Incarnatione.

Altera Pars est communior sententia Doctorum, & D. Thomæ hoc loco, qui Pœnitentiam vocat *Speciem Iustitiæ*: non quòd sit species propriè dicta: sed quia est pars potentialis iustitiæ sicut Pietas, Obseruantia, & Religio; quæ deficiunt à ratione Iustitiæ, quòd respiciant maius debitum, quàm sit Iustitiæ propriè dictæ: sicut & Veritas & Affabilitas, quia respiciunt minus debitum quàm sit Iustitiæ propriè dictæ.

17 Et sic non videtur distingui à Religione.

Dico Secundò: Probabile est virtutem Pœnitentiæ, quatenus eius actus est compensare iniuriam Deo illatam, non distingui à virtute Religionis; sed esse ipsam virtutem Religionis consideratam, vt inclinat ad hoc debitum Deo soluendum. Ita Caietanus suprà art. 2.

Probatur Primò: Quia sicut Iustitia particularis disponit hominem ad reddendum debitum homini, ita Religio disponit hominem ad reddendum debitum Deo: sed Iustitia particularis inclinat ad sarciendam iniuriam, vel damnum homini illatum: ergo Religio inclinat ad sarciendam iniuriam, si Deo illata sit. Confirmatur: Quia Religio inclinat ad reddendum Deo, quidquid illi debitum est, vndecumque sit debitum ortum; verbi gratia, siue sit ortum ex creatione, & gubernatione, vt debitum sacrificij; siue ex alijs beneficijs, vt debitum gratiarum actionis; siue ex illata per nos iniuria, vt debitum satisfactionis, seu compensationis iniuriæ.

Probatur Secundò: Pietas inclinat ad compensandam iniuriam factam parenti, & Obseruantia ad eam compensandam, quæ facta est Magistratui, vel viris honoratis: ergo Religio ad eam, quæ facta est Deo. Patet consequentia à proportione: quia hæ virtutes similiter se habent ad sua obiecta.

Probatur Tertiò: Quia in cõpensatione huius iniuriæ est tacita quædam protestatio excellentiæ diuinæ, non minùs quàm in oratione, voto, iuramento: ergo pertinet ad virtutem Religionis. Antecedens patet: Quia qui vult iniuriam Dei cõpensare, sicuti decet, insinuat Deum esse summum legislatorem, cuius sanctitati, & legibus omne peccatum repugnet; quę significatio est actus Religionis. Similiter petitio veniæ à Deo, & confessio culpæ, Religionis actus est.

18

Dices Primò: Qui vult compensare iniuriam, non intendit honorare Deum; sed delere peccatum, tollere inæqualitatem, & reconciliari: ergo non est actus Religionis.

Soluuntur obiectiones.

Respondeo: Etsi expressè non intendit honorem, tamen simpliciter & ex natura operis id intendit: sicut, qui orat, iurat, vouet, non intendit semper expressè Deum honorare: sed quia actus iste ex se ad Dei honorẽ pertinet, ideò censetur Religionis. Adde: Quòd in virtute Religionis contineatur etiam ratio Iustitiæ: est enim Religio, iustitia quædam Deo ius suum reddens. Vnde etsi pœnitens nõ vtatur virtute Religionis, vt expressè intendit honorare; vtitur tamen illâ, vt inclinat ad reddendum debitum Deo: sicut Pietas non solùm inclinat ad exhibendum honorem parenti, sed etiam ad petendam ab eo veniam si offensus sit.

Dices Secundò: D. Thomas dicit, Pœnitentiam pertinere ad Iustitiam commutatiuam: ergo non ad Religionem.

Respondeo Primò: Si consideremus actum Pœnitentiæ, qui est vindicare iniuriam, hic immediatè pertinet ad Iustitiam quandam vindicatiuã, quæ est species Iustitiæ commutatiuę. Et hoc modo verum est pœnitentiam pertinere ad Iustitiam commutatiuam: siue enim pœnitens consideretur vt iudex, se ipsum tanquam reum nomine Dei puniens; siue vt reus, tantùm compensans iniuriam illa punitione, semper hæc punitio pertinet ad quandam Iustitiam commutatiuam. Respondeo Secundò, Si consideremus eum actum, qui est voluntas compensandi iniuriam, hic videtur elici à virtute Religionis, quatenus Religio debitum reddit Deo; & habet quemdã modũ Iustitiæ cõmutatiuæ inter nos & Deũ. Et hoc modo videtur D. Tho. hic loqui de Iustitia cõmutatiua.

Dices Tertiò: Qui pœnitentiâ ducuntur, sæpè non cogitant expressè de iniuria compensanda, aut vindicanda; sed simpliciter dolent de peccato, & proponunt abstinere in posterum: ergo non interuenit hic aliquis actus Religionis.

Respondeo: Non est necesse, vt expressè cogitent velle iniuriam compensare, seu volo satisfacere; sed sufficit, vt reipsa id faciant, per quod fit compensatio. Vnde absolutè sufficit actus charitatis, nempe dolor de peccato vt est offensio Dei: sic enim actus est compensatio iniuriæ, etiamsi expressè non imperetur ab alia virtute. Valdè tamen vtile est etiã excitare expressã, & formalem voluntatem compensandi, & vindicandi iniuriã.

Consilium vtile circa vindicandã peccati iniuriam.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Pœnitẽtia sit in voluntate, an in appetitu sensitiuo?

19 Ad veram pœnitentiã non requiritur necessariò dolor partis sensitiuæ.

REspõdeo & Dico Primò: Actus virtutis Pœnitentiæ non requirit necessariò vllũ dolorem in parte sensitiuâ. Probatur: quia tota ratio virtutis in detestatione, & dolore partis superioris de peccato, & in voluntate compensandi vindicandique, completur; etiamsi nulla sequatur cõmotio partis sensitiuę. Deinde: Pars sensitiua non potest dolere propter Deum propriè. Nam neque illum attingit cognitione, neque eius iniuriam potest æstimare: ergo eius dolor non est actus elicitus Pœnitentiæ. Tertiò: Iste dolor non est in nostra potestate: atqui functiones virtutũ sunt in nostra potestate: ergo

Dices: Pœnitẽtia requirit opus satisfactorium, quod est pœnale, & sensibile: ergo hàc ex parte erit in appetitu sensitiuo.

Respondeo Primò, Ipsam detestationem peccati, & dolorem partis superioris esse opus pœnale voluntati peccatrici, nec pœnitentia per se aliud requirit. Respondeo Secundò, Non est necesse, vt omne opus satisfactorium sit elicitum à Pœnitentia; satis est ab eâ imperari: Pœnitentia enim, cùm sit in voluntate, potest imperare appetitui sensitiuo, & membris corporis, licet non æquè promptè ille obediat. Et sic ieiunia, lachrymæ, tristitia sensibilis, & similia, sunt opera pœnitentiæ, non quidem elicita, sed imperata. Hinc patet: Etsi lachrymæ, & dolor sensibilis sint optima signa Pœnitentiæ, tamen veram Pœnitentiam etiam sine his esse posse.

19 Pœniten. tia, vt virtus, est in voluntate.

Dico Secundò: Pœnitentia, vt est virtus, est in sola voluntate, tanquam in proprio subiecto. Probatur: Quia detestatio peccati propter Deum, & propositum compensandi, & vindicandi illud, in sola voluntate sunt. Confirmatur: Quia hæc virtus non est in intellectu, vt per se patet: etsi enim præsupponat fidem, tamen fides non est pœnitentia; neque pars eius, vt volunt hæretici: neque etiam est in appetitu sensitiuo: ergo in voluntate.

Quid faciẽdum homini, vt perfectè pœnitear.

Dices: Cùm in voluntate sit quodammodò pars irascibilis, & concupiscibilis, in vtrâ est?

Respondeo, In vtrâque: Quatenus enim Pœnitentiæ actus est dolere de peccato, est in voluntate vt concupiscente: quatenus autem vult vindicare, est in voluntate, quatenus est irascibilis; nam ira nihil est aliud, quàm appetitio vindictæ. Quare vt homo integrè pœniteat, non solùm debet dolere de peccato, sed etiam irasci, & expetere vindictam.

DVBIVM. I.

Vtrùm in parte sensitiua non sit etiam aliquis habitus Pœnitentiæ?

20 Affirmatur.

REspondeo, Esse. Ita Dominicus Soto d.14. quæst.2. art.6. Ratio est: Quia ex forti seu intenso dolore voluntatis, commouetur pars sensitiua suo modo ad dolendum: & ex frequentatione doloris huius nascitur quædam procliuitas in eadem parte; quæ procliuitas haud dubiè est habitus quidam. Pari modo ex appetitione vindictæ frequentatâ in voluntate, nascitur in appetitu inferiore commotio iræ crebra & iterata; vnde remanet procliuitas & promptitudo ad similes iras. Hoc enim experimur in omnibus passionibus, quòd quò magis illis indulgemus, hoc efficimur ad illas proniores. Vnde necesse est naturalem pronitatem per accessoriam iuuari; idque multò magis in passionibus rectæ rationi consentaneis, ad quas appetitus sensitiuus naturaliter non propendet, nisi quatenus à superiore, id est, ratione mouetur; ac proinde magis est capax accessoriæ inclinationis, quæ prouenit ex crebro motu rationis, quàm alterius.

21 Quomodo erratur sensibilis dolor de iniuria Dei.

Dices: Pars sensitiua non attingit Deum: ergo non potest dolere de peccato propter Deum, seu quia est iniuria Dei.

Respondeo: Non attingit Deum sub ratione rei spiritalis, sed benè sub ratione rei corporeæ, quæ rei spiritali sit analoga, sicut experimur dum de Deo cogitamus. Quidquid enim cogitat intellectus, etiam in se efformat, vel potiùs præformat phantasia, sed suo modo. Dum ergo pars superior intensè dolet de peccato, quatenus est iniuria Dei, etiam pars inferior naturaliter mouetur ad dolendum ob eandem iniuriam; sed corporali modo à phantasia apprehensam: quod prouenit ex naturali sympathia potentiarum; quæ quia in vitali eâdem essentiâ fundatę sunt, actus vnius in alteram redundat.

22

Aduerte tamen; Hunc habitum appetitus inferioris non esse infusum, sed acquisitum; vt patet ex dictis. Neque esse virtutem, sed virtutis ministrum, sicut & membra, quamuis sublimiore modo. Ratio est: Quia non mouetur immediatè à iudicio rectæ rationis, quę est proxima virtutis regula; sed à iudicio phantasiæ. Valdè tamen imitatur virtutem Pœnitentiæ, sicut appetitus inferior imitatur superiorem, & phantasia rationem.

DVBIVM II.

An Pœnitentia sit solùm in Peccatoribus?

23

REspondeo: Virtus Pœnitentiæ secundùm illum actum, qui est pœnitere, non est nisi in peccatoribus, siue illi sint in hoc mundo, siue in purgatorio: non tamen in damnatis. Ratio est: quia pœnitere est de suis peccatis dolere propter Deum, & ea vindicare in ordine ad reconciliationẽ. Quare hoc modo non erat pœnitentia in statu innocentiæ, nec in Christo, nec in B. Virgine, nec in Angelis aut Beatis.

In Christo, B. Virgine, Angelis, & Beatis est virtus Pœnitentiæ.

Alio tamen quodã modo, videlicet secundùm alios actus, erat in illis virtus Pœnitentię, Primò: quia detestabantur peccata aliorũ, quatenus sunt offensio Dei, & cupiunt, vt illa in se ipsis vindicent. Imò Dominus noster, aliorum peccatis in se acceptis, doluit de illis, vt de suis, eaque in se vindicauit, & Iustitiæ diuinæ satisfecit; quod sine virtute pœnitentiæ non est perfectum. Ratio vlterior est: quia eiusdem virtutis est affici suo obiecto vbicumque inueniatur, siue in se, siue in alio, & dolere de contrario. Temperantia enim afficitur, & delectatur actionibus temperatis; & Iustitia iustis, in quocumque eas viderit, & detestatur contrarios. Quare etiam Pœnitentia detestatur iniuriam Dei, cupitque eius vindictam, & satisfactionem, à quocumque sit commissa.

Secundò, Erat in illis virtus Pœnitentię: Quia qui sunt benè dispositi, & prompti ad dolendum de peccatis alienis, etiam benè dispositi sunt ad dolorem suorum, si quæ haberent: maximè, cùm Angeli & Beati spectatâ nudâ naturâ Angelicâ & humanâ peccare possint. Quò fit, vt etiam habere possint actum quemdam conditionalem Pœnitentiæ, qui sic exprimitur; *Si peccarem, dolerem:* qui actus est affectio quædam, & complacentia ad honestatem obiecti Pœnitentiæ.

ARTICVLVS V.

Vtrùm principium Pœnitentiæ sit ex timore?

24 Primùm Pœnitentię principium est gratia Dei. Scriptura.

REspondeo, & Dico Primò, Primum Pœnitentiæ principium, disponens liberum arbitrium ad illam, est excitatio diuina gratis mẽti immissa. Est fide tenenda. Probatur Primò ex Scripturis: Ieremiæ 31. v.18. *Conuerte me Domine, &*

ne, & conuertar; & infrà v. 19. *Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam.* In quem locum Hieronymus, *Hoc ipsum, quòd pœnitentiam agimus, nisi Dominus nos ante conuerterit, & nisi Dei nitamur auxilio, nequaquam implere valemus.* Ioan. 6. v. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum.*

Concilia.

Probatur Secundò: Ex Cõcilijs. Nam in Concilio Palestino definitum est contra Pelagium, *Pœnitentiam donum Dei esse*; vt testatur Augustinus epistola 106. & in Arausicano Can. 4. dicitur *Per Spiritus sancti infusionem & operationem in nobis fieri, non tantùm vt à peccatis purgemur, sed etiam vt purgari velimus.* Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. & 14. docet *Principium Pœnitentiæ, & iustificationis esse diuinam excitationẽ.* Item can. 5. & can. 3. dicit *Principium Pœnitentiæ esse gratiam præuenientem, seu præuenientem Spiritus sancti inspirationem.* Vide plura 1. 2. quæst. 109. art. 6.

25 Timor seruilis quomodo sit principium Pœnitentiæ.

Dico Secundò; Timor seruilis est principium pœnitentiæ, tanquam primus motus voluntatis ad pœnitentiam ordinatus. Suppono autẽ timorem seruilem, & odium peccati ob hunc timorem immediatè conceptum, esse bonũ, contra hæreticos nostri temporis: de quo infrà. Probatur: Prima ratio quæ ordinariè homini offertur, cur velit seriò, & absolutè relinquere peccatum, est timor pœnæ, videlicet gehennæ; iuxta illud Isaiæ 26. vers. 18. apud Septuaginta, *A timore tuo concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus Spiritum salutis*, id est, veram pœnitentiam.

26 Ordo motuum, & actuum Pœnitentiæ.

Notandum autem ex D. Thoma hoc loco, & ex Concilio Trident. sess. 6. can. 6. quòd primus motus, quo disponimur ad pœnitentiam, est *excitatio diuina*, vt dictum est. Secundus motus est *motus Fidei*, quâ inter cętera credit peccator Deum pœnas æternas peccatis constituisse. Hinc oritur tertius motus, qui est *timor seruilis*, quo homo timet damnari propter peccata sua; & idcircò incipit illa odisse, & proponit relinquere. Timor itaque seruilis, quo instar seruorum timemus pœnam, & detestamur peccatum propter pœnam, est primus motus affectûs seu voluntatis ad pœnitentiã ordinatus. Nã sola excitatio diuina præcedit, quę nõ est motus liber, sed impulsus quidã necessarius à Deo immissus; & fides, quæ est motus intellectûs. Quartus motus est Spes veniæ: peccator enim considerans Dei misericordiam, qui gratis impium iustificat per Christum, concipit spem veniæ, per quam à timore illo terribili respirat. Quintò, incipit Deum diligere ob immensam illius bonitatem, & misericordiam, per quam peccata condonat, & iustitiam infundit. Sextò, odit peccatum, quatenus est offensio Dei, tamquam benignissimi Patris, & proponit illud cõpensare.

27 Quomodo pœnitentia procedat à charitate, vt proximo principio.

Dico Tertiò: Pœnitentia procedit à charitate, seu timore filiali, tanquam proximo principio imperante. Patet ex serie actuum iam descriptâ: & ratio est; quia non est perfecta pœnitentia per se idonea ad reconciliationem, nisi de peccatis doleamus, eaque vindicemus, quatenus Deum offendunt; ac proinde, nisi doleamus ex affectu beneuolentiæ, seu charitatis in Deum: vt patet exemplis humanis: qui enim offendit Principem, si non doleat quòd ipsum offendit, sed tantùm, quòd sibi nocuit, non meretur reconciliationem; quæ nihil est aliud, quàm beneuolentiæ recuperatio. Quòd autem D. Thomas ait, *Pœnitentiam debere procedere à timore filiali*, sic accipiendum est, vt charitas, quatenus odit & timet peccatum, vt offensam benignissimi Patris, vocetur *Timor filialis*: per illam enim bene disponimur, & inclinamur ad timendam Dei offensam, tanquam optimi Patris, quem summè amare, & cuius offensionem filij diligentissimè cauere debent.

Petes: An omnes isti actus sint necessarij ad veram pœnitentiam?

28 Qui motus sint necessarij ad veram pœnitentiam.

Respondeo: Excitatio diuina est omnino necessaria. Similiter actus fidei, seu prudentiæ supernaturalis, quæ fide nititur. Deinde actus spei; nam sine spe veniæ non possumus pœnitere. Præterea actus dilectionis. Timor autem seruilis non semper est necessarius; quia fieri interdum potest, vt quis sine metu vllo damnationis, ex consideratione, & amore diuinæ bonitatis conuertatur; vt videtur contigisse in Paulo, & Magdalena. Neque etiam expressa voluntas compensandi, aut vindicandi peccatum est necessaria, vt suprà dictum est: sufficit enim dolor de peccato ex amore Dei cum proposito emendationis.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Pœnitentia sit prima virtutum?

29 Quos habitus virtutum præsupponat pœnitentia.

RESpondeo & Dico Primò: Habitus Pœnitentiæ non est prior habitibus aliarum virtutum. Probatur: quia non prior tempore, cùm omnes virtutum habitus simul infundantur, iuxta communem sententiã: nec etiam prior naturâ; quia pœnitentia supponit fidem, tanquam propriam regulam, vel saltem prudentiam infusam supponit, quę fide tanquam fundamento, & principio nititur. Deinde, etiam Spem supponit; quia nemo inclinatur ad pœnitentiam, nisi Spe veniæ. Tertiò, Charitatem supponit: nam Charitas respicit Deum sub priori ratione, quàm Pœnitentia: respicit enim Deũ absolute, vt ipse in se summum bonum est: Pœnitentia autem solùm supposito peccato respicit Deum, quatenus Deo debetur à creatura compensatio propter iniuriam: quorum posterius oritur ex priore; idcircò enim Deo fit iniuria per peccatum, quia ipse est summum bonum, quod peccato contemnitur.

Dices: Potest quis dolere de hoc solo, quod Deum iniuriâ affecerit, non curando ipsius amicitiam aut honorem: sed solùm, quòd omnis iniuria, & præsertim erga Principem, sit detestanda.

Respondeo, Fortasse id fieri posse: sicut fieri potest, vt quis doleat, quòd Principi fecerit iniuriam, etsi illum non amet. Verùm hic dolor non erit perfecta pœnitentia, nec sufficiet per se ad reconciliationem, vt patet ex suprà dictis: nam perfecta pœnitentia manare debet ex beneuolentia eius, quem offenderis.

30

Dico Secundò: Actus Pœnitentiæ perfectus non est primus actus virtutum. Patet ex serie actuum ad pœnitentiam necessariorum.

Dico Tertiò, Actus tamen Pœnitentiæ plerũque prior est actibus virtutũ moralium, vt Temperantiæ, Fortitudinis, Iustitiæ particularis, & similium. Probatur: quia recta ratio dictat, vt peccator priùs Deo per Pœnitentiam reconciliari studeat, quàm alijs virtutum operibus incumbat. Nam sine hac reconciliatione virtutum opera, quantumuis magna, nihil prosunt.

QVÆSTIO LXXXVI.

De Effectu Pœnitentiæ quoad peccatorum mortalium remissionem.

In Sex Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm omnia peccata mortifera per Pœnitentiam remoueri possint?

1 Pœnitentia delet quæuis peccata.

RESpondeo: Fide tenendum est, nullum esse peccatum adeò graue, aut peccatorũ mensuram adeò magnam, quæ per veram pœnitentiam deleri nequeat. Definitur in Conc. Lateranensi sub Innocẽtio III. Capitulo *Firmiter. Si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper pœnitentiam reparari.* Ex quo etiam sequitur, peccata ante Baptismum commissa posse per pœnitentiam deleri, videlicet per eam, quæ coniuncta est baptismo, vel eius voto.

Scripturâ. Probatur Primò, Ex Scripturâ: quia frequenter Dominus veniam pollicetur peccatorum omnium, si impium verè pœnituerit: Ezechiel 18. & 33. Isaiæ 1. & 55. Ieremiæ 18. Matth. 11. & 18. Apostolis promittitur potestas soluendorum omnium peccatorum, *Quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis*; idque non solùm *septies* faciendùm docet, *sed & septuagesies septies*, id est, infinities, seu quotiescumq; opus erit. Ioannis 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Idem docent omnes Patres.

Ratio quadruplex. Probatur Secundò, Ratione. Primò: Quorsum Deus daret homini auxilium ad pœnitendum, si non esset paratus illi pœnitenti ignoscere, cùm pœnitentiæ finis sit remissio, & reconciliatio cum Deo? Secundò: vera pœnitentia est ex amore Dei, quo Deus diligitur super omnia: atqui hic amor facit Dei amicum, iuxta illud Ioan. 14. v. 21. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Tertiò: Per Pœnitentiam applicantur nobis Christi merita, quæ sunt infinitæ efficacitatis: ergo, quantumuis multa peccata inuenerint, ea delebunt. Quartò: Quia alioqui esset maior hominis iniquitas, quàm Dei misericordia: nam, etiamsi homo faceret omnia, quæ ex parte suâ sunt necessaria ad remissionem peccatorum, Deus tamen non ignosceret.

2 1. Obiectio hæreticorum. Sed contrà. Obijcitur ex Scripturis: 1. Regum 2. v. 25. *Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Deum peccauerit vir, quis orabit pro eo!* ergo peccatum in Deum est irremissibile.

Solutio. Respondeo: Sensus non est, neminem pro tali posse rogare (vt multis exemplis ostendit Ambrosius lib. 1. de Pœnitentia cap. 8.) sed non esse cuiusuis, verùm amici; eò quòd peccata in Deum difficiliùs remittantur, quàm in homines. Sicut, qui principem immediatè læsit, non tam facilè inuenit, qui pro se velit rogare, quàm is qui læsit priuatum.

3 2. Obiectio quòd peccatum in Spiritũ S. sit irremissibile. Obijcitur Secundò: Matthæi 12. Marci 3. & Lucę 12. Dominus affirmat *peccatũ in Spiritum sanctũ non remitti in hoc sæculo, neque in futuro*: ergo &c.

Solutio D. Augustini: sed non placet. Respondeo: D. Augustinus sermone 11. de Verbis Domini, putat hunc locum vnum esse ex difficillimis totius Scripturæ. Sentit autem *Peccatum in Spiritum sanctum* esse *finalem impœnitentiam*, id est, omne peccatum mortiferum, in quo quis finit hanc vitam; quod constat non esse remissibile. Idem multis alijs locis docet. Sed hæc expositio non satisfacit. Primò: quia Dominus loquitur de aliquo peccato, quod committitur in hac vitâ, non in morte; vt patet Marci 3. vbi insinuat Pharisæos commisisse *hoc peccatum*, quando dixerunt *ipsum habere Spiritum immundum*. Secundò: quia loquitur de certo genere peccati, nempe de *blasphemiâ quâdam in Spiritum sanctum*: atqui finalis impœnitentia non est certum genus peccati, sed circumstantia omnis peccati. Tertiò: quia si esset sermo de finali impœnitentia, non aptè diceretur, quòd *non remittatur in hac vitâ*: quis enim hoc ignoret, cùm ex terminis constet?

Solutio D. Thomæ etiam refellitur. Vnde D. Thomas *per peccatum in Spiritum sanctum* hoc loco intelligit *peccatum ex certâ malitia*; idq; esse irremissibile, quòd difficulter remittatur.

Sed nec hoc satisfacis: quia certum est Dominum loqui de quâdam specie peccati; nempe de *blasphemiâ in Spiritum sanctum*: atqui peccatum ex malitia potest esse quoduis genus peccati.

4 Vera solutio. Dicendum ergo, Per *peccatum in Spiritum sanctum*, intelligi *oppugnationem agnitæ veritatis fidei, quam Spiritus sanctus reuelat, & miraculis testatur*: sicut quod Iudæi, cùm scirent Christum ex Deo loqui, eiusque opera diuinâ virtute fieri, tamen eius doctrinam, & opera calumniabantur, tanquã à Diabolo profecta: vt constat ex 3. cap. Marci, vbi *peccatum in Spiritum sanctum* vocatur *peccatum Pharisæorum*, quod committebant, cùm dicerent, *In Beelzebub eijcit dæmonia*. Operatio enim miraculorum, & illustratio mentium tribuitur Spiritui sancto: ipse enim est, qui docet omnem veritatem, ipse est qui singulis distribuit gratias gratis datas, inter quas est *operatio virtutum*, & *gratia sanitatum* 1. ad Corinthios 12. Hæc est communis sententia Patrum, Hilarij, Hieronymi, Chrysostomi, Anselmi, Theophylacti in caput 12. Matth. Athanasij in homiliâ de hâc re. Ambrosij libro 2. de Pœnitentiâ cap. 4. & libro 1. de Spiritu sancto cap. 3. Hieronymi epistola ad Marcellam de Blasphemiâ in Spiritum sanctum. Vide Maldonatum in hunc locum Matthæi. Dicitur autem hoc peccatum *Irremissibile*, tum quia, qui sic peccant, rarò aut nunquam perueniunt ad pœnitentiam; eò quòd repudient illud, per quod possent curari:

curari: sicut æger, qui repudiat pharmacum, quo solo curari potest, *incurabilis* dicitur.

5 3. Obiectio

Objicitur Tertiò: 1. Ioannis 5. v. 16 *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis.*

Solutio: Quis sensus Ioan. *Est peccatũ ad mortem*, &c.

Respondeo: Sensus est; si proximus tuus grauissimum aliquod peccatum commisit, ita vt omnino videatur incurabilis, nolo tibi certò promittere, quòd Deus te pro illo orantem exaudiet. Dixerat enim Ioannes antèa, Deum nos exauditurum, quidquid peteremus; proindeque monet, *Si cognouerimus fratrem nostrum peccare peccatum non ad mortem*, id est, cui non omnino obstinatè inhæreat, *vt oremus pro illo*, nempe cum certâ fiduciâ, *& dabitur ei vita*: non tamen, inquit, hoc etiam dico de peccatis grauissimis, quibus aliquis obstinatè inhæret. Quare tantum vult dicere, nos non posse certò confidere, quòd pro peccatis grauissimis proximorum exaudiemur, sicut pro minoribus.

Objicitur Quartò; De Esau, & Antiocho. Vide D. Thomam ad 1.

DVBIVM.

Vtrùm omnes homines possint agere pœnitentiam de suis peccatis?

6 Damnati non possunt debitè pœnitere.

REspondeo & Dico Primò: Damnati nõ possunt vllo modo pœnitere de peccatis suis, sicut oportet ad veniam impetrandã, seu quatenus sunt offensio, & iniuria Dei. Ratio est: tum quia hæc pœnitentia sine auxilio gratiæ haberi non potest, quâ damnati omnino carent: tum quia damnati sunt omnino obstinati in malo, & in odio Dei, idque ob grauissima supplicia, quę Deus ipsis infert sine vllâ spe relaxationis. Dolent tamẽ se peccasse, & odio habent peccatum, quatenus est fons, & causa illorum suppliciorum: & sic dicuntur pœnitentiam agere in inferno. Simili modo pœnituit Antiochus 2. Machab. cap. 9. Doluit enim de peccatis, quatenus erant causa supplicij diuini, quod illum iam apprehenderat.

7 Possunt autem omnes Viatores habentes vsum liberi arbitrij.

Dico Secundò: Omnis viator habens vsum liberi arbitrij potest pœnitere de peccatis suis. Ratio est: quia nemini habenti vsum rationis, & consequenter liberi arbitrij, pro tempore, & loco deest auxilium speciale, quo ad veram pœnitentiam possit pertingere, vt alibi ostensum est. Imò hoc loco D. Thom. dicit *esse erroneũ, asserere esse aliquod peccatũ in hâc vitâ, de quo quis pœnitere nõ potest.* Nec satisfacit, quod quidam aiunt D. Thomã solùm velle dicere, hominem posse pœnitere, si Deus det illi auxilium efficax ad pœnitendum, non autem velle tale auxilium omnibus dare. Nam hoc non tantùm est *erroneum*, sed etiã manifestè *hæreticum*. Neque vllus vnquam hæreticus hoc negauit; quorsum ergo opus erat hoc dicere? Vide Ioannem Medinam codice de Pœnitentia quæst. 11. vbi contrariam sententiã dicit esse *impiam*. Omitto alios Doctores.

ARTICVLVS II.

Vtrùm sine Pœnitentiâ, peccatum mortiferum possit remitti?

8 Affirmant hæretici.

HÆretici nullam veram pœnitentiam necessariam esse volunt, sed solam fidem sufficere: nempe eã, quâ quis certò credat Christum pro peccatis ipsius plenissimè satisfeciisse, & ob hanc satisfactionem omnia peccata plenissimè apud Deum esse condonata; nec aliud requiri, quàm, vt ipse hoc fortiter credat.

Concedunt tamen huic fidei initio coniunctã esse contritionem, quam dicunt esse *terrorem, & concussionem conscientiæ ex minis iræ diuinæ conceptam*; deinde *respiscentiam*, quâ quis proponit meliorem vitam: solam tamen *fidem* faciũt causam remissionis peccatorũ. Ita docet Caluinus libro 3. Instit. cap. 3. §. 1. & sequentibus. Et Lutherus art. 11. & 12. & in assertione eorundem apud Rossensem. Verùm:

9 Negant Catholici.

Dicendum est: Ad remissionem peccati mortiferi secundùm legem ordinatam non sufficere solam fidem sine verâ pœnitentiâ formali, vel virtuali. Dico, *secundùm legem ordinatam* diuinitùs: quia de potentiâ absolutâ est alia quæstio. Est fide tenendum. Patet ex Concilio Tridentino sess. 14. can. 4. & cap. 4. & sess. 6. c. 14.

Scriptura.

Probatur Primò, Ex Scripturis: nam in veteri testamento ferè nihil aliud prædicabant Prophetę populo, quàm vt pœnitentiam agerent, si salui esse vellent: Isaiæ 1. Ieremiæ 16. Ezechiel. 18. & 33. Ioel. 2. & alibi. In nouo testamento idem sępissimè præcipitur: Matth. 3. v. 2. *Pœnitentiam agite; appropinquauit enim, &c.* Lucæ 13. v. 5. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Actorũ 3. v. 19. *Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.* Apocal. 2. v. 5. *Age pœnitentiam, & prima opera fac.* Idem docent Patres, quos citat Gratianus dist. 1.

Ratio.

Probatur Secundò: Ratione. Primò, Quia par non est, vt Deus alicui ignoscat, eumque in amicitiam recipiat, nisi doleat se offendisse: alioqui videretur in hominum peccata consentire. Confirmatur: quia etiam inter homines is, qui principem aliquem iniuriâ affecit, non consequitur veniam, nisi ostendat se dolere. Secundò, Peccator propriâ voluntate se à Deo auertit, Deumq; contempsit: ergo, vt reconcilietur, veniamque impetret, necesse est vt vicissim propriæ voluntatis motu se ad Deum conuertat, & de illatâ iniuriâ doleat. Confirmatur: nam qui iniuram intulit, & nullum signum doloris ostendit, censetur adhuc in eâdem voluntate perseuerare. Tertiò: Is, qui cupit ferìò iniuriam condonari, & obtinere reconciliationem, conatur quantum in se est, eam compensare: atqui hoc fit dolore, seu pœnitentiâ.

10 Ante Baptismum.

Hinc fit, vt etiam in Baptismo adultis aliquo peccato mortifero infectis necessaria sit pœnitentia, id est, displicentia, & dolor de peccato commisso: quidquid dicat hoc loco Caietanus. Nam vt rectè Concilium Tridentinũ sess. 14. cap. 1. & 4. docet, *Pœnitentia in omni statu fuit lapsis necessaria, etiam ijs qui baptizãtur.* Vnde Actorum 2. v. 38. Petrus ait; *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum*: vbi *pœnitentiam* distinguit à *baptismo*, & insinuat esse necessariam ad remissionem. Idem docet Fulgentius lib. De fide ad Petrum cap. 30. tanquam pertinens ad fidem Catholicam.

DVBIVM

DVBIVM. I.

An saltem per potentiam Dei absolutam, quæ præter legem ordinatam potest operari, possit peccatum mortiferum sine pœnitentiâ remitti?

PLerique Thomistę putant id nullo modo fieri posse: quia D. Thomas absolutè loquitur, dicens, *id esse impossibile.* 11

Respondeo & Dico Primò: Per nullam potentiam fieri potest, vt alicui remittatur peccatum, qui adhuc actualem retinet complacentiam. Probatur: quia remittere peccatum non est tantummodò nolle punire, vt quidam putant; sed condonare iniuriam, nec eam imputare ad culpam, ac proinde non censere hominem ampliùs iniurium, odio dignum, & indignum amicitiâ. Atqui, si Deus non censeret eum, qui actu peccat, sibi iniurium, odio dignum, & indignum amicitiâ, interpretatiuè censeretur in peccatum consentire, illudque approbare: esset enim Deus amicus maleficorum, & consequenter approbator maleficiorum. Si adsit actualis complacentia peccati.

Dico Secundò: Transacto opere peccati, si nulla restat cõplacentia actualis, potest Deus remittere peccatum sine omni pœnitentiâ, aut bono animi motu. Ita Scotus, & Gabriel dist. 14. Ioan. Medina codice de Pœnitentiâ quæst. 7. & insinuat Caietanus, cùm ait D. Thomam intelligendum de potentiâ ordinariâ. 12 Si absit actualis cõplacentia.

Probatur: Quia post actum peccati nihil remanet in peccatore, præter inclinationem, seu pronitatem quandam habitualem ad similem actum, obligationem ad pœnam, & indignitatem quandam, seu inæqualitatem inter Deum & hominem: atqui inclinatio illa non est peccatum; nam etiam potest esse in homine iusto, & potest tolli sine vllo actu hominis per infusionem inclinationis contrariæ, vel subtractionem diuini influxus, sine quo non potest subsistere. Obligatio quoq; ad pœnam tolli potest per nudam cõdonationem, vt patet inter homines. Indignitas autem illa, seu dignitas odij, seu inæqualitas, quæ est culpa habitualis; similiter tolli potest: quia Deus ex merâ suâ misericordiâ potest prius peccatum desinere imputare ad dignitatẽ odij, & inæqualitatẽ sua bonitate supplere, cõdonãdo quidquid homo ratione præcedentis peccati ipsi debet; nempe non solùm pœnam, sed ipsum etiam dolorem de peccato. Confirmatur: Quia Deus, vt remittat peccatum, non necessitatur vt exigat ab homine pœnitentiam, vel aliquem bonum animi motum. Potest ergo hæc omnia ipsi condonare, & ex sola suâ misericordia omnia supplere, sicque peccata remittere. Verùm, quamuis hæc ita sint, nullo tamen modo expedit; neque est diuinę sapientiæ, prouidentiæ, & iustitiæ satis consentaneũ, quamuis non sit contrarium.

Dices Primò: Peccator manet habitualiter auersus à Deo: atqui auersio non potest tolli, nisi per contrariam conuersionem: ergo necesse est, vt fiat aliqua mutatio in voluntate per aliquem actum. 13 Soluuntur obiectiones.

Respondeo: Illa auersio, quæ manet semper post peccatum, non est auersio aliqua realis, sed solùm est morale quoddam in æstimatione hominum positum: Censetur enim peccator auersus à Deo, quia peccando illum contempsit, & pro hoc contemptu non satisfecit, nec ei est facta condonatio. Sicuti patet exemplo iniuriæ humanæ, quę censetur manere, donec sit cõdonata, vel pro eâ sit satisfactum. Itaque potest hæc auersio condonatione tolli. Adde; etiamsi esset hæc auersio quid reale & physicum, posset tamen tolli, Deo desinente conseruare id, quod in eâ est reale: vnde non est opus contrariâ conuersione. Qua ratione censeatur homo auersus à Deo per peccatum.

Dices Secundò: Deus non potest alicui remittere peccatum, nisi faciendo iustum: atqui peccator non potest fieri iustus, nisi reali mutatione voluntatis.

Respondeo: Non potest fieri ita perfectè iustus, sicut modò, sine reali mutatione voluntatis: potest tamen fieri imperfectè iustus, quantum satis est ad remissionem peccati. Ex dictis etiam patet, posse remitti peccatum sine infusione gratiæ, vel alterius doni realis in animâ; vt alibi ostensum est in tractatu de Gratiâ. Probatur: Remissio peccati per se primò consistit in eo, quòd peccatum non ampliùs imputetur ad inimicitiam, seu ad dignitatem odij: quod fieri potest per solum fauorem diuinum, sine vllo dono creato. Potest remitti peccatum sine reali mutatione voluntatis, vel infusione gratiæ.

DVBIVM II.

Vtrùm illa Pœnitentia, quæ est necessaria ad remissionem peccati mortiferi, requirat expressam, & formalem detestationẽ peccati; ita vt sine hâc peccatum non condonetur?

QVidã, inter quos est Durandus, & Melchior Canus, existimant hanc expressam detestationem esse necessariam. 14 Conciò peccati mortalis necessaria est formalis Pœnitentia ad remissionẽ.

Respondeo & Dico Primò: In eo qui habet conscientiam peccati mortiferi, vel certè adhibitâ diligentiâ, facilè potest recordari, necessaria est ad remissionem peccati, formalis & expressa peccati detestatio. Ita Ioannes Medina codice de Pœnitentiâ quæst. 7. Petrus Soto lectione 4. de Pœnitentiâ, Dominicus Soto dist. 15. q. 1. art. 2. & alij recentiores.

Probatur Primò: Quia Scriptura ad remissionem peccati passim requirit pœnitentiam; vt suprà dictum est: ergo, si formalis pœnitentia aliquando est necessaria ad remissionem peccati, certè tunc maximè, quando peccator eius recordatur, vel potest recordari. Confirmatur: quia formalis pœnitentia tantùm propriè & vsitatè dicitur *Pœnitentia:* tantùm enim dicimus eum propriè *pœnitere*, qui dolet de peccato; non autem eum, qui amat Deum sine vllâ cogitatione peccati: ergo quando Scriptura loquitur de *Pœnitentiâ*, maximè intelligit formalem pœnitentiam.

Probatur Secundò: Quia Concilium Tridentinum sessione 6. cap. 6. apertè indicat actum pœnitentiæ debere esse distinctum à dilectione: ergo non semper sufficit dilectio, quæ est virtualis pœnitentia. Et sessione 14. cap. 4. *Detestationem peccati omni tempore fuisse necessariam, nec sufficere vitæ nouæ propositum, sed etiam requiri odium veteris vitæ*; quod tamen propositum videretur sufficere, si non requireretur formalis pœnitentia: sicque verum esset, quod dicunt Lutherus, & Caluinus *Pœnitentiam nihil esse, nisi nouam vitam.*

Dices:

15 Obiectio soluitur.

Dices: Dilectio Dei super omnia sufficit ad iustificationem: ergo non requiritur detestatio peccati, aut dolor.

Antecedens Probatur: *Vniuersa delicta operit charitas.* Prouerb. 10. v. 12. &, *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* Et, D. Augustinus tractatu 5. in epistolam Ioannis, *Dilectio sola discernit inter filios Dei, & filios Diaboli.*

Dilectio vera Dei non est in eo, qui cõscius peccati mortalis, de eo non dolet.

Respondeo: Sufficere quidem dilectionem: Sed vera dilectio in eo, qui conscientiam peccati mortiferi habet, vel facilè habere potest, non potest esse sine verâ pœnitentiâ, & dolore peccati; vt rectè Petrus Soto. Qui enim Deum offendit, & meminit, vel facilè potest meminisse, non verè illum diligit, si actu non doleat de offensione. Ille enim actus non est secundùm iudicium prudentiæ, quo dirigitur charitas: hoc enim iudicium dictat, vt qui Deum offendit, primò doleat se offendisse, si reconciliari cupit. Similiter dictat, vt conscientiam ante omnia excutiamus, ne fortè sit aliquid, quo amicitiam Dei violauerimus: nisi fortè id antè factum sit. Quare qui hæc negligit, non censetur verè Deum amare, quamuis habeat actum aliquem amori similem. Confirmatur: quia verus amor ante omnia nititur delere, & tollere malum Dei, quod est in suo subiecto: alioqui non est absolutus & efficax amor, qui non nititur tollere malum amati.

Instabis: Adhuc prior est dilectio Dei, quàm odium peccati; quia hoc odium ex illâ nascitur: sed peccatum remittitur, quando quis habet veram dilectionem: ergo ante pœnitentiam.

Respondeo: Perfecta dilectio Dei in peccatore non est prior detestatione peccati, sed eam quodammodò includit. Quia non censetur dilectio perfecta, nisi extendat se ad abolendam ipsius iniuriam dolendo de peccato commisso. Vnde Cõcilium Trident. sess. 6. cap. 6. ante detestationem peccati solùm vult antecedere inchoatam dilectionem; *Incipit*, inquit, *diligere Deum, tanquam omnis iustitiæ fontem*: nam non censetur perfectus actus dilectionis in peccatore, qui non conatur expellere malum dilecti.

16 In non cõscio peccati mortalis, sufficit virtualis pœnitentia, scilicet dilectio.

Dico Secundò: Qui non est sibi conscius alicuius peccati mortiferi, & moralem adhibuit diligentiam, potest iustificari per actum charitatis sine formali pœnitentiâ. Probatur: quia talis dilectio reuerà est perfecta; & extenderet se ad odiũ peccati, si eius meminisset; & omnia facit, quæ iudicium prudentiæ dictat necessariò facienda ad diuinam amicitiam: ergo delet peccatum occultum. Confirmatur: quia sicut legimus Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*: ita Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, & tamen quando non potest haberi Baptismus, sufficit votum, quia ex parte hominis nihil deest quo minùs actu baptizetur: ergo pari modo, quando pœnitentia formalis haberi non potest, sufficiet virtualis inclusa in actu dilectionis, modò ex parte hominis nihil desit, quò minùs habeat pœnitentiam formalem; id est, modò debitam diligentiam fecerit in excutiendâ conscientiâ.

Dices: Talis tenetur conditionaliter pœnitere.

Respondeo; Etsi hoc bonum sit, non tamen tenetur; quia id nullo iure præscribitur. Alioqui posset quis dicere, eum, qui non est sibi conscius peccati mortiferi, teneri etiam ad conditionaliter confitendum: quod apertè falsum est.

ARTICVLVS III.

Vtrùm per Pœnitentiã possit vnũ peccatum sine altero remitti?

17 Per potentiam ordinariam non potest remitti vnum mortale sine alio.

REspondeo & Dico Primò: Secundùm legem ordinatam nõ potest vnum peccatum mortiferum sine altero remitti. Est communis Doctorum sententia. Vide Ioan. Medinam codice de Pœnitentia, quæst. 12. Probatur Primò; Quia nullum peccatum mortiferum remittitur sine infusione gratiæ: atqui gratia omne peccatum mortiferum excludit, cùm omnibus aduersetur. Secundò: Alioqui posset vnus idemque simul esse filius gehennæ, & filius regni. Tertiò: Deus nunquam sanauit aliquem imperfectè, sed semper simul omnes morbos depulit: & ex eo, qui habebat legionem dæmonum, omnes expulit, nullum reliquit, vt significaret omnia peccata mortifera simul expelli.

18 Secùs, per potentiam absolutam.

Dico Secundò: Per potentiam tamen absolutam facilè potest vnum peccatum mortale sine altero condonari. Est contra Dominicum Soto, & quosdam alios Thomistas. Sed communiter tenetur ab alijs. Ita Medina citatus. Probatur Primò: quia Deus non necessitatur ad omnia peccata condonanda simul; sicut homo non cogitur ad omnes iniurias condonandas. Quòd si homo potest ei, qui multas intulit iniurias, alias condonare, alias reseruare, cur non idem possit Deus in suis iniurijs? Secundò: Deus potest condonare pœnam vnius peccati, reseruatâ pœna alterius: cur non similiter culpam, & iniuriam?

Dices: Non potest quis esse simul filius Dei, & diaboli: quod tamen sequetur.

Respondeo: Si loquamur de absolutâ Dei potentiâ, hoc non sequetur. Quia per hanc potentiam potest fieri remissio vnius peccati mortiferi, sic tamen vt ille non fiat filius Dei, sed maneat filius diaboli: quia potest fieri remissio sine infusione gratiæ. Sed est

DVBIVM.

Vtrùm homo possit pœnitere de vno peccato, sic tamen vt non pœniteat de alijs à se commissis?

19

REspondeo: Non potest legitimè pœnitere de vno peccato, vt est offensio Dei, quin simul pœniteat de alijs, quæ memoriæ occurrunt. Ita D. Thomas hoc loco, & alij passim. Solus Medina codice de Pœnitentiâ quæst. 12. art. 2. videtur sentire contrarium, quamuis fortasse solùm in modo loquendi discrepet.

Quomodo possit quis dolere de vno peccato, & non de altero.

Probatur: Quia dupliciter fieri potest, vt quis doleat de vno peccato à se commisso, sic vt non de altero: Primò, Si adhuc velit in altero permanere: & hic dolor parum prodest, nam non excludit propositum peccandi: neque seriò dolet quia Deum offendit, cùm etiam per alterum offenderit. Secundò, Si nolit quidem in vllo permanere; tamen hoc tempore velit solùm excitare dolorem de vno peccato grauiore, eumque nullo modo exten-

do extendere ad alia peccata: qui dolor etiam non sufficit ad reconciliationem; quia reconciliatio postulat, vt omnem iniuriam detesteris, doleasque de eâ saltem generatim.

Ratio est: Quia ad reconciliationem requiritur quædam compensatio pro offensione, & iniuriâ illatâ: hęc autem compensatio fit dolore peccati exhibito & directo personę offensę: si ergo de aliquo peccato non vult nunc dolere, saltem generatim, non censetur velle nunc compensare, ac proinde non est dignus veniâ, neque reconcillatione. Confirmatur: quia in omnibus peccatis est eadem ratio dolendi, scilicet offensio Dei: ergo cùm dolet de vno, non est ratio cur non doleat de alijs, quæ memoriæ occurunt, vel facilè possunt occurrere, saltem generatim: ergo dolor de vno peccato non extendens se ad alia, non est legitima & seria pœnitentia.

Dices: non tenetur hoc tempore de omnibus dolere, cùm præceptum Pœnitentiæ sit affirmatiuum, quod non obligat pro omni tempore: ergo poterit de vno dolere, reiecto dolore alterius in aliud tempus.

Respondeo: Etsi non teneatur quouis tempore de omnibus dolere; tamen quando cupit reconciliari Deo, debet dolere de omnibus: alioqui dolor non erit legitimus, nec sufficiens ad reconciliationem; quamuis etiam non sit futurus culpabilis.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm remissa culpâ per Pœnitentiam, maneat reatus pœnæ?

10 Caluinistę. RESpondet D. Thomas affirmatiuè.

Notandum est: Caluinum cum suis docere, Deum à iustis nullas expetere pœnas in vindictam pręteritorum peccatorum, sed eos tantùm paternè castigare ad profectum & emendationem in futurum. Vide Ruardum art. 6. vbi fusè eius verba refert, & refutat. Lutherani autem non satis sibi in hac re constant, vt refert Bellarminus.

Sententia Catholica affirmat. Respondeo: Certâ fide tenendum est, condonatâ culpâ sæpè remanere in iustificatis reatum seu obligationem pœnæ temporalis. Ita Concilium Tridentinum sess. 14. can. 12. *Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpâ remitti semper à Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfeciſſe; anathema sit.* Idem docet sess. 6. cap. 14. Dixi *sæpe remanere*; quia posset esse tam perfecta pœnitentia, vt simul culpa, & omnis pœna debita condonaretur, qualis fuit in Magdalena, Paulo, Latrone, & huiusmodi.

Scripturæ. Probatur Primò, Ex Scripturis: Genes. 2. v. 17. *Quacumque die comederis, morte morieris:* vbi Dominus minatur mortem in pœnam peccati, quam pœnam omnes luimus etiam remissâ culpâ; vt patet ad Romanos 5. v. 12. *Per peccatum mors in omnes pertansiit.* Numerorum 14. cùm populus murmurasset, Dominus dimisit illis hanc culpam propter preces Mosis; tamen in vltionem peccati nemo ex illis ingressus est terram promissionis, præter Iosue & Caleb, qui non murmurauerant, sed omnes in deserto mortui sunt. Simili modo puniũtur Moyses & Aaron Num. 20. Et cùm 2. Regum 12. v. 13. Dauid dixisset *Peccaui*; respondit Nathan; *Transtulit*, id est, condonauit, *Dominus peccatum tuum*, scilicet quoad culpam & pœnam æternam; tamen puniuit illum morte filij. Neque Dominus dixit, *Vt caueas in futurum, filius morte morietur*; sed *quia Blasphemare fecisti inimicos nomen Domini*: apertè insinuans hoc fieri in vindictam peccati præteriti. Sic 2. Regum 24. post pœnitentiam ob numeratum populum, & culpam condonatam, datur optio, vt eligat bellum, famem, aut pestem, in pœnam peccati. Eadem est sententia omnium Patrum. Vide Andream Vegam lib. 13. in Trident. cap. 37. & 38. & Ruardum ar. 6. qui est de Satisfactione.

Probatur Secundò: Ratione. Primò, Quia peccatum non solùm est contra amicitiam Dei, sed etiam contra iustitiam: ergo quamuis Deus recipiat aliquem in suam amicitiam, ignoscendo culpam; non tamen ideircò tollitur obligatio satisfaciendi iustitiæ. Vt etiam exemplis humanis cõfirmari potest: etsi enim quis alteri condonet inimicitiam, non tamen idcircò condonat satisfactionem. Secundò: Quia si nullum debitum pœnę remaneret, daretur maxima licentia peccandi: nam plerumque metus pœnę magis reuocat à peccato, quàm culpæ.

21 Sed contrà: Obijcitur Primò: Sublatâ causâ tollitur effectus: pœna temporalis est effectus culpæ: ergo sublatâ culpâ nulla ampliùs restat pœnę obligatio. 1. Obiectio. Soluitur. Respondetur: Multas esse causas, quæ etsi transeant, tamen relinquunt post se effectum: vt patet in causa generante, & in genito; in luce, & calore; in suspendio & morte; in merito & præmio, alijsque infinitis. Illud autem Axioma, *Sublata causa tollitur effectus*: intelligitur de effectis, quę in exortu & conseruatione sui dependent à suâ causâ. Obligatio autem pœnę temporalis, etiamsi in exortu dependeat ex culpa (non enim nisi ex culpâ oritur) tamen in conseruatione sui non dependet: vnde remissa culpâ potest permanere. An, & quomodo verum, *Sublata causa tollitur effectus*.

Obijcitur Secundò: Pœnitens, remisso peccato, fit amicus Dei: ergo Deus illum non puniet. 2. Obiectio

Respondeo, Negando Consequentiam: Quia etiam amicus potest exigere satisfactionem iniuriæ, vt iustitiæ satisfaciat.

22 Obijcitur Tertiò: Deus dicitur obliuisci peccatorum, quando reconciliatur: ergo non punit ea. 3. Obiectio. Respondeo: Dicitur *obliuisci peccatorum* quoad inimicitiam & pœnam æternam, quatenus definit esse inimicus, & non ampliùs vult inferre pœnam æternam: non tamen obliuiscitur quoad pœnam temporalem inferendam. Sic dicitur *non nosse peccatores*, quia non nouit tanquam amicos, geritque se erga illos in benefaciendo, tanquam si non nouisset: non tamen in puniendo. Quomodo Deus dicatur obliuisci peccatorum.

Obijcitur Quartò: Quando Christus remittebat peccata, non faciebat mentionem vllius pœnæ subeundæ: ergo &c. 4. Obiectio. Respondeo: Quando Christus per se remittebat peccata, consentaneum erat ipsius excellenti potestati & benignitati, vt etiam pœnas simul condonaret; nempe vt perfecta esset cõdonatio. Et fortasse interius illos ita mouebat, vt perfectione contritionis satisfacerent.

23 Obijcitur Quintò: Contritio, seu pœnitentia tollit pœnam æternam: ergo multò magis poterit tollere poenam temporalem. 5. Obiectio. Et Confirmatur: quia contritio vt duo, potest tollere poenam æternam;

æternam : ergo contritio vt quatuor, poterit tollere æternam & temporalem, quantumuis magnã.

Cur contritio non tollat simul temporalẽ pœnam cum æternã.

Respondeo, Contritio non tollit pœnam æternam per se primò, sed solùm consequenter, quatenus tollit culpam, ex qua debitum pœnæ æternæ sequebatur. Pœna autem temporalis non condonatur ex consequenti, eò quòd aliqua culpa vel macula tollatur, ex quâ dependeat ; sed per se primò. Quare oportet aliquid aliud exhibere Deo, quod isti pœnæ quodammodò in ratione satisfactionis adæquetur.

ARTICVLVS V.

Vtrùm remissâ culpâ mortali, tollantur omnes reliquiæ peccati?

24 Quæ dicũtur reliquiæ peccati.

REspondetur : Non statim omnes reliquias tolli. Pro quo notandum est ; dum committitur peccatum, per illum actum nasci in anima quandam prauam dispositionẽ, & veluti pondus ad similes actus : & si peccatũ frequentetur, nascitur etiam habitus, id est, firma inclinatio. Hæ inclinationes vocantur *reliquiæ peccati*. Constat autem has reliquias ordinariè non statim tolli per pœnitentiam, sed manere etiam in iustificatis ; vt docet Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 8. qui sæpè sentiunt, præsertim in initio conuersionis, magnas in abstinendo ab illicitis difficultates. Vide Origenem homil. 8. in Leuit. vbi disputat de cicatricibus, quę curato peccato in anima permanent. Quod autem D. Thomas ait, *Manere in iustificatis magis per modum dispositionis, quàm habituum*, non sic intelligendum est, quasi semper secundùm substantiam suam imminuantur & debilitentur in iustificatione : hoc enim verum non est : (nam sæpè fit vt quis iustificetur sine actibus, qui prauis illis habitibus sint contrarij.) Sed quia post iustificationem non dominantur voluntati, sicut anteà ; cùm gratia supprimat earum vires, nec sinat in actum exire. Quam ob causam dicuntur etiam *debilitatæ & diminutæ*, etiamsi fortassis secundùm substantiam suam æquè intensæ sint.

ARTICVLVS V.

Vtrùm remissio culpæ sit effectus Pœnitentiæ?

25 RESpondetur Affirmatiuè. Et patet ex dictis art. 1. Solùm :

Notandum est, Actus Pœnitentiæ, vt est Contritio, Confessio, Satisfactio, dupliciter posse spectari : Primò, Vt sunt partes materiales Sacramenti : & hoc módo concurrunt effectiuè & instrumentaliter ad remissionem peccatorum : nempe vt instrumenta moralia. Nam ex Christi institutione applicant nobis ipsius meritum : Contritio quidem & Confessio ad remissionem culpæ ; Satisfactio autem, vt est in proposito, ad remissionem culpæ ; vt autem in executione, ad remissionem pœnæ tantùm. Hæc tamen applicatio non perficitur ante verbum absolutionis, à quo actus pœnitentis vim Sacramentalem potissimùm accipiunt. Secundò spectari possunt, vt solùm sunt actus virtutis Pœnitentiæ : & sic Contritio ad remissionem peccati concurrit vt dispositio, & etiam quodammodò vt compensatio, seu solutio pro iniuria peccati, quamuis imperfecta. Disponit enim ad gratiæ infusionem, quâ peccatum quasi formaliter deletur, sicut tenebræ luce : & satisfacit quodammodò Deo pro iniuriâ illatâ, vt suprà dictum est.

Actus pœnitentiæ quomodo considerari possint, & quomodo sint causa remissionis peccati.

Quæ autẽ Dominicus Soto hoc loco disp. 15. quæst. 1. artic. 6. disputat de actu pœnitentiæ, vt ostendat eundem actum esse ab habitu gratiæ, & etiam dispositionem ad eundem habitum, videntur aliena à veritate, vt ostensum est 1. 2. quæst. 113. art. 8. Vnde & id, quod ex eo infert, à veritate alienum videtur : nempe actum Pœnitentiæ, vt est à gratia, esse causam remissionis peccatorum efficientem, seu meritoriam ; vt autem est à libero arbitrio, esse causam eius dispositiuam. Nam Contritio in nullo momento est à libero arbitrio, quin etiam à gratia præueniente & comitante : & hoc duntaxat modo est dispositio ad gratiam iustificationis. Deinde etiamsi concederemus, quod tamen non concedimus, eandem contritionem posse esse ab habitu grætiæ ; tamen verum non esset illam contritionem esse causam efficientem & meritoriam de condigno remissionis culpæ mortalis, vt ipse videtur velle : quem sequitur Ruardus artic. 6. Nam si contritio consideretur, vt procedit à gratiâ ante remissionem peccatorum, non erit operatio filij, seu personæ absolutè gratæ. Nemo enim est absolutè filius, aut gratus Deo, in quo est culpa mortifera. Quare illa contritio non erit meritoria de condigno remissionis peccati mortiferi. Vniuersè enim verum est, neminem per vllum actum à se procedentem posse sibi mereri de condigno remissionem peccati mortiferi : vt ostensum est quæstione 114. De Gratia.

26 Dominicus Soto refellitur.

QVÆSTIO LXXXVII.

De remissione venialium peccatorum.

In Quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm peccatum veniale sine pœnitentiâ remitti possit?

1 Variæ sententiæ.

SVnt hîc quatuor sententiæ. Prima Scoti dist. 21. quæst. 2. remitti peccata venialia per quoduis opus meritorium hominis iusti, quod magis placeat Deo, quàm displiceant venialia, relatum ad hanc remissionem impetrandam. Secunda Durandi dist. 16. quæst. 2. vbi requirit formalem pœnitentiam: vult tamen sufficere attritionem. Tertia est quorundam recentiorum, qui dicunt requiri perfectam contritionem, qualis requiritur ad remissionem peccati mortiferi: sufficere tamen interdum, scilicet quando peccata venialia memoriæ non occurrunt, contritionem virtualem. Quarta est D. Thomæ, requiri pœnitentiam actualem, vel virtualem extra vsum Sacramenti, non tamen perfectam contritionem.

Pro solutione: Suppono, post actum peccati venialis permanere in homine non solum reatum, id est, obligationem, seu debitum pœnæ; sed etiam culpam habitualem, id est, maculam quandam & labem animæ, quæ eius munditiem contaminet, quamuis hæc leuis sit, & facilè delebilis; nec destruat eius supernaturalem pulchritudinem, sed veluti iniecta macula contaminet. Vnde differt hæc macula à labe peccati mortiferi; quæ & fœdissima est, & suapte naturâ indelebilis, & totam pulchritudinem supernaturalem animæ destruens. Nunc

2 Non quouis opere meritorio remittuntur venialia.

Dico Primò, Etsi Scoti sententia non sit improbabilis, probabilius tamen est, nõ quouis opere meritorio remitti peccata venialia, quamuis ad horum remissionem dirigatur.

Probatur Primò, Quia multa opera bona possunt consistere cum affectu peccati venialis; ergo per illa non remittitur. Probatur Consequentia, Quia nihil expellitur, nisi per suum contrarium. Nec sufficit, si dicas, opus meritorium contrariari illi, quatenus ad illud delendum refertur: nam hæc relatio non facit ipsum opus magis contrarium, quàm per se sit, cùm illud non immutet.

Probatur Secundò, Si quouis opere meritorio ad id relato remittitur peccatum veniale: ergo nunquam in homine iusto remittitur culpa venialis per Sacramentum Pœnitentiæ. Patet Consequentia, Quia voluntas confitendi in homine iusto est meritoria, ac proinde semper remittetur per hanc voluntatem ante Sacramentum: quod videtur esse contra communem sensum, seu æstimationem fidelium.

Probatur Tertiò, Homo plerumque esset sine omni peccato veniali; nã sæpè iusti faciunt aliquid boni operis meritorij. Quod non videtur satis consentaneum illi sententiæ 1. Ioannis 1. vers. 8. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.*

Dices: Quoduis opus bonum in homine iusto meretur gratiam, & vitam æternam: ergo multò magis remissionem peccati venialis, præsertim si ad eam ordinetur. Obiectio soluitur.

Respondeo Negando Consequentiam: Ratio est; Tum quia omne opus bonum supernaturale ex naturâ suâ ordinatur ad præmium vitæ æternæ, non ad remissionem peccati venialis: tum quia peccato veniali, cùm sit offensio quædam Dei & iniuria, debetur satisfactio, seu compensatio: atqui non quoduis meritum est satisfactio pro peccato; quia neque corrigit voluntatem circa peccatum, neque repugnantiam habet cum iniuriâ. Vnde patet hanc rationem non valere à maiori ad minus: quia vita æterna, etsi sit maius quid, quàm remissio peccati venialis, tamen est diuersæ rationis.

3 Ad remissionem venialis peccati semper requiritur aliqua pœnitentia.

Dico Secundò, Ad remissionem peccati venialis requiritur semper aliqua pœnitentia; non tamen expressa & formalis, quâ quis doleat de illo, sed interdum sufficit implicita seu virtualis.

Prior Pars Probatur Primò, Quia Scriptura ad remissionem peccatorum passim requirit pœnitentiam: loquitur autem in genere de omnibus peccatis, quamuis principaliter de mortiferis: ergo requirit aliquam pœnitentiã venialium. Confirmatur: Quia Apocal. 2. Spiritus sanctus imperat pœnitentiam quibusdam Episcopis ob quedam peccata venialia, & nisi faciant, minatur vindictam.

Probatur Secundò, Ex D. Augustino epist. 48. sub finem; *Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel à quoquam seu magno seu paruo peccato ad correctionem sine pœnitentiâ posse transire.* Et lib. de vera & falsa Pœnitentia cap. 8. *Pœnitentia assiduè peccanti, assiduè necessaria est: in multis enim offendimus omnes, quæ quotidie remittuntur, si semper deplorentur.*

Altera Pars Probatur: Ad remissionem peccatorum mortalium aliquando sufficit implicita pœnitentia, nempe quando memoriæ non occurrunt, vt suprà dictum est: sufficit enim actus charitatis, qui eius sit conditionis, vt si peccatum memoriæ occurreret, illud propter Deum detestaretur: ergo in simili casu, & quidem multò magis, sufficit implicita pœnitentia ad remissionem peccati venialis.

Dico Tertiò, Ad remissionem peccati venialis non videtur sufficere quæuis attritio etiam in homine iusto.

4 Non tamen sufficit quæuis attritio, etiã in iusto.

Probatur Primò, Quia alioqui nunquam remitteretur culpa venialis per Sacramentum Pœnitentiæ in homine iusto, sed semper per attritionem præcedentem, quæ requiritur vt necessaria dispositio ad hoc Sacramentum. Quod videtur contra communem sensum fidelium Doctorum & indocto-

& indoctorum, qui hæc peccata confitentur, vt absoluantur à culpa.

Secundò, Qui dolet de peccato veniali ob turpitudinem peccati, vel ob pœnam quam metuit, non dolet sicut oportet ad reconciliationem; quæ requirit, vt doleas de peccato, quatenus aliquo modo Deum offendit: ergo hæc attritio non sufficit per se ad remissionem peccati venialis.

Tertiò, Peccatum veniale verè offendit Deum, iuxta illud, *In multis offendimus omnes:* quamuis non ita grauiter, vt dissoluat amicitiam: ergo peccator debet de eo dolere, quatenus ipsum offendit. Patet Consequentia: Quia alioquin non doleret de eo, quod est præcipuum in peccato, scilicet de offensione Dei: ac proinde non quantum satis est ad remissionem: ergo attritio, quæ est dolor de peccato ob turpitudinem, vel ob pœnam impendentem, non sufficit ad remissionem. Confirmatur: Quia talis attritio non dolet de peccato, vt habet ordinem ad Deum: ergo non est iusta compensatio pro offensione in Deum.

5 Non est necessaria perfecta contritio, sed imperfecta.

Dico Quartò: Ad remissionem peccati venialis non requiritur perfecta contritio; sed sufficit, & necessaria est quædam contritio imperfecta. Prior Pars Probatur: Quia contritio perfecta sufficit ad remissionem peccati mortiferi, vt omnes concedunt: atqui non est credibile Deum exigere tantam satisfactionem pro peccato veniali, quantam pro mortifero: ergo non exigit contritionem perfectam. Quod confirmatur exemplo humano: Princeps enim non tantam exigit satisfactionem & dolorem ab amico, qui leuiter illum offendit saluâ amicitiâ, quantam ab eo qui grauiter offendit, ita vt inimicitiam contraxerit, vt à proditore, vel inimico; id enim esset contra æquitatem: nam compensatio iniuriæ debet suo modo iniuriæ commensurari.

6 Conueniētia & disconueniētia peccati mortalis & venialis.

Vt autem Secunda Pars intelligatur, & probetur. Notandum est, vtrumque peccatum & mortale & veniale offendere Deum; ac proinde de vtroque dolendū, quatenus est offensio Dei: alioquin non doletur de eo, vt oportet ad reconciliationem, vt dictum est. Verùm quia peccatū mortiferū sic offendit Deum, vt amicitiam eius euertat, & bonum creatum illi quodammodò anteponat, ideò de eo dolendum tanquam de summo malo, & ex perfecto affectu amicitiæ, quo Deus diligatur super omnia, vt hac ratione & amicitia instauretur, & Deus omnibus rebus anteponatur: sic enim fit compensatio, non quidem ex æquo, tamen secundùm conuenientem proportionem. Per peccatum autem veniale, etsi Deus offendatur, amicitia tamen non dissoluitur, nec creatum bonum Deo anteponitur. Vnde non est necesse, vt de eo doleas ex amore Dei super omnia, sed sufficit vt ex aliquo affectu beneuolentiæ seu charitatis erga Deum doleas.

Confirmatur: Quia non omnis affectus beneuolentiæ, seu charitatis erga Deū est dilectio Dei super omnia: (non enim necesse est omnem beneuolentiam erga Deum ad hanc perfectionem pertingere:) similiter nec omne odium peccati, quatenus est iniuria Dei, est odium peccati super omne malum: ergo dantur quidā affectus erga Deum, & odia seu dolores de peccatis, quatenus sunt iniuria Dei, minoris perfectionis: atqui hæc sufficiunt ad peccati venialis remissionem; nam debitam cum eâ proportionem habent. Peccatum enim veniale, etsi sit quædam Dei offensio, non tamen est summum malum, nec perimit diuinam amicitiam; nec præponit creaturam Deo, sicut peccatum mortale: ergo ad eius compensationem non est necesse dolere de eo, tanquam de summo malo; aut ex perfectâ dilectione qua Deus omni bono anteponatur, & amicitia redintegretur. Est autem hic dolor imperfecta quædam contritio, insufficiens quidem ad remissionem peccati mortiferi extra Sacramentum; tamen ad remissionem peccati venialis est species quædam attritionis, multum accedens ad naturam contritionis; cùm habeat quodammodò idem obiectum formale, quamuis non eodem modo in illud tendat: nam aliâ æstimatione tum intellectûs tum voluntatis tendit perfecta contritio in peccatum, aliâ tendit hæc attritio: sicut alio modo amatur aliquid vt finis, alio vt simplex bonum, quod non concipitur vt finis. Hoc modo intellige Doctores, qui dicunt requiri contritionem ad remissionem peccati venialis: vt Richardus dist. 21. artic. 3. quæst. 1. & quidam alij: loquuntur enim de contritione in genere. Eadem videtur mens D. Thomæ hoc art. Quæ sit Imperfecta Contritio.

DVBIVM.

Quomodo remittatur culpa venialis, in quâ quis ex hac vitâ discedit?

LOquor autem de remissione culpæ, non pœnæ. Constat enim pœnam non remitti, nisi eius perpessione, vel aliorum suffragijs. Omissis varijs sententijs. 7

Respondeo, Remitti per formalem pœnitentiam ex perfectâ dilectione manantem. Nam anima iusti statim post mortem cognoscit suum statum, & omnes culpas quibus adhuc est contaminata: ergo ex dilectione Dei concipit de illis formalem pœnitentiam, easque quatenus Deum offendunt, detestatur. Patet Consequentia: Quia statim fertur dilectione in Deum, cùm nihil habeat impedimenti, & simul clarè cognoscat has culpas Deo displicere. Colligitur hæc sententia ex D. Thoma quæst. 7. de Malo, art. 11. &, suppositâ fide, ratio naturalis id conuincit. An, & quomodo post mortem possit anima aliquid mereri.

Dices: Anima post hanc vitam non potest ampliùs mereri: ergo nec impetrare remissionem culpæ.

Respondeo Primò, Non posse ampliùs mereri aliquid, quod pertineat ad præmium essentiale, scilicet gradum aliquem gratiæ vel gloriæ: nihil tamen vetat, quin possit mereri aliquid accidentarium, scilicet sublationem alicuius impedimenti; qualis est culpa venialis. Ita D. Thomas in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 3. ad 4.

Respondeo Secundò, Illam pœnitentiam non habere rationem meriti, sicut nec orationes Sanctorum, quia sunt extra statum merendi: habet tamen rationem dispositionis contrariæ peccato, vel etiam iustæ compensationis, quâ positâ, Deus culpam illam remittit. Nihil tamen per hoc condonatur de pœnâ; alioqui multiplicatis huiusmodi actibus tota pœna tolleretur, quod falsum est: nam hæc non tollitur, nisi ipsa solutione per pœnas purgatorias. Ita D. Thomas loco citato de Malo, quæst. 7. art. 11.

8 An ad remissionem singula peccata mortalia rememorãda sint.

Notandum est Primò: Id, quod D. Thomas in Corpore ait, ad remissionem peccati mortiferi requiri, vt homo diligentiam præstet ad singula peccata mortifera rememorãda, vt singula detestetur; intelligendum esse, suppositò præcepto confessionis. Nam alioqui non est necessaria singulorum commemoratio, cùm possit homo generatim vitã præteritã detestari, & proponere emendationem; vt patet in multis qui subitò iustificati fuerunt. Valdè tamen illa commemoratio est vtilis ad perfectiorem dolorem concipiendum.

Notandum Secundò, in responsione ad 2. Martyriũ purgare ab omni peccato mortali & veniali, nisi actualiter inuenerit voluntatem peccato inhærentem: quod intellige, si tamen antè præcesserit saltem attritio, vt suprà dictum est: alioqui non poterit vllo modo delere peccãtum mortiferum; & credibile, nec veniale: quia sine aliqua pœnitentia & voluntatis retractatione non est remissio.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ad remissionem peccati venialis requiratur gratia infusio?

9 Ratio D. Thomæ.

REspondetur, Non requiri. Fundamentum D. Thomæ est, quia non quouis actu charitatis, quo remittitur peccatum veniale, etiam augetur gratia. Itaque cùm ad remissionem peccati venialis solùm requiratur aliquis motus gratiæ vel charitatis ipsi repugnans, non requiritur gratiæ infusio.

Dissolui. tur.

Verùm hoc fundamentum D. Thomæ est parũ firmum. Imò contrarium est multò probabilius, vt ostensum est 1.2. q. 114. art. 8. Ratio est, Quia omnis actus, quo remittitur peccatum veniale, est etiã meritorius augmenti gratiæ, vt D. Thomas, & omnes ferè Doctores admittunt. Et colligitur apertè ex Tridentino sess. 6. c. 10. Quòd si est meritorius augmenti gratiæ: ergo hoc augmentum statim infunditur, dum fit opus; & consequenter, dum fit remissio peccati venialis. Nõ enim est vlla ratio huius augmenti differendi. Quandocumque enim aliquid meremur, Deus illud non differt, nisi quia vel pertinet ad præmium alterius vitæ, sicut est visio Dei & immortalitas; vel quod nondum expedit nobis. Atqui augmentum gratiæ semper est valdè expediens, & pertinet ad statum huius vitæ. Cur ergo Deus illud differat?

Dices: Deus expectat, vt elicias actum intensiorem, quàm sit habitus, & tunc dabit augmentum.

Sed contrà: Quid si tota vitâ non faciam actum intensiorem, sed omnes sint pares ipsi habitui gratiæ; non crescam in virtutibus? Deinde, Non est verisimile, Deum exigere actum habitu intensiorem, vt conferat augmentum gratiæ, cùm ne in patria quidem actus sint futuri suis habitibus intensiores. Tertiò, Actus boni agunt meritoriè ad augmentum habituum: non est ergo opus illâ philosophiâ, quâ statuitur actus non augere habitum, nisi eo sit intensior: hoc enim solùm locum habet in actibus virtutum acquisitarum, qui non meritoriè, sed physicè & effectiuè augent suos habitus.

Respondeo & Dico Primò: Remissionem peccati venialis per se primò non postulare gratiæ infusionem, quia non extinguit charitatem, nec diluit amicitiam, sed salua charitate committitur: vnde sine nouâ charitatis infusione, quantum est ex se, tolli potest. Nam gratia, quæ antè inerat, positâ dispositione peccato veniali repugnante, diuinitus ordinari potest ad eius deletionem. 10 Remissiõ venialium per se pti. mõ nõ postulat gratiæ infusionem.

Dico Secundò, Vt remissio peccati venialis perfecto modo fiat, valdè probabile est requiri gratiæ infusionem. 11 Postulat tamen eam vt perfecto modo fiat.

Probatur Primò, Quia alioqui, quando quis iustificatus est & mundatus à peccato veniali, nõ erit mens eius aliter disposita, quàm antea; ac proinde illa remissio fiet solùm per extrinsecam condonationem, & nudam non imputationem: qui modus condonationis est imperfectus: nam per eam mens non conformatur intrinsecè diuinæ legi.

Probatur Secundò, Quia peccatum veniale non remittitur, nisi infundatur gratia; vt patet ex iam dictis: ergo illa gratia delebit formaliter peccatum veniale. Patet Consequentia: Quia illa gratia datur ad dispositionem repugnantem peccato veniali, ac proinde ipsa quoque peccato veniali repugnat: nam respondet suæ dispositioni.

Probatur Tertiò, Peccatum veniale relinquit in anima labem & maculam quandam: atqui hæc non tollitur formaliter per actum contritionis imperfectæ, sed solùm tollitur dispositiuè: sicut macula peccati mortalis non tollitur formaliter per actum perfectæ contritionis, sed solùm tollitur dispositiuè: ergo formaliter tollitur per gratiam respondentem illi dispositioni. Confirmatur, Quia habitualis macula per habitualem quoque pulchritudinem tolli debet.

Obiectio.

Dices: Is, cui in Baptismo non est remissum peccatum veniale, eò quòd eius affectum adhuc retineret, accipit illius remissionem per attritionem quam habet post Baptismum, & tunc vi Baptismi deletur illa culpa sine nouâ gratiæ infusione ad huius deletionem ordinatâ: ergo hæc remissio non fit formaliter per gratiæ infusionem.

Solutio.

Respondeo, In hoc casu esse quiddam particulare, eò quòd iam antea gratia sit collata ad huius peccati remissionem: sed quia tunc deerat legitima dispositio, nempe displicentia, quæ necessaria erat, vt illa gratia hunc effectum formalem tribueret, & peccati venialis labem deleret; ideò postea dispositione accedente potest illa prior gratia ad hoc se extendere. Effectus enim formalis secundarius potest interdum separari à forma; vt visibilitas à colore. Idque facilè intelligi potest, quando ille effectus per se non est quid reale, sed solùm quid morale; vt remissio culpæ.

DVBIVM.

Vtrùm quoties gratia homini infunditur toties etiam peccata venialia remittantur?

12

REspondeo & Dico Primò: Illa non remittuntur, quorum quis affectum retinet, dum gratia infunditur. Ratio est, Quia repugnat peccatum remitti, dum actu est.

Dico

Cui gratia infunditur per Sacramenta, ei remittuntur omnia venialia, posità aliquâ de eis displicentiâ.

Dico Secundò: Cui infunditur prima gratia, vel gratiæ augmentũ per aliquod Sacramentum, præsertim Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & extremę Vnctionis; ei remittũtur omnia venialia, modò tamen aliquâ illorum displicentiam, saltem anteà habuerit. Probatur: Quia Baptismus, & Pœnitentia peculiariter sunt instituta ad omnium peccatorum, tum venialium tum mortaliũ remissionem: ergo vim habent ad ea delenda, etiamsi non adsit dispositio quæ per se sola sufficeret. Patet consequentia: Quia inde probamus habere hęc Sacramenta vim delendi peccata mortifera, quamuis non adsit nisi attritio, quæ per se sola non sufficeret. Eucharistia quoque vi suâ culpas quotidianas delet, vt docet Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 2. Denique extrema Vnctio ad hoc quoque est instituta.

13 Omnia Sacramenta habere vim delẽdi peccata venialia, est probabile.

De alijs Sacramentis est magis dubiũ. D. Thomas art. 3. putat omnia Sacramenta hanc vim habere: quod satis est probabile. Nam omnia instituta sunt ad hominem absolutè sanctificandum, & valent ad delendum peccatum mortiferum, si adsit necessaria dispositio: cur non etiam ad veniale? Dixi, *Modo saltem aliqua displicentia antecesserit*, v.g. aliqua attritio, etsi sola non sufficiens: nam sine pœnitentiâ non fit remissio.

14 Quę venialia remittantur ei, cui datur gratia sine Sacramento.

Dico Tertiò: Cui datur gratia, vel gratiæ augmentum sine Sacramento per propriũ actum, ea dũtaxat peccata venialia remittũtur, quorũ habet vel virtualem vel formalem pœnitentiam, quæ per se sufficiens sit ad eorũ remissionem, seu quæ sit perfecta vel imperfecta contritio, iuxta suprà dicta. Ratio est: Quia neque illud opus bonum, neque gratiæ infusio, quæ fit ratione huius operis, repugnat peccato veniali, nisi opus formaliter vel virtute pœnitentiam illius includat: nam gratia, quæ datur ratione illius operis, commensuratur illi operi, nec magis se extendit quàm ipsum opus dignum sit. Vnde si opus non repugnet perfectè peccato veniali, neque gratia, quæ per ipsum datur, illi repugnabit. Secùs est de gratiâ, quę datur per Sacramentum: nam meritum Christi supplet defectum, quæ est ex parte dispositionis: vnde, etsi dispositio non sit sufficiens, vt sine Sacramento deleat peccatum mortiferum, vel veniale, tamen cum Sacramento sufficit. Nec obstat, quod ait D. Thomas in Corpore, peccata venialia remitti, quandocumque de nouo infunditur gratia adulto, quasi ex vi infusionis gratiæ fiat semper hæc remissio, neque requiratur pœnitentia: Nam ibidem ait id prouenire ex eo, quò infusioni gratiæ in adultis coniunctus sit motus liberi arbitrij in peccatum, id est, dolor & pœnitentia de peccato. Quod etsi sæpè verum est, non tamen semper, vt Sotus notauit. Nam interdum potest homo iustificari retento affectu peccati venialis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm peccata venialia remittantur per aspersionem aquæ benedictæ, & similia?

15 Peccati Venialis octo remedia.

REsponsio D. Thomæ est affirmatiua. Notandum est: Multa numerari à Theologis peccati venialis remedia. Primum est, Susceptio alicuius Sacramenti, præsertim Baptismi, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, extremæ Vnctionis, & fortè etiam aliorum.

Secundum, Vsus aquæ benedictæ; vt colligitur ex Canone *Aquam*, de Consecratione dist. 3. qui canon est Alexãdri I. qui fuit quintus à S. Petro: est enim hic vsus antiquissimus ex traditione Apostolicâ descendens, teste Basilio in lib. de Spiritu S. cap. 27.

Tertium, Benedictio Episcopalis. Quod colligunt Doctores ex Canone *Dictum est*, 1. quęst. 1. qui canon acceptus est ex Auctore lib. quæstionũ veteris ac noui Testamenti, quem Gratianus putabat esse Augustinum.

Quartum, Oratio in templo consecrato. Colligunt hoc ex lib. 3. Reg. cap. 8. & 9. & 2. Paralipom. 6. & 7.

Quintum, Tonsio pectoris. Colligitur ex Canone *Tres sunt*, de Pœnit. dist. 1. qui sumptus est ex epist. 108. Augustini.

Sextum, Oratio Dominica. Canone citato, *Tres sunt*, &c. & Canone *De quotidianis*, dist. 3. de Pœnitentiâ, qui sumptus est ex Augustini Enchiridio cap. 71.

Septimum, Confessio generalis: de qua non extat quidam Canon, sed est communis sententia: & colligitur ex duobus canonibus citatis.

Octauum, Eleëmosyna: Canone *Medicinam*, de Consecratione, dist. 1. & ex Enchiridio Augustini cap. 27. Sed est:

DVBIVM.

Quâ vi hæc deleant culpas veniales?

16 MVlti Doctores existimant hæc, præsertim Sacramentalia, habere vim delendi peccatum, quasi ex opere operato; solumque requiri, vt cum aliquâ reuerentiâ illis vtamur; neque requiri contritionem vel attritionem, sed vt summum intentionem delendi peccata. Ita Dominicus Soto dist. 15. quęst. 2. art. 3. item Gabriel, & Ioannes Maior, & quidam alij.

Hæc non delere peccatum ex opere operato, verisimilius est.

Verùm hæc sententia, etsi non sit improbabilis: vt diximus qu. 71. de Cæremonijs Baptismi num. 9: Verius tamen videtur, hæc non delere peccatum veniale ex opere operato; sed solùm per modũ impetrationis, excitando in nobis motum contritionis perfectæ vel imperfectæ, quo illud nobis propter Deum displiceat. Ita D. Thomas hîc ad 1. & 3. cùm ait, Omnia ista causare remissionem peccati venialis, quatenus inclinant animam ad motum pœnitentiæ. Idem expressè docet quæst. 7. de Malo, art. 12. & Petrus Soto de Pœnitentiâ lectione 18. & insinuat Richardus dist. 21. art. 3. quæst. 1.

Prior Pars Probatur, Primò: Quia peccatum veniale relinquit maculam quandam in animâ, ac proinde non potest conuenienter tolli per solam extrinsecam condonationem; sed requiritur intrinseca quædam animi immutatio, cui hæc condonatio, sit annexa: atqui Sacramentalia non habent per se vim inducendi immediatè hanc mutationem in anima, sicut Sacramenta per se vim habent: ergo per se non possunt hæc peccata delere.

Probatur Secundò: Sacramentalia vim suam habent ex institutione Ecclesiæ: atqui Ecclesia non habet potestatem tollendi immediatè culpas veniales: ergo nec dandi Sacramentalibus hanc

virtutem. Patet Consequentia : quia ex eo, quòd Christus habet potestatem conferendi Sacramentis vim delendi peccata, rectè colligimus ipsum per se immediatè posse peccatum remittere : ergo è contrario, qui per se non potest, etiam non potest alteri hanc potestatem dare. Imò plus videtur, posse instituere talia remedia efficacia ad peccatum delendum, quàm posse per se remittere.

Probatur Tertiò: Ecclesia non instituit Sacramentalia, nisi per suas preces; vt patet ex consecratione aquæ benedictæ, & similium : atqui per suas preces non potest sic annectere, seu applicare Christi merita rebus externis, vt infallibilem effectum remissionis culpæ, aut gratiæ præuenientis, in vtente habeant. Nam preces Ecclesiæ non habent vim ex opere operato, sed solùm per modum impetrationis. Vnde per suas preces non annectit Christi merita auctoritatiuè, sed deprecatiuè; ac proinde Sacramentalia non operãtur, nisi per deprecationem. Patet Consequentia : quia non operantur, nisi ratione deprecationis fusæ per Ecclesiam super ipsa, quæ est veluti forma & vis illorum : Non autem operantur ratione meriti Christi immediatè annexi, sicut Sacramenta, quorum forma & vis est ipsum Christi meritum immediatè per Christi auctoritatem ipsis annexum. Confirmatur : Quia Sacramentalia ad alia etiam valẽt: vt aqua benedicta ad abigendos dæmones, item ad salutem mentis & corporis, vt habetur in eius consecratione : atqui non valet ad illa, nisi per modum impetrationis : ergo neque ad remissionem peccati venialis.

Probatur Quartò : Eleëmosyna, Oratio Dominica, Confessio generalis, & tonsio pectoris, non valent per se & ex opere operato ad remissionem peccati venialis; & tamen Patres & Canones similiter de his loquuntur, atque de Sacramentalibus : ergo nec Sacramentalia valent ex opere operato. Antecedens patet : Nam hæc non sunt ab Ecclesiâ instituta, sed sunt opera legis naturæ. Nec vsquam legimus ab Ecclesiâ vel à Deo aliam vim eis tributam, quàm eam, quam naturâ suâ in statu gratiæ habent.

Quintò Denique : Per se incredibile videtur hominem statim liberari omnibus culpis venialibus, hoc ipso quòd aquam benedictam, vel benedictionem Episcopalem cum aliquâ reuerentiâ accipit, vel in Ecclesia consecratâ orat, etiamsi nullam earum displicentiam, vt Deum offendunt, habeat.

Hinc facilè probatur Altera pars : nempe hæc delere peccatum veniale dumtaxat mediante motu pœnitentiæ, quem in nobis excitant. Primò : Nam certum videtur Eleëmosynam, Orationem Dominicam, & similia non aliter delere culpas veniales, nisi impetrando motum pœnitentiæ : ergo idem dicendum de Sacramentalibus. Secundò : Sacrificium Missæ non aliter delet mortifera, aut venialia peccata, quàm per modum impetrationis : ergo potiori iure idem dicendum de Sacramentalibus. Tertiò : Sacramentalia non habent vim remittendi peccata, nisi per modum deprecationis, vt probatum est : sed deprecatio non remittit culpas, nisi impetrando motum pœnitentiæ, quo animus retractet quod commisit : ergo hæc non habent vim nisi impetrandi.

17 Solùm hæc delent venialia mediante motu Pœnitentiæ.

18 1. Obiect. Sed Contra. Primò : Ecclesia habet potestatem applicandi Christi merita efficaciter ad condonationem pœnarum, vt patet in Indulgentijs : ergo etiam culparum venialium.

Respondeo, Negando Consequentiam : Ratio est, quia condonatio pœnæ non requirit intrinsecam animi mutationem, sed solùm condonationem extrinsecam. Nam voluntate correctâ, & labe peccati deletâ, manet reatus pœnæ, & consequenter sine aliâ renouatione mentis conuenienter tollitur. Soluitur.

Obijcitur Secundò : D. Augusti. in Enchiridio c. 71. sic ait, loquens de Oratione Dominica, *Delet omnino hæc Oratio minima & quotidiana peccata : delet & illa, à quibus vita fidelium, scelerate etiam gesta, sed pœnitendo in melius mutata, discedit* : vbi videtur insinuare venialia deleri per Orationem Dominicam sine pœnitentiâ ; mortalia autem cum pœnitentiâ. 2. Obiect. ex Augustino.

Respondeo : Tantùm vult dicere per Orationem Dominicam deleri sæpè aliqua peccata venialia, etiamsi animus non recedat ab omnibus : nam potest vnum sine altero remitti. peccatum autem mortiferum nullum remitti potest ex omnibus, nisi animus pœnitendo recedat ab omnibus. Dicit autem Orationem Dominicam delere peccata, eo modo, quo paulò pòst ait, Eleëmosynam delere peccatum, non solùm veniale, sed etiam mortale. Delet autem Eleëmosyna impetrando pœnitentiam de culpâ, & postea satisfaciendo pro pœnâ. Soluitur.

Obijcitur Tertiò : Videtur esse contra communem sensum fidelium, non remitti peccatum veniale per aquæ benedictæ aspersionem, nisi quatenus impetratur motus pœnitentiæ; & contra experientiam, quia non experimur nos tunc ad pœnitentiam excitari imò magis excitamur lectione sacrâ, vel aspectu imaginis crucifixi. 3. Obiect.

Respondeo : Non est communis fidelium sensus remitti culpas veniales aspersione aquæ benedictæ sine legitimo dolore; sed solùm in genere remitti peccatum veniale, vel secundùm culpam, si homo cooperetur, vt oportet; vel secundùm aliquid pœnæ, si culpa sit remissa. Et quamuis tunc non sentiamus nos excitari, possumus tamen postea excitari tempore congruo. Imago Crucifixi, & lectio pia non sunt instituta ad venialium remissionem, sicut Sacramentalia : nec naturâ suâ ad deletionem peccati ordinantur, sed ad charitatem, aliasque virtutes excitandas. Soluitur.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm peccatum veniale possit remitti sine mortali?

19 Respondetur Negatiuè. Durandus dist. 16. quæst. 2. & Gabriel eâdem dist. quæst. 5. art. 3. putant veniale sine mortali remitti posse. Idem sentit Scotus dist. 21. quæst. 1. Sed Communis sententia est id fieri non posse. Pro qua,

Dico Primò : Secundùm legem Dei ordinatam fieri nequit, vt habenti peccatum mortiferum & veniale, condonetur veniale sine mortifero. Videtur certa. Communis opinio negat secundùm potentiam Dei ordinatam.

Probatur Primò, Ex Scripturâ : Ecclesiastici 34. v. 23. *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis*; id est, *nullis peccatis eorum*. Isaiæ 1. v. 11. *Quò mihi*

mihi multitudo victimarum vestrarum, dicit Dominus? Ne offeratis vltrà sacrificium frustra: Atqui non frustra obtulissent, si per ea fuissent peccata venialia condonata. Matth. 6. v. 15. *Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra:* Sed si peccatum veniale posset remitti sine mortifero, daretur casus in quo mihi fieret remissio, quamuis ego non remitterem fratri.

Probatur Secundò, Ratione: Primò, Peccator facit illud opus, vel vt Deo reconcilietur de peccatis venialibus, vel ob alium finem: Si ob alium finem, non est cur existimemus ei condonari peccatum veniale: Si autem, vt Deo reconcilietur, & obtineat veniam culpæ venialis, videtur Deum irridere; vt qui neglectis maximis culpis, de minimis veniam petat. Secundò: Quia remissio peccati est signum amicitiæ & reconciliationis: atqui nullũ opus hominis peccatoris, quamdiu cupit manere in peccato mortifero, seu quamdiu ab eo non recedit, est acceptum Deo ad vllam reconciliationem, cùm sit opus inimici. Confirmatur: Quia Deus priùs respicit ad personam, quàm ad opus; iuxta illud Genes. 4. v. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius:* persona enim est veluti forma ipsius operis: ergo si persona sit inimica, & consequenter nullius pretij apud Deum, etiam opus nullius pretij erit.

20 1. Obiectio

Sed Contrà: Obijcitur Primò. Ex Durando: In peccato veniali non est priuatio gratiæ, nec pœna æterna, sed solùm inordinatio voluntatis, & debitum pœnę temporalis: atqui voluntatis inordinatio potest tolli per displicentiam eius, quod inordinatè placuit; & pœnæ debitum tolli potest per solutionem supplicij temporalis: ergo sine remissione peccati mortiferi.

Soluitur.

Respondeo: Etsi in peccato veniali non sit tanta offensio Dei, vt priuet hominem eius amicitiâ; est tamen aliqua offensio præter inordinationem actûs, & debitum pœnæ temporalis; quæ offensio non potest tolli per quamlibet voluntatis reordinationem, sed per eam duntaxat, quæ Deo ad hoc sit accepta: talis autem non est ea, quæ consistit cum peccato mortifero.

Obijcitur Secundò: De eo, qui habet peccatum originale & veniale tantùm, & in his moritur; huic, inquit Durandus, remittitur peccatum veniale sine originali. Quod confirmat, quia non punietur pro peccato illo veniali pœna infinita, cùm ei tantùm debeatur pœna finita. 2. Obiectio

Soluitur.

Respondeo: Huic nunquam remittetur culpa venialis, quia in inferno non concipiet dolorem de illo peccato sicut oportet ad remissionem; ad hoc enim requiritur gratia: alioqui etiam dicere possemus culpam mortiferam ibidem remitti. Quò fit, vt talis semper sit puniendus pro illo peccato; nam semper manebit culpa. Pœna tamen fortassis erit mitissima; nam productio pœnæ est loco intensionis. Vnde etsi fidelis in gratia discedens, ob tale peccatum in Purgatorio fortassis puniretur igne, credibile tamen est illum non puniendum igne, sed mitiùs: alioqui parum differret eius supplicium à pœnâ eorum, qui damnantur ob peccatum mortale. Ad confirmationem: Peccato veniali dicitur deberi pœna finita, si sit solitarium; vt in iustis, in quibus culpa potest deleri. Nam alioquin omni peccato tamdiu debetur pœna, quamdiu perseuerat ipsa culpa. *An verò illi qui in solo originali peccato moriuntur, sint puniendi pœnâ ignis, copiosè deductum vide lib. 13. de Perfect. diuinis c. 22. n. 143. & seq.*

Non remittitur veniale sine originali peccato.

Obijcitur Tertiò: Opera peccatoris valent ad bona temporalia consequenda: ergo etiam ad remissionem peccatorum venialium. 3. Obiectio

Soluitur.

Respondeo Negando Consequentiam; Quia remissio peccati est bonum superioris ordinis, pertinens ad reconciliationem cum Deo: vnde non habet proportionem cum operibus nostris, nisi in gratiâ fiant.

Dico Secundò: Per potentiam tamen absolutam peccatum veniale remitti potest reseruato mortali. Ratio est: Quia hæ culpę non necessariò dependent à se mutuo. 21 Per absolutam potentiam potest veniale remitti sine mortali.

QVÆSTIO LXXXVIII.

De reditu peccatorum per Pœnitentiam dimissorum.

In Quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm peccata remissa redeant per sequens peccatum?

1 Status quæstionis.

REspondetur negatiuè. Notandum est: Hic non quæri, an actus peccatorum remissorum, vel prauæ inclinationes habituales redeant: sed, an culpa redeat & reatus: id est, vtrùm Deus, quando post veniam homo peccat, rursus ei imputet peccatum antè commissum & condonatum, ad culpam & reatũ; habeatque illum inimicum ob illud peccatum, sicut anteà cùm primum illud commisit?

Quidam affirmant redire.

Quidam veteres Doctores, vt testatur Magister dist. 22. & D. Thom. hoc loco, existimarunt peccata remissa redire per sequens peccatum, inducti in eam sententiam quibusdam rationibus SS. Patrum, quæ id videbantur sonare: quas vide apud Magistrum dist. 22. & Gratianum de Pœnitentia dist. 4. Ita sensit Præpositiuus, vt refert Bonauentura dist. 22. art. 2. quæst. 1. & Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis parte 1. cap. 4. Quæ sententia non aliter potest intelligi, quàm si ponamus, Deum non absolutè, sed sub conditione remittere peccata; nempe, si homo non ampliùs peccet: alioqui implicat contradictionem, vt peccata absolutè remissa, iterum incipiant imputari, sicut antè.

Dico Primò: Certum est peccata semel remissa non redire secundùm se per sequens peccatum, neque culpâ neque reatu. Est communis sententia Doctorum dist. 22. 2 Verior sententia & communis negat.

Loca Scripturæ minùs efficacia.

Sed difficultas est in probando. Primùm testimonium adfertur ex cap. 18. & 38. Ezechielis, *Si impius egerit pœnitentiam*, &c. *omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.* Sed hoc testimonium parum est firmum: nam similiter dicitur de iusto peccante, *Omnes iustitiæ eius non recordabuntur*; & tamen si redeat ad iustitiam, rursus recordantur. Alterum testimonium est Nahum 1. v. 9. *Non consurget duplex tribulatio*, vel vt LXX. habent, *Non puniet Deus bis in idipsum*. Verùm nec hoc firmum est; quia longè alia est huius loci sententia: sensus enim est, Assyrij non capient Hierusalem & Iudam, sicut ceperunt Israël. Alius locus est ad Romanos 11. v. 29. *Sine pœnitentiâ enim sunt dona Dei & vocatio.* Sed nec hoc conuincit: nam Apostolus loquitur de ijs donis, quæ Deus absolutè decreuit independenter ab hominum meritis.

1. Probatur ex Scriptura.

Aliter ergo probatur Primò: Homo dicitur in Scripturâ *Purgari & mundari à peccatis, & super niuẽ dealbari*, Psal. 50. v. 9. Isaiæ 1. Ergo omnino & absolutè tolluntur, & non solùm sub conditione. Quia his modis loquendi significatur turpitudinem peccati perfectè toli, sicut tollitur labes per nitorem, nigredo per albedinem, tenebræ per lucem. Confirmatur: quia si ita solùm tolleretur, vt posteà rediret, non tam esset sublata, quàm suppressa & contecta.

Matth. 18. *Quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis*, id est, perfectè, & coram Deo: atqui, si redirent, non essent perfectè soluta; sicut qui sub conditione dimissus est, non est absolutè liber.

2. Probatur ex Patrib.

Probatur Secundò: Testimonio Patrum. D. Prosper in responsione ad secundam obiectionem Gallorum: vbi sic legendum est, *Qui recedit à Christo, & alienus à gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? sed non in id, quod remissum est recidit, nec in originali peccato damnabitur, qui tamen propter postrema crimina ea morte afficietur, quæ illi propter ea quæ remissa sunt, debebatur.* Gelasius Papa apud Gratianum de Pœnit. dist. 4. *Diuina clementia dimissa peccata in vltionem vlterius redire non patitur.* Idem docet Benedictus XI. in Extrauaganti *Inter cunctas*, de Priuilegijs; vbi in hanc sententiam ait, *Absurdum esse, vt quis peccata per pœnitentiam dimissa rursus debeat confiteri, & vt debitor liberatus adhuc maneat ad soluendum obligatus.*

Prosper.

Gelasius.

Bened. XI.

3. Probatur ex Ratione.

Probatur Tertiò: Ratione. Primò: Quia beneficium remissionis peccatorum non est conditionatum, pendens à futuro euentu, sed absolutum & perfectum, vt Scriptura multis locis insinuat: ergo etiamsi posteà contingat hominem peccare, non reuocatur in irritum: sicut inter homines debitum semel condonatum non reuocatur, etiamsi contingat alterum esse ingratum. Secundò: Pro peccatis remissis facta est per me cõpensatio ex meritis, & satisfactione Christi, quæ mihi Sacramento in re vel in voto susceptо applicantur: ergo illa non possunt redire, aut rursus imputari. Confirmatur: Quia efficacia meritorum Christi postulat, vt in æternũ deleantur: *Vna enim oblatione consummauit Christus in æternum sanctificatos*, ad Hebræos 10.

4. Peccata remissa quodammodò redeunt ratione ingratitudinis.

Dico Secundò: Peccata remissa quodammodò per sequens peccatum redeunt, non absolutè & secundùm se, sed ratione cuiusdam ingratitudinis, quæ est circumstantia, peccatum sequens aliquo modo aggrauans. Est communis Doctorum: & sic intelligenda sunt Patrum & Scripturarum testimonia. Vide Gratianum de Pœnit. dist. 4. Pro quo,

Notandum est: Remissionem peccatorum esse summum beneficium; &, tot homini collata esse diuinitus beneficia, quot ei remissa sunt peccata. Qui autẽ post acceptũ magnum aliquod beneficiũ benefactorem suũ iniuriâ afficit, ea iniuria censetur grauior, quàm si beneficium non præcessisset. Vnde quãdo peccator post remissa peccata rursus Deum offendit, hæc offensio censebitur maior ex singulorum peccatorum remissione, quàm alioqui per se sola esset; & tot habebit malitias formaliter vel ratione distinctas, quot erant peccata anteà remissa. Itaque singula peccata censentur ibi redire, & reuiuiscere, ratione illius malitiæ, quam circa peccatum sequens ponunt: quæ tamen non pertinet ad singulas peccatorum species, sed ad peccatum ingratitudinis: est tamen eò maior, quò maius erat beneficium remissionis; & consequenter, quò plura & maiora erant peccata, quæ anteà sunt remissa.

Remissio peccati est summum beneficiũ.

Ex his patet confirmatio propositionis. Nam quòd hæc ingratitudo sit circumstantia peccatorum, non autem per se ipsa nouum peccatum, patet; quia annectitur cuiuis speciei peccati: siue enim post remissa peccata pecces furto, siue periurio, siue alio modo, semper coniuncta est hæc ingratitudinis malitia. Confirmatur: quia ingratitudo erga Deum non est speciale peccatum, nisi quando est omissio gratiarum actionis, vel commemorationis beneficij eo tempore quo tenebatur, vel quando ingratitudo est directè volita; vt si non velis Deo agere gratias, aut agnoscere eius beneficia, aut ea parui pendas.

Ingratitudo est circumstantia omnis peccati.

Sed contrà. Obijcitur Primò: Matthæi 18. ex Parabola illius domini, qui seruo suo condonarat decem milla talentorum, quem tamen seruũ posteà, quia conserui sui misertus non fuerat, iussit conijci in carcerem, donec omne debitum antè remissum solueret.

6 Obijcitur Parabola Matth. 18.

Respondeo, dicendum; in Parabolis non esse singula ad significationem applicanda, sed scopũ esse spectandum. Scopus autem Christi est, hâc Parabolâ ostendere, quantoperè displiceat Deo inclementia ad ignoscendum; & eum, qui talis est, sic puniendum, ac si præterita peccata ei remissa non fuissent; id est, pœnâ æternâ mulctandum.

Obijcitur Secundò: *Charitas operit multitudinem peccatorum*: 1. Petri 4. v. 8. ergo detracta charitate per peccatum sequens reteguntur priora peccata. Confirmatur Primò: Quia bona opera per peccatum mortificata integrè reuiuiscunt per pœnitentiam, vt infrà dicemus: ergo similiter mala opera mortificata per pœnitentiam & charitatẽ, reuiuiscent per sequens peccatum sublatâ charitate. Confirmatur Secundò: quia pari modo Ezechielis 18. v. 24. dicitur de iusto peccante, *Omnes iustitiæ eius non recordabuntur*, & de impio pœnitente v. 22. *Omnium iniquitatum eius non recordabor amplius*; & tamen recordatur iustitiarum, si ille agat pœnitentiam: ergo similiter recordabitur priorum iniquitatum, si rursus labatur.

7

Respondeo: Charitas ita tegit peccatum, vt tollat: Tegit enim Deo, cui non potest quidquam tegi, nisi tollatur. Ad Primam Confirmationem: Est dispar ratio. Primò, quia merita per sequens peccatum non delentur: manent enim in acceptatione

Cur magis merita reuiuiscant quàm peccata.

tione diuina, tanquam digna præmio, nisi obstaret indignitas personæ: vnde nõ requiritur aliud, quàm vt ea indignitas tollatur. Peccata autem per pœnitentiam omnino delẽtur, sic vt non amplius apud Deum maneant. Secundò: Quia merita illa nõ fuerunt remunerata; vnde meritò reuiuiscunt. Peccatum autem per pœnitentiam ex Christi meritis fuit compensatum, vnde non potest redire. Tertiò: Quia *Superexaltat* seu superat *misericordia iudicium:* Iacobi 2. v. 13. *Miserationes enim eius super omnia opera eius.* Psal. 144. v. 9. Ad Secundam Confirmationem: Respondeo Prophetam loqui de impio, qui conuertitur, & manet iustus; huic enim nihil oberit impietas præterita ad vitam æternam: & de iusto, qui peccat & manet in peccato, cui nihil proderit prior iustitia ad salutem. Vnde hæc sententia nihil ad præsentẽ quæstionẽ.

8 Quomodo beneficium sit mensura ingratitudinis.

Obijcitur Tertiò: Ingratitudinis mensura est beneficium: atqui beneficium remissionis tantum est, quantum est peccatum remissum: ergo ingratitudo illa tanta est, quantum erat peccatum remissum: ergo peccatum remissum redit, saltem secundùm æqualem malitiam & reatum.

Respondeo: Etsi ingratitudinis mensura sit beneficium, non tamen est tanta, quantum beneficium, sed longè minor. Potest enim quis eidem beneficio esse multum, & parum ingratus, ratione peccati, quo plus vel minus peccat contra benefactorem; quò fit, vt hæc malitia rarò sit mortalis.

DVBIVM.

An saltem per potentiam absolutam Dei fieri possit, vt peccata remissa integrè redeant?

9 Si absolutè remittantur peccata.

REspondeo & Dico Primò: Si ita fiat remissio, sicut modò reipsâ fit, nempe absolutè & independenter à futuro euentu, nõ possunt vllo modo redire. Ratio est: Quia non potest Deus homini inferere malitiam, v. g. furti, vel fornicationis, sed hæc necessario oritur ab actu libero hominis: ergo si homo rursus non committit hæc peccata, impossibile est eorum malitiam redire.

Si sub conditione.

Dico Secundò: Si tamen alio modo fiat remissio, poterunt redire; vt rectè Scotus dist. 22. ar. 1. Posset enim Deus remittere peccata sub conditione, nisi rursus contingat illum peccare, & sic applicare merita Christi: quo posito, si rursus homo peccauerit, irrita censebitur tota prior remissio, & vniuersa peccata priora ita reddent eum obnoxium, sicut antè. Quod patet à simili ex condonatione debiti, vel iniuriæ inter homines; quæ fieri potest, & sæpè fit, sub conditione; quâ posità, censetur irrita.

ARTICVLVS II.

Vtrùm peccata dimissa redeant per ingratitudinem, quæ peculiari modo est in quatuor generibus peccatorum?

10

REspondetur: Peccata remissa redire secundùm circumstantiã ingratitudinis per omne peccatum mortiferum: sed precipuo quodam modo per quatuor genera peccatorum, nempe per odium fraternum, quo fratri veniam petenti nolumus ignoscere: per apostasiam à fide: per cõtemptum confessionis: & per dolorem de pœnitentiâ habitâ. Ratio est: Quia hæc peccata peculiariter repugnant remissioni peccatorum. Vide D. Thomam.

DVBIVM.

Vtrùm maius peccatum sit, quod committitur contra innocentiam, an quod contra beneficium remissionis peccatorum?

11 Scotus affirmat. D. Thomas negat.

SCotus dist. 22. art. 3. & Caietanus hîc, putant maius esse peccatum, quod contra innocentiam fit, quia tunc innocentia est maius beneficium, quàm remissio peccatorum, Contrarium videtur sentire D. Thomas hic ad 3. & Dominicus Soto dist. 16. quæst. 1. art. 2.

Respondeo & Dico Primò: Si loquamur de innocentia, qualis erat in primo homine, peccatum contra talem innocentiam maius est, quàm contra beneficium remissionis peccatorum. Ratio est; tum quia facilius poterat illud peccatum vitari; tum quia hoc peccatum spoliauit hominem longè pluribus bonis, imò totum genus humanum perdidit.

Videtur maior ingratitudo peccare post remissionem peccatorum, quàm post innocentiã.

Dico Secundò: Cæteris paribus maior est ingratitudo, & maius peccatum est peccare post remissionem peccatorum, quàm contra innocentiã. Dico *cæteris paribus*; vt si par sit imbecillitas, & non sequantur alia mala.

Probatur: Quia etsi innocentia in se sit maius bonum, quàm remissio peccatorum, tamen remissio peccatorum absolutè est maius beneficium. Nam beneficij magnitudo non tam spectatur ex rei magnitudine, quàm ex comparatione eius ad dantem & accipientem: v. g. Maius beneficium est, si pauperi & inimico des panem & aquam, quàm si diuiti & amico des lautum prandium. Sic si rex ignoscat facinoroso pœnã capitis, maius beneficium est, quàm si obsequioso det aliquod officium. Pari modo maius absolutè beneficium est remissio peccatorum, quàm innocentia: quia illa præstatur indigno & hosti, hæc autem datur ei qui non erat quidem dignus, sed neque etiam erat positiuè indignus, nec hostis. Itaque peccatum post remissionem est maius, quàm peccatum post innocentiam, quia contra maius beneficium. Adde: peccatũ, quod quis committit post remissionem peccatorum, etiam committi post innocentiam: vnde non solùm est contra beneficium remissionis, sed etiam contra beneficium innocentiæ. Nam omne peccatum, quod committit homo in vita, est contra omnia beneficia quæ ei Deus præstitit; nam ad omnia præbet se ingratũ: quare est etiam contra primum beneficium, quo ei præstitit innocentiam in baptismo.

12 An hæc ingratitudo sit necessariò confitenda. Scotus.

Petes: An hæc ingratitudo, qua quis post remissa peccata, denuò peccat, sit necessariò confitenda?

Scotus d. 22. q. 1. art. 3. putat necessariò esse explicandam in confessione hoc modo: Anteà grauiter Deum multis peccatis offenderam, & puto me fuisse consecutum veniam; vnde nunc rursus peccando, tanto beneficio fui ingratus.

Respondeo & Dico Primò: Quando ingratitudo est speciale peccatum, est necessariò cõfitenda; vt

da, vt si quis longo admodũ tempore nullas Deo gratias egit, si beneficia illius contempsit vel etiam parui fecit, si aliquid in contemptum Dei vel eius beneficiorum fecit. Est communis sententia Doctorum.

Dico Secundò: Quando ingratitudo non est peccatum speciale, sed duntaxat circumstantia peccati, non est necessariò confitenda. Est etiam communis Doctorum. Et ratio est, quia etsi addat aliquam nouam malitiam super malitiam peccati, non tamen tanti est momenti vt per se sit mortalis. Adde, quòd nec fideles consueuerunt se de hac circumstantia accusare, nec confessarij eos interrogare. Bonum tamen est eam explicare ad maiorem humilitatem.

De Articulo 3. & 4. Vide D. Thomam. Possunt autem hi facilè ex dictis expediri?

QVÆSTIO LXXXIX.

De recuperatione virtutum per Pœnitentiam.

DVBIVM.

Circa quinque primos Articulos,

Vtrùm per Pœnitentiam restituatur homini tota gratia pristina, & omnia merita quæ habuit priùs?

SEntentiæ de hac re sunt variæ & obscuræ. Prima est, Thomistarum, gratiam & merita priora solùm redire secundùm mensuram pœnitentiæ. Quod potissimùm dupliciter explicatur. Quidam enim id intelligunt comparando dispositionem, quam quis habet, ad summam dispositionem seu pœnitentiam quam homo per auxilium speciale potest elicere. Ita Dominicus Soto in hunc articulum. V. g. summa pœnitentia seu contritio, quam homo potest elicere, sit decem graduum; merita autem & gratia prior sit triginta graduum. Quare si hanc totam contritionem decem graduum præstes, restituentur tibi omnia merita & omnis gratia pristina, præter illam gratiam quæ illi dispositioni per se respondet, quæ sit decem graduũ: Vnde habebis quadraginta gradus. Si dimidiam autem contritionem, scilicet quinque graduum, elicias dum resurgis à peccato, restituetur tibi dimidium meritorum & gratiæ prioris, scilicet quindecim gradus, præter eam gratiam quæ per se illi dispositioni respondet, quæ est quinque graduum: itaque habebis viginti gradus. Si autem duos tantum gradus pœnitentiæ cum dimidio habeas, restituentur tibi septem gradus cum dimidio pristinorum bonorum. Addit Dominicus Soto, non solùm primam illam pœnitentiam, quâ resurgis, hanc vim habere; sed etiam sequentia opera bona, ita vt simili modo & proportione restituant reliquum gratię & meritorum pristinorum, quando per primam pœnitentiam non fuerunt integrè restituta.

1 Variæ sententiæ.

1. Thomistarum, eaque duplex.

De Soto.

Alij intelligunt restitui merita pristina & gratiam priorem secundùm mensuram dispositionis, comparando illam pœnitentiam seu dispositionẽ quâ quis resurgit, non ad summam, quam quis per auxilium speciale potest elicere, sed ad eam quæ commensuratur pristinæ gratiæ: vt pristina gratia fis 30. graduum, pœnitentia huic commensurata sit contritio etiam 30. graduum. Itaque qui resurgit per pœnitentiam triginta graduum, recuperat totam gratiam & merita præcedentia, præter illam gratiam quæ illi dispositioni per se respondet. Qui autem resurgit per pœnitentiam quindecim graduum, recuperat solùm quindecim gradus pristinæ gratiæ & meriti. Qui verò per pœnitentiam vnius gradus resurgit, solùm recuperat vnum gradum pristinæ gratiæ & meriti; reliquum autem sensim recuperabit operibus sequentibus.

Secunda sententia est, homini restitui omnia merita quę antèa habebat; non tamen restitui pristinam gratiam habitualem, sed eam solùm recuperari pro mensurâ contritionis. Ita Scotus dist. 22. art. 2. & Durandus in 3. dist. 31. quæst. 2. ad 3. 2

2. Scoti.

Tertia senetntia est, restitui omnia merita & omnem gratiã, quæ meritis respondet; non tamen eam, quæ respondet Sacramentis, id est, quæ per Sacramenta est collata. Ita quidam Recentiores. 3. Recentiorum.

Quarta sententia est communior, omnem gratiam & omnia merita pristina restitui. 4. Communis.

Dico Primò: Non est credibile peccatori pœnitenti eam tantummodò gratiam dari, quæ precisè respondet eius contritioni. Probat hoc rectè Dominicus Soto: quia hoc non esset virtutes aut merita redire, sed semper manere mortificata. 3

Dico Secundò: Neutro modo iam explicato in primâ sententia rectè dicitur gratiam & meritum redire secundùm mensuram dispositionis.

Probatur Primò: Quia contritio illa peccatoris resurgentis non est dispositio ad gratiam præcedentem, sed solùm respectu gratiæ quæ ei per se respondet, quæ ordine naturæ sequitur. Vnde D. Thomas art. 5. vocat eam non dispositionem respectu gratiæ præcedentis, sed *remouens prohibens*, siue remouens impedimentum illius gratiæ: ergo non habetur ratio, sit ne illa contritio intensa an remissa; sed solùm, an remoueat peccatum, quod prohibebat seu impediebat influxũ gratiæ & meriti præcedentis. Thomistarum opiniones refellantur.

Probatur Secundò: Speciatim contra modum Soti: Si summa contritio, quam homo potest habere per auxilium speciale, recuperat totam gratiam amissam, & dimidia dimidiam, sequetur plus posse contritionem imperfectam, v. g. quatuor graduum ex paruo auxilio profectam, nempe totidem graduum, quàm contritionem perfectiorem, v. g. octo graduum profectam ex auxilio maximo, vt, sedecim graduum: quod sanè non est rationi consentaneum. Patet sequela: Quia contritio quatuor graduum in eo casu erit summa, quæ cum auxilio illo diuino potest haberi, ac proinde recuperabit totam gratiam: contritio autem octo graduum solùm erit dimidia respectu illius, quæ cum auxilio sedecim graduum haberi poterat, ac proinde solùm recuperabit dimidium.

Probatur Tertiò, contra alterum modum: Si gratia pristina restituitur secundùm istum modũ, sequetur,

sequetur, ei, qui habet gratiam vt centum, non plus restitui, quàm ei qui habuit solùm gratiam vt decem, si par sit vtriusque dispositio. Patet sequela: Nam ad gratiam vt centum requiritur directè dispositio vt centum: ergo qui solùm habet partem centesimam huius dispositionis, ei tantùm reddetur pars centesima ex pristinâ gratiâ, id est, vnus gradus: sed tantumdem etiam dabitur ei, qui habuit gratiam vt decem, & resurgit per vnũ pœnitentiæ gradum.

Probatur Quartò: Quia fictitium videtur, per opera sequentia semper aliquid pristinæ gratiæ restitui, donec tota sit reparata: sic enim duplicem mercedem omnia illa opera haberent.

4 Sententia Auctoris.

Dico Tertiò: Homini resurgenti à peccato per veram contritionem, quantumuis intensione exiguam, valdè credibile est restitui omnia pristina merita, & ius ad vitam æternam, & totam gratiam priorem, perinde ac si nunquam peccasset. Et sic homo lapsus, per veram pœnitentiam semper resurgit ad maiorem gratiam & gloriam.

Omnia merita redeunt per pœnitentiam.

Prior Pars, scilicet *Omnia merita redire*, est Henrici Quodl. 5. q. 24. Durandi in 3. dist. 31. quæst. 2. ad 3. Scoti dist. 22. art. 2. Gabrielis dist. 14. quæst. 3. dubio 3. art. 3. Occami quæst. 9. ad 6. & quæst. 8. Marsilij in 4. q. 11. Almaini lib. 2. moralium cap. 14. Medinæ codice de Pœnitentiâ tractatu 1. quæst. 8. & multi alij.

1. Prob. ex Script.

Probatur Primò, Ex Scriptura: Ezechielis 18. v. 22. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor.* At videretur recordari, si propter eas priuaret hominem præmio essentiali meritis præcedentibus debito. Et infrà cap. 33. v. 12. *Impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuersus fuerit.* At plurimùm noceret si illa impietas sustuliisset illi in æternum fructum præcedentium meritorum & laborum. Ioëlis 2. v. 12. cùm Dominus dixisset: *Conuertimini ad me in ieiunio, fletu, & planctu*, subiungit beneficia, & inter alia ait, v. 25. *Reddam vobis annos quos comedit locusta, & bruchus, & rubigo, & eruca*: vbi Glossa, *non patiar perire vbertatẽ, quam animi perturbationibus perdidistis.* Ad Gal. 3. v. 3. *Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa*: quasi dicat, In vobis situm est, vt non sitis passi hæc frustrà: nam potestis redire ad fidem, & sic vobis ea quæ passi estis antè pro Christo, proderunt. Ita Hieronymus, Anselmus, Theophylactus, & alij multi.

Ezech. 18.

Ioël. 2.

Gal. 3.

5 2. Prob. ex Trident.

Probatur Secundò: Ex Conc. Trident. sess. 6. c. 16. vbi dicit *Iustificatis nihil deesse, quominus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ statu satisfeciisse, & vitam æternam suo etiam tempore consequendam (si tamen in gratia decesserint) verè promeruisse censeantur.* Hic Concilium non requirit, vt continenter homo fuerit in gratia à principio vsque ad finem, sed vt opus sit factum in gratia, & vt homo in statu gratiæ ex hac vitâ decedat. Glossa in caput 6. ad Hebræos; *Sicut prius bona per sequentia mala mortua fuerant & irrita facta, ita ipsa eadem per pœnitentiam & alia bona sequentia, reuiuiscunt.* Auctor lib. de vera & falsa Pœnitentia cap. 14. *Pium est credere & nostra fides hoc exposcit, vt recepta Dei gratiâ, quæ in eo destruit mala prior, etiam remuneret bona, vt cùm destruxerit quod fecit non inueniat* (scilicet peccatum) *amet & diligat bonum, quod in peccante plantauit.*

Glossa.

Auctor lib. de Pœnit.

6

Probatur Tertiò, Ratione: Primò, Opera mortificata reuiuiscunt, vt communiter tenent Doctores, quamuis in modo non conueniant: ergo habebunt præmium vt antè. Neque sufficit, si dicas reuiuiscere quoad præmium accidentale, vt insinuat D. Thomas art. 5. quia potissimùm ordinantur ad præmium essentiale. Similiter non sufficit, si dicas gloriam dari duplici titulo, vt Caietanus insinuat; quia hoc etiam non magni æstimandum est, quando idcircò nihil amplius gloriæ datur. Denique non sufficit, si dicas ea reuiuiscere ex parte, nempe pro mensurâ dispositionis: hoc enim iam refutatum est. Superest ergo vt integrè reuiuiscant.

3. Probatur triplici ratione.

1. Ratio, à reuiuiscentiâ operũ.

Probatur Secundò: Si non reuiuiscerent absolutè, sequerentur multa incommoda. Primò: Positis duobus, quorum alter post quadraginta annos sanctissimè traductos laberetur aliqua tentatione in peccatum mortiferum, & statim resurgeret mediocri contritione; alter similiter post quadraginta annos sceleratissimè transactos resurgeret pari contritione, sequeretur hos pares fore in gratiâ & gloriâ: quod non est credibile. *Non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis nostri*, vt inquit Apost. ad Hebræos 6. Sequeretur Secundò: Deum non remunerari omnes labores & sanctissimas functiones illius, qui ex fragilitate lapsus erat: quod non est consentaneum illi Scripturæ, *Reddet vnicuiq; secundùm opera sua.* Sequeretur Tertio: Peccatum non perfectè remitti pœnitentibus, sed in æternum puniri in cœlo. Patet sequela; quia priuatio gratiæ prioris, & iuris ad hæreditatẽ, quod ante lapsum habebat, est pœna peccati commissi: ergo si hæc gratia, & hoc ius non restituitur, homo iustus etiam in cœlo punietur perpetuò ob peccatũ commissum. Quando enim pœna consistit in priuatione, tam diu durat, donec bonum, propter peccatum ablatum, restituatur. Neq; satis est, quòd ei detur gratia & gloria respondens pœnitentiæ: nam hoc nõ est restituere bonũ ablatũ quod anteà habebat, cùm pœnitentiæ secundum se debeatur gratia & gloria, etiamsi homo anteà nulla merita habuisset: ergo vt pœna peccati tollatur, debet restitui illa meritorum portio, quæ per peccatum subtracta fuerat, eaque tota. Sequeretur Quartò: Peccatum esse potentius ad opera bona mortificanda, quàm Christi merita ad ea viuificanda. Patet: quia peccatum ita mortificat opera bona, vt si quis in ipso moriatur, nihil omnino profint ad damnationẽ minuendam: ergo si per pœnitentiam ex Christi meritis non integrè reuiuiscũt ad præmium, peccatum plus valet in mortificando, quàm Christi meritum in viuificando.

7 2. Ratio, ex quadruplici absurdo oppositæ sententiæ.

8 3. Ratio, quia opera non erant delera, sed solùm impedita.

Probatur Tertiò: Opera meritoria non delentur per peccata, sed solùm impediuntur, ne consequantur mercedem propter subiecti indignitatem, vt rectè D. Thomas art. 5. ad 1. Ergo sublata illa indignitate per pœnitentiam, exerent omnem vim suam, sicut anteà. Consequentia patet. Antecedens probatur ex differentiâ, quæ est inter peccatum & opera meritoria quo ad delectionem: peccata enim propriè delentur à Deo, quia pro ipsis perfectè satisfacimus ex Christi meritis: bona autem opera non delentur, cùm non fuerint compensata, sed manent in acceptatione diuinâ, & solùm impediuntur per peccata, ne sint homini fructuosa. Sublato igitur peccato rursum fient fructuosa, Deumque obligabunt ad reddendam mercedem. Confirmatur exemplo: Si Rex

Si Rex ob officia præstita debeat tibi mille, & tu ipsum capitaliter postèa offendas, potest quidem tibi non soluere, & capite plectere; tamen si tu illi perfectè pro illo crimine satisfacias, rursum reuiuiscet illud debitum, & Rex ex iustitiâ tenebitur sicut anteà. Simili modo in proposito. Confirmatur: nam per opera nostra bona applicantur nobis Christi merita, quæ semper manent in acceptatione diuinâ, & nobis applicata sunt efficacia, nisi per indignitatem subiecti contingat impediri.

9 Si moriaris in mortali, merita extinguũtur.

Aduerte tamen, si moriaris in peccato mortifero, non amplius manere opera tua acceptata ad præmium, sed penitus extingui; similiter & Christi merita quatenus tibi fuerant donata. Quamdiu autem sumus in hac vita, non extinguuntur, sed veluti sopiuntur.

10 Per pœnitentiam etiam in hac vita restituitur omnis gratia.

Altera Pars Propositionis, scilicet *Etiam gratiã pristinam restitui in hac vita*, est prædictorum Auctorum, præter Scotum, Durandum, & Marsilium, qui putant gratiam illam restitui solùm in alterâ vitâ. Sed

Probatur Primò: Quia secundùm legem ordinatam nemo acceptatur ad gloriam, nisi simul acceptetur ad gratiam: ergo neque ad maiorem gloriam acceptabitur, nisi ad maiorem gratiam acceptetur: atqui dum merita restituuntur, acceptatur homo ad maiorem gloriam: ergo etiam ad maiorem gratiam. Si dicas id verum esse, sed non idcircò illam gratiam dari in hac vitâ. Contrà: quia non est ratio differendi illam gratiam in vitam futuram, cùm pertineat ad statum huius vitæ, sitque homini debita, sicut suprà diximus de augmento gratiæ. Idcircò enim, dum homo meretur augmentum gratiæ & gloriæ, datur augmentum gratiæ statim, quia non est ratio differendi, cùm ad statum huius vitæ pertineat; augmentum verò gloriæ differtur, quia pertinet ad alteram vitam.

Probatur Secundò: quia merita præcedentia erant merita ex vi gratiæ, quam supponebant; ex hac enim habebant virtutem meritoriam: ergo vt redeant merita, debet redire idem fundamentum, id est, per gratiam, ex quâ vim meritoriam habent.

11 Etiam redit gratia, quę data fuit per Sacramenta.

Tertia Pars Propositionis, *Quòd etiam gratia restituatur, quæ data fuit per Sacramenta*, potest probari iisdem rationibus: nam vis Sacramenti æquiualet merito; ita enim iustificat & tribuit ius ad gloriam, sicut proprium meritum, & quidem efficacius. Ratio est: quia Sacramentum applicat nobis Christi meritum, & facit illud esse veluti meritum nostrum: ergo illud meritum, per peccatum impeditum & consopitum, rursum efficaciam habebit impedimento sublato, & propter illud gratia amissa restituetur.

12 2. Obiectio

Sed contrà: Obijcitur Primò, Gratia datur secundùm dispositionem suscipientis: ergo non datur maior, quàm sit dispositio. Respondeo; Gratiam semper dari iuxta hominis dispositionem, partim quæ nunc est, partim quæ fuit. Nam iuxta dispositionem, quæ nunc est, id est, iuxta præsentem contritionem datur certa gratiæ mensura, quæ huic dispositioni per se debetur, etiamsi nulla alia merita præcesserint: sed gratia pristina datur iuxta dispositionem, quæ in homine fuit, tum per contritionem, tum per merita præcedentia. Præsens enim pœnitentia peccatoris duo præstat: Primò, quòd sit dispositio ad nouam gratiam; & sic confert certam mensuram nouæ gratię: Secundò quod remoueat impedimenta gratiæ pristinę; & sic est causa cur gratia pristina restituatur, non vt disponens ad illam, sed vt remouens illius impedimentum.

Solvitur.

Gratia datur secundùm dispositionem suscipiẽtis.

Obijcitur Secundò: Si restitueretur pœnitenti tota gratia pristina, fieret repentè ex maximis sceleribus perfectus: quod est absurdum. Pater, vt si quis multos annos sanctè vixisset, & postèa multos sceleratè, ad minimam pœnitentiam reciperet totam pristinam sanctitatem & perfectionẽ. Respondeo: Illum fore tam perfectum habitu, quàm vnquam anteà fuerat; non tamen actu, id est, expedito vsu habituum, idque ob prauas inclinationes, quæ ex prioribus peccatis sunt relictæ; ob quas etiam fit (non autem ob habitûs imperfectionem) vt talis sentiat multas difficultates in virtutum actionibus. Quod autem Dominicus Soto vrget ex Gregorio, *Charitas magna operatur, si est; si autẽ operari recusat, charitas non est*; intelligendum non de habitu, sed de actu charitatis interno, qui magna operatur exterius, si est; si autem operari recusat, charitas non est.

2. Obiectio

Solvitur.

Obicijtur Tertiò: Adamo pœnitenti non fuit restituta immortalitas: ergo non redit gratia pristina. Respondeo: Ea tantùm restitui, quæ per se hominem Deo gratum reddunt, & ius ad gloriã cœlestem tribuunt; vt sunt gratia & habitus virtutum infusarum, & merita vitæ æternæ. Alia verò dona non est necesse statim restitui, sed satis est vt suo tempore restituantur, quando omnis omnino peccati pœna tolletur.

13 3. Obiect.

Solvitur.

Quæ dona præter gratiam, redeant.

Obijcitur Quartò: Hæc sententia videtur teporem adferre hominibus, tum in pœnitẽdo, tum etiam in cauendo peccato. Confirmatur: quia incredibile videtur Deum ad minimam pœnitentiam, seu contritionem, post maxima peccata restituere statim omnia pristina bona. Respondeo: Non magis adferre teporem, quàm summam illam facilitatem remissionis peccatorum, quam Dominus nobis contulit per Sacramentum Pœnitentiæ. Neque hoc est magis incredibile, quàm Deum ad minimam pœnitentiam condonare infinita peccata quo ad culpam.

4. Obiectio

Solvitur.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm opera mortua per Pœnitentiam viuificentur?

14

REspondetur Negatiuè. Et quidem de operibus mortuis, id est, de peccatis, de quibus Apostolus ad Hebræos 9. v. 14. *Sanguis Christi emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis*, certum est nunquam posse viuificari. Idè enim opus, quod anteà erant peccatum, non potest postèa fieri acceptum Deo per solam mutationem hominis. Sed QVÆSTIO EST DE OPERIBVS MORALITER BONIS, VEL ETIAM DE OPERIBVS SVPERNATVRALIBVS IN STATV PECCATI MORTIFERI FACTIS.

15 Opera in statu peccati mortalis facta, nõ reuiuiscũt ad meritũ.

Respondeo & Dico Primò: Hæc opera non possunt viuificari per sequentem pœnitentiam, neque ad meritum neque ad satisfactionem. Non loquor modò de Sacramentis vel eorũ partibus.

Prior Pars, Quòd non ad meritum vitæ æternę viuificentur:

viuificentur. Patet Genes. 4. v. 4. *Respexit Deus ad Abel, & munera eius; ad Cain autem non respexit*; vbi Scriptura indicat priùs respicere Deũ ad personã operantem, quàm ad ipsum opus; & opus placere non posse ad meritum & vitã æternam, si operans displiceat. Ecclesiast. 34. v. 23. *Dona iniquorum non probat Altissimus*: atqui probaret, si per pœnitentiam viuificarentur. Ioan. 15. v. 4. *Non potest palmes fructum ferre, nisi manserit in vite*: atqui peccator non manet in vite Christi, quia nõ manet in charitate, per quam manemus in Deo, & Deus in nobis. 1. ad Corinthios 13. v. 3. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

16 Nec requiruntur ad satisfactionem.

Altera Pars, Scilicet hæc opera non viuificari ad satisfactionem, est etiam certa, etsi minùs quàm prior, cùm aliqui Doctores contrarium tenuerint. Probatur Primò, ijsdem testimonijs: Si enim essent satisfactoria, Deus ea respiceret, probaret, & palmes extra vitem ferret aliquem fructum, scilicet satisfactionis. Probatur Secundò, Ratione: Dignitas operis præcipuè spectatur apud Deum ex dignitate operantis, à quo procedit: operans enim est veluti forma operis à quâ opus suam æstimationem habet, vt alibi ostensum est. Et patet exemplis humanis: longè enim pluris æstimatur obsequium paruum Principis, quàm maximum mancipij: operans enim per ipsum opus quod facit ad obsequium alterius, se totum suamque dignitatẽ alteri subijcit: atqui peccator operans est exosus Deo: ergo opus ipsius nihili fit apud Deum. Confirmatur Primò: Quia non potest dare excellentiam operi suo, quam non habet: atqui cùm resurgit & accipit dignitatẽ filij, opus iam transijt, habuitque suam formam: ergo non potest illi dignitas personæ superueniens communicari. Confirmatur Secundò: Quia gratia non informat actum, nisi qui ab eâ quodãmodo procedit: actus verò qui iam transijt, non potest reuocari, vt iterum fiat, & influxum gratiæ recipiat.

Dignitas operis maximè spectatur ex dignitate operantis.

Dico Secundò: Huiusmodi tamen opera sunt vtilia ad alia bona à Deo impetranda: scilicet ad bona temporalia. Exodi 1. v. 21. *Quia timuerunt obstetrices Dominum, ædificauit ipsis domos*; id est, *dedit eis familiam*. Gregorius homilia 40. in Euangelium, ad illud, *Recepisti bona in vitã tuã*, inter cætera ait, *Valdè metuendum diuitibus, & alijs quibus omnia ex voto eueniunt, ne hîc receperint bonorum operum mercedem*. Vide plura de Pœnitentiã dist. 3. Capitulo *Cauendum*, ex Gregorio; & Capitulo *Si quando*, ex Hieronymo; & Capitulo *Quid ergo*, ex Chrysostomo; & 22. qu. 2. Capitulo *Si quælibet*.

17 Habent tãmen quadruplicem vtilitatem.

Secundò; Valent vt disponant animam ad gratiam, nempe si fiant cum auxilio speciali. Daniel. 4. dicit Daniel Regi, *Peccata tua eleemosynis redime*.

Tertiò: Dicuntur minuere pœnas gehennæ; non quòd peccator, qui plura huiusmodi opera fecerit, minùs punietur pœnâ damni vel sensus, quàm alius qui pauciora fecerit, tamen æquè peccauit; cùm opera moraliter bona, sicut non possunt minuere culpam, ita nec pœnam: sed quia interim homo culpam omissionis diuini præcepti euasit, & per ea occasionem habuit multa peccata, quæ aliàs fecisset, euitandi.

Quartò: Valent ad dilationem pœnæ temporalis & æternæ. Patet in Achab 3. Regum 21. *Nónne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causâ, non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij sui inferam malum domui eius.* Patet item in Niniuitis Ionę 3. ad quorum pœnitentiam, Deus euersionem Niniue suspendit & distulit vltra centum annos.

QVÆSTIO XC.

De partibus Pœnitentiæ in generali.

DVBIVM.

Circa tres primos Articulos,

Quot, & quæ sint partes Pœnitentiæ?

1 Sacramenti Pœnitentię quæ partes.

NOtandum, Primò: Pœnitentiam actualem dupliciter accipi posse. Primò, Pro Sacramento: Secundò, Pro virtutis Pœnitentiæ functione. Si accipiatur pro Sacramento, constat partibus essentialibus, & integralibus. Partes essentiales sunt *Verbum absolutionis* (est enim instar formæ;) & actus pœnitentis, qui sunt *quasi materia*. Partes integrales sunt partes materiæ; videlicet Contritio, Confessio, & Satisfactio. Nam ijdem actus, quibus constat officium pœnitentis, sunt partes integrales Sacramenti Pœnitentiæ.

2 Sententia Lutheri.

Notandum Secundò: Esse hîc duas sententias hæreticorum. Prior est Lutheri, vt patet apud Rossensem art. 5. qui docet duas tantùm esse Pœnitentiæ partes seu officia, *Contritionem & Fidem*. Per *Contritionem* intelligit terrores cõscientiæ diuinitùs incussos. Per *Fidem* autem, certã fiduciam remissionis peccatorum ex Euangelij promissione conceptam; id est, certò credere sibi esse remissa peccata propter Christum. Ratio ipsius est; quia sic fit remissio peccatorum.

Reijciuntur.

Verùm hæc sententia est omnino absurda. Primò: Quia, etsi timor, & fides cõcurrant ad remissionẽ peccatorum; non tamen hinc fit, vt propriè sint partes Pœnitẽtiæ, sic vt ratio Pœnitentię illis propriè conueniat: alioquin etiã amor Dei, & diuina vocatio, erunt partes Pœnitentiæ; nam per hæc fit remissio peccatorũ. Secundò: Quia timor non semper concurrit; vt patet in Magdalenã Lucæ 7. *Cui multa peccata dimittuntur, quia multum dilexit*: multique alij agunt pœnitentiam nullo terrore concussi. Tertiò: Fides illa nunquam concurrit: est enim falsa, temeraria, & contra Scripturas. Plus enim requirit Scriptura, vt Christi merita nobis applicentur in remissione peccatorũ, quàm fidem, quâ credamus illum pro nobis plenissimè satisfeciss̃e: vnde ex hac non possumus nos reputare iustificatos à peccatis. Denique, hanc sententiã damnat Concilium Tridentinum sess. 14. can. 4. *Si quis*, inquit, *negauerit ad integram & perfectã peccatorum remissionẽ requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Con-*

Trident.

nem, Confessionem, & Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur: aut dixerit duas tantùm Pœnitentiæ esse partes, terrores scilicet incussos conscientiæ, & fidem conceptam ex Euangelio; anathema sit.

3 Sententia Caluini. Altera sententia est Caluini lib. 3. Instit. cap. 3. vbi, refutans sententiam Lutheranorum, ponit duas alias partes, videlicet *Mortificationem vitiorũ, & Viuificationem*. Per *Viuificationem* intelligit studium bonorum operum; sicque ait pœnitentiam per totam vitam durare debere.

Reijcitur. Sed hæc sententia absurda est. Probatur: Quia pœnitentia est via ad iustificationem, eâque prior; vt colligitur Ezechielis 18. & 33. vbi dicitur, *Si pœnitentiã egerit impius, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius*: atqui mortificatio illa, & viuificatio sunt posteriora iustificatione; nam sunt fructus fidei iustificantis, vt ipsi affirmant: ergo absurdè dicuntur partes Pœnitentiæ.

4 Sententia Catholica est, tres esse partes pœnitentiæ. Florentin. Tertia sententia est Catholicorum; Tria esse pœnitentis officia, seu Pœnitentię partes, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem; quas etiam naturalis ratio dictat esse suo modo necessarias ad reconciliationem. Est fide tenenda. Patet ex Concilio Trident. citato, & ex Concilio Florentino, quod sic ait: *Quartum Sacramentum est Pœnitentia, cuius quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes, quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet vt doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero: secunda est oris confessio: tertia est satisfactio.*

1. Prob. ex Script. Probatur Primò, Ex Scripturis: & Primò, *Contritionem* esse partem Pœnitentiæ. Patet Psal. 50. v. 19. *Cor contritum & humiliatũ non despicies*, id est, *cor pœnitens*. Ioëlis 2. v. 13. *Scindite corda vestra*. Secundò, Idem patet de *Confessione* Num. 5. *Vir, siue mulier, cùm fecerint ex omnibus peccatis, quæ hominibus solent accidere, confitebuntur peccatum suum*. Psal. 31. *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meã Domino*. 2. Esdræ 9. v. 1. *Conuenerunt filij Israël in ieiunio, & in saccis, & confitebãtur peccata sua*. 1. Ioan. 1. v. 9. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat peccata nostra*. Tertiò denique idem patet de *Satisfactione*, Ioëlis 2. v. 12. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu, & planctu*.

Exempla Scripturæ. Probatur idipsum exemplis Scripturæ: 2. Regum 24. describitur pœnitentia Dauidis ob numeratũ populũ, & dicitur primò, *Percussit cor Dauid eum*; vbi insinuatur *contritio*: Secundò, Dixit Dauid ad Dominum, *Peccaui valdè in hoc facto*; vbi *confessio*: Tertiò, Dauid placauit Dominũ oratione, & subiectione ad flagella diuina, & holocausto; vbi cõspicitur *satisfactio*. Lucæ 15. vbi describitur pœnitentia filij prodigi: Primò, In se reuertitur agnitione suæ miseriæ, & dolore peccatorum: Secundò, Confitetur peccatum, *Pater peccaui in cœlum & coram te*: Tertiò, Offert se ad satisfactionem, *fac me sicut vnum ex mercenarijs tuis*. Idem confirmari potest testimonijs Patrum, de quibus infrà. Vide Chrysostomum sermone de Pœnitentia, qui habetur tomo 5. post decem Homilias de Pœnitentia. *In corde*, inquit, *eius contritio est, in ore confessio, in opere tota humilitas*.

5 2. Prob. Ratione. Probatur Secundò, Ratione: Prima est, Pœnitentia est dolor, & punitio peccati, non solùm ad æqualitatem iustitiæ violatæ instaurandam, sicut Iudex punit sontem; sed maximè ad recõciliationem cum Deo obtinendã: atqui hoc interest inter punitionem Iudicis, & pœnitentiam reconciliatiuam peccatoris, quòd ibi satis sit, si reus patiatur pœnam à Iudice constitutam, siue sponte, siue coactè, siue is qui læsus est eâ contentus sit, siue non. In Pœnitentiâ autem reconciliatrice hoc nõ sufficit, sed requiritur, vt is, qui alterum iniuriâ affecit, sponte pœnam subeat, & ad arbitrium eius, quem offendit. Ergo necessarium est primò, vt doleat de iniuriâ illatâ: alioqui nõ est dignus reconciliatione. Deinde, oportet vt subijciat se pœnæ ad arbitrium Dei, quem iniuriâ affecit: Deus autẽ nobiscum agit per suos ministros: ergo peccator debet se eius ministro subijcere, qui eius locum tenet. Hoc autem fieri non potest, nisi suas culpas ei per confessionem aperiat: vnde secundo loco requiritur confessio: tertio satisfactio. Colligitur hæc ratio ex D. Thoma art. 3.

Differentia inter punitionem Iudicis, & pœnitentiã reconciliatricem peccatoris.

Secunda Ratio: Pœnitens recurrit ad Deum cum proposito emendationis, sicut seruus ad Dominum, iuxta illud Psalmi 122. v. 2. *Sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri*. Et sicut filius ad patrem (Lucæ 15. v. 18. *Pater peccaui in cælum & coram te*) & sicut vxor ad virum (Ieremię 3. v. 1. *Fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus.*) Atqui quando serui cum dominis, liberi cum parentibus, vxores cum viris in gratiam redeunt, hęc tria dictante ratione naturali præstant. Dolent enim se offendisse, fatentur suam culpam, denique pœnæ & castigationi se subijciunt, vel veniam precantur: ergo hæc tria sunt veræ pœnitentiæ partes, quas Deus in noua lege ad Sacramenti dignitatem euexit; vt infrà magis constabit. 6

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Pœnitentia conuenienter diuidatur in Pœnitentiam ante Baptismum, & in Pœnitentiam post Baptismum?

POenitentiam in genere diuidit D. Thomas tamquam in suas species, in *Pœnitentiam ante Baptismum*, per quam intẽditur generatio in nouã vitã: & in *Pœnitentiam post Baptismum*, quæ duplex est; videl. *Pœnitentia mortalium*, per quam intenditur reformatio vitæ præteritę iam corruptę; & *Pœnitentia venialium*, per quam intenditur maior perfectio, & maius studium bonorũ operum. His adde aliam diuisionẽ *Pœnitentiæ mortalium post Baptismũ*, de qua D. Tho. in Additionibus q. 28. Alia enim est *Priuata*, quæ videl. in occulto agitur: alia *Publica*. Rursus *Publica*, alia est *Solemnis*, alia *non solemnis*. 7

Pœnitentia publica solemnis, habebat has conditiones. Primò, Semel tantum in vita imponebatur: vt patet ex Ambr. l. 2. de Pœnit. c. 10. & Augustino epist. 54. & Origene hom. 15. in Leuit. Et Ratio est, tum vt pluris fieret, tũ quia erat solemnis quędam professio nunquam ampliùs redeundi ad illa grauia crimina. Sicut Baptismus est solemnis quędam professio nunquam redeundi ampliùs ad infidelitatẽ. Quòd si accidebat talem rursus relabi in similia crimina, priuabatur communione Sacramentorum vsque ad mortem; vt patet ex c. 5. epistolæ 1. Syricij Papæ. 8 Sex conditiones *Pœnitentiæ publicæ solemnis*.

Secundò, Non iniungebatur nisi ob grauissima & publica crimina; vt homicidia, adulteria, idolatriam &c. vt patet ex Conc. Toletano 1. can. 2.

Tertiò,

Tertiò, Non poterat imponi Sacerdotibus: neque illi qui pœnitentiam publicam egerant, poterant ad Ordines promoueri; vt patet ex cap. 14. epistolæ Syricij ad Himmericum Tarraconensem Episcopum. Nec etiam coniugatis, sine consensu alterius coniugis: nam à complexu coniugali tales pœnitentes abstinere debebant; vt patet ex Concilio Arelatensi 2. can. 21. & 22.

Quartò, A solo Episcopo imponebatur, & ab eodem soluebatur, non autem à Presbyteris, nisi in absentia Episcopi, idque vrgente necessitate; vt patet ex Concilio Carthaginensi 2. cap. 4. & ex epistola 86. D. Leonis.

Quintò, Imponebatur feria 4. ante Dominicã Quadragesimæ; vt patet ex Concilio Agathensi apud Gratianum dist. 50. Can. *In capite.* In cuius signum consignantur adhuc fideles eodem die cineribus. In die autem Cœnæ Domini omnes reconciliabantur & communicabant, idque singulis annis, donec tempus pœnitentiæ esset expletum, quod quibusdam longius, alijs breuius constituebatur, vt trium, septem, decem, vel duodecim annorum; vt patet ex eodem loco.

9 Duodecim pœnæ *publicè pœnitentium.*

Sextò, Erant variæ pœnæ. *Prima,* Abstinere à communione Eucharistiæ, præterquam in Cœna Domini; vt patet ex Cypriano epist. 8. *Secunda,* Non poterant vnquam promoueri ad Clerum, vt patet ex dictis. *Tertia,* Abstinere à nuptijs. Indulgebatur tamẽ interdum adolescentibus ad vitandam fornicationem; vt patet ex epist. 92. cap. 12. *Quarta,* Non poterant accedere ad militiam secularem; vt patet ex eadem epist. c. 11. *Quinta,* Non poterant interim esse susceptores in Baptismo vel in Confirmatione; vt patet ex Concil. Parisiensi lib. 1. cap. vltimo. *Sexta,* Carebant infirmorum Vnctione; vt patet ex Innocentio I. epistolâ ad Decentium c. 8. *Septima,* Erant separati loco à reliquis fidelibus. Primò enim debebant manere ante fores Ecclesiæ: postea admittebantur introrsùm, sed cum Catechumenis: postremò admittebantur cum fidelibus; sed alijs communicantibus nõ poterant communicare ante reconciliationem; patet hoc ex epistola Canonica Gregorij Thaumaturgi, quæ additur Canonibus Photij. *Octaua pœna,* Habebant habitum lugubrem: erant enim induti veste pulla, & cilicio, & tonso capite, exceptis feminis, quæ caput velabant; patet hoc ex Ambrosio lib. ad virginem lapsam cap. 8. & ex Paciano Episcopo Barcilonensi in exhortatione ad pœnitentiam. *Nona,* Singulis diebus ieiuniorum debebant venire ad Ecclesiam, & submittere capita Sacerdotibus, vt eis manus imponerent, & pro eis orarent; vt patet ex can. 80. Concilij IV. Carthaginensis. *Decima,* Sepelire mortuos; patet ibidem can. 81. *Vndecima,* Flectere genua diebus Dominicis & tempore Paschali, quando alij stantes orabant; ibid. can. 82. *Duodecima,* Vitare balnea & conuiuia, & insistere orationi & ieiunijs, cubare in sacco & cinere; patet ex Ambrosio lib. ad virginem lapsam cap. 8. & ex alijs.

IN ADDITIONES D. THOMAE.

QVÆSTIO PRIMA.

De Contritione, quæ est prima pars Sacramenti Pœnitentiæ.

Quid sit Contritio?

1 NOtandum est, Concilium Tridentinum sess. 14. can. 4. definire *Contritionem* generatim hoc modo, *Contritio est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.* Circa quam definitionem sunt aliquot dubia.

DVBIVM I.

Vtrùm Contritio essentialiter sit detestatio, an dolor?

2 HI actus sunt distincti. *Detestatio* enim est odium, & opponitur amori, seu complacentiæ. *Dolor* autem, seu *tristitia* oritur ex detestatione mali, si ipsum malum sit præsens, & opponitur gaudio.

Respondeo: Quidam putant Contritionem Caietanus propriè & essentialiter esse *detestationem: Dolorem* verò esse effectum contritionis. Ita Caietanus Opusculo de Contritione qu. 1. Dominicus Soto dist. 17. quæst. 2. art. 1. Ratio ipsorum est: Quia contritio est primus actus pœnitentiæ: atqui dolor non potest esse primus actus, nam oritur ex displicentia, & odio.

3 Sed contrarium videtur esse verius, scilicet Contritionem propriè esse *Dolorem de peccato commisso.* Primò, Quia ipsum nomen afflictionem & *dolorem* insinuat. Secundò, Quia *pœnitere* formaliter est *dolere*, non *detestari*: atqui contritio formaliter est *pœnitentia*: ergo formaliter est *dolor.* Tertiò, Quia in Beatis est displicentia peccatorum olim commissorum, non tamen in illis est *contritio*; quia non est in illis dolor, cùm eius non sint capaces, propter statum. Contritio propriè est *dolor*, non *detestatio.*

Aduerte tamen, *Dolorem* non posse esse sine detestatione mali, de quo doletur; & ideò Concil. Tridentinũ suprà sess. 14. can. 4. vtrumque posuit. Dices: Ergo, si quis detestaretur peccata sua sine dolore, non legitimè pœniteret. Respondeo: Fieri nequit in hac vita, vt quis seriò detestetur sua peccata in ordine ad reconciliationem, quin simul doleat: nam detestatio seria mali, quod concipitur adesse, necessariò parit dolorem; sicut amor boni præsentis necessariò parit gaudium. Si tamen ponamus non interuenire dolorem, non erit pœnitentia, vt patet in Beatis. 4 An possit quis legitimè pœnitere sine dolore.

Ad Rationem in contrarium: Etsi dolor non sit primus actus habitûs pœnitentiæ absolutè consideratus, est tamen primus actus ipsius quatenus dicitur *Pœnitentia.* Adde nec ipsam detestationem esse primum actum illius habitus, vt patet ex suprà dictis.

DVBIVM II.

Vtrùm ad contritionem requiratur propositum non peccandi inposterum, & quale?

5 Responsio affirmans est de fide.

REspondeo & Dico Primò: Certum est *Contritionem* continere nõ solum *dolorem* peccatorum commissorum; sed etiam *propositum amplius non peccandi*, seu rectè viuendi. Est fide tenendum. Patet ex Concilio Florentino in instructione Armenorum: & Tridentino sess. 14. cap. 4. vbi Contritio definitur esse *Dolor de peccato cõmisso cum proposito non peccandi inposterum.*

Ezech. 18. Probatur Ezechielis 18. v. 25. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, & custodierit omnia præcepta mea; vitâ viuet, & non morietur; omnium iniquitatum eius non recordabor*: vbi illud *(custodierit omnia præcepta mea)* referendum est ad *propositum*, non ad *executionem*: quia non requiritur omnium mandatorum custodia in executione ante iustificationem. Amos 5. v. 15. *Odite malum, & diligite bonum, si forte misereatur Dominus Deus exercituum.* Amos 5. Isaiæ 1. Isaię 1. v. 16. *Auferte malum cogitationum vestrarum, quiescite agere peruersè, discite benè facere.* Et addit: *Si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur:* vbi promittitur remissio post bona opera, saltem in *proposito*. Idē colligitur ex illis Scripturis, quę describunt pœnitentiam per conuersionē. Ioël. 2. Ioël. 2. v. 12. *Conuertimini ad me in toto corde vestro: Conuersio* enim includit, non solùm auersionem à peccatis, sed maximè applicationem animi ad obediendum Deo.

6 Aliquando necesse est vt hoc propositum sit expressum & formale.

Dico Secundò: Hoc *propositũ* debet esse formale & expressũ, si homo cogitet de modo vitæ in posterum degendæ. Si tamen hæc cogitatio non occurrat, sufficit implicitum & virtuale propositũ incluſum in serio dolore peccatorum.

Prior Pars est communis Doctorũ, & satis colligitur ex Concilijs, & Scripturis citatis, quæ requirunt propositum emẽdationis. Quod maximè verum est, quando homo de ea re cogitat: vnde cõmuniter à Doctoribus recepta est illa definitio Magistri dist. 15. *Pœnitentia est virtus, quâ commissa peccata cum emendationis proposito plangimus.* Probatur Ratione: Quia inter homines ad reconciliationem non sufficit dolere de iniuriâ, sed requiritur, vt etiam promittant non ampliùs inferre. Patet, cùm filij redeunt in gratiam cum parentibus, & domini cum seruis. Primùm enim, quod ratione naturali duce post ostensum dolorem dicunt, est, *Non faciam ampliùs*: quod si id sponte non dicant, etiam pœnis extorquetur: ergo similiter ratio naturalis fide instructa dictat, ad reconciliationem cum Deo requiri expressum propositum non peccandi de cetero, si id animo occurrat. Confirmatur: Quia sicuti ad compensationem iniuriæ pertinet *dolere* de iniuriâ illatâ, ita etiam *proponere*, seu *promittere non ampliùs inferre.*

7 Aliquando sufficit, vt sit virtuale & implicitum.

Altera Pars est contra Dom. Soto dist. 15. q. 1. art. 2. & dist. 17. q. 2. a. 1. Sed eam docet Andreas Vega. lib. 13. in Concilium Trident. c. 21. & 22. Nauarrus cap. 1. Enchiridij nu. 10. & 15. Ioannes Medina Codice de Pœnitentiâ Tract. 1. quæst. 3. & alij multi recentiores.

Probatur Primò: Quia quando non habemus memoriã peccati mortiferi, sufficit virtualis dolor, seu contritio inclusa in actu dilectionis Dei; & cõsequenter sufficit actus dilectionis Dei super omnia ad iustificationẽ, vt suprà dictum est: ergo similiter quando non occurrit cogitatio illa de modo viuendi in posterũ vt sit dum homo totus est occupatus in examinandâ & detestandâ vitâ præteritâ sufficiet virtuale propositum emendationis in serio peccati dolore incluſum, ac proinde sufficiet serius dolor de peccatis præteritis. Si enim virtualis pœnitentia aliquando sufficit, cur non etiam virtuale propositum emendationis in actuali dolore peccati incluſum? Secundò: Contritio non accipit vim iustificandi ex proposito emendationis; sed ex eo, quòd perfectè repugnet peccato, quatenus est offensio Dei: ergo absolutè nõ est necessaria expressa voluntas emendationis. Tertiò: Hęc voluntas sępè potest inculpatè omitti ab eo, qui ex amore Dei super omnia dolet de peccatis: atqui non est credibile huic non dimitti peccata, cum sine vllâ suâ culpâ careat illo actuali proposito, & alioqui diligat Deum super omnia; præsertim cùm dilectio Dei super omnia sufficiat ad iustificationem, iuxta illud, *Charitas operit multitudinem peccatorum.*

8 Idem dic de necessitate huius propositi ad remissionem venialium.

Petes vtrùm illud expressum propositum sit necessarium ad remissionem peccatorum venialium, seu ad legitimam venialium pœnitentiam?

Respondeo; Videri necessarium, si occurrat cogitatio de ratione viuendi inposterum. Primò: Quia Concilium Trid. generaliter requirit hoc propositum ad contritionem in genere acceptam, seu ad actum pœnitentiæ: atqui venialia non remittuntur sine actu pœnitentiæ, seu contritione in genere. Secundò: Quia non potest quis seriò dolere de aliquo peccato, præsertim eo fine, vt Deo reconcilietur, quin statim inde sequatur propositum emendationis, si illa cogitatio incidat: nam hoc est vnum ex illis, quæ maximè inducunt offensum ad ignoscendum.

DVBIVM III.

Vtrùm Contritio includat etiam propositum cõfitendi, & satisfaciẽdi ex arbitrio Sacerdotis?

9 Vt est legis naturæ.

REspondeo: Contritio considerata, vt est legis naturæ, non continet hoc propositum. Vnde Concilium Trident. eam sic definiens, nihil aliud posuit, quàm *detestationem, dolorem, & propositum non peccandi de cetero*; quæ iure naturæ sunt necessaria.

Vt pertinet ad nouam legem.

Verùm contritio, vt ad nouam legem pertinet, continet etiam propositum confitendi, & satisfaciendi ad arbitriũ Sacerdotis. Patet hoc ex Synodo Complutensi cõfirmata à Sixto IV. vbi damnatur hæc propositio cuiusdam Petri Oxomensis, *Per solam cordis contritionem remittuntur peccata mortifera quoad culpam, & pœnam alterius sæculi, sine ordine ad claues.* Et ex Concilio Trident. sess. 14. c. 4. vbi dicitur, quòd *Contritio in homine lapso post Baptismum ita demum præparat ad remissionem peccatorũ, si cum fiducia diuinæ misericordiæ & voto reliqua præstandi coniuncta sit:* & infrà dicitur, *Contritionem includere votum Sacramenti.* Hinc DD. passim in definitione *Cõtritionis* hoc addunt; vt patet ex art. 1. D. Thomę, quia definiunt contritionẽ vt in noua lege exerceri debet. Verùm satis est, si hoc propositum sit implicitum; cõtinetur enim in proposito delendi peccata, & seruandi mandata. Nam medium ad delenda peccata, est confessio Sacramentalis & satisfactio: & pari modo vnum ex diuinis mandatis est, vt confiteamur, & satisfaciamus. Ita Ioannes Medina qu. 3. de Pœnitentia; & Nauarrus cap. 1. num. 15. & alij.

DVB.

DVBIVM. IV.

Quomodò differat Contritio propriè dicta ab Attritione?

10 Diuisio Contritionis, in perfectam & imperfectam.

NOtandum Primò: *Contritionem* generatim acceptam, de qua hactenus, diuidi in duas species; in *Contritionem propriè dictam*, & *Attritionem*. Colligitur ex Concilio Trident. sess. 14. cap. 4. vbi ait *Attritionem esse imperfectam contritionem*. Et quamuis, strictè loquendo, solus ille dolor, qui est de peccato, vt est offensio Dei, procedens ex imperfecta dilectione, dicatur *imperfecta contritio*, eò quòd circa idem obiectum formale versetur, tamen generatim omnis *Attritio* vocatur à Concilio, *Contritio imperfecta*.

11. Contritio perfecta.

Notandum Secundò: *Contritionem* propriè dictam, quæ & *perfecta* dicitur, esse dolorem de peccato, vt est offensio Dei, tanquam de summo malo, cum proposito emendationis non peccandi de cetero: vt communiter Doctores docent. Vnde sequitur tot esse species *Attritionis*, quot modis contingit deficere ab hac perfectione. *Prima* ergo Species sit, quâ quis dolet de peccato, & proponit abstinere propter damnum temporale: vt fur ob infamiam, vel mortem. *Secunda*, quando dolet & proponit abstinere propter turpitudinem peccati: idque dupliciter; vel quatenus peccatum est contra dictamen nudę rationis naturalis, vel contra dictamen rationis fide illustratæ. *Tertia*, quando propter timorem gehennæ. *Quarta*, quando ob amissionem bonorum spiritualium; vt bonorum operum, gratiæ Diuinæ, & vitæ æternæ. *Quinta*, quando dolet quis de peccatis propter Deum dilectum amore naturali, id est, quatenus est auctor bonorum naturalium. *Sexta*, quando dolet propter offensionem Dei ex affectu supernaturali, sed non tanquam de summo malo; imò fortassis magis doleret de iactura bonorum temporalium vel famę, etsi hanc comparationem non faciat. In his sex speciebus suppono adesse propositum absolutum emendationis, seu non peccandi in posterum; easq; dumtaxat deficere à perfectione Cõtritionis ex parte rationis dolendi, quia videlicet non dolent propter Deũ ex affectu supernaturali, vel certè non suprà quoduis aliud malũ.

Contritionis imperfectæ, seu Attritionis, species, ex parte rationis dolendi.

Septima species ex parte propositi.

His addi potest *Septima species* ex parte propositi; quando homo dolet propter Deum, sed non habet absolutum propositum abstinendi in posterum; verùm tantummodò velleitatem quandam: qualis est plerumque vsurariorum, meretricum, attritio, & eorum qui penitus sunt immersi peccatis. Vtrùm autem solis naturæ viribus possit haberi absolutum propositum abstinendi in futurum, est alterius loci. Nunc supponamus id esse possibile, quamuis sit admodum difficile.

12 Differentia inter Attritionem & Contritionem.

Ex his facile est colligere, quomodo Contritio propriè dicta & Attritio differant. Differunt enim Primò: quòd Contritio procedat ex dilectione Dei super omnia; Attritio autem non procedat ex tàm perfecto affectu beneuolentiæ erga Deum; sed vel ex affectu inferiore erga Deum, vel ex amore proprię salutis, vel pulchritudinis virtutis. Secundò: Contritio dolet de peccato tanquam de summo malo, ac proinde summè dolet, nempe appretiatiuè: Attritio verò non sic apprehendit peccatum, tanquam summũ malum. Tertiò; Contritio dolet de peccato, quia est offensa Dei, id est, quia offendit eum, quem summè amare & honorare debebat: Attritio autem non respicit semper hanc rationem formalem; sed plerumque ob alias causas dolet. Et quamuis sit quędam Attritio, quę etiã ob hanc causam dolet, scilicet sexta species; non tamen ita perfectè dolet, sicut decet, de summo malo.

Ex his vlteriùs patet, Attritionem nunquam posse fieri Contritionẽ, cùm obiecto formali differant, vel saltem modo in illud tendendi.

Attritio nunquam fieri potest Contritio.

DVBIVM. V.

Vtrùm omnes hæ Attritiones sufficiant, saltem cum Sacramento, ad iustificationem?

13 2. & 3. & 4. species Attritionis; cum Sacramento sufficiunt ad iustificationem.

REspondeo & Dico Primò: Certum est eam attritionem, quę concipitur per auxiliũ speciale ex consideratione turpitudinis peccati, vel metu gehennę (& idẽ dico si ex amissione bonorũ spiritualiũ) cum spe venię, si voluntatem peccandi excludat, sufficere cum Sacramento Pœnitentiæ.

Probatur Primò: quia hoc docet Concilium Trid. sess. 14. cap. 4. Vbi de hac attritione sic ait; *Quamuis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit:* (nempe ad gratiam iustificationis, non ad contritionem, de illa enim apertè loquitur Concilium:) hæc autem in ipso Sacramento impetratur, id est, per ipsum Sacramentũ, ac proinde ex opere operato. Idem docent passim Doctores dist. 18. qui dicunt, *Per Sacramentũ pœnitentiæ ex attrito fieri contritum.* Ita D. Thomas suprà qu. 86. ar. 6. & in 4. dist. 18. q. 1. ar. 3. & ibidem Scotus, Durandus, Paludanus, & alij, præterpaucos, qui contrarium sentire videntur, vt Bonauentura, Richardus, Gabriel, & Alexander. Sed hæc res post Concilium non potest esse dubia.

Trident.

Scholastici.

Probatur Secundò, Ratione: Primò, quia in lege naturæ, & veteri, sine Sacramento Contritio semper fuit sufficiens ad remissionem peccatorũ: ergo in lege Euangelica, quando habemus Sacramenta quę ex se sunt efficacia ad remissionẽ peccatorum, sufficiet Attritio. Secundò: quia alioquin per Sacramentum nunquam absolueremur à culpa, sed solùm declararemur esse absoluti, antecedente contritione; quod est erroneum: nam sic in Ecclesia nõ esset verè *Potestas remittẽdi peccata*; sed solùm *declarãdi esse remissa*. Tertiò: quia alioqui remissio peccati non esset facilior nũc, quàm olim: quod est contra gratiam noui testamenti.

Ratio.

14 5. species etiam sufficit.

Dico Secundò: sufficit etiam ea attritio, quę ex amore Dei, vt auctoris naturæ, per auxilium speciale concipitur: vt dum quis dolet, quòd offenderit Deum, à quo tot beneficia humana & naturalia accepit, opes, honores, sanitatem, liberos, longam vitam, &c. Ratio est: quia hęc attritio magis accedit ad amicitiam Dei, quàm illa superior, quę ob metum gehennæ, vel turpitudinem peccatorum concipitur.

15 6. Species similiter sufficit.

Dico Tertiò, Sex species attritionis etiam sufficiens est cum Sacramento. Probatur, Quia est omnium attritionũ optima & perfectissima, proximè accedens ad contritionem. Nam est ex affectu charitatis, sicut contritio, & est coniuncta cum absoluto & efficaci proposito emendationis. Solùm autem differt à contritione, quòd contritio doleat de peccato, vt offendit Deum vt auctorem bonorum supernaturalium; tanquam de summo malo, adeò, vt si in particulari faceret com-

parationem cum alijs malis; ex vi illius contritionis pluris æstimaret peccatum, magisque illud detestaretur. Hæc autem attritio non ita perfectè dolet; nam si fieret comparatio cum alijs malis, ex vi huius attritionis non inclinaret ad magis dolendum de peccatis, quàm de alijs maximis malis. Hanc tamen comparationem non facit, nec expedit vt faciat; si enim illam faceret, & actu pluris æstimaret alia mala quàm peccata, non esset capax absolutionis.

16 Quæ Attritio non sufficere cum Sacramento.

Dico Quartò: Nulla attritio sufficit ad remissionem peccatorum in Sacramento consequendam, quæ solis naturæ viribus concipitur; sed omnis idonea attritio ad iustificationē debet proficisci ex auxilio speciali. Probatur ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 5. vbi docet exordium iustificationis in adultis sumendum esse à gratia, id est, à vocatione, quæ nihil aliud est, quàm inspiratio diuina tum in intellectu, tum in voluntate. Loquitur autem Concilium non solùm de iustificatione, quæ fit extra Sacramentum, sed maximè de eâ quę fit per Sacramentum. Et can. 3. definit, *sine præueniente Spiritus sancti inspiratione hominem non posse pœnitere vt oportet ad iustificationu gratiam consequendam.* Ratio est: Quia cùm hæc attritio sit dispositio ad gratiā, debet aliquo modo esse supernaturalis, scilicet vel secundùm substantiam suam, vel secundùm modum. Neque sufficit, si bonâ fide existimes te habere legitimū dolorem: nam illa bona fides non potest supplere defectum, qui est in ipsa dispositione; sed solùm excusat à peccato, quod committeres, si scires te non legitimè dispositum accedere ad Sacramentum.

17 Attritio insufficiens ad gratiam, potest esse sufficiens ad substantiam Sacramenti.

Aduerte tamen huiusmodi attritionē esse sufficientem ad substantiam Sacramenti pœnitentię. Ratio est: quia Sacramenta constant rebus, vel actibus naturalibus, quæ ex diuina institutione concipiunt vim supernaturalem, vt agant in hominem dispositum. Dispositio autem ad gratiam debet esse supernaturalis. Quare eadem attritio, etsi sit insufficiens dispositio ad gratiam, potest tamen esse sufficiens vt sit pars Sacramenti.

18 1. Species videtur etiam sufficere cum Sacramēto.

Dico Quintò: An prima species attritionis cum Sacramento sufficiat, non est certum: satis tamen probabile est, sufficere. Tenet Scotus dist. 18. qu. 3. art. 3. Quod intellige, si malum illud temporale, propter quod dolet, apprehendatur tanquam à Deo infligendum: secùs vero, si apprehendatur vt malum merè humanum. Probatur exemplo Niniuitarum, quorum pœnitentia laudatur à Domino, & tamen timore euersionis vrbis & mortis temporalis pœnitentiam egerunt: ergo, si quis cum tali pœnitentia accederet ad Sacramentum, consequeretur fructum Sacramenti. Confirmatur: quia hic dolor sequitur ex fide prouidentiæ & iustitiæ diuinæ, & ex timore Dei tanquam vltoris peccatorum.

19 2. Species nō sufficit.

Dico Sextò: vltima species, scilicet, cui deest absolutum propositum, non sufficit ad gratiam consequendā etiam cum Sacramento. Ita Dom. Soto suprà, & alij. Ratio est: quia propositum non peccandi debet esse absolutum; alioquin non excluditur propositum peccandi, quod tamen excludi debere docet Concilium Tridentinum.

20 Dolor solùm putatus legitimus non sufficit ad substantiā Sacramēti.

An autem sufficiat ad substantiam Sacramenti, si quis bonâ fide existimaret, suum dolorem esse legitimum, dubium est. Dominicus Soto putat sufficere: quod non est improbabile.

Contrarium tamen videtur omnino verius. Ratio est; quia talis peccator, omnibus consideratis, non verè dolet de peccato, neque illud odit; Nam voluntariè in eo vult persistere; sed tantùm dolet secundùm quid, quatenus peccatum seorsim & præcisè consideratur.

Dices: Alexander III. Cap. *Quod quidam* de Pœnitentijs & remissionibus, præcipit recipi eorum confessionem, qui dicunt se à peccatis abstinere non posse: ergo in illis saltem Sacramentum erit validum.

Respondeo, Ibidem dicere Pontificem talem pœnitentiam non esse veram: vult tamen eorum confessionem admitti, non vt absoluantur sine absoluto proposito, sed vt salutaribus monitis ad illud concipiendum inducantur.

DVBIVM. VI.

Vtrùm Attritio in Sacramento Pœnitentiæ debeat esse existimata Contritio à pœnitente?

21 Soto affirmat.

DOminicus Soto dist. 18. q. 3. art. 2. affirmat. Quæ opinio est securissima in praxi.

Opinione. gans est verior.

Contrariam tamen sententiam puto veriorem, quam sequitur Nauarrus, cap. 1. num. 43. Correctâ sententiâ priore; & Melchior Canus lect. 5. de Pœnitentia, & passim recentiores. Probatur Primò: Quia Concilium Tridentinum hoc non requirit; quod tamen dogmaticè & strictè loquitur, nec ignorabat Doctorum sententias. Secundò: Quia sicut Baptismus est Sacramentum mortuorum secundùm spiritum, ita etiam Pœnitentia: ergo sicut non est necesse, vt is qui accedit ad Baptismum, existimet se viuere spiritualiter, vt etiam Sotus fatetur, ita neque, vt is, qui se submittit clauibus Ecclesię ad remissionem peccatorum. Tertiò: Ad Eucharistiam sufficit attritio existimata contritio, quando non datur copia Confessoris; & pari modo ad alia Sacramēta, quæ non sunt instituta ad remissionem peccatorum: ergo minùs requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ. Patet consequentia; quia illa sunt Sacramenta viuentium, & ideò ex præcepto diuino naturali supponunt vitam, vel verè existentem, vel prudenter existimatam. Sacramentum autem Pœnitentiæ per se primò institutum est ad remissionem peccatorum. Quartò: Quia verbo absolutionis significatur hominem absolui ab omni culpâ, etiam mortiferâ: ergo pœnitens non debet existimare se anteà fuisse liberatum; quod tamen deberet, si necessarium esset existimare se contritum. Quintò: melior esset conditio hominis rudis, qui facilè existimabit se contritum, quàm eruditi qui dubitabit.

22 Notabile ad praxim.

Valdè tamen consulendū, vt is, qui animaduertit se non esse contritum, sed solùm attritum, doleat quòd non perfectiùs doleat de offensa diuina. Per hoc tamen non fiet contritus, vt quidam volunt, inter quos Paludanus dist. 17. Nam talis velleitas non æquiualet actui absoluto: vt si quis doleret se non habere tam perfectam contritionem, quàm habuit Magdalena, non ideò censeretur habere tàm perfectam. Neque verum est, voluntatem semper pro facto reputari: hoc enim solùm in actibus externis locum habet, à quibus impedimur ob impotentiam executionis extrinsecam; non autem in actibus internis, ad quos non habemus sufficientes vires intrinsecas, vel saltem eas non vt oportet, exerimus.

Attritus dolens se non esse contritum, non fit per hoc contritus.

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

De Obiecto Contritionis.

DVBIVM. I.

Vtrùm ante institutum Sacramentum Pœnitentiæ fuerit necessaria distincta contritio peccatorum mortiferorum?

1 Tribus modis doleri potest de peccato mortali.

NOtandum est, de peccato mortifero tripliciter posse doleri, & conteri. Primò: excitando singulos dolores de singulis peccatis mortiferis, cuiusq; malitiâ seorsim expensâ. Secundò: si quis commemoratis omnibus peccatis suis in particulari, doleat de omnibus illis vnico dolore, qui formaliter ad omnia illa se extendat: & hic potest dici dolor particularis, & per eum homo dolere in particulari de omnibus. Tertiò: si, non reductis in memoriam peccatis tuis, doleas de omnibus quæ commisisti generatim; & dicitur dolor generalis.

2 De singulis peccatis nō fuit vnquā necesse singulos dolores excitare.

Dico Primò: Nunquam fuit necessarium de peccatis singulis singulos dolores excitare. Est communis Doctorum. Probatur: Quia homo subitò potest iustificari: ad istud autem esset opus longo tempore, si quis multa peccata haberet. Ratio est: quia vna efficax contritio, extendens se ad omnia sine exceptione, est instar multarum contritionum singulis peccatis commensuratarum: sicut vna visio, quâ decem res distinctè videntur, est instar decem visionum.

Est tamen salutare consilium.

Notandum tamen est, esse salutare consilium, etiam de singulis præsertim peccatorum speciebus, dum quis conscientiam examinat, dolorem excitare, cùm in illis sint distincti malitiæ gradus.

3 Imò nec fuit necesse olim omnia, & singula peccata cōmemorare.

Dico Secundò: Probabilius est neque in lege naturæ, neque in lege veteri ante institutum Sacramentum Pœnitentiæ, fuisse necessarium ad iustificationem commemorare singula peccata, vt de omnibus vnica contritio cōciperetur, iuxtà secundum modum. Est contra Melchiorem Canum Relectione de Pœnitentia part. 3. & quosdam alios, qui putant illud necessarium fuisse necessitate medij. Et contra Dominicum Soto dist. 17. quæst. 2. art. 3. qui id putat fuisse necessarium necessitate præcepti. Sed nostram sententiam docet Caietanus Opusculo de Contritione quæst. 2. & Franciscus Victoria in summa quæst. 116. & alij multi recentiores.

Probatur Primò: quia hæc commemoratio peccatorum singulorum solùm videtur necessaria ex præcepto diuino positiuo, idque in noua lege, nempe ob confessionem Sacerdoti faciendam. Cuius signum est, quia ea peccata, quæ non sunt necessariò confitenda, vt venialia, non sunt necessariò reducenda in memoriam: ergo ex Iure naturæ neque mortifera.

Secundò, Quia dolor de peccatis requiritur ad reconciliationem, tum vt homo per illum auertatur perfectè à peccato, tum vt compensēt apud Deum peccati culpam: sed hæc auersio & compensatio fieri potest per dolorem generalem sine illa particulari conscientiæ discussione; nam fieri facilè potest, vt quis plus doleat de peccatis sine discussione, quàm alius post discussionem: ergo, si hic satisfacit, etiam ille satisfacit.

Tertiò: Dolor iste generalis, quo quis propositis sibi duobus vel tribus notabilioribus peccatis, dolet de illis, & de alijs omnibus quæ commisit, virtute se extendit ad singula, quæ commisit; adeò vt si de singulis rogaretur, diceret se ea detestari: ergo virtute æquiualet particularibus doloribus illorum, ac proinde non opus est ea commemorare.

Quartò: Homo potest subitò iustificari; vt patet in Paulo, Dauide, &c. vt infrà ostendetur: ergo illa commemoratio non est necessaria. Dices: potest quidem subitò iustificari, sed postea obligatur ad examen conscientię, vt possit de omnibus in particulari dolere: ita Sotus. Sed contrà: si ille iam iustificatus est per contritionem generalem, non tenetur iterum concipere contritionem. Nulla enim ratio postulat, vt homo bis debeat de vno peccato conteri, maximè cùm per vnam contritionem possit iustificari.

Sed contrà: Obijcitur Primò, Isaię 38. v. 15. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Respondeo: ibi solùm dicitur, quid ille bonus Rex fecerit; non autem significatur hoc omnibus necessariò faciendum: sic Dauid ait, *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo*: tamen hoc non est præceptum. 4 1. Obiectio. Soluitur.

Obijcitur Secundò, Ezechielis 18. v. 25. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, &c. non recordabor amplius*; quod eodem sapite sæpiùs repetitur, addito semper signo vniuersali. Respondeo, non esse dubium, quin impius debeat dolere de omnibus peccatis suis, vt conuertatur & iustificetur: sed hoc potest fieri generatim absque singulorum consideratione. 2. Obiectio

Obijcitur Tertiò: Ratio naturalis dictat, vt qui post varias iniurias alteri illatas cupit reconciliari, perpendat quantum iniuriæ contulerit, vt eam dignè possit æstimare: nam hæc æstimatio & agnitio apud offensum necessaria est ad reconciliationem: ergo &c. Confirmatur: quia cùm quis cupit reconciliari, sponte occurrunt omnes iniuriæ, quas intulit, quasi naturâ hoc procurante tanquam medium ad reconciliationem necessarium. Respondeo: Ratio dictat hoc esse valdè expediens, non tamen esse necessarium: quia hæc æstimatio in genere fieri potest, cùm omnia peccata in eo conueniant, quòd sint iniuria in Deum. Ad Confirmationem: Ideò homini naturaliter tunc occurrunt iniuriæ, quia metuit ne fortè aliquid fecerit, propter quod non sit in gratiam recipiendus: quando autem hoc non metuitur, non sic occurrunt. 3. Obiectio Soluitur.

DVBIVM. II.

Vtrùm post institutum Sacramentum Pœnitentiæ sit necessaria particularis Contritio?

REspondeo & Dico Primò: etsi necessaria sit singulorum peccatorum commemoratio ad 5

Nec in noua lege necessaria est Contritio particularis de peccatis.

faciendam confessionem, non tamen est necessaria contritio particularis post commemorationem. Probatur Primò: quia in noua lege non est necessaria maior aut distinctior contritio, quàm in veteri; sed potius minor: nam etiam attritio sufficit cum Sacramento, quæ anteà nunquam fuit sufficiens: ergo &c. Secundò: si talis contritio esset necessaria, vel id esset propter confessionem, nempe vt confessio nõ sit pura narratio, sed dolens sui accusatio; vel propter remissionẽ peccatorum obtinendam: Non primum: quia cõtritio generalis quæ præcessit, sufficiens est ad hoc, vt confessio sit dolentis accusatio: similiter attritio præcedens. Non secundum: quia remissio peccatorum facta est per contritionem generalem præcedentem; vel si præcessit solùm attritio, fit remissio per verbum absolutionis vi Sacramenti: non est ergo necessarius alius actus contritionis, vel attritionis.

6 Suadetur tamen ea vt vtilissima.

Dico Secundò: Etsi hæc contritio particularis, vel attritio post commemorationem nõ sit necessaria, si præcessit generalis, est tamen vtilissima, & omnibus seriò pœnitere volentibus frequentanda. Probatur: quia interdum periculum est, ne is qui solùm in genere dolet de omnibus, quæ cõmisit, non descendens ad singula, non doleat absolutè, & efficaciter de omnibus, sibi ipsi imponens: multi enim sunt, qui dicunt se de omnibus dolere, tamen dum venitur ad particularia, non verè dolent, neque vellent se hoc non fecisse, quamuis displiceat illis quòd in eo opere Deum offenderint. Patet in eo, qui occidit inimicum, vel vsuris parauit multas diuitias. Secundò: qui seriò dolet in genere, & posteà reuocat peccata sua in memoriam, vix fieri potest, vt non etiam doleat, vel inter commemorandum, vel posteà, de omnibus. Tertiò: quia Patres hortantur ad hanc discussionem, & particularem pœnitentiam. Vide Augustinum lib. de vera & falsa Pœnitentia cap. 9. 14. 17. & Chrysostomum Homil. 4. de Lazaro sub finem.

DVBIVM III.

Vtrùm de peccatis oblitis sit necessaria aliqua Contritio?

7 Si oblites es in particulari.

Si omnino oblites es.

REspondet D. Bonauentura dist. 17. p. 2. ar. 2. quæst. 2. Primò, Si oblitus sis in particulari, sed non in vniuersali, id est, si scis te commisisse aliqua peccata, sed nescis quę & qualia, necessaria est vniuersalis contritio: Quod est verissimum. Secundò: si omnino sis oblitus, vt nec in vniuersali nec in particulari recorderis, dicit nihilominùs necessariam esse contritionem: quia quilibet debet existimare se in multis offendisse. Quod est salutare consilium, sed non necessarium, nisi quis esset obliuiosus, & ex multo tẽpore non cõfessus.

8 Si primò occurrat post confessionem.

His adde, Quando quis recordatur peccati, cuius antè non meminerat cùm contritionem ceterorum concepit & confessus est, non esse necessarium nouam de eo contritionem concipere (quamuis id sit valdè expediens) nisi quatenus necessarium est illud confiteri. Sequitur hoc ex dictis: quia contritio illa prior virtute se extendebat etiam ad hoc peccatum: si enim tunc occurrisset, simul cum alijs, id detestatus fuisset: igitur cùm per illam remissum fuerit, non est opus aliâ contritione. Confirmatur: quia contritio solùm est necessaria ob reconciliationem: ergo obtentâ reconciliatione non est necessaria. Quia tamen præcepto positiuo diuino tenemur posteà confiteri; & huius Sacramenti pars est contritio vel attritio, ob hanc causam requiritur nouus dolor.

QVÆSTIO III.

De Quantitate Contritionis.

1 Quis dolor summus Appretiatiuè vel intensiuè.

NOtandum est: dolorem aliquem voluntatis posse dici magnum, vel summum, dupliciter: intensiuè, & appretiatiuè. *Intensiuè summus* est, qui summo conatu excitatur, quem voluntas humana excitare potest vel absolutè, vel per gratiam præsentem. *Appretiatiuè summus* est, quo voluntas dolet tanquam de summo malo, pluris æstimans illud, quàm omnia alia mala; sic vt malit quoduis aliud malum, etiam mortem, subire, quàm illud.

DVBIVM I.

Vtrùm Contritio debeat esse summus dolor appretiatiuè?

2 Communis sententia est affirmans.

REspondeo debere. Est communis sententia Doctorum. Probatur: quia dolor peccati debet ita esse summus in contritione, sicut dilectio Dei debet esse summa in actu charitatis: atqui hæc debet este summa appretiatiuè. Colligitur Matthæi 10. vers. 37. *Qui amat Patrem, aut Matrem plùs quam me, non est me dignus:* vbi Dominus requirit, vt ipse per amorem ceteris omnibus præferatur: ergo contritio debet esse summa. Confirmatur: quia sicuti Deus est summum bonum; ita peccatum est summum malum: ergo sicut Deus debet summè diligi appretiatiuè inter bona, ita peccatum summè detestari inter mala.

3 Pœnitens non tenetur facere comparationem cũ alijs malis.

Hìc tamen quędam sunt notanda. Primò: Pœnitentem non teneri facere comparationem cum alijs malis; & imperfectos non esse talibus comparationibus tentandos, vt rectè D. Thomas articulo 1. & alij Doctores: satis enim est, vt verè doleant de omnibus peccatis suis, quibus Deum offenderunt, & absolutè proponant ea vitare. Nam etiamsi talis dolor fortè non pertingat ad contritionis perfectionem, tamen saltem erit attritio, quæ cum Sacramento sufficit ad remissionem. Quicumque tamen actu habet veram contritionem, ita animo comparatus est, vt si tales comparationes occurrerent, magis detestaretur peccatũ, quàm quoduis aliud huius vitæ malum; malletque quæuis mala huius vitæ subire, quàm peccatum mortiferum cõmittere. Qui verò tantummodò habitu sunt contriti, vt sunt omnes qui sunt in statu gratię, non necessariò talibus comparationibus occurrentibus præoptarent quoduis malum perpeti, quàm peccare; alioquin nemo ex illis

illis vnquam peccaret mortiferè. Ratio est: quia iustus non necessariò vtitur suis habitibus virtutum.

4 Quid faciet si comparatio vltrò occurrat.

Notandum Secundò: Dum tales comparationes occurrunt, pœnitens vel tenetur potiùs quodvis malum huius vitæ malle perpeti, quàm eligere peccatum letale; vel certè debet suspendere electionem, & reiecta tali comparatione, absolutè peccatum detestari, & proponere abstinere. Quàdiu autem fluctuat, seu deliberat quid esset facturus, non potest absolui.

5 Comparatio solùm instituenda cum malis huius & nō alterius vitæ.

Notandum Tertiò: Comparationem peccati solùm esse faciendam cum malis huius vitæ, quæ interdum necesse est subire, vt peccatum euitetur; vt, cum inopia, seruitute, exilio, morte, &c. non autem cum malis vitæ æternæ; verbi gratia, vt malit potiùs esse mille annos in igne purgatorio, vel semper in inferno, quàm peccare mortiferè. Ratio est: quia hæc mala nunquam sunt subeunda ad vitandum peccatum; sed contrà potiùs diuinitus sunt constituta, vt illorum timore peccatum vitemus. Vnde huiusmodi comparationes includunt repugnantiam secundùm legem ordinariam, ac proinde sunt reijciendę, nisi quis abundantiâ quâdam charitatis moueatur. Vide Chrysostomum in illud ad Rom. 9. *Optabam ego anathema esse à Christo.* Confirmatur: quia Dominus Lucæ 12. v. 4. ait, *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus*, id est, ne sic terreamini, vt timore mali, quod illi possunt inferre, Deum offendatis: *Timete autem eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Vnde fortassis non imputaretur ad culpam mortiferam (si facta hypothesi alterum deberet fieri, Deo sic permittente:) si quis mallet semel fornicari, furari, quàm in æternum ardere: quia malum istud nimium superat humanam conditionem.

DVBIVM. II.

Vtrùm de maiori peccato sit magis dolendum appretiatiuè?

6 Affirmatur.

REspondetur, Esse. Est certa sententia; & explicatur exemplo: Si necessarium esset incidere in hæresim, vel in furtum, eligendus esset potiùs lapsus in furtum, quàm in hæresim; quia in furto est minor Dei contemptus, ac proinde minus malum: quare magis dolendum est de peccato hæresis, quàm furti. Quod confirmatur ex Cypriani sermone de Lapsis, *Quàm magna deliquimus, tam grandia desleamus.*

7 Appretiatiuè magis dolere de minore peccato, quàm de maiore, videtur veniale.

Petes Primò: Quale peccatum est, si magis doleamus appretiatiuè de minore peccato, quàm de maiore? Vt, si quis diceret, malle se committere, vel commisisse, si esset necesse, blasphemiam, quàm furtum, eò quòd in furto sit maior ignominia.

Respondet Sotus dist. 17. quæst. 2. art. 4. esse tantùm venialem charitatis peruersionem, si animus vtrumque absolutè detestatur. Idem tenent plérique recentiores: & videtur satis probabile. Ratio esse potest: Quia omnia peccata mortifera conueniunt in contemptu Dei: vnde aliud non excedit aliud infinitè, sed finita duntaxat proportione. Quare non tam strictè obligamur ad magis dolendum de maiore, quàm de minore.

Secùs est, Si fiat comparatio cum malis huius vitæ, quæ peccatum infinitè superat. Vnde esset peccatum mortiferum, si quis mallet se peccasse, quàm amisisse sua bona; nisi iam reconciliatus sit Deo, eamque reconciliationem simul cum peccato coniungat: sic enim in hac comparatione non videtur mortifera inordinatio. Magis dolere de malis huius vitæ, quàm de peccato mortali, est mortale.

Notandum autem est, vt quis magis censeatur dolere de maiore peccato, nō opus esse inter peccata facere comparationem; sed sufficere, vt quis omnia peccata sua detestetur, quatenus sunt offensio Dei; sic enim detestatio fertur in singula pro gradu & ordine cuiusque.

8 Appretiatiuè magis dolere de suo paruo peccato, quàm de alterius magno.

Petes Secundò: Vtrum magis dolendum sit de suo minori peccato, quàm de maiori alterius?

Respondetur appretiatiuè magis dolendum est de suo, etiam minimo, quàm de maximo alterius. Ratio est: quia ad alterius peccatum, etiam maximum impediendum, non licet in se admittere vel minimum: vt patet ad Romanos 3. Intensiuè tamen sæpè magis dolemus de alterius maximis peccatis, quàm de nostris minimis.

Similiter (cæteris paribus) magis dolendum est appretiatiuè de peccato alterius, quàm de quouis malo temporali. Dico (*cæteris paribus:*) quia ex malo temporali interdum multa peccata sequuntur, vel sequi possunt, vel etiam bona impediuntur; & hac ratione potest quis de illis magis dolere.

DVBIVM. III.

Vtrùm etiam debeat esse dolor summus intensiuè in Contritione?

9 1. Sententia Adriani.

SVnt duæ sententiæ: Prima est Adriani qu. 2. de Pœnitentia art. 2. qui dicit, in contritione requiri summum conatum, ac proinde debere esse summum dolorem intensiuè. Idem sentit de dilectione Dei. Et ratio ipsius est: quia alioquin neque amabitur Deus plusquā omne bonum, neque peccatum odio habebitur super omne malum.

2. Petri à Soto.

Altera est Petri à Soto lectione 15. de Pœnitentia, qui docet non requiri quidem, vt sit absolutè summus intensiuè; tamen vt sit intensior, quā quiuis alius dolor de alio quouis malo. Idem sentit de amore Dei.

10 3. Communis. Non requiri summū dolorem intensiuè in contritione.

Respondeo & Dico Primò: Non requiritur, vt contritio sit summus dolor intensiuè, seu ex summo conatu voluntatis. Est communis sententia Doctorum.

Probatur Primò: In charitate, ex qua dolor contritionis manat, non requiritur summus conatus: sunt enim tres gradus charitatis, scilicet *Incipiens*, *Proficiens*, & *Perfecta*; qui gradus non solùm appretiatione, sed etiam intensione differunt & conatu: ergo neque in contritione requiritur summus conatus.

Probatur Secundò: Si contritio deberet esse summus dolor intensiuè, vel esset summus respectu liberi arbitrij & auxilij præsentis, vel respectu liberi arbitrij & auxilij possibilis: neutrum dici potest: ergo. Non secundum: quia nullus datur dolor summus intensiuè respectu auxilij possibilis; sicut enim illud auxilium potest esse maius & maius in infinitum, ita & doloris vehementia, siue intensio. Sed nec primum dici potest, scilicet dolorem debere esse summum respectu auxilij præsentis: sic enim sæpè fieret, vt is qui haberet ingentem dolorem propter Deum de peccatis suis non iustificaretur, eò quòd dolor iste non esset summus

summus respectu auxilij præsentis; & ille, qui haberet paruum dolorem iustificaretur, eò quòd esset summus respectu parui auxilij, quod ipsi datú erat: atqui hoc per se absurdum est, & alienum à diuina bonitate.

Probatur Tertiò: Quia valdè rarum est, vt homo adhibeat summum conatum, faciatque extremum potentiæ: vnde pauciſſimi haberent veram contritionem.

Probatur Quartò: Quia nunquam, ne probabiliter quidem, scire possemus, an præstiterimus id, quod necessarium est ad veram contritionem: nemo enim scire potest, quis sit summus dolor intensiuè, quem potest habere. Vnde hæc sententia facit legem Dei nimis rigidam, & conscientias hominum semper anxias, vt fragilitatem humanam ad summum, quod potest, obstringat.

11 Sed contra, Obijcitur primò: Deuteronomij 4. v. 29. *Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies eum; si tamen toto corde quæsieris eum, & tota tribulatione animæ tuæ.* & Ioëlis 2. v. 12. *Conuertimini ad me in toto corde vestro:* hîc videtur requirere totum animę conatum.

Quid sit *Conuerti ad Deum ex toto corde.*

Respondeo, *Conuerti ex toto corde*, est conuerti integrè & perfectè, ita vt cor, seu voluntas non quidem partim peccata detestetur, partim ijs adhæreat; sed vt omnia absolutè detestetur, idque tam perfectè, vt nullum sit malum, quod non malit perpeti, quàm rursus peccare; etsi hæc comparatio explicitè non sit necessaria. Sic *ex tota tribulatione animæ quærere Deum*, est conuerti ad Deũ cum sincero dolore omnium peccatorum: Scripturæ enim, quæ *conuersionem ex toto corde* requirunt, sunt intelligendæ, sicut illæ quæ *dilectionem ex toto corde exigunt*. *Diligere* autem *Deum ex toto corde*, non est diligere ex toto conatu cordis, alioquin rarissimè vel potiùs nunquam Deum diligeremus vt oportet: sed ita eum diligere, vt nihil in amore ei præponamus, aut etiam æquemus.

Quid *diligere ex toto corde.*

12 Obijcitur Secundò: Sicut voluntas mouetur ab obiecto bono vel malo ad amorem vel odiũ, ita magis mouebitur à maiori bono vel malo: ergo cùm per intellectũ proponatur culpa, vt summum malum, voluntas summè mouebitur.

Vnde fit, vt Voluntas non semper fortiùs moueatur à maiori bono, vel malo.

Respondeo: Voluntas non semper mouetur intensiùs, seu vehementiùs à maiori bono, vel malo, quã à minori. Cuius ratio est, partim libertas voluntatis quâ se potest applicare, vel exerere magis vel minùs in suum actum; partim quia obiectum minùs bonum, interdum est familiarius & notius, quàm alterum; vnde facilius & naturali quadam procliuitate fertur ad eius amorem, vel odium: vt patet in amore vxoris & liberorum: quò fit, vt hinc facilius sequantur lacrymæ, quàm ex dolore peccatorum. Sic Iacob Gen. 37. ita doluit de morte Ioseph, vt nollet consolationem accipere: sic Dauid 2. Regum 19. de morte Absalom. Vnde etiam non est reprehendendũ, quod hic dolor interdum sit acrior, quàm dolor peccatorum. Semper tamen voluntas ordinata maius bonum pluris æstimat, & magis appretiatiuè diligit, quàm minora; & maius malum magis odit, magisque de eo dolet.

13 Non est necesse magis intensiuè dolere de peccato, quàm de suo malo.

Dico Secundò: Non est necesse, vt peccator magis doleat intensiuè de peccato, quàm de alijs malis. Patet ex dictis. Et confirmatur: quia alioqui, qui doleret de peccato actu intenso vt decem, de morte verò vxoris vsque ad duodecim, non iustificaretur, imò peccaret mortiferè, iuxta hanc sententiam: nam censeretur præponere suum incommodum honori diuino. Et tamen alius, qui doleret de peccato actu intenso vt quinque, de morte vxoris vt quatuor, iustificaretur; quia plus doleret de peccato, quàm de alijs malis: quæ sanè per se absurda sunt. Omitto alia, quæ cõtra hanc sententiam possunt adferri.

Neque verum est, amorem illum esse fortiorẽ, & vincere ceteros, qui est intensior. Nam multò fortior est is, qui maior est appretiatiuè; vtpote qui specie sua sit perfectior. Pro quo:

14 Amor quia fortior.

Vnde dicatur Dolor vel Amor appretiatiuè summus

Notandum est, Quantitatem appretiatiuam in actu doloris vel amoris, non esse tantummodò quandam relationẽ rationis, à qua dolor dicatur summus, vt quidam volunt; sed esse perfectionem essentialem ipsius actus. Dolor enim dicitur summus appretiatiuè, eò quòd tendat in malum formaliter sub ratione summi mali; & amor dicitur summus appretiatiuè, quòd tendat in bonum vt formaliter summum bonum. Sicut autem est ordo inter mala suis gradibus distincta, ita quoque est ordo inter detestationes malorum, quando quodque pro suo gradu detestamur. Pari modo sicut est ordo inter bona, ita inter amores bonorum ordo est, quando vnumquodque pro suo gradu amatur.

DVBIVM. IV.

Vtrùm Contritio saltem requirat aliquam certam perfectionem intensiuam, vel continuationem, vt sit vera contritio?

15 Scotus requirit certam intensionem & durationẽ.

SCotus dist. 14. quæst. 2. art. 2. requirere videtur certam aliquam quantitatẽ tum intensionis, tum durationis, vt sit legitima contritio, & gratiam impetret: quæ tamen intensio & duratio quanta definitè esse debeat, soli Deo notum esse.

Quantitas Intensio vel mora contritioni sufficit.

Respondeo, Contritionem non necessariò postulare certum gradum intensionis, infra quem non sit vera contritio; neque etiam certam durationem: sed quantumuis parua intensio & duratio sufficit.

Probatur Primò: quia Scripturæ absolutè docent Deum ignoscere illis, qui propter ipsum dolent de peccatis suis: nec faciunt mentionem certi gradus aut temporis. Isaiæ 30. v. 15. *Si reuertamini, & quiescatis, salui eritis:* vbi LXX. *Cùm reuersus ingemueris, saluus eris.* Ezechielis 18. nihil aliud requirit Dominus, quàm vt *Impius se auertat ab impietate sua, & conuertat ad obseruationem mandatorum.* Zachariæ 1. v. 3. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Ecclesiastici 11. v. 23. *Facile est in oculis Dei subitò honestare pauperem.* Scriptura.

16 Probatur Secundò: Patres nullam temporis moram dicunt requiri ad conuersionem: Cyprianus ad Demetrianum sub finem, *In isto mundo manenti nulla sera pœnitentia est:* & in sermone de Cœna Domini; *Sed & in eodem articulo temporis, cum iam anima festinat ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerserit, pœnitentiã clementissimi Dei benignitas non aspernatur:* & infrà, *Nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec horæ extremitas, si vera contritio, si pura fuerit voluntatum mutatio, excludit à venia.* Chrysostomus epistola priore ad Theodorum lapsum, *Non ad temporis rationem, sed iuxta affectum animæ solet dijudicari pœnitentia.* Et infrà Cyprianus. Chrysost.

loquens

loquens de bono latrone, *In eo momento peccata totius vitæ simul abstersit* D. Leo epistola 91. *Apud Deum nullas patitur veniæ moras vera conuersio, dicente Spiritu Dei per Prophetam, Cùm conuersus ingemueris, salvus eris.*

17 Triplex Ratio. Probatur Tertiò, Ratione. Primò, In præceptis aliarum virtutum, vt Fidei, Spei, Charitatis, quibus actus internus præcipitur, non requiritur certa mensura intensionis graduum, aut durationis temporis: ergo nec in præcepto Contritionis. Antecedens patet, quia Species actus præcipitur, non autem intensio, vehementia, duratio, quæ solùm sunt extrinsecæ actus conditiones. Secundò; Homo in momento temporis potest auerti à Deo, & per actum voluntatis quantumuis remissum: ergo similiter poterit conuerti. Patet consequētia, quia Deus pronior est ad misericordiam, quàm ad irā. Tertiò; Si aliqua talis mensura temporis vel intensionis requireretur, cùm ea sit prorsus ignota mortalibus, fortuitò & non ex animi destinatione ad eam mensuram pertingeremus: quod sanè est incommodum; nullo enim modo sciemus, quousque debeamus conniti.

Dices. Ergo homo poterit scire se esse in gratia.

Respondeo, Posse valdè probabiliter id conijcere, non tamen certò scire. Ratio est, Quia non certò scimus, an nostra contritio tanti æstimet peccatum, & ex tam puro affectu erga Deum, quàm par est.

QVÆSTIO IV.

De Tempore Contritionis.

DVBIVM I.

Vtrùm sit aliquod præceptum Diuinum obligans ad Contritionem?

1 Negat Victoria. FRanciscus Victoria, vt refert Melchior Canus Relect. de Pœnitentiâ part. 4. docuit non extare aliquod præceptum de cōtritione, sed eam tantùm esse necessariam ad iustificationem necessitate medij. Vnde sequitur, Peccatorē qui eam in fine vitæ non conciperet, non peccaturum nouo peccato; sed solùm damnari propter antiqua. Sed contraria sententia est omnino tenenda: Pro qua

Affirmatur. Dico Primò: Extare diuinum præceptum de contritione, ac proinde eam esse necessariam ad iustificationem, non solùm necessitate medij, sed etiam præcepti. Est communis. Vide Vegam lib. 13. in Trident. cap. 19. & Canum loco citato.

Scriptura. Probatur Primò: Quia Scriptura sæpissimè nobis proponit pœnitentiam ijs loquēdi formis, quibus apertè insinuat præceptum. Lucæ 13. v. 3. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Atqui præceptum non potest clariùs indicari, vt patet Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit.* Et Ioan. 6. v. 53. *Nisi manducaueritis.* Sic Matthæi 4. v. 17. per modum præcepti proponitur: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum Dei.* Marci 1. v. 15. *Pœnitemini, & credite Euangelio.* Actorum 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrū.* Secundò: Quia Scriptura passim increpat peccatores, quòd non agant pœnitentiam; vt patet Iob 54. Ecclesiastici 2. Ieremiæ 8. Ioëlis 2. & alibi:

Ratio. ergo ad hoc obligantur. Tertiò: quia de omni actu qui est in nostrâ potestate, & est necessarius ad salutem necessitate medij, est præceptum: atqui contritio est talis, vt omnes concedunt: ergo de ea est præceptum. Maior probatur: Quia quisque tenetur diuino præcepto procurare suam salutem: ergo etiam præstare illos actus, qui sunt media necessaria ad salutem. Cōfirmatur, Quia obligatio præcepti affirmatiui maximè oritur ex ordine, quem habet opus ad finem.

Soluuntur obiectiones. Dices Primò: Gratia Dei est necessaria homini necessitate medij, non tamen est præcepti. Cur non idem dici possit de contritione? Respondeo: Est dispar ratio; quia gratia non est opus hominis, sed Dei: præcepta autem solùm dantur de operibus nostris: tale autem est contritio.

Dices Secundò: D. Thomas 2. 2. q. 14. art. 2. ait, Finalem impœnitentiam non esse speciale peccatū, sed solùm peccati circumstantiam: ergo non est aliquod particulare præceptum, quo pœnitentia præcipiatur, & impœnitentia vetetur. Respondeo: Impœnitentia finalis, id est, continuatio peccati vsque in finem, est solùm circumstantia, quando quis in peccato existens subitò moritur, non præuiso periculo, & tunc non est contra aliquod particulare præceptum, ita vt sit peccatum mortiferum. Secùs autem est, quando quis aduertens periculum mortis, vel positiuè non vult pœnitere, vel omittit.

2 Præceptū de Contritione non est positiuum, sed naturale. Dico Secundò: Hoc præceptum contritionis non est positiuum, sed naturale; connaturale tamen ordini gratiæ, sicut præceptum Fidei, Spei, & Charitatis. Probatur Primò: Quia sicut Ius naturale dictat, vt Deum diligamus super omnia, ita etiam dictat, si eum offendimus, debere nos anniti vt reconciliemur; quod fit per contritionem. Secundò: Homo iure naturali charitatis tenetur proximum corripere & emendare: ergo etiam semetipsum. Tertiò: Eodem iure tenetur quisque sibi in graui & extremâ corporis necessitate subuenire: ergo & in pari necessitate salutis animæ.

Soluitur obiectio. Dices: Si contritio est medium necessarium, & præceptum legis naturæ; ergo nunquam poterit obtineri reconciliatio sine contritione; vel saltem semper tenebimur eam excitare, quando volumus reconciliari.

Respondeo Negando Consequentiam: Est enim medium necessarium, nempe quando non interuenit Sacramentū, quod eius defectum suppleat, sicut tempore legis Naturæ & Veteris. Similiter est præcepta, quando deest Sacramentum; alioquidum quis vtitur Sacramento ad remissionē peccatorum institituto, neq; est necessarium medium, nec est præcepta: sed sufficit attritio cum Sacramento. Excipio tamen periculum mortis, vt suprà dictum est de Baptismo qu. 68. art. 2.

DVB.

DVBIVM II.

Quando hoc præceptum obligét?

3 Non ligat statim à commisso facinore, saltem sub mortali.

REspondeo & Dico Primò: Hoc præceptum non obligat statim commisso facinore, sub nouo peccato mortifero. Est communis sententia Doctorum. Probatur; Quia hoc præceptum est affirmatiuum, quod non ad semper, sed tantùm pro certis temporibus obligat.

Dixi, *Sub nouo peccato mortifero*: Primò: Quia peccator tenetur sub pœnâ permansionis in peccato commisso; quæ permansio est continuatio peccati habitualis, non autem circumstantia prioris peccati actualis; neq; addit nouam culpam mortiferam. Secundò: Quia videtur obligari, saltem sub peccato veniali, vt primâ opportunitate contritionem concipiat, seseque à statu peccati eximat. Probatur; quia esse in statu peccati, & inimicitiæ Dei, est magnum quoddam animæ malum, Deoque valdè displicens: ergo velle in hoc statu permanere, cùm facilè possis exire, est peccatum, etiamsi id tantùm interpretatiuè velis; sicut vult is, qui aliquid voluntariè negligit & omittit.

Confirmatur Primò: Ecclesiastici 5. v. 8. *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te:* vbi nō tantùm aliquod consilium, sed etiam quoddam præceptum videtur insinuari. Et cap. 21. v. 2. *Quasi à facie colubri fuge peccatum: si accesseris ad illa, suscipient te: dentes leonis, dentes illius, interficientes animas hominum.*

Confirmatur Secundò: Quia is, qui Principem grauiter offendit, & facilè potest ei reconciliari, valdè reprehensibilis est, si primâ opportunitate non conetur redire in gratiam, & videtur quodāmodò parui facere illius amicitiam. Dices: Ex his videtur sequi, id esse peccatum mortiferum: Nam esse in statu peccati, est valdè ingens malum: ergo illud in se permittere, non est solùm veniale, sed etiam mortiferum. Respondeo: Est valdè ingens malum, quatenus supponit & quodammodò includit actum peccati: non autem est tantum malum per se nudè consideratum, scilicet vt indignitas habitualis. Vnde voluntaria permansio in illo, præsertim non ad longum tempus, non censetur grauis iniuria; sed negligentia quædam animi nō satis æstimantis mala spiritualia.

4 1. Obiectio

Sed contrà. Obijcitur Primò: Quisquis tenetur sub peccato mortifero primâ opportunitate proximum corripere: ergo & seipsum, concipiendo contritionem.

An & quādo, statim corripiendus proximus.

Respondeo; Non tenetur sub mortali peccato corripere proximum, vt exeat de statu peccati, sicut nec seipsum; sed tantùm sub veniali; nisi sit probabile periculum, quòd alioquin in illo peccato morietur. Secùs est, quando agitur de peccatis futuris euitandis, tunc enim tenemur proximum corripere primâ opportunitate, quatenus necesse est, vt illud peccatum euitet: similiter & nos ipsos. Aliter respondet Melchior Canus relectione de Pœnitent. part. 4. sed non satisfacit.

2. Obiectio

Obijcitur Secundò: Qui manet in statu peccati, exponit se periculo rursum peccandi, quia vnū peccatum trahit aliud, sicut ansa ansam: ergo ratione huius periculi peccat mortiferè, qui non concipit contritionem.

Respondeo: Illud periculum non est propinquum, sed remotum; vnde non obligat sub peccato mortifero ad sui vitationem. Quando autem incipit esse propinquum, tunc potest recedere à peccato, & petere auxilium: Nam auxilium orationis semper suppetit homini fideli.

Quali periculo se exponat, qui manet in statu peccati.

Obijcitur Tertiò: Qui hominem affecit iniuriâ in fama vel in fortunis, tenetur primo quoque tempore, dum commodè poterit, restituere sub peccato mortifero: Ergo similiter, qui Deum affecit iniuriâ per peccatum, tenetur ei honorem restituere.

3. Obiectio

Respondeo Primò: Is qui aliquid furto abstulit, nō tenetur semper sub nouo peccato mortifero primâ opportunitate restituere, sed solùm sub pœna *continuationis* prioris peccati. Postquā enim res surrepta est, vel fama læsa, etsi per medium annum non restituas, non accedit aliqua malitia mortifera ex illâ dilatione, nisi inde aliquod extrinsecum incommodum ipsi, cui restitutio est facienda, eueniret. Respondeo Secundò: Esse disparem rationem restitutionis, & contritionis: qui enim non restituit, censetur quodammodò continuè lædere, & continuare priorem actum: Nam qui læsus est, assiduè sentit incommodum. Verùm peccator non censetur continuare peccatum, vel assiduè Deum irritare, dum non conteritur; quia Deus non percipit reipsà incommodum ex peccato, neque ex eo quod homo non conteritur.

An res iniustè ablata, statim restituenda sit.

Dico Secundò; Præceptum contritionis non etiam obligat per se diebus festis sub nouo peccato mortifero. Est communis D.D. Vide Medinam cod. de Pœnitent. Tract. 1. q. 6. qui contrariam sententiam tribuit Scoto, Angelo, Gabrieli, & Antonino, quāuis Scotus aliud videatur velle: vide illum in 3. d. 27. sub finem.

5 Præceptum contritionis nō obligat diebus festis sub nouo mortali.

Probatur Primò: Quia nullum est ius diuinum vel humanum, quo ad hoc obligemur. Ius enim diuinum, quòd aliquam speciem huius præcepti habeat, non est aliud, quàm illud Leuit. 16. v. 31. *Sabbatum requietionis est, affligetis animas vestras:* Similia habes cap. 32. Sed hic nomine *afflictionis animæ* non intelligitur *contritio*, sed ieiunium, quod præcipuè in festo expiationis seruabatur. Sed & hæc lex iam est abolita, quia cæremonialis. Ecclesia verò etiam non præcipit contritionem, quia non præcipit actus internos, saltem directè, sed vt summum quatenus necessarij sunt ad obeundos actus externos sine peccato. Possumus autē colere diem festum sine actu interno contritionis.

Probatur Secundò: Quia præcepta non dantur de fine, sed de medijs ad finem: ergo licet finis diei sit, conuersio ad Deum, tamen non præcipitur in præcepto cultús diuini. Notandum tamen est, maximè esse rationi consentaneum; vt peccatores se tunc ad pœnitentiam excitent: tum, quia hic quoque est finis obseruationis diei festi; tum, quia alioqui sine fructu Deum colent.

6 Nec obligat quoties occurrit peccatorū memoria.

Dico Tertiò: Non obligat etiam hoc præceptum sub nouo peccato mortifero, quotiescumque peccata præterita practicè occurrunt memoriæ. Est communior sententia Doctorum, præsertim recentiorum; Caietani, Soti, Cani, Ioan. Medinæ, Adriani. Contrarium sensere multi veteres; vt Alexander Alensis, Richardus, Paludanus, Gabriel, &c. Vbi Notandum est: *Peccatum occurrere speculatiuè*, dum cogitas de eo, vt conditionem eius intelligas: *Practicè* autem, cùm occurrit homini cum aliquo primo motu appetitûs in ipsum;

in ipsum; seù cum quadam suggestione, quæ veluti insinuat interius, *Fac hoc.*

Probatur propositio: Si homo tunc teneretur, Vel id esset ratione ipsius particularis præcepti cõtritionis; nempe quia censeretur impœnitens, nisi tum pœniteret: & hoc non: quia in ceteris præceptis hoc non cernitur: non enim tenemur, quoties nobis occurrit aliqua res credenda, statim elicere actum fidei; neque censemur infideles, si id non faciamus. Ratio est, Quia obligatio præcepti nascitur ex natura rei, non autem ex apprehensione nostra, aut motu aliquo ad id, quod præcepto est contrarium. Vel id esset ratione præcepti dilectionis; quia videlicet alioqui censeretur Deum contemnere: & hoc non: quia peccator non tenetur, quoties illi occurrit cogitatio aliqua de Deo diligendo, eiusque beneficijs, excitare actum dilectionis. Vel denique, id esset ratione periculi consentiendi; quòd, nisi conteratur, euidens sit periculum, ne à peccato rursus vincatur: & hoc non: quia non semper est tale periculum: & in tali euentu possum mentem ad alia distrahere, & sic eam cogitationem excutere. Si tamen quis apprehendat se esse in euidenti periculo consensus, nisi se ad dolorem peccatorum excitêt, tunc ratione conscientiæ tenebitur.

7 Obligat aliquando per se.

Dico Quartò: Præceptũ Contritionis aliquando per se obligat peccatorem sub nouo peccato mortali, aliquando ratione alterius operis.

Ratione sui obligat, Primò: In periculo mortis: quia nisi tunc contritionem concipiat, cõstituit se in præsentissimo periculo perpetuę inimicitię cum Deo, & æternæ damnationis sui ipsius: vnde peccat nouo modo contra dilectionem Dei & sui. Secundò: valdè probabile est, hoc præceptum etiam obligare ratione sui sub nouo peccato mortifero, ne contritio nimis diu differatur, v. g. ad quatuor vel quinq; annos. Ratio est, Quia alioqui videbitur peccator nouo modo contemnere diuinam amicitiam, si tamdiu voluntariè maneat in eius inimicitia, sicut alibi dictum est de præcepto charitatis: hoc tamen tempus non potest à nobis præcisè determinari, sicut nec tempus Eucharistię percipiendæ, quatenus iure diuino præceptum. Dixi, *esse valdè probabile*, quia non est certum: nam non est improbabile, præceptum contritionis non obligare per se sub mortali, nisi in periculo mortis, sed aliàs tantùm sub veniali.

8 Aliquando, ratione alterius.

Secundo modo obligat hoc præceptum *ratione alterius*: Primò, Quando peccator debet aliquod Sacramentum percipere, vel administrare, & deest copia Confessoris; tunc enim, ne indignè Sacramentum tractet, tenetur concipere contritionem. Secundò: Quando tota aliqua Respubl. versatur in grauissimo periculo salutis, sicuti apud Niniuitas. Ratio est, Quia si in priuato periculo teneor, multò magis in communi. Ita Hadrianus quæst. 3. de Contritione, & Petrus Soto lectione 3. Sed videtur hìc casus vix posse incidere, nisi quis se quoque in mortis periculo videat constitutum; tunc enim ratione sui, non communitatis tenetur: vel certè, nisi quis existimet suâ causâ malum diuinitus inferri Reipublicæ, vt quando Achan accepit de anathemate, Iosue 7. & quando Israël punitus est ob numerationem populi factam per Dauid, 2. Regum 24. Tertiò: Quando aggrediendum est magnum opus quoddam spirituale, in quo magnũ Dei auxilium est necessarium: vt si profitenda fides coram Tyranno, si prędicandum Euangelium inter infideles, pręsertim cum vitæ periculo: peccator enim talia aggrediens sine debitâ præparatione, videtur tentare Deum. Quartò: Quando quis in magno periculo peccati ratione alicuius tentationis cõstitutus est, quod non putat se superaturum, nisi seriò ad Deum recurrat.

Notandum: Quando præceptum contritionis obligat ratione alterius, v. g. ratione Sacramenti percipiendi, omissionem eius non esse distinctum peccatum ab indignâ perceptione Sacramenti; quidquid dixerit Melchior Canus. Ratio est; Quia contritio tunc non præcipitur propter se, sed solùm vt necessaria dispositio ad aliud, & quasi sub conditione, nempe, *Si velis Sacramentum percipere, conterere*. Vnde non peccatur præcisè omissione contritionis, sed indigna Sacramenti perceptione. Idem dicendum, quando peccatori videtur necessaria contritio ad vitandum aliud peccatum, & tamẽ eam omittit. Tunc enim omissio illa solùm censetur peccatum, quatenus est consensus interpretatiuus in peccatum, ad quod tentatio illum vrget, v. g. in fornicationem: vnde solùm habet malitiam fornicationis.

9 An omissio contritionis tunc sit distinctum peccatum.

DVBIVM III.

Vtrùm peccator teneatur in Paschate conteri, sicut tenetur confiteri?

10 DOminicus Soto dist. 17. quæst. 2. art. 6. respondet affirmatiuè: adeò, vt quamuis peccator in Paschate careat Confessore, nihilominùs teneatur tunc contritionem concipere sub nouo peccato mortifero. Ratio ipsius est, Quia pœnitentia Christiana continet contritionem & confessionem: atqui tempus Christianæ pœnitentiæ ab Ecclesia determinatum, est tempus Paschæ: ergo si tunc peccator non possit eam pœnitentiam præstare quoad confessionem, saltem tenebitur quoad alteram partem, scilicet contritionem. Sed contrarium est tenendum cum Caietano, verbo *Contritio*, in Summa.

11 Responsio est negans contra Dom. Soto.

Dico igitur Primò: Si confiteatur peccator, non tenetur, nisi ad attritionem Sacramento necessariam. Ratio est, Quia cum præceptum contritionis & confessionis sint duo pręcepta, Ecclesia solùm in Paschate pręcipit confessionẽ; & consequenter solùm id, quod ad hanc ritè faciendam est necessarium, quod est attritio.

12

Dico Secundò: Si non possit tunc confiteri, aut etiam nolit, non tenetur vi præcepti Ecclesiæ ad contritionem. Ratio est, Quia cùm contritio sit actus internus, non potest Ecclesia ad eam obligare, nisi quatenus necessaria est ad confessionem: ergo quando non potest confiteri, aut etiam non vult, non tenetur conteri ex vi præcepti Ecclesiæ: sicut qui non potest recitare Horas, non tenetur adhibere aliam internam deuotionem, quàm ad lectionem Horarum adhibere debuisset.

13

Dixi, *Ex vi præcepti Ecclesiæ*; quia si talis peccator velit percipere Eucharistiam, vel aliud Sacramentum, tenetur iure diuino concipere contritionem; vt suprà dictum est.

QVÆSTIO V.

De Effectu Contritionis.

1 OStensum est suprà, Omnia peccata per veram pœnitentiam remitti posse; & cõtritionem dupliciter ad remissionẽ peccati concurrere in Sacramẽto; nempe instar causæ instrumentalis, & instar dispositionis. Solùm adhuc vnum superest

DVBIVM.

Vtrùm Cõtritio possit delere peccata, & iustificare hominẽ sine reali perceptione Sacramẽti?

2 Quidam negant. QVidam docuerunt, Non posse, permoti quibusdam sententijs D. Augustini. Excipiunt tamen casum necessitatis, & martyrij, quando Sacramentum externum nequit adhiberi; tunc enim Deum aiunt supplere vim Sacramenti.

Assertio est affirmans. Verùm dicendum est, Solâ Contritione coniunctâ cum voto Confessionis, remitti peccata, & cõferri gratiam iustificationis, ante realem Sacramenti perceptionem. Est certa, & communis omnium Doctorum, qui docent, Contritione perfectâ remitti peccata extra Sacramenta.

3 Tridentinum. Probatur Primò: Quia hæc est expressa sententia Concilij Trid. sess. 14. c. 4. vbi dicitur, Contritionem charitate perfectã, id est, quæ ex dilectione Dei proficiscitur, hominem Deo reconciliare, priusquam Sacramentũ Pœnitentiæ actu suscipiatur. Et sess. 13. c. 7. docet, *Contritionem cum proposito Confessionis sufficere ad dignè percipiendam Eucharistiam, quando deest copia Confessoris:* vbi apertè supponit, hominem per hanc iustificari à peccatis, etiã extra casum necessitatis, & martyrij. Nam, si homo non iustificaretur, non posset ad Eucharistiã sine confessione accedere. Sess. 8. cap. 4. apertè indicat, hominem cum voto Baptismi posse iustificari, absque reali susceptione.

4 Scriptura. Probari potest Secundò: Ex Scripturis. Ezech. 33. v. 12. *Impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuersus fuerit:* loquitur autem Propheta de cõuersione per contritionem. At impietas multum nocet, quamdiu non est rẽmissa: facit enim hominem reum ęternę mortis: 2. Reg. 12. v. 13. cùm Dauid dixisset, *Peccaui Domino*, quibus verbis significabat internam contritionem, respondet Nathan: *Transtulit Dominus peccatum tuum*, id est, abstulit, remisit, vt insinuat ipse Dauid Psal. 31. v. 5. vbi de hoc facto loqui videtur, cùm ait: *Dixi, confitebor aduersus me iniustitiam meam Domino; & tu remisisti impietatem peccati mei.* Dices, Verbum *Transtulit* accipitur pro futuro, *transferet.* Contrà; Quia verba illa immediatè sequentia, *Non morieris. Veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc: Filius qui natus est tibi, morte morietur:* apertè indicant peccatum iam fuisse remissum, quod ad impietatem, seu culpam attinet, & præcipuam pœnam; solumque superfuisse pœnam quandam temporalem per mortem filij.

5 Patres. Ambrosius. Augustinus. Probatur Tertiò: Ex SS. Patribus. Ambrosius Apologiæ Dauid c. 7. *Si dixit, Pronuntiabo, & Veniam meruit priusquam pronuntiaret: quanto magis vbi de se pronuntiat, dicens, Iniquitatẽ meam ego cognosco, remissum est ei omne peccatum?* S. Augustinus in eundem versiculum Psalmi: *Non pronuntiat Dauid, sed promittit se pronuntiaturũ, & Deus illi iã dimittit.*

Gregorius. Gregorius in eundem Psalmum: *Attende quanta sit indulgentia vitalis velocitis, vt confitentis desiderium comitetur venia, antequam ad cruciatum perueniat pœnitentia: ante remissio ad cor perueniat, quàm Confessio in vocem erumpat.* Et infrà: *Non solùm peccatum remisisti, sed etiam ipsam impietatem,* &c. Ruffinus in eundem Psalmũ: *Vide quàm velox sit Dei misericordia erga peccatorem: proposuit se pronuntiaturum, & ille iam dimisit.* Richardus de S. Victore, lib. de Potestate ligandi & soluendi, cap. 4. dicit, *Quando Dauid dixit, Peccaui, statim mutatam pœnam æternam in temporalem.* Et infrà: *Ex illa prophetica sententia, Dixi Confitebor aduersum me* &c. *datur intelligi, quod ad veram Contritionem & Confessionẽ cordis remittitur iniquitas veraciter pœnitentis.* His adde, Damnatam esse hanc propositionem, *Per Contritionem, etiam cum charitate perfectâ, & cum voto Sacramenti coniunctam, non remitti crimẽ, extra casum necessitatis, vel martyrij, sine actuali Sacramẽti perceptione.* Vide alia testimonia Patrũ suprà qu. 3. dub. 4. in his Additionibus.

Ruffinus. Richardus. Damnata propositio.

Probatur Quartò: Ratione. Primò: Contritio perfecta non potest esse sine actu charitatis, imò ipsa est actus charitatis, vt suprà dictum est: atqui charitas non potest esse sine peccatorũ remissione: ergo neque cõtritio. Minor Probatur; Prouerb. 8. v. 17. *Ego diligentes me diligo.* Prouerb. c. 10. v. 12. *Vniuersa delicta operit charitas.* Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum;* id est, magna dilectio est causa magnæ indulgentiæ, vt explicat D. Gregorius Homil. 33. Idem docet S. Augustinus Tractatu 5. in Ioannem: *Dilectio,* inquit, *sola discernit inter filios Dei, & filios Diaboli.* 6 1. Ratio.

Secundò: Cõtritio est vltima dispositio ad gratiam & remissionem peccatorũ: atqui posità vltimâ dispositione, statim datur gratia, & remissio peccatorum. Maior Probatur: Tum, quia est cõmunis sententia Doctorum: tum, quia est perfecta auersio à peccato, & conuersio ad Deum: tum denique, quia est actualis conformatio cum lege diuina; ac proinde debet post se relinquere habitualem conformationem, quæ est habitualis iustitia, cui coniuncta est remissio peccatorum. 2. Ratio.

Tertiò: Quia interdum dantur Indulgentiæ ab Ecclesia ijs, qui solùm sunt cõtriti, & habent propositũ confitendi suo tempore: ergo Ecclesia supponit per solam contritionem cum proposito Sacramenti hominẽ iustificari. Patet Consequentia: quia Indulgentiæ non prosunt, nisi ijs, qui sunt in statu gratię. Pari modo Ecclesia confert Sacramẽtum Confirmationis, & Sacramentũ Ordinis, ijs qui tantùm sunt contriti, neque postulat cõfessionem ob hęc Sacramenta. Similiter Sacramentum Eucharistiæ, quando deest copia Cõfessoris. Quę omnia euidenter declarant, Ecclesiæ sensum esse, hominem sine Sacramento per cõtritionem posse iustificari: nam hæc Sacramenta non nisi à iustificatis percipi possunt. 3. Ratio.

Quartò: In articulo necessitatis potest homo iustificari per veram contritionem, cum voto Baptismi vel Pœnitentię, vt ipsi concedunt: ergo etiã extra necessitatem. Patet Consequentia: nam vbi eadem causa, idẽ quoque est effectus. Dices: Deus tunc sua bonitate supplet defectum Sacramenti. Contrà: Hoc sine fundamento dicitur: nam simili modo etiam dicere poterimus Deum supplere in paruulis 4. Ratio.

paruulis defectum baptismi; vel, si Sacerdos non vtatur legitimâ materiâ, supplere etiam defectum materiæ. Deinde, Sequetur hominem posse iustificari sine proprio actu, sine Sacramẽto, & martyrio, per hoc solùm, quòd immineat illi periculum mortis: quasi periculum mortis moueat Deum ad hominem sine ordinarijs medijs sanctificandum.

7 Obijcitur Primò: Apostolus Paulus erat perfectè contritus, & tamẽ postridiè dicitur ei ab Anania: *Baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine ipsius*, vt refert ipse Apostolus Act. 22. v. 16: ergo peccata per contritionem non erant remissa. Et confirmatur: Quia ad iustificationem requiritur etiam oratio, iuxta illud Ecclesiastici 21. vers. 1. *Fili peccasti? non adijcias iterum: & de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur.*

An S. Paulus per cõtritionem sine Sacramento iustificatus sit.

Respondeo Primò: Etiamsi Paulus per contritionẽ esset mundatus, tamẽ poterat ampliùs mundari, iuxta illud Psal. 53. v. 4. *Amplius lauа me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me:* à quo tamen peccato anteà emundatus erat: poterant enim adhuc restare aliquæ reliquiæ; vel si nullæ restabant, poterant nihilominùs, quantum erat ex vi Sacramenti, rursus lauari; iuxta suprà dicta de forma Absolutionis. Secundò: Fortasis Ananias ignorabat eius conuersionem fuisse ita perfectam, vt sola sufficeret. Ad Confirmationẽ, Respondeo: Antequam ad veram contritionẽ perueniatur, necesse est precedere actum fidei & spei, vnde prodit oratio. Nam actus spei etiam implicitam deprecationem complectitur. Obtentâ autem verâ contritione, non est opus interuentu orationis ad peccati remissionem quoad culpam; sed solùm quoad pœnam temporalem.

8 Obijcitur Secundò: Lucæ 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum:* hìc manifestè insinuatur, magnam dilectionem præcessisse ante remissionem peccatorum, eamque tandem impetrasse. Confirmatur: quia tunc facta est ei remissio peccatorum, quando dictum est à Domino: *Remittuntur ei peccata multa*, sicut indicat S. Thomas, 3. parte qu. 64. art. 3.

Quomodo S. Magdalenæ sint remissa peccata.

Respondeo: Dilectionem illam fuisse causam remissionis peccatorũ; sic tamen, vt non tempore, sed solùm naturæ ordine præcesserit: est enim veluti dispositio vltima ad iustificationem, & remissionem peccatorum. Nam per illam peccator perfectè auertitur à peccato, & cõuertitur ad Deum tanquam benignissimum Patrem, sicut filius prodigus Lucę 15. amando eum super omnia, & proponendo obedire omnibus eius mandatis: nihil enim aliud requiritur ad mẽtis rectitudinem. Ad Confirmationem, Respondeo: Magdalenæ anteà fuisse factã remissionem, quando multum dilexit; non tunc primùm, quãdo Dominus illa verba dixit: illa enim verba non sunt propriè absoluentis, sed indicantis causam remissionis; quod vel ex eo patet, quòd Dominus secundò dixerit, *Remittuntur tibi peccata tua*; cùm tamen ipse anteà testatus esset, iam esse remissa. Quare illis verbis partim absoluit illam exterius corã hominibus, quæ iam intus à Deo absoluta erat: partim confirmat absolutionẽ ante inuisibiliter datã: sicut Marci 5. v. 31. Dominus mulieri, quam tacitè sanauerat à fluxu sanguinis, dixit palam; *Esto sana à plagâ tuâ.*

9 Obijcitur Tertiò: D. Augustinus Tract. 13. in Ioannem: *Quantumcumque catechumenus proficiat, adhuc sarcinam suæ iniquitatis portat, nec illi dimittitur, nisi cùm venerit ad baptismum.* Et lib. 4. de Baptismo c. 21. dicit, *Catechumeno bono, & diuinâ charitate flagranti, deesse baptismũ ad capessendum regnũ cœlorum.*

Duæ Obiectiones ex S. August.

Respondeo Primò: Si hæc loca aliquid probãt, etiam probant, nõ supplcri in necessitate defectum Sacramenti, quæ tamen ipsi negant. Respondeo Secundò: Augustinum priori testimonio agere de catechumeno, qui negligit baptismum suscipere, qui nõ habet serium baptismi votum; & ideo adhuc sarcinam suæ iniquitatis portat, donec veniat ad baptismum, vel reipsà, vel serio voto. Patet ex verbis præcedentibus, vbi reprehendit eos, qui, quòd meliùs viuerent quàm Christiani, existimabant sibi baptismum non esse necessarium. Ad alterum locum, Respondeo: Talem catechumenum habere remissionem peccatorum: dicitur tamen *ei deesse baptismus ad capessendum regnum cœlorum*, quia tenetur baptismũ suscipere; & si contempserit aut neglexerit, non capesset regnum cœlorum. Quòd autem habeat remissionẽ peccatorum, patet; quia talem catechumenum dicit esse Cornelium Centurionem, qui ante baptismum Spiritu S. repletus est: veruntamen si Spiritu S. iam recepto baptizari noluisset, contemptu tanti Sacramenti reus fieret. Et post pauca subdit: *Sicut bono catechumeno deest baptismus ad capessendum regnum cœlorum, sic malo baptizato vera conuersio*, vbi tamen non est exacta cõparatio: nam vera conuersio sic deest baptizato, vt necessitate medij necessaria sit: baptismi autẽ realis susceptio non sic deest catechumeno; nam omnes fatentur catechumenum sine illâ posse saluari, si fortasse morte præueniatur. Inspiciatur totus locus, & manifestũ erit, *Catechumeno dici deesse baptismum ad regnum cœlorũ*, quia quasi sub hoc onere remissa sunt ei peccata, vt teneatur baptismum suscipere: quem si neglexerit, damnabitur reus tanti Sacramenti.

Alia ex Augustino obiectio soluitur.

Obijcitur Quartò: S. Augustinus l. 1. de Baptismo c. 8. & lib. 4. c. 21. dicit Cornelium, etsi laudetur à Scripturis, nondum fuisse talem, vt saluus esse posset, nisi baptizaretur.

Respondeo: Certissimum est Cornelium fuisse iustificatum ante baptismum: Nam *loquente Petro* accepit Spiritum S. sicut Apostoli in Pentecoste, vt patet ex verbis Scripturæ, Act. 10. Vtrùm autẽ ante acceptum Spiritum S. iustus fuerit, parum ad præsentem quęstionẽ facit. Vult ergo dicere Augustinus, illum non potuisse esse saluũ, sine baptismo: quia sic tenebatur baptismum suscipere, vt si negligeret, aut cõtemneret, saluus esse non posset.

10 Obijcitur Quintò: Ex Richardo de S. Victore, lib. de Potestate ligandi atque soluendi, c. 19: vbi dicit, *Eum, quem veraciter pœnitet, habere quidem charitatem, teneri tamen adhuc debito æternæ damnationis ante absolutionem Sacerdotalem.* Et ex Thoma Waldensi tom. 2. c. 97. *Bonus catechumenus diuina charitate flagrans, iustus probatâ iustitiâ, priusquam Christi Ecclesiæ coniungatur, est de vi status adhuc ineptus ad capessendum regnum Dei.*

Obiectiones ex Richardo & VValdensi.

Respondeo: Richardũ videri esse omninò pro nobis: nam cap. 8. docet, quod verè pœnitens sine Sacerdotis absolutione pœnam æternam euadere potest, cùm eam habere nequit: *Nam Deus*, inquit, *pœnitentẽ absoluit à debito damnationis sub tali conditione:* id est, eũ tali pacto & obligatione, *vt oporteat eum quærere, prout potest, absolutionem Sacerdotis, & ad eius arbitrium satisfacere: quòd si facere neglexerit, periculum æternum non euadit*, hæc ille. Vnde patet

Soluuntur.

Richardum sentire, pœnitenti mox remitti peccata, manere tamen debitum mortis æternæ, quatenus cum pacto & obligatione cõfitendi remissa sunt; & quamdiu hæc obligatio non est impleta, censetur peccator debito æternæ damnationis teneri; quia si neglexerit, aut contempserit, damnabitur; *Sicut Patriarchæ & Prophetæ*, inquit Richard. c.19. *charitatem habebant, & tamen tenebantur debito damnationis æternæ vsque ad Christi mortem:* quia videlicet peccatum illis erat remissum quoad culpã: sed vt ab inferno, quo tenebantur, liberarentur, necesse erat Christũ pro illis mori: vnde, si Christus mortuus non fuisset, nunquã illi liberati fuissent. His adde, Hugonem satis apertè sentire culpam remitti per contritionẽ, quod nobis satis est: nam remissio pœnę æternę necessariò huic est cõiuncta. Quòd si Richardus velit, hanc separari à remissione culpę, manifestè errat, vt suprà dictum est qu. 84. art. 3. Ad Thomam Waldensem Respondeo: Eum expresè docere, sufficere Sacramentum quod vel reipsâ, vel affectu grauido consecutus fueris. Dicitur autem talis, *qui nondum est baptizatus, ex vi status ineptus ad regnum cœlorum*, quia nondum habet Sacramentum quo coniungatur Ecclesiæ, extra quam nemo potest esse saluus.

QVÆSTIO VI.

De Confessione, & eius necessitate. Quæ est secunda pars Sacramenti Pœnitentiæ.

DVBIVM I. circa Art. 1. & 2.

Vtrùm Confessio omnium peccatorum mortiferorum sit iure diuino necessaria ad salutem?

1 Quid, & quotuplex sit Confessio.

NOtandum Primò: Nomẽ *Confessionis* hîc accipi pro accusatione peccatorum; quæ accusatio vel fieri potest coram Deo tãtùm, vt Psal. 31. v. 5. *Dixi, cõfitebor aduersum me iniustitiam meam, & tu remisisti iniquitatem peccati mei:* vel coram homine, idq; multis modis. Primò, In iudicio: Iosue 7. v. 19. *Confitere & indica mihi.* Secundò, Ad petendũ cõsilium: Prouerb. 28. v. 13. *Qui abscõdit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Tertiò, Ad accusandum seipsum, vt veniam impetret ab eo, qui locum Dei tenet: sic accipitur hoc loco, nihilque est aliud, quàm *Accusatio peccatorum facta Sacerdoti, ad obtinendam virtute Clauium absolutionem.* Ratio itaque formalis Confessionis Sacramentalis, est *accusatio sui ipsius.* Materia, sunt *peccata:* Efficiens, est *ipse pœnitens:* Finis, est *remissio peccatorum* per absolutionem obtinendam. Est autem actus externus virtutis Pœnitentię, quatenus fit ad compensandam iniuriam: imperatur à charitate, quatenus tendit ad reconciliationem.

2 Duo circa eam errores.

Notandum Secundò: Esse potissimùm duos errores circa confessionem. Prior est hæreticorum, qui confessionem, vt fit in Ecclesia, omnino reijciunt, scilicet vt ordinatur ad absolutionem. Sic Montanistæ & Nouatiani, de quibus suprà q. 84. Et Wicleff, qui docet illam esse à Papa introductã, & Ecclesiæ esse pernicioſam; vt testatur Thomas Walden. tom. 2. c. 135. Denique Caluinistę & Lutherani, qui docent sufficere vt confiteamur Deo ad obtinendam remissionẽ: ad institutionem autẽ posse nos confiteri homini, non obligari tamen; sufficere autem cõfessionem generalẽ: nam omnia peccata mortifera confiteri speciatim esse impossibile. Ita Caluinus lib. 3. Institut. c. 4. & Lutherus art. 8. damnato à Leone Papa X. Pro veritate

3 Assertio prima, & de fide.

Dico Primò: Fide tenendum est, Confessionem omnium peccatorum mortiferorum, etiã occultorum specialem esse necessariam Iure diuino lapsis post baptismum: vt patet ex Concil. Tridentino sess. 14. can. 6. 7. 8.

Probatur hæc Veritas: Primò, ex Scripturis.

PRobatur Primò: Ioan. 20. v. 21. vbi dicitur à Domino post resurrectionem, ad Discipulos: *Pax vobis; sicut misit me Pater, & ego mitto vos:* & hæc dicens inspirauit, *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Hic præstat Dominus id, quod promiserat primùm Petro, Matth. 16. v. 19. cùm ait: *Tibi dabo claues regni cælorũ: quodcumque ligaueris super terram, erit ligatũ & in cælis:* Deinde, quod promiserat Discipulis omnibus Matth. 18. v. 18. *Quæcumque alligaueritis super terrã, erunt ligata & in cælo.* 4 Ioannis 20.

Hinc ducitur argumentũ primum; Peccata tamdiu retinentur à Deo, quamdiu retinentur à Sacerdote, iuxta illud, *Quorũ retinueritis, retenta sunt:* Sed tamdiu retinẽtur à Sacerdote, quãdiu nõ absoluũtur; nõ possunt autẽ absolui, nisi cognoscãtur: ergo peccator tenetur sua peccata confiteri, vt remissionẽ consequatur. Dices, Peccator potest contritione iustificari, etiãsi Sacerdos nolit ipsum absoluere: ergo falsum est, peccata tamdiu retineri à Deo, quamdiu non absoluuntur. Resp. Negando Consequentiã; Quia dum contritione iustificatur, debet habere propositum confitendi, & petendi absolutionem, siue ab eodem Sacerdote, siue alio parem potestatem habente: vnde non iustificatur sine absolutione, saltem in voto perceptâ, quam posteà debet reipsà procurare. 5

Secundum hinc ducitur argumentũ: Christus his verbis, Ioan. 20. instituit Sacerdotes Iudices, & reliquit illis iudiciariam potestatem in causis peccatorum, quæ homini cum Deo intercedunt: atqui Sacerdotes non possunt rectè iudicare, nisi audita parte nocente; id est, nisi peccata cognoscãt, ergo pœnitens tenetur eis sua peccata confiteri.

Dices Primò: Hinc non sequi, pœnitentẽ absolutè teneri confiteri; sed solùm, si velit obtinere absolutionem Sacerdotis, quam non tenetur petere, cùm possit contritione iustificari.

Respondeo, Optimè sequi, si præsentem materiam spectemus: non enim Sacerdotes sunt Iudices voluntarij, sed necessarij: id est, non ita constituti sunt Iudices, vt liberum sit peccatoribus se eorum tribunali sistere, vel non sistere; eorum iudicio se submittere, vel non submittere: id enim non erat consentaneum nec tantæ potestati, nec rectæ administrationi: Nam sicut *Pater omne iudicium dedit Filio*, ita Filius omnẽ potestatem iudicandi

Sacerdotes sicut Iudices, necessarij, non voluntarij.

gandi atque soluendi peccata in terris, dedit Ecclesiæ, id est, Prælatis & Sacerdotibus; vt rectè docet Ruardus art. 5. & constat ex illo Ioan. 20. v. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; id est, sicut Pater me misit in mundum cum potestate ligandi & soluēdi; ita & ego nunc discedens ex hoc mundo, mitto vos cum eadem potestate. Vnde sicut nemo potest recōciliari Patri, nisi per Filium, ita neque potest eidem reconciliari nisi per Ecclesiam, id est, Ecclesiæ Rectores, quos Filius abiens suos Vicarios constituit. Recta quoque administratio postulat, vt Iudices non sint liberi, ita vt subditi eos possint recusare: hoc enim perturbationem in regimine introduceret.

6 Dices Secundò: Dominum non constituisse ibi Sacerdotes iudices peccatorū, sed solùm dedisse potestatem seu ministerium annuntiandi Euangelium; id est, remissionem credentibus; non credentibus autem iram & vindictam. Ita hæretici huius temporis, qui volunt istorū verborū sensum esse, *In quibus excitaueritis fidem per prædicationē Euangelij, quā fide peccata delentur, ijs remittuntur peccata apud Deum; qui autem noluerint credere, eorum peccata retinentur ad vindictam à Deo.*

Reijcitur expositio hæreticorū vndecim. Rationibus

Sed contrà: Quòd hæc potestas nō sit potestas prædicandi, sed vera potestas iudiciaria, Probatur multis Rationibus. Prima. *Primò*, Si potestas remittendi peccata hoc loco nihil est aliud, quā potestas prædicandi remissionem credentibus: ergo nihil peculiare datur hīc Apostolis, quod antèà non habuerunt Scribæ & Pharisæi; nam & hi habuerunt potestatē prædicandi, seu docendi, vt patet Matt. 23. v. 2. *Super Cathedram Moysi sederunt* &c. & Lucæ 11. v. 52. *Væ vobis Legisperitis, quia tulistis clauem scientiæ* &c. Imò nihil datur, quod non habebant omnes homines, etiam feminæ, quæ possunt legere Euangelium: nam per hoc annuntiatur credentibus remissio. Secunda. *Secundo*, Dominus contulit potestatē docendi Matth. 10. v. 7. *Euntes prædicate* &c. ibi tamen non dedit potestatem remittendi peccata, cùm nulla huius ibi fiat mētio: sed Ioan. 20. vbi è contrario nulla fit mentio docendi: quod est euidens signum, has potestates esse distinctas. Tertia. *Tertiò*, Potestatem remittendi peccata cōtulit certā quadam cæremoniā, scilicet cum *iustificatione*, dicendo, *Accipite Spiritum sanctum*: quorum neutrum fecit, cùm daret potestatem docendi. Quarta. *Quartò*, Si *docere* est *soluere*: ergo *nolle docere*, est *ligare*: ergo omnes homines, qui nolunt prædicare, *ligant peccatores*: quod est absurdum. Quinta. *Quintò*, Christus docere iussit omnes homines: ergo, si *docere* est *soluere & remittere peccata*, iussit omnes *soluere*: ergo non dedit *potestatem ligandi*. Sexta. *Sextò*, Ex Metaphora *Clauium* Matth. 16. v. 19. *Tibi dabo claues regni Cœlorum*: Claues non solent dari Ministro, vt significet ostium esse apertum vel clausum; sed vt ipse aperiat vel claudat reipsa. Deinde, Nō solent claues dari, nisi in signum potestatis; vt Magistratibus dantur claues ciuitatis, & Oeconomo claues domus: ergo cùm Dominus Apostolis dederit *Claues*, dedit etiam eis veram potestatem & auctoritatem *aperiendi & claudendi cœlum*; id est, *remittendi & retinendi peccata*; non autem *annuntiandi, illa esse remissa vel retenta*. Quod cōfirmatur Apocalyp. 3. vbi Christus dicitur *habere clauē Dauid*, quā significatur vera potestas iudiciaria remittendi & retinendi peccata, admittendi & excludendi ab Ecclesia, & à cœlo: Atqui Christus claues suas cū Apostolis, & successoribus eorum communicauit, iuxta illud: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*: ergo dedit illis veram potestatem iudiciariam in causis peccatorum, seu potestatē verè aperiendi & claudendi cœlum. Septimò, Ex aliā Metaphorā *ligandi & soluendi*: *Ligare* enim & *soluere*, non est *declarare hominem esse vinctum vel solutū*; sed est, *injicere vincula, vel ea remouere*. Confirmatur, quia non dicit, *Quæcunque solueritis, soluta erunt*: quomodo tamē dicere debuisset, si *soluere* esset idem quod *solutum declarare*: sed dicit, *soluta erunt*, insinuans solutionē illam Sacerdotis esse causam, cur soluta sint apud Deum. Sic Ioan. 20. non dicit, *Quorum remiseritis peccata, remissa erant*, sed, *remittuntur eis*. Octauò, Quandō dicit, *Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo*, apertè indicat à contrario sensu, *quæcunque non soluerint super terrā, nō fore soluta in cœlo*. Quod confirmatur Ioan. 20. v. 23. *Quorum retinueritis, retenta sunt*. Quæ omnia apertè indicant, Sacerdotes non tantùm declarare, peccata esse dimissa & soluta, sed *verè remittere & soluere*, adeò vt sine ipsorum absolutione non possimus à peccatis liberari. Nonò, Ex illis verbis: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, id est, cum eādem auctoritate & potestate, vt elegantissimè Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio: vnde etiam continuò insufflans ait: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis* &c. insinuans se dare cœlestem & diuinā potestatem, cui Spiritus sanctus præsideat. Decimò, Si *remittere peccata*, est *annuntiarē ea remissa credentibus*. Vel hæc annuntiatio est absoluta; & sic est temeraria, quia minister non potest scire an peccator credat, ac proinde nescit an ei sint remissa peccata. Vel est conditionata, scil. si peccator credat, & sic erit superuacanea; nam non reddet pœnitentem magis certum remissionis peccatorum, quàm erat antè: nam nō est illi certū, an credat sicut oportet; & si hoc illi certum esset, non egeret absolutione, quæ solùm ad hoc datur, vt fiat certus remissionis peccatorū, secundùm Caluinistas. Vndecimò, Idem probatur ex SS. Patribus, qui docent his verbis tribui iudiciariam potestatem. Vide dicta suprà q. 84. a. 1. Item vide Baronium centur. 1. pag. 148. Item Bellarminum & Valentiam, & Chrysostomum lib. 3. de Sacerdotio.

Septima. Octaua. Nona. Decima. Vndecima.

7 Secundus locus Scripturæ est Actorum 19. v. 18. *Multi credentium veniebant*, scilicet ad Paulum, *confitentes & annuntiantes actus suos*. Hīc agitur de confessione peccatorum in specie, vt patet ex illis verbis, *Actus suos*, & ex verbo Græco διαγγέλλω, quod est, distinctè, & per partes refero. Item agitur de confessione quæ fiebat homini, videlicet Paulo. Denique de confessione omnium peccatorum, non quorumdam tantùm, vt dicunt hæretici: quia Scriptura quando agit de pœnitentia vel remissione peccatorum, de omnibus peccatis intelligi debet, vt patet ex alijs locis: Actorum 26. v. 16. *Ablue peccata tua*. Et Daniel. 4. v. 24. *Peccata tua eleemosynis redime*. Actorum 19.

Tertius locus est Iacobi 5. v. 6. *Confitemini alterutrum peccata vestra*, id est, homines hominibus, peccatores Sacerdotibus, subiecti Prælatis, vt ait Hugo lib. 2. de Sacramentis parte 14. & patet ex sequentibus, *Orate pro inuicem vt saluemini*, id est, Presbyteri pro infirmis. Hunc locum de confessione intelligunt Origenes Homil. 2. in Leuit. Chrysostomus l. 3. de Sacerdotio, & Augustinus lib. 50. Homil. Homilia 12. & Beda in hunc locū. Iacobi 5.

1. Ioan. 1. Quartus locus est 1. Ioannis 1. v. 9. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Hîc satis indicatur requiri confessionem peccatorum in particulari; nam agnoscere tantùm se esse peccatorem, non est confiteri peccata: item omnium; quia quando dicit vt remittat nobis peccata nostra, loquitur de omnibus peccatis: denique quòd agatur de confessione quæ fit homini, patet ex illis verbis; *Fidelis est & iustus*; id est, seruat promissa sua: nulla enim extat promissio qua remittuntur peccata ijs qui tantùm Deo cõfitentur; sed ijs qui confitentur Sacerdotibus, Ioan. 20. *Quorum remiseritis* &c.

Probatur Secundò: ex Figuris.

2 PRobari potest Secundò eadem veritas ex Figuris. Ea enim quæ fuerunt in lege Veteri & in lege Naturæ, fuerunt figuræ eorum quæ sunt in lege Noua: ergo si tunc fuit aliqua confessionis peccatorum figura à Deo præcepta, necesse est in Noua lege esse confessionem peccatorum à Deo præceptam, quæ sit accuratior quàm illa, sicut res figurata perfectior est suâ figurâ.

Confessio Adæ. Prima Figura est, Confessio quam Dominus exegit ab Adamo & Eua Genes. 3. & à Cain Genes. 4. quæ fuit confessio oris & delicti in particulari, & coram Dei ministro: nam Dominus loquebatur per Angelum. Exegit autem Dominus hanc confessionem, Primò, Vt nobis, teste Tertulliano lib. 2. contra Marcionem, conderentur exempla cõfitendorum potiùs delictorum, quàm negandorum, vt iam tunc initiaretur Euangelica doctrina. Deinde, Vt confessione delerent, quod peccauerant, vt ait Ambrosius lib. 2. de Cain & Abel c. 9. & Chrysostomus homil. 18. in Genes.

Confessio Leprosorũ. Secunda Figura est, Leprosorum, Leuit. 13. & 14. qua cogebantur leprosi se Sacerdotibus sistere, quibus iudicium lepræ cõmissum erat, & iuxta eorum sententiam vel extra castra manere, vel post curationem ad castra reuerti, Ex hac figura D. Hieronymus in cap. 16. Matthæi colligit Sacerdotes debere cognoscere varietates peccatorũ: & Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, colligit longè maiorem esse potestatem Sacerdotum Noui Testamenti, quàm Veteris: cùm hi nõ lepram curare, sed tantùm curatam declarare potuerint: illi verò non corporalem lepram, sed spiritualem, non curatam declarare, sed omnino declarare possint.

Confessio præcepta Numerorum 5. Tertia Figura est confessio communis quædam toti populo in Veteri lege, quam quisque diuino præcepto tenebatur Sacerdoti facere, quãdo peccatum aliquod præsertim iniustitiæ commiserat, cui sacrificium in sanctificationem quandam coniunctum erat. De hoc agitur Numerorum 5. v. 6. *Vir siue mulier cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum.* Hebraicè est, *Expressè confitebuntur peccatum suum, quod fecerunt.* Item Leuit. 5. v. 5. vbi nos habemus; *Agat pœnitentiam pro peccato suo*; Hebraicè est, *Aperte confitebitur peccatum quod peccauit*: est enim idem verbum Hebraicum hîc & Numer. 5. Ex quibus patet exigi hîc non solùm confessionem in genere, sed in specie: iubetur enim vt *apertè confiteatur*, & *peccatum quod peccauit.* De hac confessione Veteris legis sæpè loquuntur Rabbini. Petrus etima Galatinus lib. 10. de Arcanis nostræ Religionis cap. 3. citat aliquot loca Scripturæ, ex quibus Rabbini probant hæc tria: *Primò*, Esse necessariò confitendum. *Secundò*, Non tantùm Deo, sed etiam homini. *Tertiò*, Non tantùm in genere, sed etiam speciatim. Collegerunt etiam Rabbini plurima præcepta legis ex Scripturis, ex quibus decimum sextum est, *Confitenda esse peccata* Numerorum 5. Dicunt præterea, si quis neglecta confessione moriatur, etiamsi cætera ritè peregerit, tamen in æternum periturum. Hunc autem ritum confitendi Thomas Waldensis tomo 2. cap. 137. dicit se à Iudæis intellexisse adhuc obseruari. Ad hoc præceptum legale seruandum, videtur exhortari Ecclesiasticus cap. 4. v. 31. *Non confundaris confiteri peccata tua*: nam confusio non solet timeri nisi in confessione, quæ fit homini, & in speciali.

Confessio ante Baptismum Ioannis. Quarta Figura est, Confessio eorum qui accedebant ad baptismum Ioannis, de quibus dicitur Matthæi 3. & Marci 1. quòd baptizabantur ab eo confitentes peccata sua. Ioannes enim erat Propheta & filius Sacerdotis. Rectè autem coniungebatur illa confessio baptismo, quia baptismus Ioannis non erat per se efficax, sicuti noster: vnde nostro, qui per se sufficit, non coniungitur confessio, sed posteà lapsis ea conuenit.

Probatur Tertiò: ex Conciliis.

3 PRobatur eadem veritas Tertiò: ex Conciliis. Concilium Laodicenum ante annos mille & centum can. 2. *His, qui diuersorum peccatorum lapsus incurrunt, & instant orationi, confessioni, ac pœnitentiæ, pro qualitate peccati tempus pœnitentiæ tribuendum est.*

Synodus Quinisexta, can. vltimo: *Oportet eos, qui absoluendi & ligandi potestatem accepere à Deo, peccati qualitatem considerare, & peccatoris promptitudinem ad reuersionem*; id est, ad emendationem: *& sic morbo conuenientẽ adhibere medicinam.* Vide ibid. sequentia valdè pulchra. Vnde patet, apud Græcos Sacramentalem Confessionem singulorũ peccatorum in vsu tunc fuisse, sicut & modò est; vt patet ex Nicolao Cabasila cap. 29. explicationis Liturgiæ.

Concilium Carthaginense III. cap. 31. ante annos mille & centũ, *Vt pœnitentibus secundùm peccatorum differentiam Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora determinentur.*

Concilium Cabilonense I. ante annos mille, can. 8. *Vt pœnitentibus à Sacerdotibus facta confessione indicatur pœnitentia; vniuersitas Sacerdotum nosci tur conuenire.*

Similia habentur in Concilio Turonensi III. cap. 22. Et in Concilio Cabilonensi II. cap. 32. *Sed*, inquit, *& hoc emendatione indigere perspeximus, quod quidam, dum confitentur peccata sua Sacerdotibus, non plenè id faciunt.* Et infrà: *Solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, vt ex vtrisque plena fit confessio, scilicet vt ea confiteantur quæ per corpus gesta sunt, & ea, quibus in solâ cogitatione delinquitur.*

In Germania Moguntinum II. sub Rabano Anno Domini 833. cap. 26. *Ab infirmis in mortis periculo positis, per Presbyteros pura inquirenda est confessio; non tamen imponenda est eis quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda*, &c. & c. 27. dicit ijs esse dandam Communionem qui omnibus de peccatis suis puram confessionem agunt, & dignè pœnitent.

Concilium

Concilium Wormatiense circa annum Domini 868. can. 7. *Pœnitentibus secundùm differentiam peccatorum, Sacerdotis arbitrio pœnitentiæ decernantur. Debet itaque Sacerdos in pœnitentia danda singulorum causas sigillatim considerare; originem quoque, modumque culparum, & affectus, gemitusque delinquentium diligenter examinare, manifesteque cognoscere; temporum etiam & personarum, locorum quoque & ætatum qualitates inspicere, vt etiam pro consideratione locorũ, ætatum vel temporum, seu pro qualitate delictorum atque gemituum cuiusque delinquentis, à sacris regulis oculos non reflectat.*

Concilium Lateranense sub Innocentio III. Anno Christi 1215. quod fuit quadringentorum Episcoporum & octingentorum aliorum Patrum ex Ecclesia Græca & Latina cap. 21. *Omnis vtriusque sexus, omnia sua peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti.*

Concilium Constantiense sess. 8. damnat articulos Wicleffi, inter quos octauus est: *Si homo debitè fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua & inutilis.*

Denique patet ex Concilio Florentino in instructione Armenorum; & ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 5. & canone 6. 7. 8.

Probatur Quartò: ex Patribus.

10 PRobatur Quartò eadem veritas ex Patribus, quos vide apud Ruardum art. 8, apud Hosium in confessione Polonica, apud Baronium, Bellarminum & Valenciam.

Clemens. Clemens Romanus epist. 1. ad Fratrem Domini: *Quòd si fortè alicuius eor vel liuor, vel infidelitas, vel aliquod malum ex his quæ superiùs memorauimus, latenter irrepserit, non erubescat qui animæ suæ curam gerit, confiteri hæc huic, qui præest, vt ab ipso per verbum Dei & consilium salubre curetur, quo possit integra fide & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere.* Et infrà dicit B. Petrum malas cogitationes cordi suo aduenientes mox ad Christum allidere, & sacerdotibus Domini manifestare consueuisse.

Origenes. Origenes Homil. 2. in Leuit. *Est adhuc & septima, licet dura & laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum, cùm non erubescit peccator Sacerdoti Domini confiteri peccatum suum, & quærere medicinam, secundùm eum qui dixit: Confitebor aduersum me iniustitiam meam.* Homil. 3. in Leuit. docet omnia peccata nostra in die iudicij in publicum proferenda per diabolum, nisi ea hîc coram Sacerdote accusauerimus. Vide eundem Homil. 2. in Psal. 37.

Tertullianus. Tertulianus lib. de Pœnitentia dicit, *quosdam diffugere exomologesin*, hoc est, confessionem, *verecundiæ causâ; qui etsi notitiæ humanæ sua peccata subduxerint, Deum tamen celare non poterunt: meliusque esse publicè absolui, quàm damnatum latere.* Et Paulò infrà dicit, *Exomologesin à Domino institutam.*

Cyprianus. Cyprianus serm. de lapsis: *Quanto & fide maiore, & timore meliore sunt, qui, quamuis nullo sacrificij aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes, exomologesin conscientiæ faciunt.* Et infrà. *Confiteantur singuli quæso, fratres, delictum suum, dum adhuc, qui deliquit, in sæculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio & remissio per Sacerdotes facta, apud Dominum grata est.*

Athanasius. Athanasius serm. in illa verba Euangelij: *Ite in castellum* &c. *Quod si*, inquit, *nondum soluta sint vincula, tradas teipsum discipulis Iesu: adsunt enim qui te soluant pro ea potestate, quam à Saluatore acceperunt: Quæcunque enim ligaueritis*, inquit, &c.

Basilius. Basilius Regula 228. *Necessariò ijs peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.* Similia habet Regula 229.

Ambrosius. Ambrosius lib. 2. de Pœnitentia c. 6. *Si vis iustificari, fatere delictum tuum: soluit enim crimínum nexus verecunda confessio peccatorum.* Idem Ambrosius confessiones audire solitus erat, vt testatur Paulinus in vita eius.

Pacianus. Pacianus in Exhortatione ad Pœnitẽtiã multa habet clarissima testimonia: *Rogo vos fratres*, inquit, *per illum dominum, quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam: prudentes ægri medicos non verentur, ne in occultis quidem partibus, etiam secaturos, etiam peruſturos.*

Chrysostomus. Chrysostomus lib. 2. de Sacerdotio: *Multa arte opus est, vt qui laborant Christiani, vltrò sibi persuadeant Sacerdotum curationi se submittere oportere.* Et infrà docet, non temerè ad delictorum modum esse mulctam adhibendam; sed etiam explorandum esse animum pœnitentis, ne fortè nolit tantam pœnitentiam subire. Et lib. 3. de Sacerdotio, apertissimè: item Homil. 33. in Ioannem.

Hieronymus. Hieronymus in cap. 10. Ecclesiastæ probat etiam occulta peccata Sacerdoti confitenda: *Si enim*, inquit, *erubescat ægrotus vulnus medico confiteri: quod ignorat, medicina non curat.* Et in cap. 16. Matthæi: *Alligat & soluit Episcopus & Presbyter, non eos qui insontes sunt vel noxij: sed pro officio suo cùm peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive soluendus.*

Refellitur Magister. Vbi Nota contra Magistrum dist. 18. comparationem nostrorum Sacerdotum cum Leuiticis, tantùm in eo consistere, quòd sicut hi non poterant leprosos curare sola sua potestate, sine illorum cooperatione: sed tantùm iudicare esse leprosos, & à consortio aliorum separare: ita nec illi possunt sola sua potestate peccata remittere, nisi ipsi pœnitentes per contritionem & confessionem cooperentur; tamen si cooperentur, omnino possunt. Vnde cùm Hieronymus dixisset, *Pro officio suo cum peccatorum audierit varietates*, non addidit, Scit quibus ligatus sit, quibus solutus, quomodo tamen iuxta Magistri sententiam dicere debuisset, sed, *Scit qui ligandus, quive soluendus sit.* Idẽ Hieronymus in epistola ad Pamachium docet necessariam esse confessionem, *Quia*, inquit, *secunda post naufragiũ tabula est, peccatum simpliciter confiteri.*

Innocentius I. Innocentius I. epist. 1. ad Decentium: *Caterùm de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est iudicare vt attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus ac lacrymas corrigentis, ac tunc iubere dimitti, cùm viderit congruam satisfactionem.*

Augustinus. D. Augustinus Homil. 49. *Nemo sibi dicat, occultè ago, apud Deum ago. Ergo sine causa data sunt claues Ecclesiæ: ergo sine causa dictum est, Quæ solueritis in terra* &c. Et in lib. 50. Homiliarum Homil. 12. *Deus quia pius & misericors est, vult vt ea confiteamur in hoc seculo, ne pro illis confundamur postmodum in futuro.* & Homil. 41. eiusdem Operis: *Si ad vltimum vitæ steterit, nescit si ipsam pœnitentiam accipere, ac Deo & Sacerdoti peccata sua confiteri poterit.* Idem Tract. in Psal. 66. *Tristis esto antequam confitearis, confessus exulta, iam sanaberis.* Et infrà: *Tu agnosce medici manum, confitere; exeat in confessione, & defluat omnis sanies.*

Leo. D. Leo epist. 80. Prohibet ne peccata secreta publicè recitentur: *Quia*, inquit, *reatus conscientiarum sufficit solis Sacerdotibus indicare confessione secretâ.* Vide eundem epist. 91.

Sozomenus. Sozomenus lib. 7. Historiæ cap. 16. *Pœnitentibus quamuis frequenter deliquissent, veniam dari Deus iussit; & ad impetrandam veniam confiteri necessarium est.*

Gregorius. Gregorius Homil. 26. in Euangelia, idem docet ex Lazari suscitatione, & solutione: *Veniat*, inquit, *foras mortuus*, id est, *culpam confiteatur peccator: venientem verò foras soluant Discipuli, vt Pastores Ecclesiæ ei pœnam amouere debeant, quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit.*

Bernardus, D. Bernardus serm. 16. in Cantica: *Omne, quod remordet conscientiam, confitere humiliter, purè, fideliter.* Denique idem docent omnes Doctores posteriores.

Probatur Quintò: Ratione.

11 PRobatur Quintò: Ratione. Primò: Si confessio esset iure humano introducta, extaret eius origo in aliquo Concilio Oecumenico, vel decreto Pontificio: atqui fuit ante Concilia, & decreta Pontificum; vt patet ex Tertulliano, Origene, & Cypriano, qui expresè Confessionis Ecclesiasticæ mentionem faciunt: ergo non humano, sed diuino iure introducta est. Quòd autem Hæretici dicunt à Concilio Lateranensi introductam, nimis apertum mendacium est. Non enim ibi introducta confessio fuit, imò ne præcepta quidem propriè, sed tantummodò tempus determinatum: sicut neque Communio introducta, sed solùm frequentandi tempus præscriptum.

Secundò: Ecclesia nunquam fuisset ausa rem tam arduam, & à quâ homines tantoperè abhorrerent, præcipere, scilicet vt etiam secretissimas cogitationes, & fœdissimas libidines cum summâ verecundia homini patefacerent; idq; non solùm plebei, sed etiam Principes, Monarchæ, Prælati, & Ecclesiarum rectores. Neque etiam vnquam ad hoc potuissent adduci, nisi certò intellexissent, se iure diuino ad hoc compelli, esseque ad salutem necessarium. Addo, Ecclesiam non potuisse præcipere confessionem peccatorum occultorum; quia non potest quidquam præcipere circa actus merè internos; vt alibi ostensum est.

Vtilitates Confessionis. Tertiò: Confessio tot secum adfert vtilitates, vt maximè eâ decuerit à Domino institui, & præcipi. Nam Primò, Elucet in ea Dei misericordia & iustitia: Misericordia, quòd tam facili remedio peccator Deo reconcilietur: Iustitia, quia superbia & impudentia peccantis, humilitate & verecundiâ confessionis vindicatur. Secundò: Vtilitatem adfert ipsis Pastoribus. Nam ex confessionibus suorum subditorum morbos cognoscunt, sic vt facilè conuenientia remedia possint adhibere. Tertiò: Est vtilissima Reipublicæ. Nam multa, quæ per Magistratus nunquam potuissent emendari, facilè in confessionibus per Sacerdotes corriguntur. Nam restituuntur ablata, compensantur damna, dissoluuntur contractus iniusti, condonantur iniuriæ, conciliantur paces, dissociantur prauæ societates, & alia huiusmodi, quibus Respublicæ perturbantur. Vnde Norimbergenses, cùm reiectâ confessione priuatâ tanquâ humano inuento, inuenissent plurima flagitia in suam Rempub. irrepsisse, quæ anteà erant ignota, petierunt ab Imperatore, vt ipse suo decreto rursus eam sanciret, vt refert Dominicus Soto, d. 18. q. 1. a. 1. Sed ridiculè: Quomodo enim Imperator posset eos cõpellere, vt occulta crimina panderent? Hoc enim eius solius est, qui occulta cordium intuetur. Quartò: Est vtilissima cuique priuato: Tum quia per eam peccata remittuntur ex opere operato: tum quia magnâ conscientiæ tranquillitatem conciliat: tum quia consilium, instructionẽ, & alia remedia contra futura homines ex ea reportant: tum quia timore confessionis, veluti retinaculo quodam, à peccatis cohibentur: tum denique, quia illâ verecundiâ partim satisfaciunt, & redimunt illam confusionem, quam peccatores in die Iudicij patientur, quando Deus *illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Vide Gregorium Homil. 3. in Leuit. & Augustinum Homilia 12. lib. 50. Homiliarum. 1. Corinth. 4.

Ridicula Norimbergensium petitio circa confessionem auricularem.

Denique probari potest Confessio ex Miraculis. Vide Alanum Copum lib. 2. Dialog. cap. vltimo, vbi refert ex Climacho Gradu 4. cap. 2. pulcherrimum miraculum, & alia ex litteris Indicis. Vide etiam Bedam lib. 5. Histor. c. 14. de quodam milite. Prætereà Petrum Cluniacensem lib. 1. de Miraculis cap 3. 4. 5. & 6. vbi refert quatuor miracula. Item vide Vitam S. Bernardi lib. 1. cap. 9. & Bonauenturam in Vita S. Francisci cap. 10.

Obiectiones Soluuntur.

OBijciunt Hæretici: Primò. Confessionem solùm esse disciplinam quandam Politicam, ab Episcopis institutam tempore Nouatianorũ, quam postea Nectarius sustulit, vt colligitur ex Socrate lib. 5. Histor. cap. 19. & ex Sozomeno lib. 7. cap. 16. 12

Nectarius non sustulit confessionem priuatam. Responderi potest Primò: Falsam esse historiã illam, vt à Socrate & Sozomeno narratur; quod multis conatur probare Baronius centuria 1. pag. 487. Respondeo Secundò; Vt concedamus historiam esse veram; Certum tamen est Primò: Confessionem Sacramentalem, quæ priuatim fit Sacerdoti, non esse sublatam per Nectarium; neque id auctores illi dicunt. Patet hoc ex Chrysostomo successore Nectarij, qui lib. 2. de Sacerdotio ait: *Multâ arte opus est, vt Christiani qui laborant, vltrò sibi persuadeant, Sacerdotum curationi se submittere oportere.* Et Homil. 20. in Genesin: *Oportet ad confessionem facinorum festinare*, &c. Et idem lib. 3. de Sacerdotio mirè extollit potestatem remittendi peccata; docetque magnâ cautione eâ vtendum esse. Idem patet ex ipso Sozomeno lib. 7. Histor. cap. 16. *Pœnitentibus, quamuis frequenter deliquissent, veniam dare Deus iussit; & ad impetrandam veniam confiteri necessarium est.* Omittò Græcos posteriores, qui eam semper seruârunt. Secundò: Certum est non fuisse relictum liberum, vt quisque pro suâ conscientiâ sine confessione accederet ad Eucharistiam. Patet hoc ex Chrysost. Homil. 83. in Matthæum, vbi iubet repelli peccatores ab Eucharistia, qui pœnitentiam non egerint. Idem indicat Homil. 10. in Matthæũ. Tertiò: Certum etiam est, Pœnitentiam publicam non esse sublatam per Nectarium. Patet ex Chrysostomo Homil. 60. ad Populum, vbi sic ait; *Astantem audis præconem, atque dicentem: Quotquot estis in pœnitentiâ, omnes orate.* &c.

Sustulit itaque Nectarius tantummodò confessionem

Sed sustulit confessionē publicam.

sionem publicam, quæ erat appendix Pœnitentiæ publicæ. Cùm enim exorti essent Nouatiani, tempore Cypriani, qui docent lapsos post baptismum, præsertim in grauiora peccata, non posse per Ecclesiam reconciliari, conuenerunt Episcopi variorum locorum, & constituerunt huiusmodi lapsos esse omnino reconciliandos, sicut anteà semper seruatum fuerat. Ne tamen nimis facilè viderentur eos recipere, & sic calumniam à Nouatianis sustinerent, veteri Canoni, quo talibus indicebatur pœnitentia publica, hanc addiderunt appendicem, Vt etiam publicè confiterentur; scicet ea peccata quæ erant aliquo modo publica, & iudicio prudentis Sacerdotis viderentur publicè aperienda. Vnde in singulis Ecclesijs instituerunt *Sacerdotem Pœnitentiarium* prudentem & seruantē secreti, quem omnes publicam pœnitentiam acturi accedere debebant. Huic ergo primò confitebantur priuatim omnia sua peccata occulta, & manifesta: deinde præscribebatur eis pœnitentia publica, cuius pœnitentiæ additamentum erat, publicè confiteri in Ecclesia certa quædam crimina, quæ iudicio Sacerdotis videbantur manifestanda. Hanc Confessionem publicam sustulit Nectarius, & Presbyterum, qui publicè pœnitentibus præerat; idque ob grauem populi offensionem quandam, occasione publicæ pœnitentiæ & confessionis ortam. Cùm enim mulieri cuidam nobili pœnitentia publica, nescio ob quę crimina esset iuncta, & illa ob hanc explendam diutius in templo moraretur, accidit vt quidam Diaconus eâ in templo abuteretur: Mulier autem illa confessionem publicam, sibi à sacerdote præscriptam factura, etiam hoc crimen videtur coram populo manifestasse; vnde grauissima populi in Clerum offensio nata. Hinc quidam Eudæmon Presbyter suasit Nectario, vt illam consuetudinem aboleret. Colliguntur hæc ex Socrate, & Sozomeno, locis citatis.

Dices, Si Nectarius non sustulit confessionem priuatā, quomodo ergo dicunt illi Auctores, fuisse permissum omnibus, vt pro sua quisq; conscientia ad diuina mysteria accederet?

Respondeo, Eatenus permissum est, quatenus non ampliùs tenebantur adire publicum illud tribunal Ecclesiæ, sed satis erat priuatim reconciliari: sicuti modo quisque potest dici pro conscientiâ suâ, accedere communionem.

13 2. Obiectio ex Chrysostomo.

Obijciunt Secundò: Chrysostomus Homil. 2. in Psalmum 50. sic ait: *Peccata tua dicito, vt deleas ea: si confunderis dicere alicui quæ peccasti, dicito quotidiè ea in anima tua: Non dico, vt confitearis conseruo tuo, qui exprobret; dicito Deo, qui curet ea.* Similia habet Homil. de Pœnitent. & confessione.

Solatur.

Respondeo, Chrysostomum tantùm velle, non esse necessariū publicè confiteri, & in theatro suorum conseruorum, vt Homil. 4. de Lazaro ait: Ex hac enim confessione sequebatur exprobratio, non autem ex priuatâ, quę fit soli Sacerdoti, quia fit sine testibus, & propriè fit Deo; Sacerdoti enim confitetur vt locum Dei tenenti, & diuinâ auctoritate absoluenti. Vnde *soli Deo confiteri* non excludit Sacerdotem, vt multis ostendit Gregorius à Valentia in hunc locum. Instabis: Chrysostomus videtur solùm requirere, vt Deo confiteamur in anima, idque absiduè: vnde Homil. 8. de Pœnitentia ait; Non delictorum testes statuas; intus in conscientiâ, astante nemine præter eum qui cuncta videt, reforma quod deliquisti. Respondeo; Chrysostomus interdum loquitur de confessione coram Deo, quatenus ordinatur ad satisfactionem, ad quam referebatur illa publica confessio; non autem, quatenus ordinatur ad absolutionem Sacramentalem, quam multis locis docet esse necessariam; vt patet lib. 2. & 3. de Sacerdotio &c.

DVBIVM II.

Vtrùm peccata Venialia sint necessariò confitenda?

14

Respondeo, Esse quidem sufficientem materiam confessionis, non tamen necessariam. Prior pars patet ex Concilio Tridentino sess. 14. Canon. 5, & Can. 7. vbi id expressè habetur. Et confirmatur ex sententia Domini, Ioan. 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; quę generalis est ad omnia peccata. Altera pars probatur ex eodem Concilio, loco citato: Quia peccatum veniale multis alijs remedijs expiari potest, vt ibidē Concilium docet.

Quomodo venialia peccata retineri possint per Sacerdotes.

Dices: Venialia comprehenduntur illâ sententiâ Domini; *Quorum remiseritis peccata* &c. alioquin non essent materia sufficiens huius Sacramenti: ergo si non remittantur à Sacerdotibus potestate clauium, non remittuntur à Deo; ac proinde necessariò erunt in confessione explicanda. Patet consequentia: quia addit Dominus; *Quorum retinueritis, retenta sunt.*

Respondeo: Sententiam Domini esse generalem quoad remissionem; non autem quoad retentionem. Ratio est, quia plura instituit remedia, quibus deleantur venialia, vt constat ex doctrina Ecclesiæ: non tamen instituit plura, quibus mortifera deleantur. Dedit enim potestatem remittendi & mortifera, & venialia, sed retinendi per se primò sola mortifera; quia venialia sunt minoris momenti, & amicitiam eius non dissoluunt. Secundariò tamen possunt venialia *retineri*, quatenus retinentur mortifera, sine quibus illa condonari nequeunt.

DVBIVM. III.

Quo loco confessio sit præcepta in Scripturâ?

15

D. Bonauentura d. 17. p. 2. art. 1. q. 3. putat Absolutionem quidem institutam esse & præceptam Ioan. 20. Confessionem autem solùm insinuatam, institutam autem ab Apostolis, & promulgatam Iacobi, 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra, vt saluemini.*

Sed dicendum, Certum esse, confessionem integram omnium peccatorum mortalium esse institutam & præceptam, tanquam necessariam, Ioannis 20. *Quorum remiseritis*. &c. Contrarium censendum est erroneum. Patet hoc tum ex suprà dictis, tum ex Concilio Tridentino, quod sess. 14. can. 3. expressè docet, Sacramentum Pœnitentiæ esse institutum Ioan. 20, *Quorū remiseritis*; ergo ibidem est instituta confessio, quæ est necessaria pars huius Sacramenti. Et canone 6. definit confessionem esse necessariam Iure diuino ad salutem: atqui nullus Scripturæ locus est vnde hoc euidentiùs & efficaciùs colligatur, quā Ioan. 20. Denique idem Cōcil. c. 6. illius sessionis expressè probat ex hoc loco Ioannis, Confessionem esse Iuris diuini.

ART.

Nisi ratione scandali.

Dico Secundò: Ratione scandali fieri posse, vt is, qui solùm venialia habeat, teneatur se exhibere proprio Sacerdoti, & insinuare, se nihil habere: vt, si populus vel Pastor alioqui putarent illum contemnere hoc Sacramentum.

DVBIVM VIII.

Vtrùm Ecclesia possit præcipere Venialium confessionem?

32 Venialia interiora.

REspondeo & Dico Primò: Non potest ita præcipere, vt tenearis interiora venialia confiteri, quādo habes exteriora. Ratio est, Quia non potest directè in actus internos statuere.

Venialia omnia exteriora.

Dico Secundò: Non potest etiam sic præcipere, vt teneāris omnia exteriora venialia confiteri. Probatur: Quia non est sufficiens ratio, seu vtilitas id præcipiendi. Quòd si concedamus posse præcipere, non tamen potest sub mortali: quia id, quod præcipitur, est materia valdè leuis.

33 Indirectè potest præcipere confessionem venialium,

Dico Tertiò: Potest tamen præcipere indirectè, vt omnes teneantur venialia confiteri, nempe si alia non habeant. Colligitur ex Caietano, Opusculo de Confess. qu. 1. Probatur: Quia posset præcipere vsum huius Sacramenti; & tunc, si quis non haberet mortifera, teneretur confiteri venialia. Quod patet: nam aliter non potest substantiam huius præcepti præstare. Antecedens probatur: Quia vsus huius Sacramenti est res saluberrima: ergo Ecclesia potest illum præcipere, sicut alia bona opera, ieiunium, orationes, eleëmosynam, &c. non quidem tanquam id necessarium sit ad iustificationem, sed vt summè expediens ad satisfactionem peccatorum, & vitę Christianę profectum: quod est contra Dominicum Soto, & quosdam alios.

34

Dices Primò: Ecclesia non potest materiam non necessariam facere materiam necessariam Sacramenti: ergo non potest vllo modo præcipere venialium confessionem.

Quomodo materia non necessaria Sacramenti, per Ecclesiam possit fieri materia necessaria.

Respondeo: Non potest facere, vt id, quod non est materia necessaria, fiat absolutè necessaria, sic vt sine ea non constet Sacramentum, etiamsi alia materia subijciatur: potest tamen facere, vt fiat necessaria sub conditione, si videlicet alia materia desit, quæ Clauibus subijciatur: nam potest præcipere vsum huius Sacramenti.

Dices Secundò: Confessio venialium non est materia grauis: ergo non potest eam Ecclesia præcipere, saltem sub culpa mortiferâ.

Respondeo: Etsi confiteri venialia non sit per se res tanti momenti, vt possit sub peccato mortifero præcipi, quando adest alia materia: tamen quatenus est necessarium ad vsum huius Sacramēti (vt, si alia materia desit) eatenus est satis magni momenti, vt possit sub graui culpâ præcipi. Nam vti hoc Sacramento, non est opus minoris momenti, quàm ieiunium, vel recitatio Officij, vel auditio Missæ; quæ tamen ab Ecclesia possunt sub culpâ mortifera præcipi.

35

Dico Quartò: Probabilius videtur, Ecclesiam hactenus non præcepisse indirectè confessionem venialium. Probatur, Quia nullum tale præceptū extat, neque etiam est vlla talis consuetudo.

Ecclesia non præscripsit cōfessionem venialium.

Dices: Clementina, *Ne in agro Dominico*; §. *Sanè*. Tit. *De statu Monachorum*, sic dicitur: *Sanè singulis mensibus, tam in monasteriis, quàm extra sublatâ occasione quacunque, ad confessionem saltem semel accedant omnes & singuli Monachi*: Loquitur autem de Monachis S. Benedicti.

Respondeo breuiter: Nullum esse hîc propriè dictum præceptum, sed solùm monasticam constitutionem, obligantem tantummodò ad punitionem Regularem; vt patet diligenter examinanti: Nullum enim verbum ponitur, quod proprie præceptum insinuet.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm possit cum aliquo dispensari, ne confiteatur?

REspondeo & Dico Primò: Non potest Pontifex dispensare cum aliquo, ne vnquam cōfiteatur. Probatur Primò: Quia confessio merè est Iuris Diuini: ergo Pontifex non potest in ea dispensare; præsertim cùm nulla possit occurrere causa rationabilis, cur aliquis sit ab eâ excipiēdus. Secundò: Quia confessio est intrinseca pars Sacramenti necessarij ad salutem ei, qui post baptismum mortiferè peccauerit. Atqui huiusmodi Sacramēta sunt Ecclesiæ fundamenta; his enim Ecclesia formatur, perficitur, & cōsistit: Ministri verò Ecclesiæ instituti sunt, vt Ecclesiam, sicut à Domino constituta est, gubernent; non autē est eis concessum, vt eius fundamenta mutent: ergo &c.

36 Non potest dispensari ne vnquam confiteris.

Dico Secundò: Summus Pontifex, & Concilium Generale ex iustâ causâ possunt dispēsare in tempore confessionis; nempe, vt possit vltra annum differri, vel intra annū debeat sæpiùs frequentari. Probatur, Quia determinatio huius tēporis, sicut iure humano facta est, ita etiam iure humano prorogari potest, vel contrahi. Vix tamen videtur posse occurrere causa dispensandi cum aliquo in particulari, vt non teneatur intra annū confiteri. Vnde, si dispensatio detur, peccabit dispensans, eò quòd abutatur suâ potestate. Qui autem vtetur dispensatione, etiam peccabit, saltem venialiter; non quidem contra præceptum Ecclesiæ, in quo est dispensatum; sed contra Ius Naturæ, vel Gentium, quo pars debet se conformare toti, nisi causa subsit.

37 Dispensari potest in tempore confessionis.

Aduertendum autem, quamdiu perseuerat præceptū annuæ confessionis, Papam non minùs obligari ad confitendum, quàm alios; idque vel ex vi Iuris Naturalis, vel Iuris Gentium, quod dictat vt Princeps legem, quam imponit, patiatur, si eadem in ipso & subditis sit ratio. Non tamen incurret pœnam transgressori lege humanâ constitutam: solùm enim tenetur Princeps suis legibus quo ad vim directiuam, non verò quo ad vim coactiuam.

38 Etiam Papa tenetur præcepto annuę confessionis.

QVÆSTIO VII.

De Confessionis Quidditate.

Vide, quæ diximus Quæstione Sexta, in principio.

ARTICVLVS III.

Vtrùm omnes ad Confessionem teneantur?

16 Nondum baptizati, non tenentur ad confessionem.

REspondeo & Dico Primò: Qui nondũ sunt baptizati, non tenentur confiteri. Probat hoc Dominicus Soto, quia hi solùm tenentur ad fidem & ad baptismum. Sed hoc verum non est: nam etiam tenentur ad Eucharistiam, ita vt ante baptismum hanc obligationem habeant, quamuis eam non possint præstare, nisi post baptismum; vt suprà dictum est q.80.a.11.dub.1. num.31. Vera ergo ratio est, quia peccata illorum non sunt materia huius Sacramenti. Solùm autem obligamur ad hoc Sacramentum ratione materiæ necessariæ.

Tenentur baptizati,

Dico Secundò, Baptizati omnes obligantur ad confessionem, qui post baptismum in aliquod peccatum mortiferum inciderunt, etiamsi hoc peccatum solùm naturâ posterius sit ipso baptismo; quale est, sacrilegium, quod committitur fictâ baptismi susceptione; vt suprà dictum est q.69.a.10. dub.2. num.19.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm quis teneatur confiteri peccatum, quod non habet?

17 Omnia & sola mortifera confitere, eo quo tibi conscius es modo,

REspondetur quemque debere confiteri omne, & solum peccatum mortiferum, quod habet in conscientiâ, & eo modo, quo sibi cõscius est; scilicet confitendo certa tanquam certa, dubia tanquam dubia, nihil augens, nihil imminuens.

Notandum est in Responsione ad 3. Quidquid committit homo vel omittit, in quo dubitat esse peccatum mortiferum, peccat mortiferè, quod se cõmittat discrimini. Sic quoque discrimi se committit, qui negligit confiteri id, quod est dubium, sitne mortale, an non: quare peccat mortaliter. Quod tamen sic intellige, si nimirum ita dubitet, vt non habeat probabiles rationes ad credendum, non fuisse mortiferum. Si enim habeat probabiles rationes, vel probabile iudicium Sapientum, non fuisse peccatum mortiferum, potest omittere eius confessionem. Ratio est, Quia cum tali iudicio positiuo posset operari, v.g. facere talem contractum, nec peccaret mortiferè: ergo multò magis poterit omittere eius confessionem, tamquam non sit peccatum mortiferum; eò quòd probabiliter credat, non esse.

Dices: Melior est conditio possidentis: ergo etiã in dubio negatiuo non tenetur homo seipsum accusare, videlicet quando nescit quale peccatum sit. Confirmatur: quia ob hanc causam non tenemur respondere Iudici, quando nescimus an legitimè interroget.

Respondeo Negando Consequentiam: Hoc enim solùm locum habet, quando confessio, siue patefactio rei cedit in notabile præiudicium meũ vel alterius: vti latiùs diximus de Iustit. & Iure lib.2. cap.31. dub.3. num.10. hîc verò non cedit in tale præiudicium, sed in magnum commodum.

ARTICVLVS V.

Vtrùm peccator teneatur statim Confiteri?

18 Nullo iure tenet prima opportunitate confiteri.

RESpondetur, Neque Iure Diuino, neque Ecclesiastico tenetur peccator statim, id est, primâ opportunitate confiteri. Est communis sententia DD. Non Iure Ecclesiastico, quia Ecclesia solùm præcipit vt singulis annis confiteamur, vt patet ex Capitulo, *Omnis vtriusque sexus.* Non Diuino, quia præceptum confessionis est affirmatiuum; quod non obligat ad statim, sed suo tempore: præsertim cum sine actuali confessione homo possit amicitiam diuinam recuperare. Præterea, si iure Diuino teneremur statim à commisso peccato confieri, Ecclesia determinans annuũ tempus, apertam dedisset occasionem errandi. Tali enim determinatione satis insinuat, nos iure Diuino non obligari ante annum.

DVBIVM I.

Quando præceptum confessionis obliget nos Iure Diuino?

19 Obligat per se in articulo & in periculo mortis.

RESpondeo & Dico Primò: Ratione sui obligat nos in articulo mortis, id est, quando quis tendit ad mortem: vt cùm quis supplicio est afficiendus, cùm valetudo est desperata, &c. Simili modo obligat in periculo mortis: vt, dum instat prælium, vel partus periculosus, &c.

Probatur, Quia hoc præceptũ debet aliquando seruari ab eo, qui sibi conscius est peccati mortiferi: ergo maximè in articulo vel periculo mortis: si enim tunc non seruetur, nõ potest postea ampliùs seruari. Deinde, quia tunc maximè tenetur reconciliari Deo, quando est periculum æternæ inimicitiæ, & propriæ salutis. Neque tunc sufficit votum, si possit reipsâ expleri: quia hoc votum post mortem expleri non potest. Denique, censetur negligens suæ salutis, si tunc certioribus remedijs non vtatur. Vnde Iacobi 5. vers.14. cùm dixisset Apostolus: *Si quis infirmatur in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ*; subiungit v.16. *Confitemini alterutrum peccata vestra, vt saluemini*. Vide etiam Capitul. *Si infirmitas*, de Pœnitentijs & confessionibus, ex Concilio Magno Lateranensi, vbi præcipitur Medicis sub pœnâ excommunicationis ferendæ, vt ante omnia inducant infirmum ad confessionẽ.

20 Non obligat ne nimis diu in vita differatur.

Vtrùm verò etiam Iure diuino obliget sub mortali, vt non nimis diu differatur in vitâ, sicut dictum est de contritione, est dubium. Probabilius tamen videtur non obligare per se, nisi in articulo & periculo mortis. Ratio est, Quia non præcipitur Iure diuino confessio peccatorum, nisi ratione iustificationis: atqui possumus iustificari per cõtritionem cum voto confessionis, quod votum potest impleri, quãdo videbitur esse aliquod mortis notabile periculum. Secùs est de contritione, quia sine eâ non possumus iustificari, sed manemus in Dei inimicitia: vnde non licet eam nimium diu differre.

21 Per accidens tamen obligat pluribus casibus.

Dico Secundò: Per accidens, seu ratione alterius præcepti obligamur ad confessionem Iure Diuino multis casibus. Primò: Quoties accedendum est ad Communionem, iuxta suprà dicta; quamuis

quamuis etiam probabile sit, solùm iure Ecclesiastico ab Apostolorum temporibus recepto, nos teneri. Secundò: si quis vouit confiteri. Tertiò: Si à confessario fuerit iniunctum. Quartò: Ratione statuti Religionis. Quintò: Ratione conscientiæ erroneę; vt si putes te primâ opportunitate teneri confiteri. Sextò: Ratione grauis tentationis, per quam putes te vincendum, nisi confitearis. Ita Caietanus Verbo, *Confessio*, Conditione 5. & alij.

22 Non tamẽ quando timemus nos aliàs non recordaturos peccati.

Septimò: Alium casum addunt Caietanus, Sotus, & alij quidam, Quando credis te alio tempore non recordaturum peccati. Sed probabilius est, eo casu te non teneri, vt docet Petrus Soto lect. 5. de confess. Et Nauarrus cap. 21. de Eucharistia num. 35. Primò: Quia Ecclesia probè nouerat, plerosque plurimorum peccatorum obliuiscì ante exactum annum, & tamen non præcepit nisi annuam confessionem, vt patet ex Concilio Lateranensi; & vt confiteamur ea peccata, quorum tunc meminimus, vt patet ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. Secundò: Quia esset graue onus sæcularibus, si tenerentur confiteri quotiescunq; metuunt obliuionem. Neque satisfacit quod Sotus ait hunc casum esse Iuris diuini, sed satis ei esse prouisum per Ecclesiæ determinationem: Quia si Ius diuinum me obligat ad confitendum, quando est periculum obliuionis, nulla temporis determinatio per Ecclesiam facta me, excusat.

DVBIVM II.

Vtrùm Ecclesia potuerit tempus Confessionis determinare? & quo iure?

23 Obligatur Ecclesia ad aliquam determinationem Iure diuino.

Respondeo & Dico Primò: Ecclesia non solùm potuit, sed etiam Iure Diuino obligata fuit determinare tempus confessionis. Probatur, Quia Christus illud non determinauit, sed id reliquit Vicario suo definiendum, qui id tenetur facere ex officio, præsertim cùm sit necessariũ ad salutem animarum, & commune bonum Ecclesiæ: Si enim maneret indeterminatum, plerique nunquam vterentur, cum magnâ morum corruptelâ, & salutis iacturâ.

24 Hæc tamen determinatio est Iuris humani.

Dico Secũdò: Hæc determinatio facta est præcepto seu iure humano. Probatur, quia immediatè facta est non per auctoritatem diuinam & supremam; sed per auctoritatem inferiorem participatam homini à Christo, nempe Pontifici, & sub ipso Cõcilio Oecumenico, quę potestas more humano gerenda & exercenda est: Ergo hæc determinatio facta est iure humano. Patet Consequentia; Nam hæc est distinctio inter ea, quæ sunt iuris diuini, & iuris humani Ecclesiastici, quòd illa immediatè sint ab auctoritate supernâ, hæc à participatâ.

Dices; Ecclesia non potest præcipere, vt peccatum occultissimum, quod nullo modo prodijt in opus externũ, confitear, quãuis ad id iure diuino obliger; quia non potest disponere de actibus merè internis: ergo non potuit præcipere, vt ea semel confitear in anno. Patet Consequentia, quia qui non potest aliquid præcipere absolutè, non potest præcipere, vt hoc vel illo tempore id faciam.

Respondeo, Præceptum Ecclesiæ directè & per se solùm obligat ad confitendum illa peccata, quæ in opus externum prodierunt. Verùm, quia iure diuino confessio debet esse integra, indirectè, & mediante Iure diuino, quasi ex consequenti præcipit etiam confessionem occultorum. Instabis: Ergo si quis confiteretur externa peccata, omissis internis, satisfaceret præcepto Ecclesiæ. Respondeo; Ita satisfaceret, vt contra illud non peccaret, sed solùm cõtra Ius diuinum. Vnde neque incurreret excommunicationem, si ea in non confitentes lata sit.

DVBIVM III.

Quodnam sit illud tempus, quo iure Ecclesiastico tenemur confiteri?

25 Quidam putant id esse tempus Quadragesimæ.

QVidam existimant directè nos obligari in Quadragesima. Ita Petrus Soto lect. de Cõfessione. Et Ioannes Medina codice de Confess. q. 14. Primò: quia Ecclesiæ consuetudo est tunc cõfiteri, quam Concilium Trident. sess. 14. cap. 5. approbat. Secundò: quia in multis diœcesibus solent excommunicari, qui tunc non confitentur. Tertiò: Quia Sixtus IV. in Extrauag. *Vices illius* Tit. *de Pace*, præcipit Mendicantibus, vt desistant prædicare populo, eos tempore Paschatis non teneri confiteri suis Parochis.

Sufficit quoduis tempus per annum.

Respondeo; Verius esse, præceptum Ecclesiasticum non obligare, nisi vt semel quotannis cõfiteamur, quocunque tandem id tempore fiat. Ita Canus relectione de Pœnitent. part. 5. Domin. Sotus d. 18. q. 1. art. 4. Couarr. in Caput, *Alma* p. 1. §. 1. num. 8.

Probatur Primò: Quia Caput. *Omnis vtriusque sexus*, solùm præcipit, vt saltem semel in anno confiteamur.

Secundò: Quia Concilium Trident. sess. 14. cap. 5. solùm dicit, consuetudinem illam confitendi in Quadragesima, esse piam & salutarem: indicat ergo, non esse præceptam.

Neque obstat consuetudo Ecclesiæ, quæ vim legis habere solet. Nam illa consuetudo non est directè ex præcepto confessionis orta, sed propter communionem, quæ in Paschate obligat, quam necessariò debet confessio præcedere, vt suprà. Ob hanc causam fiunt excommunicationes in eos, qui non confitentur, nempe ob præceptum Communionis. Vnde si quis ex legitima causa tunc non communicaret, & eo anno esset confessus, non incurreret excommunicationem Synodalem, quamuis in Paschate non confiteretur: Nam reuerà non obligaretur. Vnde patet responsio ad duo priora argumenta. Ad tertium, Pontifex solùm ibi intendit, ne Mendicantes subditos à suis Parochis auertant, & idcircò prohibet talia prædicare. Ibidem enim facit illis potestatẽ, vt & ipsi tunc confessionem audiant. Dicit autem fideles tunc debere confiteri, intellige, propter Communionem.

DVBIVM. IV.

An is, qui neque anteà toto anno, neque in Quadragesima est confessus, teneatur post tempus Paschale statim confiteri; an verò possit expectare alteram Quadragesimam?

REspondeo & Dico Primò: Hunc teneri statim confiteri. Ita Medina q. 14. Dominicus 26

Soto

Hic statim tenetur cõfiteri.

Soto loco citato. dist. 18. q. 1. art. 4. Nauarrus cap.21. num. 45. & alij passim. Ratio est, Quia Ecclesia præscripsit tempus annuum, non vt proprium onus anni, vt expleto anno obligatio extingueretur, sed ne vltra annum differretur confessio; sicut determinari solet tempus in solutionibus debitorum, vt suprà dictum est in Eucharistia; quod hîc etiam eo magis locum habet, quòd confessio non adstringatur tempori Paschali, sicut communio, sed per totum annuum spatium possit impleri. Confirmatur ex verbis Concilij Lateranensis, *Omnis vtriusque sexus omnia peccata sua confiteatur saltem semel in anno*: quasi dicat, *Non differat vltra annum*; præscribit enim frequentiam seruandam in vsu huius Sacramenti: ergo quo magis differtur, eó magis vrget præceptum.

Peccat continuò, ni fecerit.

Dices: Ergo iste continuò peccat anno expleto: Nam præceptum negatium semper vrget.

Respondeo, Verũ esse, quod peccet continuò, quando habet opportunitatem, & omittit: Nam est in continuâ omissione actuali, & voluntariâ. Interrumpitur tamen hoc peccatum per somnum, per inaduertentiam, & per defectum opportunitatis; sicut dententio rei alienæ; vt dictum est de furto, lib.2. de Iustitia & Iure cap.12. dub.3. Secùs est de festis diebus, ieiunijs, & precibus Horarijs, quæ sic adstringuntur certo tempori, vt sint velut proprium onus, aut cultus illius temporis; vnde transacto tempore expirat obligatio.

Quidam contrariũ tenent.

Aduerte tamen, Siluestrum verbo *Eucharistia*, num. 3. §. 15. & *Confessio.* 1. §. 3. & quosdam alios existimare, posse differri confessionem vsque ad sequens Pascha; quorum sententia non videtur satis probabilis. Minùs probabile est de Eucharistia, vt suprà dictum est, quæst.80. art.11. dub.2. num. 34.

27 Ritè nunc confessus, potest oblitum mortale differre in alterum annum.

Dico Secundò: Qui ritè confessus recordatur posteà alicuius peccati mortiferi, non tenetur illud confiteri ante sequentem annum. Probatur, quia iam præcepto Ecclesiæ satisfecit. Si verò nondum communicauit, tenetur ratione communionis, vt etiam suprà dictum est de Eucharistia, q.80. art.11. dub.2. num.34.

DVBIVM V.

Vtrùm qui probabiliter putat se tempore debito non habiturum Confessorem, teneatur tempus præuenire?

28 Conclsio est affirmans.

REspõdeo cum Melchiore Cano relect. 5. de Pœnitentia, Teneri. Sicut in die festo qui videt se post horam nonam impeditum iri, vel non futurum sacrum, tenetur præuenire. Ratio est, Quia Ecclesia præscripsit tempus annuum, ne vlteriùs differatur, obligans vnumquemque vt intra annum confiteatur.

Dices: Ergo qui videt se impediendum à lectione Horarum, tenetur præuenire eodem die.

Respondeo, Cùm eodem Cano, si illud impedimentum prouenturũ sit à natura, vel à coactione, non tenetur præuenire. Ratio est, Quia quòd liceat præuenire tempus debitum, v.g. pridie recitare Matutinum & Laudes, & manè dicere Nonam vel Vesperas, est priuilegium, quo priuilegio non tenemur tunc vti. At non est priuilegium posse statim confiteri. Secùs est, si impedimentum sit voluntarium; tunc enim teneris præuenire; alioqui censeris voluntariè omittere horas, scilicet in Causa.

DVBIVM. VI.

Vtrùm pueri obligentur hoc præcepto annuæ confessionis?

29 Pueri mortiferè peccantes, obligantur ad confessionẽ

REspondeo & Dico Primò: Omnino obligari, si peccent mortiferè: vt patet ex verbis Concilij Tridentini: *Cùm*, inquit, *ad annos discretionis peruenerint*. Hoc autem in quibusdam est septimo vel octauo ætatis anno; in alijs serius, nono vel decimo. Ad Communionem verò plures requiruntur anni, vt duodecim, vel plures. Nam vt rectè notat Canus parte 5. loco citato, non simul peruenitur ad vsum rationis in omnibus rebus, sed priùs in ijs quæ sunt sensibus accõmodatiora, & generaliora. Vnde priùs potest puer distinguere inter peccatum magnum & paruum, quàm inter cibum sacrum & profanum, & quàm possit istud Sacramentum dignè æstimare, & latentem diuinitatem apprehendere. Accedit, quòd ad hoc Sacramentum requiratur maior deuotio, quàm ad Sacramentum Pœnitentię.

Non tamẽ obligantur ad communionem.

30 Impuberes non confessi, non incurrunt excommunicationem.

Dico Secundò: Tamen ante annos pubertatis non incurrunt pueri pœnam excommunicationis, quæ in non confitentes singulis annis in plerisque diœcesibus est constituta. Ratio est, quia Prælati non intendunt eos huiusmodi pœnâ inuoluere, vt consuetudo declarat.

Aduerte tamen, verum non esse, pueros ante annos pubertatis non posse vllas censuras incurrere. Nam Concilium Trid. sess.25. cap.5. de Reformatione, excommunicat eos, cuiuscunque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint, si septa monialium ingrediantur. Vbi manifestum est pueros etiam comprehendi. Quare, nisi lex vel consuetudo eos excipiat, censuras incurrunt.

DVBIVM VII.

Vtrùm is, qui solùm habet Venialia, teneatur singulis annis confiteri?

31 Quidam affirmant.

D. Bonauentura d.17. & Richardus ibidem, affirmant; idque propter tenorem præcepti quod habet, *Omnia peccata esse confitenda.*

Respondeo & Dico Primò, Eum qui solùm habet venialia, non teneri singulis annis confiteri. Est communis aliorum Doctorum. Probatur Primò, Quia præceptum Ecclesiæ solùm determinat tempus obseruationis præcepti diuini: atqui præceptum diuinum non obligat ad confessionem venialium: ergo nec præceptum Ecclesiæ. Ita Caietanus q.1. de Confessione. Secundò: Quia quando Ecclesia iubet omnia peccata confiteri, vel intelligit sola mortifera, & sic habemus intentum: vel mortifera & venialia, & sic qui confitetur mortifera, tenebitur etiam addere venialia, quod nemo vnquam dixit. Tertiò: Nemo potest confiteri omnia venialia: ergo solùm loquitur de mortiferis. Quod confirmatur ex grauissima pœna, quam subiugit: *Alioquin*, inquit, *& viuens arceatur ab ingressu Ecclesiæ, & mortuus Ecclesiasticâ careat sepulturâ.* Denique, quia Concil. Trident. sess.14. cap.5. expressè dicit, venialia taceri citra culpam posse.

Dico

Nisi ratione scandali.

Dico Secundò: Ratione scandali fieri posse, vt is, qui solùm venialia habeat, teneatur se exhibere proprio Sacerdoti, & insinuare, se nihil habere: vt, si populus vel Pastor alioqui putarent illum contemnere hoc Sacramentum.

DVBIVM VIII.

Vtrùm Ecclesia possit præcipere Venialium confessionem?

32 Venialia interiora.

REspondeo & Dico Primò: Non potest ita præcipere, vt tenearis interiora venialia confiteri, quādo habes exteriora. Ratio est, Quia non potest directè in actus internos statuere.

Venialia omnia exteriora.

Dico Secundò: Non potest etiam sic præcipere, vt teneāris omnia exteriora venialia confiteri. Probatur: Quia non est sufficiens ratio, seu vtilitas id præcipiendi. Quòd si concedamus posse præcipere, non tamen potest sub mortali: quia id, quod præcipitur, est materia valdè leuis.

33 Indirectè potest præcipere confessionem venialium,

Dico Tertiò: Potest tamen præcipere indirectè, vt omnes teneantur venialia confiteri, nempe si alia non habeant. Colligitur ex Caietano, Opusculo de Confess. qu. 1. Probatur: Quia posset præcipere vsum huius Sacramenti; & tunc, si quis non haberet mortifera, teneretur confiteri venialia. Quod patet: nam aliter non potest substantiam huius præcepti præstare. Antecedens probatur: Quia vsus huius Sacramenti est res saluberrima: ergo Ecclesia potest illum præcipere, sicut alia bona opera, ieiunium, orationes, eleëmosynam, &c. non quidem tanquam id necessarium sit ad iustificationem, sed vt summè expediens ad satisfactionem peccatorum, & vitę Christianę profectum: quod est contra Dominicum Soto, & quosdam alios.

34

Dices Primò: Ecclesia non potest materiam non necessariam facere materiam necessariam Sacramenti: ergo non potest vllo modo præcipere venialium confessionem.

Quomodo materia non necessaria Sacramenti, per Ecclesiam possit fieri materia necessaria.

Respondeo: Non potest facere, vt id, quod non est materia necessaria, fiat absolutè necessaria, sic vt sine ea non constet Sacramentum, etiamsi alia materia subijciatur: potest tamen facere, vt fiat necessaria sub conditione, si videlicet alia materia desit, quæ Clauibus subijciatur: nam potest præcipere vsum huius Sacramenti.

Dices Secundò: Confessio venialium non est materia grauis: ergo non potest eam Ecclesia præcipere, saltem sub culpa mortiferâ.

Respondeo: Etsi confiteri venialia non sit per se res tanti momenti, vt possit sub peccato mortifero præcipi, quando adest alia materia: tamen quatenus est necessarium ad vsum huius Sacramēti (vt, si alia materia desit) eatenus est satis magni momenti, vt possit sub graui culpâ præcipi. Nam vti hoc Sacramento, non est opus minoris momenti, quàm ieiunium, vel recitatio Officij, vel auditio Missæ; quæ tamen ab Ecclesia possunt sub culpâ mortifera præcipi.

35

Dico Quartò: Probabilius videtur, Ecclesiam hactenus non præcepisse indirectè confessionem venialium. Probatur, Quia nullum tale præceptū extat, neque etiam est vlla talis consuetudo.

Ecclesia non præscripsit cōfessionem venialium.

Dices: Clementina, *Ne in agro Dominico*; §. *Sanè*. Tit. *De statu Monachorum*, sic dicitur: *Sanè singulis mensibus, tam in monasteriis, quàm extra sublatâ occasione quacunque, ad confessionem saltem semel accedant omnes & singuli Monachi*: Loquitur autem de Monachis S. Benedicti.

Respondeo breuiter: Nullum esse hîc propriè dictum præceptum, sed solùm monasticam constitutionem, obligantem tantummodò ad punitionem Regularem; vt patet diligenter examinanti: Nullum enim verbum ponitur, quod proprie præceptum insinuet.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm possit cum aliquo dispensari, ne confiteatur?

REspondeo & Dico Primò: Non potest Pontifex dispensare cum aliquo, ne vnquam cōfiteatur. Probatur Primò: Quia confessio merè est Iuris Diuini: ergo Pontifex non potest in ea dispensare; præsertim cùm nulla possit occurrere causa rationabilis, cur aliquis sit ab eâ excipiēdus. Secundò: Quia confessio est intrinseca pars Sacramenti necessarij ad salutem ei, qui post baptismum mortiferè peccauerit. Atqui huiusmodi Sacramēta sunt Ecclesiæ fundamenta; his enim Ecclesia formatur, perficitur, & cōsistit: Ministri verò Ecclesiæ instituti sunt, vt Ecclesiam, sicut à Domino constituta est, gubernent; non autē est eis concessum, vt eius fundamenta mutent: ergo &c.

36 Non potest dispensari ne vnquam confiteris.

Dico Secundò: Summus Pontifex, & Concilium Generale ex iustâ causâ possunt dispēsare in tempore confessionis; nempe, vt possit vltra annum differri, vel intra annū debeat sæpiùs frequentari. Probatur, Quia determinatio huius tēporis, sicut iure humano facta est, ita etiam iure humano prorogari potest, vel contrahi. Vix tamen videtur posse occurrere causa dispensandi cum aliquo in particulari, vt non teneatur intra annū confiteri. Vnde, si dispensatio detur, peccabit dispensans, eò quòd abutatur suâ potestate. Qui autem vtetur dispensatione, etiam peccabit, saltem venialiter; non quidem contra præceptum Ecclesiæ, in quo est dispensatum; sed contra Ius Naturæ, vel Gentium, quo pars debet se conformare toti, nisi causa subsit.

37 Dispensari potest in tempore confessionis.

Aduertendum autem, quamdiu perseuerat præceptū annuæ confessionis, Papam non minùs obligari ad confitendum, quàm alios; idque vel ex vi Iuris Naturalis, vel Iuris Gentium, quod dictat vt Princeps legem, quam imponit, patiatur, si eadem in ipso & subditis sit ratio. Non tamen incurret pœnam transgressori lege humanâ constitutam: solùm enim tenetur Princeps suis legibus quo ad vim directiuam, non verò quo ad vim coactiuam.

38 Etiam Papa tenetur præcepto annuę confessionis.

QVÆSTIO VII.

De Confessionis Quidditate.

Vide, quæ diximus Quæstione Sexta, in principio.

QVÆSTIO VIII.

De Ministro Confessionis.

Circa Articulum I. & II.

DVBIVM I.

Vtrùm Minister Confessionis sit solus Sacerdos?

1 Error Lutheri, Caluini, VVicleff.

NOtandum est: Lutherum articulo 13. inter articulos à Leone X. damnatos, affirmare *Papam aut Episcopum non plus posse in Sacramento Pœnitentiæ, aut remissione peccatorum, quàm mulierem, aut puerum.* Idem sequitur ex doctrina Caluini. Fundamentum vtriusque est; quia, vt ipsi putant, Sacramenta non operantur, nisi excitando fidem: atqui verba absolutionis à quocunque recitentur, æquè fidem excitant. Eandem hæresim docuit Ioannes Wicleff, vt testatur Thomas Waldensis, tom. 2. c. 135. Pro veritate:

2 Solus Sacerdos est Minister Confessionis.

Dico Primò: Fide tenendum est, solum Sacerdotem esse ministrum huius Sacramenti. Patet ex Concilio Lateran. c. 21. & ex Concil. Florentino in instructione Armenorũ, & Tridentino sess. 14. cap. 6. & canone 10. Probatur, Quia Matthęi 18. solis Apostolis promissa est potestas ligãdi & soluendi. Et Ioan. 20. solis illis tradita est eadem potestas; & in illis, solis Episcopis, & Presbyteris, eorum in hoc successoribus, vt notat Hieronymus in c. 16. Matthæi, & Concilium Trident. suprà. Confirmatur; Quia in veteri Testamento iudiciũ Lepræ solis Sacerdotibus erat commissum: vnde Dominus Lucæ 17. Leprosis ait, *Vt ostenderẽt se Sacerdotibus.* Idem docent omnes Patres: elegantissimè Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio. Ratio præter cæteras est; quia in hoc Sacramento est quoddam Iudicium: atqui potestas iudicandi nullo modo debuit omnibus committi. Si enim in rebus terrenis non quiuis habet potestatem iudicandi, sed certi quidam à Principe constituti, multò minùs in ijs, quæ ad animæ salutem pertinent.

3 Confessio facta Laico nec Sacramentalis est, nec vnquam necessaria.

Dico Secundò: Hinc fit, vt confessio facta Laico, nullo modo sit sacramentalis, nec vnquam fuerit necessaria. Prior pars patet: quia Laicis non est commissa potestas Clauium, sed solis Sacerdotibus. Altera pars probatur: quia nullum extat præceptum, nisi de facienda confessione Sacerdoti: ergo quando huic non possumus, non tenemur Laico. Confirmatur: quia necessitas confessionis nascitur ex eo, quòd necessaria sit absolutio, quam Laicus non potest dare.

4

Dices Primò: Cyprianus epist. 13. concedit vt lapsi in persecutione possint in articulo mortis, si Sacerdos non adfuerit, apud Diaconum exomologesin facere, & manus impositionem in pœnitentiam accipere. Et Author libri *De falsa & vera Pœnitentia* cap. 10. *Tanta*, inquit, *vis est confessionis, vt, si deest Sacerdos, confiteatur proximo.* Et Beda in cap. 5. epistolę D. Iacobi: *Coæqualibus quotidiana & leuia, grauiora verò Sacerdoti pandamus.* Similia habet Glossa in Capit. *Pastoralis*, Tit. de *Officio Iudicis ordinarij*.

Quæ confessio possit Diacono committi.

Respondeo: His locis non agitur de confessione Sacramentali; id est, eâ, quæ fit propter absolutionem à peccatis: hoc enim fine confiteri illi, qui non est Sacerdos, est magnum sacrilegium; sed de ea, quæ fit ob aliam causam. Et Cyprianus quidem agit de confessione, quæ ab agentibus publicam pœnitentiam fieri solet in eum finem, vt absoluantur ab excommunicatione, & reconcilientur Ecclesiæ; quæ confessio fieri potest Diacono habenti iurisdictionem absoluendi ab excõmunicatione, concessam ab Episcopo. Quod autem ad hunc D. Cypriani locum hic annotat Pamelius, fortasse absente Episcopo, & Presbyteris carceribus inclusis, ex priuilegio quodam in necessitate Diaconis concessam fuisse pœnitentium reconciliationem; sicuti à Gregorio Presbyteris concessam legimus Sacramenti Confirmationis administrationem, non est probabile: Tum, quia nemo vnquam de hoc dubitauit, omnes enim Patres clarè docent solis Sacerdotibus potestatem remittendi peccata esse concessam: tum quia Diaconus omnino caret Charactere sacerdotali; vnde est longè maior distantia inter Diaconum & Presbyterum, quàm inter Presbyterum & Episcopũ. In reliquis testimonijs cõmendatur confessio facta Laico, non vt necessaria, sed tanquam vtilis: tum ad excitandum in se dolorem peccatorum; tum ad satisfaciendum per illam verecundiam; tum etiam ad petendum consilium. Ob hanc causam etiam Magister dist. 17. eam laudat; quem sequuntur plerique Doctores. Sed hoc intelligendum quando abest scandalum, & omne aliud periculum, quod ex tali confessione posset nasci.

Confessio facta Laico cur, & in quo commendetur.

Dices Secundò: D. Thomas art. 2. ad 1. ait, in necessitate debere pœnitentẽ confiteri cui potest.

Explicatur D. Thomas.

Respondeo cum Soto, Illud *Debere* non significat præceptum, sed consilium; quod tempore D. Thomæ frequentiùs erat in vsu. Quòd autem addit D. Thomas *Defectum Sacerdotis tunc à summo Sacerdote suppleri*; intelligi debet suppleri quoad consecutionem remissionis peccatorum, si pœnitens sit contritus. Alioquin non est probabile, Deum supplere defectum essentialem Sacramenti, vt suprà dictum est de Baptismo qu. 68. art. 9. dub. 1.

5 Laicus tentans absoluere, non fit irregularis.

Sed Dubium est, Vtrùm, si Laicus tentet absoluere, efficiatur irregularis?

Respondeo: Non fieri irregularem, quidquid dicat Sotus, & alij quidam. Ita Siluester Verbo *Confessio* 1. in principio. Ratio est: Quia nemo incurrit pœnã irregularitatis, nisi expressum hoc sit in iure; vt patet Capit. *Is qui*; de Sententia excommunicationis in 6.

Sed inquit Sotus; Capitulo *Si quis*; de Clerico non ordinato, imponitur pœna irregularitatis solemniter baptizanti, aut aliquod officium diuinum exercenti sine debito ordine. Nomine autẽ *Officij diuini* comprehenduntur omnia Sacramenta.

Respondeo: Nomine *Officij diuini* non intelligi omnia Sacramenta; sed ea, quæ non sunt Sacramenta, tamen Ordinem sacrum requirunt; vt sacrificium Missæ, & solemnis decantatio Euangelij, aut Epistolæ, Benedictio aquæ, Chrysmatis, Templorum. Vnde in Iure *Officium diuinum* distinguitur contra Sacramenta; vt infrà dicemus.

DVBIVM

DVBIVM II.

Vtrùm in Sacerdote, cui fit Confessio, sit necessaria Iurisdictio?

6 Absque Iurisdictione inualida est confessio.

REspondeo: Iure diuino necessariam esse Iurisdictionem ad absoluendum pœnitentem à peccatis, adeò, vt sine illâ, nulla sit confessio. Est omnino certa propositio.

Prior pars Probatur Primò: Nam absolutio est actus iudicialis, vt docet Concilium Tridentinũ sess. 14. cap. 7. & definit can. 9: ergo necessariò requirit Iurisdictionẽ. Patet Consequentia: Quia *Iurisdictio nihil est aliud, quàm potestas iudicandi, vel regendi*; cuius Actus sunt, *Præcipere, Vetare, Punire, Absoluere, Dispensare.* Quamuis non sit necessarium, vt omnes hi actus cuiuis habenti qualemcunque Iurisdictionem, competant: satis est vt conueniant illis, in quibus est Iurisdictio plena; vt sunt Prælati Ecclesiæ. Probatur Secundò: Quia ob hanc causam Capit. *Si Episcopus*, de Pœnitentijs & remissionibus in 6. dicitur; *Nullâ Consuetudine posse induci, vt quis præter licentiam superioris sui Confessorem sibi valeat eligere*; nempe, quia requiritur Iure Diuino vera Iurisdictio, quam Pœnitens dare non potest. Probatur Tertiò: Quia Concilium Florentinum cum materiâ & formâ huius Sacramenti, quę iure diuino sunt necessaria, coniungit *Ministrum habentem iurisdictionem.*

Quid Iurisdictio, quique eius Actus.

Hinc sequitur altera pars, videlicet absolutionem sine iurisdictione factâ, esse nullam; quod expressè docet Concilium Tridentinũ c. 7. dicens: *Persuasum semper in Ecclesiâ Dei fuisse, esseque verissimum, nullius momenti esse debere eam absolutionem, quàm Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam iurisdictionem non habet.*

DVBIVM III.

Vtrùm Sacerdos hanc iurisdictionem habeat ex suâ ordinatione, an ab Ecclesiâ?

7 Quidam censent iurisdictionẽ completam haberi ex Ordinatione.

QVidam sentiunt, omnem Iurisdictionem haberi ex Ordinatione completam, sic, vt sepositâ lege Ecclesiæ quiuis Sacerdos possit quemuis absoluere: Ecclesiam autem ad vitandam confusionem, id vetuisse. Hanc sentẽtiam fusè prosequitur Durandus d. 19. q. 2. & dicit eam esse probabilem, quamuis non sequatur. Eandem sequitur Richardus Armacanus lib. 11. qq. Armeniacarum cap. 2. & Abulensis, 2. p. sui defensorij cap. 62.

Refelluntur.

Sed hæc sententia non potest admitti. Primò: Quia si plena potestas iurisdictionis haberetur ex Ordinatione, Ecclesia non posset eius executionẽ reddere irritam, quamuis posset prohibere: sicut non potest irritam facere executionem potestatis Confirmandi, Ordinandi, Consecrandi, Conferendi extremam Vnctionem; eò quòd hæ potestates non sint collatæ ab Ecclesia, vt causâ principali; sed à Christo per Sacramenta, Ecclesia solùm præbente ministerium, tanquam Christi instrumentum. Secundò: Sequeretur, eum qui bona fide confitetur Sacerdoti alieno, verè absolui. Nam ex parte Sacerdotis nihil deest, iuxta hanc sententiam; nec ex parte pœnitentis: nam per ignorantiam & bonam fidem excusatur à transgressione præcepti Ecclesię, quo prohibemur alieno confiteri sine licentiâ proprij; ac proinde nullum ponit impedimentum. Concedunt illi, eum absolui. Sed hoc est apertè contra Concilium Tridentinum sess. 14. c. 7. & contra Capit. *Si Episcopus*, de Pœnitentijs & remissionibus in 6. Omitto alias sententias, quæ non tam re, quàm verbis & modo explicandi differunt.

8 Ex Ordinatione solùm datur iurisdictio Virtualis & incompleta.

Dicendum est, Per Ordinationem non dari *plenam & formalem iurisdictionem ad absoluendum*: dari tamen *virtualem*: seu, quòd in idem redit, Dari in Ordinatione quidẽ omnem iurisdictionem, quæ est necessaria ex parte efficientis, seu Iudicis ad ferendam sententiam; non tamen dari eam, quę necessaria est ex parte materiæ.

Hanc sententiam in re tenet Nauarrus in Canone *Placuit*; de Pœnitentia, dist. 6. num. 19. vbi ait, *Quemlibet Sacerdotem, cùm Ordine insignitur, iurisdictionem accipere in habitu absoluendi atque ligandi omnes, qui se ei legitimè subiecerint*: esseque omnes Sacerdotes veluti Iudices Chartularios, id est, quibus concessa est à Principe potestas iudicandi causas illorum, qui se illis subiecerint: de quibus meminit Bartolus leg. 1. dig. de Iudicijs nu. 7. Idem etiam tenet Paludanus dist. 17. quæst. 3. quem citat Nauarrus num. 46. & Antoninus 3. parte tit. 17. cap. 4. casu 3. & Angelus Verbo *Confessio* 3. num. 4. Eodem tendit sententia Caietani tom. 1. Opusc. 7. quæst. vnica, quamuis in modo loquendi non nihil peccet.

9 Hæc iurisdictio non potest exire in actũ, nisi ei applicetur materia.

Probatur Primò: Omnis Sacerdos in Ordinatione accipit potestatẽ absoluendi, quæ fundatur in charactere; vt patet ex verbis Domini Ioan. 20. Potestas autem absoluendi essentialiter est potestas iurisdictionis: nam absoluere est actus iurisdictionis. Ergo accipit quandam potestatem iurisdictionis, nempe quatenus hæc necessaria est ex parte Iudicis, seu causæ efficientis. Sed quia non ita accipit hanc potestatem, vt possit exire in actũ, eò quòd non applicetur materia, id est, quia non dantur simul subditi, in quos exerceatur, ideò dicimus hanc potestatem, non esse *formalem & completam iurisdictionem*, sed *virtualem & incompletam*; quæ tum completur, & fit formalis iurisdictio, cùm dantur subditi. Ratio est: quia formalis & completa potestas iurisdictionis includit non solùm auctoritatem iudicandi necessariam in Iudice, sed etiam subditos, tanquam terminum relationis, quem hæc potestas respicit. Nam iurisdictio non est nisi in subditos: vnde quando non habes subditos, non habes formalem iurisdictionem, sed solùm virtute & quasi in radice: sicut pereunte termino relationis perit formalis relatio ad illum terminum, solumque manet virtute, & fundamentaliter.

Probatur exemplo Regis & Episcopi non habentium subditos.

Probatur Secundò: Exemplo Regis & Episcopi non habentis subditos: Hi enim etsi habeant omnem auctoritatẽ, quæ ex parte Rectoris est necessaria, tamen non habent formalem & completam iurisdictionem, sed solùm virtute: sic tamen, vt hæc sponte resultet ex suo fundamento positis subditis. Ergo simili modo Sacerdos rectè concipi potest habere à Christo virtualem iurisdictionem per suam Ordinationem; & hanc fieri completam & formalem absque aliâ potestate ei datâ, per hoc solùm, quòd accipiat subditos à Pontifice. Et Confirmatur à simili, in Iudicibus Chartularijs, de quibus Nauarrus, qui omnes potestatem iudicandi habebant ab Imperatore; sed nullos habebant subditos, præter eos

Item Iudicis Chartularijs.

qui suas causas ad ipsos sponte adferrẽt: vnde non habebãt formalem & completam iurisdictionem, quæ includit subditos; sed virtualem & incompletam, quæ tamen complebatur hoc ipso solo, quòd aliqui se illis subijcerent; qui tamen per hoc non dabant illis propriè vllam auctoritatem, cùm hanc omnem haberent ab Imperatore, sicut Iudices Ordinarij, vel Delegati, sed solùm seipsos eorum potestati præexistenti submittebant.

Probatur Tertiò: Quia decebat, vt hęc potestas absoluendi à peccatis à solo Christo immediatè penderet, vtpote quæ tota sit diuina, supra conditionem omnis creaturæ, iuxta illud Marci 2. v. 7. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?*

11 Obiectio ex modo loquendi quòd Ecclesia dicatur cõferre potestatem iurisdictionis.

Dices: Doctores communiter distinguunt potestatem Ordinis, & potestatem Iurisdictionis; & hanc dicunt dari ab Ecclesia, illã à Christo: ergo falsum est, iurisdictionem virtualẽ necessariam ex parte Iudicis dari immediatè à Christo. Confirmatur: quia solus Papa habet immediatè à Christo iurisdictionem, ceteri omnes à Papâ; vt alibi ostensum est ex communiori sententia Doctorũ.

Soluitur & explicatur.

Respondeo Negando Consequentiam: Nã per potestatem Ordinis in proposito non potest aliud intelligi, quàm potestas remittendi peccata, quæ confertur per Ordinationẽ Sacerdotum, post potestatem conferendi. Hæc autem potestas remittẽdi peccata, essentialiter, & intrinsecè est potestas iurisdictionis virtualis, seu incompletæ. Vnde per potestatem iurisdictionis absolutè intelligenda est iurisdictio formalis & completa apud Doctores. Dicitur autem Ecclesia dare hanc formalem iurisdictionem, quia dat subditos, quibus completur iurisdictio virtualis, quæ anteà inerat Sacerdoti. Rectè enim dicitur dare iurisdictionem, qui dat subditos, seu materiam, sine qua non est completa iurisdictio, quæ includit subditos: sicut rectè dicitur dare potestatem videndi, qui præbet lumen, vel obiectum, sine quo non potest fieri visio. Hinc tamen non sequitur, Ecclesiam dare aliquam partem potestatis sacerdotalis, quæ sit necessaria ex parte causæ efficientis; sed solùm subijcere materiam, ratione cuius illa iurisdictio, quæ inerat, completur.

DVBIVM IV.

Vtrùm fideles priuati, suâ auctoritate possint se subijcere cuiuis Sacerdoti, vt ab eo absoluantur?

12 Quidam existimant.

PAludanus & Antoninus suprà, existimãt iure diuino licuisse priuatis fidelibus se subijcere, cui vellent, eiusque iurisdictionem complere: sed hanc potestatem eis esse sublatam per Ecclesiã in Can. *Placuit*, de Pœnit. dist. 6. Idem etiam videtur sentire Nauarrus in eundem Canonem.

Respondeo: Omnino tenendũ est, Solùm Pontificem iure diuino habere auctoritatem, materiã subijciendi huic potestati, eamque complendi.

Solus Papa iure diuino potest assignare subditos.

Probatur Primò: Quia si priuati haberent potestatem iure diuino cõfitendi cuilibet, Papa non potuisset eam generatim eripere; nec potuisset distinguere diœceses & parochias, sicut ab initio fecit. Probatur Secundò: Quorsum Christus dedisset hanc potestatem, quâ non erat conueniens eos vti? nam necessariũ erat distingui diœceses & parœcias ad vitandã confessionem. Probatur Tertiò: Ecclesia non posset irritũ reddere hoc Sacramentum, si iure diuino haberet hanc potestatem: Nam reuerà tunc Sacerdotes haberent completã iurisdictionem à Christo, omnesque iure diuino essent subditi, iuxta sententiã Armacani superiori dubio refutatam. Probatur Quartò: Quia soli Petro, & Successoribus eius dictum est Ioannis 21. *Pasce oues meas, pasce agnos meos*; quibus verbis, eis solis data est potestas Ecclesiam vniuersalem gubernandi: atqui ad gubernationẽ Ecclesię maximè necessarium est, vt populus Christianus distribuatur sub Episcopis, & inferioribus Sacerdotibus, per quos immediatè regatur. Hæc enim dispositio in gubernatione prima occurrit: cùm enim Pontifex non possit per se immediatè omnes regere, tenetur iure diuino adhibere Episcopos, & Sacerdotes etiam inferiores, eisque subditos attribuere. Itaq; hęc vniuersalis distributio populi Christiani pertinet ad solum Romanum Pontificem. Vnde sequitur, solum Pontificẽ posse seipsum, & omnes alios, cuiuis Sacerdoti subijcere, vt absolutio habeatur: alios quidem, auctoritate iurisdictionis, quam in omnes velut Pastor in oues habet; seipsum verò, quia Superiorem in terris, à quo regatur, non habet. Vbi tamen

13 Papa potest se subijcere Confessario cui vult.

Aduerte: Sicut Pontifex, quando alios subijcit Sacerdoti, non dat ei propriè iurisdictionem in illos, quatenus iurisdictio ex parte Sacerdotis est necessaria; sed iurisdictioni incõpletæ, quam Sacerdos iam habebat à Christo in omnes, applicat materiam, & fit iurisdictio completa: ita dum seipsum subijcit Confessori, non dat ei iurisdictionẽ in se (vt enim nemo in seipsum iurisdictionẽ habet, sic nec alteri eã dare potest:) sed seipsum applicat materiam iurisdictioni incompletę, quę Sacerdoti iam inerat: eo prorsus modo, quo priuati homines seipsos subijciebant Iudici Chartulario: non enim dabant ei iurisdictionẽ; sed iurisdictioni, quam ille habebat ab Imperatore, se materiam submittebant: ad quòd faciendum non requiritur iurisdictio, sed tantummodò libertas concessa, vel alteri non subdita. Vnde singuli simili modo possent se subijcere Sacerdotibus, nisi iure diuino subiecti essent Pontifici, à quo in omnibus regi debent.

DVBIVM V.

Vtrùm, vt quis possit habere plenam iurisdictionem ad absoluendum à peccatis, requiratur approbatio Ordinarij?

REspondeo & Dico Primò: Qui habent beneficiũ Parochiale, vel aliud cui est annexa animarũ cura, his non opus est approbatione alia, sed ipso iure censentur approbati. Ratio est: Quia ipsum beneficium intrinsecè continet plenam iurisdictionem, ac proinde approbationem, quę iurisdictioni supponitur. Quænam verò requirantur, vt quis tale beneficium possit obtinere, dictum est alibi ex Concilio Tridentino.

14 Non egent hac approbatione, qui habent beneficia curata.

Dico Secundò: In ceteris omnibus, qui non habent ordinariam iurisdictionem, necessaria est approbatio Episcopi, vbi Concilium est promulgatum, ita vt sine illâ non videantur plenam iurisdictionem posse accipere. Patet ex Conc. Trident. sess. 23. c. 15. vbi sic dicitur: *Decernit S. Synodus, nullum, etiam Regularem, posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotũ audire, nec ad id ideoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessariũ, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat.* Vbi

15 Ceteri omnes eã egent.

Notandum

16 Sine approbatione an valeat Absolutio.

Notandum Primò: Hanc approbationem non complere quidē ipsius iurisdictionem, ita vt sine alia cōcessione posset absoluere; sed requiri solùm tanquam conditionē, vt possit ei plena iurisdictio dari: quæ conditio videtur ita esse necessaria, vt sine ea irrita sit absolutio; vt insinuat illud verbū, *non posse*, quod plus videtur quàm, *non licere*. Etsi fortasse contrarium non sit improbabile.

Tacita approbatio.

Notandum Secundò: Hoc ipso quo Episcopus iubet, vel permittit alicui confessiones audire, approbat illū tacitè, nec alia approbatio requiritur.

Approbatio non requiritur ad confessiones Regularium.

Notandum Tertiò: Ad Regularium confessiones audiendas non requiri Ordinarij approbationem: quia Concilium solùm meminit confessionis sæculariū; vt etiam notauit Nauarrus c. 4. n. 7. Vnde Regulares Regularibus, etsi non approbatis ab Ordinario, possunt cōfiteri: similiter possunt confiteri sæcularibus Sacerdotibus, si potestatem habent cuiuis confitendi.

Si Episcopus nolit Regularē approbare, ipso iure approbatur

Notandum Quartò: Probabile esse, si Episcopus Regularem nolit approbare, idque sine iustâ causâ, Regularem ipso facto censeri approbatum à Pontifice. Colligitur ex Clementinâ, *Dudum*; de Sepulturis, vbi dicit Pontifex, *Si Prælati præfatis fratribus licentiam exhibere recusauerint, nos ex nunc ipsis, vt liberè licitēq; confessiones audire valeant, de Apostolicæ Sedis plenitudine concedimus*. Neque censeri debet huic derogatum per Concilium Tridentinum, vt quidam dicunt, cùm Concilium huius Clementinæ mentionem non faciat, nec directè contrarium statuat. Vide Nauarrum capite 27. num. 264.

17 Semel approbatus, censetur vbique approbatus.

Notandum Quintò: Probabile esse, sufficere semel esse approbatum, vt possit quis vbique eligi, nec requiri semper nouam approbationem, quotiescunque mutat diœcesin. Ita Henriq. lib. 3. de Pœnitent. cap. 6. qui pro hac sententia citat plurimos Doctores Theologos & Iurisperitos. Ratio est: Quia hæc approbatio non est collatio iurisdictionis, seu applicatio materiæ; sed solùm est declaratio aptitudinis, vt ei possit materia applicari. Atqui vnius Episcopi declaratio est sufficiēs, vt meritò ille vbique debeat haberi idoneus, cui plena iurisdictio detur, quamdiu non constat de contrario. Ergo non est opus noua approbatione in singulis Diœcesibus. Confirmatur; Quia si approbatio cuiusuis facultatis in Vniuersitatibus est sufficiens, vt approbatus vbique debeat censeri idoneus ad docendum: cur non etiam approbatio Episcopi sufficiens sit, vt ille censeatur vbique idoneus ad audiendas confessiones?

Obiectio.

Dices: Concilium dicit, *Non reputari idoneum ad audiendas confessiones, nisi idoneus ab Episcopis iudicetur, & approbationem obtineat*: ergo non sufficit idoneum iudicari ab vno Episcopo.

Soluitur.

Respondeo Primò: Si Concilium voluit dicere, *In singulis Diœcesibus debere approbari de nouo*, cur id disertè non expressit? Cur eo modo loquendi vsum est, qui hoc tam obscurè significaret, præsertim cùm in nouo Iure statuendo clarè & disertè loqui oporteat? Respondeo Secundò: Illa verba commodè posse intelligi *Respectiuè*; vt sensus sit; *Nemo censeatur idoneus, nisi approbatus ab Episcopis*, id est, *quisque à suo Episcopo, sub quo existit, dum est approbandus*: alioqui oporteret quemuis approbari à pluribus Episcopis, quod nemo dixerit. Simili modo dicimus, *Peccatorem non posse Eucharistiam percipere, nisi absolutum à Sacerdotibus*. Neque inde perturbatur Hierarchia, cū per hanc approbationem non detur iurisdictio.

Responsio ad Extrauag.

Nec obstat Extrauagans Bonifacij VIII. quæ incipit, *Super cathedram*. tit. de Sepulturis: vbi dicit, *Fratres non debere audire extra ciuitatem, vel diœcesim, ad quam fuerint deputati*: nam expressè ibidem addit, *se velle vt non deputentur, nisi ad vnam ciuitatem*: quod tamen non præcipit Concilium Tridentinum. Omitto quòd Parochus vbique censeatur approbatus, vt ei possit vbique dari iurisdictio, vt plurimi Doctores fatentur: cur non etiam Religiosus, cui fauet priuilegium Clementis VII. & Pauli III. & Oraculum viuæ vocis Pij V.? Hæc efficiunt hanc sententiam probabilem. Vbi tamen est alia consuetudo legitimè præscripta, debet seruari.

18 An approbatio possit per Episcopos reuocari?

Aduertendum autem, hanc approbationem in ijs, qui pleno Iure Episcopo sunt subiecti, pro arbitrio Episcopi posse reuocari. Ratio est, Quia non solùm approbatio, sed etiam tota iurisdictio illorum pendet à nutu & commissione Episcopi.

In ijs verò, qui sunt exempti, non potest reuocari sine graui causâ. Ratio est, Quia hi immediatè sunt subiecti Pontifici, & solùm approbantur ab Episcopo, vt satisfiat decreto Superioris, scilicet Concilij Tridentini.

In Parochis etiam reuocari non potest, quia non habent eam propriè ab Episcopo, sed à Iure; nisi ob iustā causam suspendantur, vel priuentur.

DVBIVM VI.

Vtrùm quiuis Sacerdos habeat plenam potestatem in Venialia? & vnde?

19 Quilibet sacerdos potest absoluere cuiusuis venialia.

Respondeo & Dico Primò: Quemuis Sacerdotem habere plenam potestatem in venialia, idque respectu cuiusuis. Est communis DD. Sed difficultas est, Vnde habeant. Dominicus Soto dist. 18. quæst. 4. artic. 2. dicit hoc inde esse, quia ad venialia non requiritur iurisdictio. Sed hoc indubiè falsum est, nisi benignè accipiatur. Nam vbi est vera absolutio, ibi est verus actus Iudicialis, ac proinde vera Iurisdictio. Quod etiam inde patet, quia potest illi imponere præceptum explendę pœnitentiæ. Alij dicunt, omnes Sacerdotes habere hanc iurisdictionem concessu Ecclesiæ. Ita Ioannes Medina, Nauarrus, & quidam alij.

20 Idque Iure diuino.

Dico Secundò: Verius est hanc plenam potestatem haberi Iure diuino. Ita Melchior Canus par. 5. Relection. de Pœnitentiâ. Ruardus art. 3. pag. 146. Paludanus dist. 19. quæst. 2. Caietanus Tom. 1. Opusc. 7. quæst. vnicâ. Idem sequitur ex sententiâ Soti, etsi non rectè loquatur; qui pro hac sententiâ citat D. Thomam dicentem, *Quòd remissio venialium sequatur potestatem Ordinis*. Probatur Primò: Confessio venialium Iure diuino est libera: ergo credibile est, cuilibet eodem iure relictam libertatem confitendi cuilibet. Probatur Secundò: Quia venialia non possunt reseruari à Superiore. Vnde non videmus hæc vnquam esse reseruata. Ergo non potest inferioribus Sacerdotibus tolli potestas ab his absoluendi.

Dices: Si omnes Iure diuino haberent hanc potestatem, data illis esset Ioan. 20. Atqui si hîc data esset potestas in venialia, etiam esset data in mortifera, de quibus est potissimùm sermo.

Respondeo, Negando Subsumptum: locus enim iste intelligendus est pro ratione materiæ, cui applicatur. Ibidem enim datur etiam Apostolis plenissima potestas in peccata omnium fidelium, absque aliâ humanâ concessione. Non tamen voluit Dominus idem intelligi de omnibus sacerdotibus. Idcircò enim dedit Ecclesiæ Spiritum sanctum, qui eam docuit quemadmodum Christi verba essent intelligenda.

DVBIVM VII.

Vtrùm omnes Sacerdotes habeant plenam potestatem in peccata mortifera, aliàs ritè confessa?

21 Affirmatur contra Sotum.

SOtus suprà negat: eò quod hæc peccata per se sunt materia necessaria.

Dico Primò: Longè probabilius est, omnes habere plenam potestatem in peccata mortifera, aliàs ritè confessa. Tenet Nauar. cap. 4. nu. 5. Caietanus in Summa, Verbo *Absolutio*; & alij passim.

Dico Secundò: Probabilius etiam est, hanc potestatem esse ex Iure Diuino, ita vt non requiratur concessio Ecclesiæ. Tenet Ruardus, Canus, & alij iam citati. Ratio eadem est, quæ de venialibus. Nec refert, quòd per se sint materia necessaria: quia postquam semel sunt ritè confessa, desinunt esse necessaria, & transeunt in materiam liberam.

DVBIVM VIII.

Vtrùm quiuis Sacerdos possit absoluere quemuis fidelem in articulo mortis?

22 Affirmatur

REspondeo & Dico Primò; Potest quiuis sacerdos quemuis fidelem absoluere in articulo mortis. Est communis Doctorum, habeturque ex Capitulo, *Pastoralis officij*; Titul. de Officio Iudicis ordinarij: Et ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 7. *In Ecclesia Dei*, inquit, *custoditum semper fuit, vt nulla in articulo mortis sit casuum reseruatio; atque ideò omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuslibet peccatis & censuris absoluere possunt.* Vnde sequitur, etiam *præcisis* non toleratis, id est, qui per sententiam sunt damnati, excommunicati, suspensi, aut interdicti, vel qui sunt notorij percussores Clerici, competere tunc istam potestatem, quamuis id quidam negent. Nam de omnibus omnino Sacerdotibus loquitur Concilium, nemine excepto. Tenet hoc D. Thomas hac qu. art. 6. (quamuis in 3. p. q. 82. art. 7. ad 2. excipiat hæreticos & schismaticos, dicens, Non posse hæreticos & schismaticos in articulo necessitatis alia Sacramenta, quàm Baptismum, ministrare.) Sed etiam his conceditur Sacramentum Pœnitentiæ. Idem docet Canus Relect. 8. Caietanus Verbo *Absolutio* §. *necessitas*. Ruardus art. 3. vbi pro hac sententia citat Siluestrum, Paludanum, & Capreolum. Denique Nauarrus c. 27. num. 272. cap. 27.

23 Hæc potestas est iuris diuini.

Dico Secundò: Etsi probabile sit, Iure Diuino in hoc articulo omnes habere hanc potestatem: tamen probabilius est non haberi nisi tacitâ concessione Ecclesiæ. Prior pars probatur, Quia id absolutè tenet Ruardus suprà, Durandus, Capreolus, Paludanus & Melchior Canus. Nec quidquam videtur obstare, quod eam faciat improbabilem.

Altera tamen pars videtur verior, quam tenent cæteri ferè omnes Doctores, Sotus, Ioan. Medina, Nauarrus, & alij. Probatur: Quia Confessio peccatorum mortalium est necessaria: ergo sicut iure Diuino non est relicta libertas ea cuilibet confitendi, dum sani sumus; ita neque dum sumus in articulo mortis. Neque verendum est, ne Ecclesia tunc malignè nolit concedere, quia regitur à Spiritu sancto: sicut nec verendum est, ne deneget absolutionem ab excommunicatione infirmo ritè disposito, sine quâ absolutione non potest absolui à peccato. Verosimilius est iuris Ecclesiastici.

DVBIVM IX.

An eandem potestatem habeant omnes Sacerdotes in periculo mortis: vt, dum instat prælium, periculosa tempestas, partus periculosus?

REspondeo: Omnes habere. Vt rectè Siluester Verbo *Confessor*, 1. qu. 6. puncto, 7. & Nauarrus suprà cap. 26. nu. 26. 24 Affirmatur

Probatur Primo: Quia Canones non distinguunt inter *Articulum mortis*, & *periculum*, vt patet in Capitulo, *Eos qui*, de Senten. excommunicat. in 6. vbi *Articulus mortis* dicitur, quod paulò pòst vocatur *periculum*. *Articulus & periculum mortis* videntur pro iisdem sumi.

Secundò: Priuilegia in materia fauorabili sunt amplianda, quamuis in odiosa sint restringenda: ergo hæc nomina in sua generali significatione accipienda sunt. Tertiò: Quia si esset expectandus ipse articulus mortis, v.g. quando iam anima est exitura, vel quando nauis iam submergitur, plerique huiusmodi sine absolutione morerentur.

Notandum tamen est, eum qui in articulo vel periculo mortis fuit absolutus à censuris Superiori reseruatis, si euaserit, teneri primâ commoditate sistere se Superiori; non quidem vt rursus absoluatur, sed vt mandatis eius pareat. Ita præcipitur Capit. *Eos qui*, suprà citato. Alioqui nisi id fecerit, reincidit in eandem excommunicationem, vt ibidem habetur. Absolutus tunc à censuris.

Qui autem absolutus fuit tantummodo à casibus reseruatis, non habentibus annexam censuram, non tenetur se sistere, nec ampliùs confiteri: nullum enim Ius id statuit. Vide Nauarrum cap. 26. num. 26. Absolutus à reseruatis.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm necesse sit confiteri Proprio Sacerdoti?

ARTICVLVS V.

Vtrùm quis ex priuilegio Superioris possit alteri confiteri?

NOtandum est, In decreto Concilij Lateranensis, *Omnis vtriusque sexus*, vocari *Proprium Sacerdotem*, Vel eum cui ex officio incumbit cura animarum, habetque Iurisdictionem ordinariam; qualis est Papa ad totam Ecclesiam, Episcopus ad suam Diœcesim, & Parochus ad suam Parochiam, Prælati Ordinum ad Religiosos sibi subditos, Decani ad suos Canonicos. Ita Sotus 25 Quis dicatur *Proprius Sacerdos*, cui fit confitendum.

Sotus d. 18. q. 4. art. 2. & Ioan. Medina cod. de Confessione, qu. 29. multiq́ue alij. Vel certè directè & propriè eum vocari proprium Sacerdotem, qui est Parochus. Sed à maiori idem censendum relinqui de superiore Parochi, Episcopo scilicet & Pontifice, à quibus Parochus habet suam Iurisdictionem. Hoc posito,

26 Respondeo: Certum esse, omnes teneri confiteri proprio Sacerdoti, vel alteri cum eius licentiâ, saltem tacitâ. Patet: Quia omnes tenentur confiteri, vel suo Parocho, & immediato superiori: vel superiori mediato, vt Episcopo, vel Pontifici: vel certè ei, qui ab aliquo horum potestatem habuerit. Et hoc est, quod expresè præcipitur in Capit. *Omnis vtriusque sexus*: & colligitur ex Conc. Florent. vbi dicitur, *Ministrum huius Sacramenti esse Sacerdotem habentem Iurisdictionem ordinariam vel delegatam*: & ex Tridentino sess. 14. cap. 7. vbi dicitur, *Absolutionem esse nullius momenti, quam Sacerdos in eum profert, in quem non habet Iurisdictionem ordinariam vel delegatam.*

DVBIVM I.

Vtrùm ratihabitio proprij Sacerdotis sufficiat, vt subditus possit alteri confiteri?

27 Nõ sufficit ratihabitio futura.

Respondeo & Dico Primò: Non sufficere ratihabitionem futuram, seu spem ratihabitionis futuræ: contra Capreolum & Paludanum. Est sententia communis. Ratio est, Quia requiritur præsens Iurisdictio completa, cùm sit actus iudicialis, significans effectum suum cõferri in præsenti, & absolutè. Neque hîc locum habet illa regula Iuris; *Ratihabitio retrotrahitur & mandato æquiparatur*: quia hoc tantùm verum est in ijs, quæ possunt pendere à consensu futuro, vt contractus & similia; non autem in Sacramentis, præsertim ijs, quæ absolutè & in præsenti operantur, & omnia necessaria requirunt in præsenti.

28 Sufficit præsens aliquo signo expressa.

Dico Secundò: sufficit tamen ratihabitio præsens aliquo signo exteriori ostensa: v. g. si aliquando indicauerit sibi gratum fore, vt audiam confessiones. Ratio est, Quia tali modo potest conferri præsens Iurisdictio. Dixi, *Aliquo signo exteriori*; quia humano more non potest conferri Iurisdictio per actum internum; sicut nec donatio, & alia huiusmodi: quia ab altero non possunt percipi.

DVBIVM II.

An Parochus, seu Proprius Sacerdos *teneatur semper audire suum subditum, quando ille vult confiteri?*

29 Respondeo: Certum est; illum teneri toties audire, quoties alter tenetur confiteri. Potest tamen alium idoneum suo loco constituere.

Tenetur semper, quando Subditus rationabiliter vult confiteri.

Alijs verò temporibus quidam putant non teneri sub mortali eum audire. Ita Siluester Verbo *Confessor.* 1. q. 18. Richardus d. 18. art. 2. qu. 3 & Ioan. Medina. qu. 37. Sed omnino tenendum est Parochum teneri, quotiescunque subditus ob rationabilem aliquam causam vult confiteri. Ita Nauarrus in Canon. *Placuit*, de Pœnit. d. 6. nu. 152. Dominicus Soto, Adrianus, & alij. Probatur Primò: Quia Parochus ex officio tenetur non impedire profectum spiritualem suorum subditorum; atqui impediret, si nollet illos audire. Secundò: Quia fideles habent à Christo ius petendi ab Ecclesia salutis remedia, non solùm præcisè ad salutem necessaria, sed etiam vtilia ad profectum: ergo Ecclesia tenetur eis illa administrare, & consequenter Parochus, qui in hoc est immediatus Ecclesiæ minister. Tertiò: Quia fideles persoluunt decimas & stipendia Ecclesiæ, nõ solùm vt præcisè necessaria ab ea accipiant, sed etiam vt conducibilia ad salutem: ergo ex iustitia tenentur Parochi.

30 Petenti subdito confiteri alteri, proprius Sacerdos an negabit?

Quæritur, Vtrùm *Proprius Sacerdos*, vel Parochus teneatur subdito facere potestatem confitendi alteri non habenti in illum Iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, si id subditus petat?

Respondet D. Thomas hîc art. 4. ad 6. peccare Sacerdotem, qui non se præbet facilem ad licentiam subdito concedendam, vt alteri confiteatur, & eos qui sunt nimis solliciti vt conscientias per subditorum confessiones sciant, multis damnationis laqueum injcere, & etiam sibi ipsis. Idem dicit Opusculo contra impugnantes religionem cap. 4.

Fieri tamen potest, vt hoc non sit concedendum, quamuis id rarò contingat: & idcirco iudicio prudentis relinquitur.

DVBIVM III.

Vtrùm ob ignorantiam, malitiam, reuelationem confessionis proprij Sacerdotis, liceat subditis confiteri alteri sine eius facultate?

31 Licet aliũ adire, ob certam *proprij Sacerdotis* ignorantiam.

Respondeo & Dico Primò: Quando prius Sacerdos est ita ignorans, vt nesciat communes peccati venialis & mortiferi distinctiones, licet subdito ipso Iure confiteri alteri. Habetur apertè in Canone *Placuit.* de Pœnitent. dist. 6. *Nulli Sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri Sacerdoti, suscapere ad Confessionem sine eius consensu, cui se commisit prius, nisi pro ignorantia illius, cui prius confessus est.* Tenent hanc sententiam Siluester Verbo *Confessor.* 1. q. 6. citans Ostiensem, Paludanum & Archidiaconũ. Idem tenet Adrianus de Confessione, dub. 3. pag. 268. Ioan. Medina cod. de Confessione. q. 33.

Adhibe cautelam.

Aduerte tamen in hoc casu, si pœnitens potest facilè adire eum, qui habet iurisdictionem ex cõmissione, vt sunt Religiosi priuilegio instructi, non posse confiteri ei, qui nullam habet Iurisdictionem. Ratio est: Quia hoc priuilegium confitendi alieno, non habenti vllam iurisdictionem in pœnitentem, solùm conceditur in defectum alterius, qui aliquam iurisdictionem habeat: Nam Canones semper intendunt, vt seruentur, quantum commodè fieri potest. Idem quoque censendum in articulo mortis, quamuis aliqui contrarium putent.

Dices; Concilium Lateranense in Capit. *Omnis vtriusque sexus*, vetat cõfiteri alieno, nisi priùs à proprio sacerdote veniam impetraueris: ergo derogat Canoni *Placuit*; ac proinde ob ignorantiã proprij non licebit confiteri alieno.

Respondeo; Concilium Lateranense in illo Capit. solùm intendit determinare Ius Diuinum, assignando tempus, quo deberet impleri, vt apertè insinuat Concilium Trident. sess. 14. cap. 5. sub finem; non autem intendit Canonibus prioribus

derogare : alioquin id debuisset explicare, sicuti alibi facere consueuit. Adde, eum qui ex decreto Canonis potest confiteri alteri, verè habere licentiam à proprio Sacerdote, scilicet à Papa : vnde nullo modo facit contra statutum Concilij Lateranensis.

32 Non licet ob alios defectus nisi cum venia Proprij.

Dico Secundò: Probabilius est, ob cæteros defectus proprij sacerdotis, v. g. quia est reuelator confessionis, sollicitator pudicitiæ, excommunicatus, suspensus, non licere confiteri alieno non habenti iurisdictionem, nisi veniâ priùs à proprio impetratâ. Colligitur ex Canone, *Placuit*, qui generatim prohibet confiteri alieno; solumque casum ignorantiæ excipit. Vnde tota ratio, cur non liceat, est; quia ius id non concedit, nisi ob ignorantiam, ne fortassis subditis detur occasio caussas confingendi cur Proprio nolint confiteri.

Dices: Quid ergo tunc faciet pœnitens, si Proprius ei neget hanc veniam; neque adsint priuilegiati; tempusque Communionis vrgeat?

Respondeo: In hoc casu poterit sine confessione communicare contritus; quia censetur deesse copia Confessoris: vt docent Doctores citati, & colligitur ex suprà dictis de Communione.

33 Probabile tamen est, in his etiã casibus licere, si veniam negauerit.

Aduerte tamen Primò: Non esse improbabile, in his casibus pœnitentem posse alieno confiteri, petitâ tamen priùs à Proprio veniâ, etsi non impetratâ. Docet expressè Medina suprà quæst. 33. Siluester citans Hostiensem, Paludanũ & Archidiaconum. Adrianus item Gabriel & Richardus dist. 17. Probant hi Auctores; Tum quia in his casibus non est minor causa, quàm quando Proprius est ignorans: ergo sicuti Canon concedit ob ignorantiam, ita implicitè censetur concedere in omni casu, vbi est par, vel maior ratio. Tum quia, vbi quis tenetur consentire, sufficit petita licentia, etsi non impetrata; argumento Capitis, *Licet*, de Regularibus & transeuntibus ad Religionem.

34 Si confessor est cõplex peccati carnalis.

Aduerte Secundò: Secundùm Statuta Diœcesis Leodiensis Cap. *De Pœnitentiâ & Confessione*, si filia confessionis cum suo Confessario peccauit, non posse eam sub pœna excommunicationis illi confiteri, nec illum eam audire; sed teneri petere licentiam adeundi alium: quam si ille nolit dare, potest alteri confiteri; vt docet Adrianus loco citato. Nam Synodus in hoc casu dat tacitam licentiam, hoc ipso, quo vetat confessionem fieri illi Sacerdoti. Eademque est ratio de socijs, fautoribus, & mediatoribus illius peccati.

DVBIVM. IV.

Quinam possint dare potestatem alteri confitendi?

35 Proprij.

Respondeo: Omnes *Proprij*, siue omnes habentes Iurisdictionem ordinariam in pœnitentem, quamuis nondũ habeant Ordinem Sacerdotalem. Item omnes horum Vicarij, etiamsi tẽporales sint: quidquid dicat Siluester Verbo *Excommunicatio* 7. casu 14. dub. 11. Hoc tamen intelligo, modò *Proprij* commiserint illis absolutã potestatem in Sacramentis administrandis, id est, modò sint Vicarij absolutè. Merè autem delegatus non potest committere hanc facultatem, seu subdelegare, nisi cum expressa licentia eius à quo est delegatus. Vide plura apud Nauarrum in Can. *Placuit*. num. 69.

Vicarij absolutè.

Merè delegati.

DVBIVM V.

Vtrùm Summus Pontifex possit Religiosis dare potestatem & iurisdictionem audiendi confessiones quorumuis secularium sine licentia Ordinariorum vel Parochorum, sic vt pœnitentes non teneantur eadem peccata Parocho confiteri?

Respondeo: Erroneum est dicere Pontificem Summum nõ posse Religiosis dare potestatem & iurisdictionem audiendi confessiones quorumuis secularium sine licentia Ordinariorum vel Parochorum: aut eos, qui confessi sunt eiusmodi Religiosis, teneri rursus eadem confiteri suis Parochis. 36 Id negare, est erroneum.

Probatur Primò: Ex Concilio Oecumenico Florentino, vbi sic dicitur: *Definimus Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere primatum, & esse verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, Doctorem; & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam, à Domino nostro* IESV *Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.* Vnde sic argumentor: Romanus Pontifex est caput totius Ecclesiæ, & omnium Christianorum pater & doctor, & habet plenam potestatem regendi vniuersalem Ecclesiam: ergo potest vbique locorum confessiones audire, ac proinde alijs, quos idoneos iudicauerit, eandẽ potestatẽ cõmittere; cùm enim non possit omnes per se immediatè pascere, necesse est vt possit alijs suas vices committere. Confirmatur, quia Episcopus absque licentia sui Parochi potest dare potestatem audiendi confessiones in parœcia: ergo multò magis Pontifex absq; consensu Episcopi: quia Pontifex plenam habet potestatẽ regendi Ecclesiam, idque à Christo immediatè; Episcopi autem habent limitatam, & quidem dependenter à Pontifice; vt docet Dominicus Soto in 4. dist. 20. q. 1. a. 2. Caietanus de Auctoritate Pontificia & Concilij cap. 3. Gabriel in Canonem lect. 3. & alij plerique. Et quamuis haberent independenter à Papa, tamen fide tenendum est Papam habere tantam vel maiorem in subditos Episcopi, quàm ipse Episcopus: ergo sicut Episcopus potest dare potestatẽ audiendi confessiones sine licentia Parochi, ita Papa sine licentia Episcopi. Quod etiam verum esset, quamuis solùm parem haberet potestatem: nam si essent duo qui parem haberent potestatem in subditum, posset vterq; absque licentia alterius audire ipsius confessionem, ac proinde id committere alicui tertio.

Papa est Proprius Pastor vniuersalis Ecclesiæ.

Potest vbique omnis audire confessiones per se, vel per statutos, à se.

Probatur Secundò: Ex decretis Pontificum. Pontifices enim qui hæc priuilegia Religiosis cõcesserunt, sunt plurimi & doctissimi; vt ostendit Dominicus Soto in 4. dist. 18. q. 4. art. 3. idque à tempore Alexandri IV. circa annum Domini 1218. Solùm adferam verba duorum vel trium qui hanc veritatem expressè definierunt. Ioannes XXII. circa annum 1316. in Extraueg. quæ incipit, *Vas electionis*, re diligenter excussa à viris doctis, & adhibito Cardinalium concilio, condemnat hunc articulum Ioannis à Poliaco Doctoris Parisiensis, tanquam falsum & erroneum: *Stante edicto Concilij Generalis Lateranensis, Omnis vtriusque sexus,* 37 Decreta variorum Pontificũ.

Alexander 4.

Ioannes 22 damnat errores Ioannis à Poliaco.

sexus, nec Romanus Pontifex, imò nec ipse Deus potest facere, quod Parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio sacerdoti confiteri. Similiter & iste: *Confessi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, tenentur eadem peccata quæ confessi fuerunt, iterum confiteri proprio Sacerdoti.* Item definitur esse Doctrina vera & Catholica: *Quòd illi, qui prædictis Fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata confiteri iterum, quàm si ea alias confessi fuissent eorum proprio Sacerdoti, iuxta Concilium Generale.* Idem definitum erat aliquot annis antè à Benedicto XI. anno 1304. in Extrauag. quæ incipit, *Inter cunctas:* vbi inquit, *Electi ab ijsdem Fratribus* (id est, expositi à Superioribus) *ad audiendas confessiones & pœnitentias iniungendas, liberè, auctoritate Apostolicâ, absque licentia diœcesanorum, & aliorum Prælatorum inferiorum, exemptorũ & non exemptorum, quibus subsunt qui ad confitendum accedunt, audiant eos peccata sua confiteri volentes, absoluant, ijsque pœnitentias salutares iniungant,* &c. Idē statuitur à Clemente V. in Concilio Viennensi, Clementina *Dudum*, de Sepulturis. Omitto Bonifacium VIII. Vrbanum IV. Clementem IV. & alios plurimos, qui idem statuerunt. Omitto denique Paulum III. Gregorium XIII. & Gregorium XIV. qui Societati nostræ idem priuilegiũ concesserunt.

Benedictus 11.

Clemens 5.

Vrbanus 4. Clemens 4. Paulus 3. Gregor. 13. Gregor. 14.

38 Probatur Tertiò: Quia eadem est sententia cõmunis DD. & Canonistarum, exceptis paucissimis, qui ab omnibus iam pridem sunt explosi; vt ostendit Dominicus Soto lib. 4. dist. 18. q. 4. a. 3. Eaudem egregiè tuetur D. Thomas in Opusculo contra impugnantes Religionem cap. 4.

39 Sed Objciunt Capitulum; *Omnis vtriusq; sexus*, vbi Concilium magnum Lateranense statuit, vt omnis vtriusque sexus omnia sua peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno proprio Sacerdoti, vel alieno, prius tamen à proprio Sacerdote impetratâ veniâ.

Responsio ad Capitul. *Omnis vtriusque sexus.*

Ad hoc multis modis respondeti potest. Primò, Pastores & Ordinarios nõ murmurare, quòd subditi ad eos non veniant in Paschate: sed quòd singulis hebdomadis, vel mensibus non veniunt; quod tamen Concilium non iubet, sed tantùm iubet vt semel in anno suo Proprio confiteantur.

Respondeo Secundò: Eos qui confitentur Religiosis etiam in Paschate, nec adeunt suos Parochos, non facere contra hoc decretum: quia ex facultate concessa à Proprio, confitentur illis. Proprius enim Sacerdos in hoc decreto non tantùm est Parochus, sed etiã Episcopus, & maximè Papa: nempe omnis is, qui ordinariam in subditos potestatem habet, vt exponit D. Thomas capite illo 4. Domin. Soto suprà, & ceteri omnes DD. Non enim intendebat Concilium Episcopis & Pontifici adimere potestatem audiendi confessiones, aut concedendi veniam subditis Parochorum confitendi alteri: hoc enim est absurdissimum, cùm Episcopi & Pontifex maiorem iurisdictionẽ habeant in subditos Parochorum, quàm ipsi Parochi: præsertim cũ Episcopi vnà cũ Pontifice hoc decretum fecerint. Vnde per illud *Proprium*, non intendit Concilium excludere Episcopũ vel Pontificem, sed solùm *alienum*, id est, non habentem ordinariam potestatem. Itaque cùm Papa, qui est Ordinarius omnium pastor tribuat Religiosis potestatem, qui eis confitentur, confitentur ex licentia Proprij.

Respondeo Tertiò: Etiamsi per proprium Sacerdotem intelligeretur Parochus, tamen is qui confiteretur Religioso, non faceret contra decretum: quia tunc intelligendum esset decretum, hoc modo, Vt non confiteatur quis alteri sine licentia Proprij, vel habentis omnem auctoritatem, quã habet Proprius; vt rectè declarat S. Antoninus 3. part. tit. 17. c. 9. Atqui Episcopus & Papa habent omnem auctoritatem, quam Proprius: ergo. Et Confirmatur: quia tunc posset subditus confiteri Episcopo vel Papæ, nec faceret contra intentionem Concilij: ergo etiam ei, cui Episcopus vel Papa suas committeret vices. Quando igitur seculares confitentur in Paschate Religiosis habẽtibus priuilegium, omnino faciunt iuxta intentionem Concilij. Plura alia argumenta minuta videri possunt apud Diuũ Thomam Opusculo & Cap. citato.

DVBIVM VI.

Vtrum expediat Ecclesiæ & saluti animarum, vt Pontifex concedat Religiosis hanc potestatem & iurisdictionem audiendi confessiones quorumuis secularium, sine licentia Ordinariorum vel Parochorum?

REspondeo: Omnino expedit Ecclesiæ & saluti fidelium, vt Papa hanc potestatem Religiosis concedat: & vt ipsũ Religiosi eâ prudenter vtantur. Et contrarium dicere, est temerarium & periculosum, ne dicam erroneum. 40 Affirmatur.

Probatur Primò: Quia quod tot Pontifices tã docti, adhibito consilio suorum fratrum Cardinalium & Episcoporum, & aliorum virorum doctorũ, iudicarunt esse faciendum ad Ecclesiæ vtilitatem; dicere esse inutile, vel etiam noxium, & maioris boni impeditiuũ, summæ temeritatis est & arrogantiæ; præsertim cùm in ijs quę ad gubernationem Ecclesiæ vniuersalis pertinẽt, Papa habeat singularem Spiritus sancti assistentiam. Item dicere, *Non rectè fieri, quod Ecclesia vniuersalis seruat, insolentissimæ insaniæ est*, inquit D. Augustinus epist. 118. Atqui per vniuersalem Ecclesiam seruatur vt Religiosi audiant confessiones absque licentia Parochorum, idque approbante toto populo Christiano. Ab auctoritate Pontificum.

Probatur Secundò: Quia in Extrauag. *Vas electionis*, dicitur quòd assertio articulorũ Ioannis à Poliaco redundare poterat in perniciem multarũ animarum: quia videlicet per eam fuisset impeditum remediũ, quod toti Ecclesiæ per hanc facultatem Religiosis concessam, præparatum est.

Probatur Tertiò: Si non expedit Ecclesiæ hanc potestatem Religiosis concedi, ergo Papa non potest eam concedere. Nam Papa non habet potestatem concedendi id, quòd nunquam Ecclesiæ potest esse expediens. Ergo si Religiosos habere hanc potestatem nunquam est Ecclesiæ expediens, (semper enim erunt eædem Parochorum querelæ) certè Pontifex non habet potestatem huius facultatis cõcedendæ: quod superiore dubio tanquam error refutatum est.

Probatur Quartò: Quantum Ecclesiæ expedierit hanc facultatem dari Religiosis, patet ex fructu. Ante excitatum Ordinem S. Dominici & S. Francisci, fideles valdè erant languidi in charitate & fide, & moribus valdè erant deprauati: sed illo- 41 Ab vtilitate.

sed illorum industriâ per conciones & confessiones, Deo adiuuante, rursus fuere excitati ad morum emendationem, & ad feruorem ac Sacramentorum vsum. Similiter nostris temporibus quàm rarus fuerit Sacramentorum vsus, multi recordari possunt; & quantum per Societatem nostram vbique locorum fuerit hic vsus saluberrimus reuocatus, videmus. Itaque cùm tam eximios fructus videamus produxisse hanc concessionem, non possumus dubitare quin fuerit Ecclesiæ valdè conducibilis. Itaque non est quòd Parochi querantur. Non enim rariùs modò confitentur illis subditi, quàm anteà, quando solùm singulis annis confiteri assueuerant; & modò subditos habent meliores.

A, necessitate.

Probatur Quintò: Fieri nequit vt Pastores vel quintam partem audiant eorum qui singulis hebdomadis Religiosis confitentur: nam in multis locis occupantur decem vel duodecim, & plures Confessarij, idque toto die, quando Pastores valdè sunt occupati in officijs diuinis & concionibus. Itaque non deberent conqueri, sed gaudere quòd Deus illis tam insigne auxilium miserit, per quod sibi persuadere debent suos subditos meliùs adiutum iri, quàm per ipsos. Sed

43
1. Obiectio, quòd Pastor debeat *cognoscere vultum sui pecoris.*

Objciunt Primò: Prouerb. 27. v. 23. ait Sapiens, *Diligenter agnosce vultum pecoris, tuosque greges considera.* Sed Pastor nō potest vultum pecoris sui cognoscere, nisi per confessionem.

Responsio D. Thomæ.

Respondeo Primò: Illud argumentum etiam ab impugnantibus Religiosos olim tempore D. Thomæ objci solet: ad quod ipse sic respondet. *Dicendum, quòd de bonitate & malitia alicuius constare potest alicui, non solùm per propriam confessionem, sed etiam per sententiam Superioris de eo latam. Vnde si Episcopus subditum Sacerdotis absoluat vel per se, vel per alium cui ipse commisit, Sacerdos Parochialis ita debet se reputare cognoscere eum, ac si sibi confessus esset,* &c.

Responsio Auctoris, de duplici cognitione pecoris.

Respondeo Secundò: Dupliciter potest cognosci vultus pecoris: Primò, Per confessionem ipsius. Secundò, Per diligentem considerationem morum & conuersationis eius. Priore cognitione Sacerdos tantùm debet vti in confessione, iniungendo pœnitentiam, & dando bonum consilium. Postea autem ita se gerere debet, ac si nihil omnino sciret. In quo nō rarò deprehenduntur peccare seculares Sacerdotes, qui postea ratione huius cognitionis sunt liberiores tum in reprehēdendo, tum in imperando suis subditis, tum in colloquendo & cōuersando; quod sanè vix fieri potest sine implicita sacratissimi sigilli violatione. Vnde fit vt seculares reformident illis confiteri. Debent autem sibi persuadere Religiosos benè fungi suo officio, & præstare totum quod ex hac scientia præstari debet: non enim oportet ea vti extra cōfessionem. Posteriore autem cognitione vultus sui pecoris (de qua Scriptura potissimùm loquitur) debet vti extra confessionem. Sed ne eam ipse habeat, Religiosi non impediunt. Hęc enim non ex confessionibus, sed ex morum consideratione capienda est. Itaque Religiosi nullo modo impediunt cognitionem qua Pastores suas oues dirigunt; sed illos magna parte oneris sui leuant.

Frequenter confitentes facilè ex moribus cognoscuntur.

Respondeo Tertiò: Eos qui crebrò confitentur esse tales vitâ & moribus, vt facilè vultus eorum cognosci possint: nam eorum probitas & bona vita statim sit omnibus conspicua. Vnde etiam Parochi non debent multum de illis esse solliciti; sed de ijs potiùs qui Religiosis non confitentur; sed suo tantùm Parocho, vel eius Cappellano semel aut bis in anno. Præterea peto, an modò minùs possint cognoscere vultum pecoris sui, quando subditi sæpè confitentur Religiosis, quàm anteà, quando vel ipsis confitebantur vel Cappellano, idque semel vel bis in anno, sicuti olim facere solebant? sanè, non possunt id dicere. Nam Religiosi non abduxerunt oues à Parochis; sed cùm anteà nec ad Parochum, nec ad alium quemquam accederent, ceperunt accedere Religiosos, eorum sanctitate & eruditione allecti. Itaque nihil Parochis est detractum: sed sine illorum labore ouibus eorum est consultum.

Religiosi valdè idonei sunt subsidiarij.

Respondeo Quartò: Sæpè Parochus vnus habet duo, tria, quatuor, quinque, octo, decem milia ouium. Quomodo tunc potest cognoscere vultus omnium per confessionem, cùm vix quinquagesimam vel centesimam partem audire possit, & illis temporibus, quibus deberent audiri, ipse sit maximè occupatus circa diuinum Officium & conciones? Vnde nunc quosuis Cappellanos exponere solent, per quos sanè non magis suas oues cognoscūt, quàm per Religiosos. An fortè Sacellanis suis, eorumq; eruditioni, & probitati, & diligentiæ magis fidunt, quā Religiosorū? Sed passim constat quàm nō rarò in ijs aliquid ad hoc munus comprimis necessarium desideretur, qui ab illis exponuntur. Religiosi autem, præsertim Societatis nostrę nunquā confessionibus audiendis adhibentur, nisi diu anteà casibus conscientiæ operam dederint: de quibus etiam crebrò fiunt collationes in singulis Collegijs; & posteà per totam vitam in hoc genere studij se exercent, vt valdè insignes euadant. Sanè par non est vt Parochi suis illis Sacellanis magis confidant, quàm Religiosis, quibus illi scientiâ, virtute, & moribus multò inferiores sunt.

43
2. Obiectio quòd Parochi ordinariam in suos subditos habeant iurisdictionem.

Objciunt Secundò: Parochi & Episcopi habent potestatē ordinariam in plebem suam: eam enim regunt ex officio tanquam rationem reddituri pro ea: ergo nemo debet habere potestatem delegatam nisi ab ipsis: ac proinde Religiosi sine illorum licentia non debent confessiones audire.

Responsio Auctoris.

Respondeo: Hanc obiectionem multis rationibus confutat D. Thomas, ostendens Episcopū posse delegare quemuis, qui confessiones audiat, sine licentia Parochi, ac proinde multò magis Summum Pontificē. Dico ergo omnem potestatem quæ est in Parochis & Episcopis, eminentiùs & plenius esse in Summo Pōtifice; vt patet ex definitione Concilij Florentini suprà num. 36. citata, vbi dicitur *habere plenitudinem potestatis in vniuersalem Ecclesiam*, id est, in totam Ecclesiam, simul & in singula membra eius. Soli enim Petro, cuius successor est Pontifex, dictum est, *Pasce oues meas*: vbi Dominus ei potestatem omnem tradidit quæ opportuna est ad regendum totum ouile Christi, & quēuis qui est ouis Christi; vt Catholici egregiè probant contra hæreticos. Cùm enim ait, *Pasce*, significat se dare potestam ad omnē actum pastoralem: cùm autem ait, *Oues meas*, subijcit ei omnes fideles & singulos, etiam Episcopos. Et hęc est sententia communis sanctorum Patrum, vt rectè Bellarminus docet lib. 1. de Pontifice cap. 15. & 16. Vnde si Parochi & Episcopi possunt alicui committere suam iurisdictionem, multò magis Papa id potest sine licentia ipsorū, à quibus

nullo

nullo modo dependet, cùm tamen illorum potestas dependeat ab ipso. Neque metuere debent se reddituros rationem, si non omnia per se fecerint: sed potiùs cogitare debent se rationem districtam Deo reddituros, si non omnia præsidia opportuna quæsierint, quibus plebs iuuari possit; & maximè si salutares modos iuuandi à summo Pastore institutos, impedierint.

44 Sed inquiet aliquis, quamuis Pontifex possit, non tamen conuenit vt det illis potestatem sine licentia Parochorum, vel saltem Ordinariorum: quia hi meliùs norunt quid expediat suæ plebi, quàm Pontifex qui longè abest. Deinde, Pastores & Prælati essent in maiori auctoritate apud plebē.

Causæ ob quas independenter à Parochis hęc licentia per Papam concedatur.

Respondeo: Nō est dubitandum quin Pontifices grauissimas rationes habuerint, cur non iudicauerint expediens hanc licentiam omnino ab Episcopis & Parochis pendere. Et quidem quòd ad Parochos attinet, multę possent occurrere causæ & occasiones, ob quas nollent hanc licentiam Religiosis dare. Primò, si Parochus nō sit probus. Secundò, si Religiosis ob aliquam causam infensus, quod non rarò accidit. Tertiò, si cum quibusdam ex suis liberiùs, vel minùs pudicè egerit. Quartò, si curiosus in factis suorum exigendis, præsertim mulierculārū: ob has enim maxima ex parte querelæ talium contra Religiosos oriuntur. Quintò, si putaret suā auctoritatem alterius eruditione & prudentia minuendam apud subditos. Denique experientia docet multas quotidie offensiones incidere, ob quas, si in illorum potestate esset, Religiosis & confessiones & conciones prohiberent; atque ita impediretur fructus animarū, qui in Ecclesia ex Religiosorum industriâ percipitur. Similia multa possunt obuenire Episcopis, vt quotidiana experientia docet, & patet ex Clementina *Dudum*, suprà allata.

45 Hæc & similia sapientissimè perpēdentes Pontifices, noluerunt hanc licentiam ex Prælatorum vel Parochorum voluntate penitus dependere.

Tridentinum implicitè id probat.

Meliùs enim illi sciunt quid Ecclesiæ vniuersali expediat, cùm à Spiritu sancto in ea gubernanda singulariter dirigantur, quàm Episcopi vel Parochi. Idem implicitè probat Concilium Tridentinum sess. 23. c. 15. Vt enim Regulares possint audire confessiones secularium, tantùm requirit vt ab Episcopo approbentur tanquam idonei; non autem vt accipiant ab eis facultatem. Et cùm Martinus V. ob multas Prælatorum querelas statuisset, vt Religiosi etiam ab ipsis licentiam peterent,

Martinus V.

nihilominùs addidit, Si nollent eam dare, nec possent tamen ostendere præsentatum esse insufficientem, se illam ex tunc dare, & præsentatum liberè posse confessiones audire. Itaque hęc licentiæ petitio solùm erat species honoris: nam si ipsi nollent concedere, Papa ipso facto illam concedebat. Sed quia animaduersū est hinc maiores nasci molestias & turbationes, ideò statuerunt cum Concilio Tridentino vt solùm petatur ab illis iudicium de aptitudine: quod etiam alij Pontifices ante Martinum V. statuerant.

Quòd ad auctoritatem Prælatorum & Parochorum attinet, ea multo maior erat apud plebem, si ostenderint, se valdè esse coniunctos cum hominibus Religiosis, eorumque ministeria sibi esse grata, eosque apud plebem commendauerint. Sic enim seculares concipient opinionem probitatis & zeli animarum de suis Superioribus, vti experientiâ in multis vidimus. Omitto alia quæ ad hoc argumentum responderi possent.

46 Obijciunt Tertiò: Ratione istarum confessionum fieri vt Paræciæ diebus Dominicis & festis à multis deserantur, qui adeunt Religiosorum Ecclesias, nec veniunt ad summum Sacrum.

3. Obiectio à neglectu summi Sacri.

Respondeo Primò: Confessiones solùm impediunt eos qui tunc temporis confitentur, qui pauci sunt: reliqui omnes qui pridie, vel eodem die ante illud tempus confessi sunt, non impediuntur. Responsio.

Respondeo Secundò: Si summum Sacrum debita deuotione & modestia peragereturin plerisque locis, sine dubio plures accederēt. Sed sæpè id vidimus & celebrari & cantari sine vlla pœnè reuerentia. Vnde etiam factum, vt qui interessent, fabulas miscerent; & si quis orationi vacare vellet, cum impedirent. Et hæc plerumque causa cur multi suas paræcias minùs frequentent.

Respondeo Tertiò: Subditos non teneri diebus festis & Dominicis in suis paræcijs Sacrum audire: sed satisfacere præcepto Ecclesiæ si apud Religiosos Sacrum audiant, quamuis etiam non confiteantur, modò id non faciant ex contemptu proprij Sacerdotis, vt declarauit Leo X. vt refert Nauarrus cap. 21. Enchiridij num. 5. estque hæc communis sententia Doctorum, vt ex eodem colligitur. Vnde etiam Concilium Tridentinum sess. 22. in decreto de obseruandis & euitandis in celebratione Missæ, non dicit, vt Episcopi iubeant, sed vt moneant populum vt frequenter ad suas parochias, saltem diebus Dominicis & maioribus festis accedant. Nec Prælati possunt illos compellere, vt rectè docet Siluester verbo Missa. q. 5. & nuper respondit Congregatio Cardinalium deputata ad resolutionem dubiorum incidentium circa Concilium Tridentinum; vt patet ex responsis eorum in hoc Caput sessionis 22. Quòd si Concilium non vult cogi eos qui non cōfitentur nec communicant: multò sanè minùs eos vult cōgi, qui apud Religiosos confitentur & communicant, & duas vel tres Missas audiunt: hi enim longè meliùs faciunt, quàm si totum summum Sacrū sine confessione & communione audirent.

Obijciunt Quartò: Dum Religiosis permittitur hæc facultas, multi possunt suos Parochos decipere, & ab illis petere Communionem cum non sint confessi, mentientes se esse confessos Religiosis.

47 4 Obiectio, à quorundam deceptione.

Respondeo Primò: Rarò id posse accidere: nā hîc agimus de confessionibus extra tempus Paschatis. Extra autem hoc tempus tales maligni homines non venient ad Pastores vt petant communionem. Tempore autem Paschatis Parochi nō possunt audire omnes per seipsos; vnde eidem deceptioni sunt obnoxij. Responsio.

Respondeo Secundò: Nisi Parocho constet, vel valdè sit probabile illum mentiri, debet illi credere; vt inquit D. Thomas cap. 4. Opusculi contra impugnantes Religionem. Et Benedictus XI. in Extrauag. *Inter cunctas: Sacerdotes*, inquit, *ipsis taliter confessis & absolutis astricti sunt ministrare Eucharistiæ & extremæ Vnctionis Sacramentum. Super confessione autem facta Fratribus memoratis cùm de confitentis solius præiudicio (si falsum dicat) agatur in iudicio animæ seu Pœnitentiæ foro, stabitur simplici verbo eius, qui Sacramenta prædicta petit, & dicit se Fra-*

se Fratribus confessum. Itaque nihil est cur hîc Parochi sint valdè anxij. Aliæ sunt obiectiones, sed minoris nomenti.

DVBIVM VII.

An is, qui habet potestatem eligendi Confessorem, possit eligere quemuis?

48 Elige approbatum.

REspondeo: Ante Concilium Trid. poterat eligi quiuis idoneus: Quia non erat necessaria approbatio Episcopi. Post Concilium nemo potest eligi, nisi approbatus ab Ordinario; vt patet sess. 23. cap. 15. Excipiuntur tamen Religiosi, qui possunt eligere etiam non approbatum; vt suprà nu. 16. dictum est.

49 Quinam possint eligere sibi Confessorē

Petes: Quinam Iure, vel Consuetudine, vel Priuilegio possint sibi eligere Confessorem?

Respondeo Primò: Episcopi, & Prælati superiores & inferiores Iure possunt sibi Cõfessores deligere: vt patet ex Capitulo *Ne pro dilatione*, de Pœnitentijs & remissionibus. Tales sunt Generales Ordinum, Prouinciales, Guardiani, Priores, Præpositi, qui nomine *Prælatorum* censentur, eò quòd habeant iurisdictionem fori exterioris in suos. Vide Sotum dist. 18. quæst. 4. art. 2. Confessor ab his electus potest eos absoluere à quibusuis casibus & censuris, à quibus ipsi suos subditos, idque etiam extra Prouinciam; vt docet D. Antoninus 3. part. tit. 17. cap. 2. §. 2.

1. Episcopi & Prælati.

Non tamen Abbatissa.

Hoc tamen Priuilegio non gaudet Abbatissa; quia propriè non habet Prælaturam, cùm careat claue Iurisdictionis. Vide Siluestrum *Confessor.* 1. quæst. 8.

2. & 3. Cardinales, eorumq; domestici.

Secundò: Possunt id omnes Cardinales ex cõsuetudine.

Tertiò: Familia Cardinalis potest ipsi confiteri, vel alteri ab ipso constituto.

4. Sacerdotes.

Quartò: Parochi, Canonici, & omnes simplices sacerdotes ex consuetudine possunt eligere Confessorem. Neque hoc fuit reuocatum per Cõcilium Tridentinum, quia Concilium tantùm statuit, vt nemo eligatur, nisi approbatus.

5. Imperator, Rex &c.

Quintò: Imperator, Reges, & Reginæ ferè semper habent Priuilegium. Familiæ ipsorum debent confiteri Parochis, vel habentibus iurisdictionem ex commissione.

6. Vagabundi, Peregrini, Viatores,

Studiosi.

Sextò: Vagabundi (id est, qui nullam certam habent sedem) Peregrini, & Viatores possunt quouis loco confiteri, vbi deprehensi fuerint. De Vagabundis est communis sententia; quia nullum certum habent Parochum. De Peregrinis & Viatoribus docet Caietanus verbo *Absolutio*, & Sotus loco citato. Ratio est; quia Eugenius IV. viuæ vocis Oraculo dicitur declarasse hos censendos esse tanquam incolas loci, vbi deprehensi fuerint, vt refert Caietanus. Vnde sequitur posse eos, perinde atque incolas, absolui etiam à casibus & censuris in suâ diœcesi reseruatis, modò ibi reseruati non sint; quia non est habenda ratio diœcesis vnde veniunt, sed vbi existunt dum volunt confiteri; idque non solùm tempore Paschatis, sed etiam quouis alio tempore; modò nihil fiat in fraudem; vt consuetudo declarat. Sed Studiosi, & alij, qui ad tempus habitant in aliquo loco, subijciuntur Parochis locorum.

DVBIVM VIII.

Quanta requiratur scientia in Confessario?

REspondeo: Vt sit *Perfectus*, debet esse Theologus & Canonista, & nosse decreta Synodalia ad confessionem aliquo modo pertinentia. 50 Vt sit Perfectus:

Vt autem sit *Sufficiens*, debet *Primò*, scire distinguere quæ peccata sint mortifera, quæ venialia, etsi in particulari id nõ semper possit iudicare; v. g. primos motus non esse peccatum mortale, nec etiam omnem negligentiã in illis depellendis. Non solum externum opus esse peccatum, sed etiam internum consensum. Nõ omne furtum esse mortale, nec omnem superbiam &c. *Secundò*, nosse circumstantias peccatorũ mutantes speciem. *Tertiò*, debet aliquid scire de restitutione bonorum & famæ. *Quartò*, excommunicationes visitatiores. *Quintò*, casus reseruatos, & reiterandæ confessionis. *Sextò*, vsitatiores contractus. *Septimò*, debet nosse modum interrogandi pœnitentem. *Octauò*, debet scire quædam particularia pertinentia ad singulos status. Vt sit Sufficiens.

Nota autem Primò, debere hæc scire non perfectè, sed mediocriter, ita vt sciat dubitare. Secundò, excusari ignorantiam Confessarij, quãdo in articulo mortis non est alius. Item in confessione venialium. Denique quando pœnitens est doctus, & bonæ conscientiæ. De quo vide Nauarrum cap. 4. num. 8.

DVBIVM. IX.

Vtrùm Confessarius teneatur monere pœnitentem, quando videt illum versari in ignorantia Iuris *vel* facti? *V. g. Si aduertat & sciat illum contraxisse matrimonium in gradu prohibito, sed bona fide. Item retinere bona fide alienum.*

ADrianus quæst. 5. *De Confessione* dub. 7. existimat, quando ignorantia est *Iuris diuini*, siue sit vincibilis, siue inuincibilis, debere eum moneri: quando autem ignorantia est *Iuris humani*, si quidem sit vincibilis, debere moneri; si autem inuincibilis, non debere. Probat ex cap. 20. Actor. v. 26. *Mundus ego sum*, ait Paulus, *à sanguine omniũ; nõ enim subterfugi, quo minùs annuntiarem vobis omne consilium Dei*: & ex Ambrosio serm. 84. *Malo vos contumaciæ causas reddere, quàm me negligentiæ.* Verùm 51 Opinio Adriani.

Dico Primò cum Dominico Soto dist. 18. q. 2. art. 4. & Ioanne Medina codice *de Confessione* q. 19: Quando ignorantia est crassa, siue contra Ius humanum, siue contra Ius diuinum, Confessarius tenetur pœnitentem monere. Ratio est, quia ille in illâ ignorantiâ constitutus peccat quotiescumque ex illâ operatur: nam ignorantia crassa non excusat. 52 Crassè ignorantem instruat Cõfessor.

Dico Secundò: Si pœnitens ostendit se dubitare, vel habere scrupulum, vel etiam roget Confessarium, tenetur illum Confessarius circa hoc instruere: nam in tali casu *tacere*, est *interpretatiuè consentire*; cùm ex officio teneatur. Similiter dubium vel rogantem.

Dico Tertiò: Quando ignorantia est inuincibilis, id est, inculpata: & Sacerdos sperat se instruendo profuturum, nec est metus notabilis incommodi, tenetur illũ instruere. Probatur: Quia Confessarius ex officio est doctor, consultor, & medicus Item inculpabiliter ignorantē, si spes profectus.

medicus pœnitentis: ergo tenetur illum instruere, optima consulere, & omnino curare.

Nisi profectus sit exiguus.

Aduerte tamen, si commodũ, quod speratur, non est magni momenti, probabile est Confessorem non teneri monere: vt, si aduertat pœnitentẽ post diligens examen oblitũ alicuius peccati, vel ex ignorantiâ inculpata commisisse aliquid cõtra legem diuinam vel humanam, neque est timendum rursus idem commissurum. Ita Medina codice *de Pœnitentia* quæst. 19.

Et pœnitens se rectè excusserit,

Vnde sequitur Confessorem non teneri interrogare pœnitentem quando videt illum satis diligenter se excussisse, quamuis fortè aliqua alia esset eliciturus.

53 Inculpatè ignorantẽ, Confessor ne moneat, si metuat graue incõmodum.

Dico Quartò: Si putat non profuturam suam monitionem, vel secuturum graue incommodũ, & pœnitens laborat ignorantia inculpata, siue ea sit *Iuris* siue *facti*, & siue *Iuris diuini* siue *humani*, nõ debet monere. Ratio est: quia illa monitio esset inutilis, imò pernicioſa, vnde nec in correptione fraterna simili casu est adhibenda.

Respondetur argumentis Adriani.

Ad argumenta Adriani: Respondeo, Illa loca intelligi de Concionatoribus qui non debent celare veritatem propter aliquos, qui offendentur: nam loquuntur communitati, in qua semper sunt aliqui quibus proderunt.

DVBIVM X.

Ad quid tenetur Sacerdos, quando ex ignorantia, vel negligentia commisit aliquem errorem in audienda confessione?

54 Si malè monuit, vel nõ monuit circa restitutionem, quid faciet Confessor.

REspondeo & Dico Primò: Si dixit pœnitẽti, non esse restituendum, cùm tamen esset: vel contrà, esse restituendum, cùm non esset; tenetur posteà monere pœnitentem erroris: vel si non potest, tenetur de damno, si tamen culpa lata interceſſit. Ratio est, quia est causa damni.

Aduerte tamen: Non teneri de damno, si culpa fuit leuis. Ratio est, quia cõfessio & absolutio solùm fiunt in commodum pœnitentis: ergo Sacerdos non tenetur de culpa leui vel leuissima à se commissa circa pœnitentem.

Nec obstat, quòd aliquod stipendium accipiat: quia ratione huius, non tenetur maiorem curam adhibere: nam etiamsi non acciperet, teneretur tamen ex officio seu ex iustitia.

Notandum tamen; Si solùm omisit monere pœnitentem de restitutione, non teneri restituere parti. Ratio est; quia Sacerdos non habet obligationem ex officio vel iustitia, nisi ad ipsum pœnitentem; non autem ad creditorem pœnitentis.

Dico Secundo: Si non absoluit à censuris, vel non validè ab ijsdem absoluit defectu potestatis, potest, & debet eum posteà absoluere, quamuis absentem, impetrata potestate, si eam nõ habebat. Probatur, Posse: quia non requiritur præsentia, aut bona dispositio, aut intentio pœnitentis, vt absoluatur à censuris. Quòd autem debeat, Probatur: tum quia tenetur ex officio illum plenè absoluere; tum quia hæc absolutio est pœnitenti valdè expediens, & multorum iudicio necessaria, vt fiat particeps suffragiorum Ecclesiæ, imò vt sit capax absolutionis à peccatis (quamuis contrarium verius sit:) ergo, cum facere possit, tenetur. Idem dico, si ille pœnitens erat Sacerdos illigatus irregularitate, suspensione, vel interdicto.

55 Quid, si malè absoluit circa censuras,

Dico Tertiò: Si pœnitentem non absoluit à peccatis, vel non validè defectu iurisdictionis, vel, non potuit à casibus reseruatis; si quidẽ præsentem habere, & sine notabili incommodo monere possit, tenetur monere. Ratio est, quia ex quo pœnitens illi est confessus, Sacerdos ex officio tenetur curare, vt legitimè absoluatur. Hîc tamen Aduerte, Sacerdotem non posse agere cum pœnitente de ijs quæ ad præteritam confessionem pertinent, nisi priùs petitâ veniâ pœnitentis.

56 Quid, si nõ absoluit, vel non validè absoluit à peccatis?

DVBIVM XI.

Quid faciet Confessor, quando pœnitens est cõtrariæ opinionis? v.g. *Pœnitens putat contractum aliquem esse licitum, Confessarius verò illicitum?*

57

REspondeo: Si opinio pœnitentis est probabilis, etsi Confessoris sententia sit probabilior, tenetur nihilominùs eum absoluere, si eius confessionem audiuit, nec potest in suam sententiam pertrahere. Ratio est; quia pœnitens non peccat sequendo opinionem probabilem, ac proinde non potest ei negari absolutio. Secùs est, si nullo modo sit probabilis. Vide quæ diximus 1. 2. quæst. 19. art. 6. dub. 7. num. 51. & præcedentibus, vbi agitur, vtrùm in operando possimus sequi opinionem probabilẽ, omissâ eâ, quam iudicamus probabiliorem.

QVÆSTIO IX.

De Qualitate Confessionis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Cõfessio possit esse informis?

1 Quid sit *Confessio informis*,

NOtandum est Primò: *Confessionem informem* hîc vocari verum Sacramentũ Pœnitentiæ, quod tamen non confert gratiam ob aliquod impedimentum: sicut *Baptismus informis* est verum Sacramentum non conferens gratiam ob indispositionem suscipientis: de quo multa diximus suprà quæst. 69. art. 9. & 10.

Notandum Secundò: numquam posse peti, aut dari absolutionem à peccatis, quando constat dispositionem pœnitentis esse insufficientem ad cõsequendam gratiam per Sacramentum: hoc enim esset sacrilegium contra sanctitatem, & expressam significationem Sacramenti. His positis:

Quidam negant eã dari,

Prior sententia est, nullam dari confessionem informem. Ita Ioannes Maior dist. 17. quæst. 3. & 9. Gabriel ibidem quæst. 1. artic. 3. Adrianus quæst. 5. de Confessione dubio 5. Ioannes Medina quæst. 20.

2 Verius affirmatur.

Verùm contraria sententia est communior, scilicet dari confessionem informem. Ita D. Thomas hîc, Durandus, Richardus, Capreolus, Paludanus dist. 17. Caietanus Opusculo *de Confessione* quæst. 5. Sotus dist. 18. qu. 7. art. 2. Melchior Canus Relectione 5. de Pœnitentia p. 129. Nauarrus in Capitulo *Fratres*, de Pœnitentiâ dist. 5. num. 33. & in Enchiridio cap. 9. num. 13. & alij. Probatur: Quia in omnibus alijs Sacramentis hoc vsu venit, vt detur validum Sacramentum sine effectu gratiæ, & substantia Sacramenti separetur à suo effectu: vti suprà dictum est quæst. 69. art. 10. dub. 3. Cur nō etiam in hoc Sacramento? Confirmatur: Nam ratio, cur hoc in illis accidit, etiam in pœnitentia locum habet; nempe quia sunt actiones Sacerdotij Christi, ex ipsius institutione & meritis vim habentes; ac proinde per se sunt actiones viuæ, etsi vitam ob indispositionem subiecti non præstent.

3 Obiectiones.

Dices: Esse disparem rationem. Primò: Quia in hoc Sacramento actus suscipientis sunt materia Sacramenti, inter quos vnus est contritio, vel attritio, quę cum Sacramento sufficit ad gratiam: in alijs autem non reperitur talis materia. Secundò: Quia forma huius Sacramenti significat remissionem peccati: vnde, si non fiat remissio, falsa erit forma; & consequenter irritum Saçramentum.

Solutiones.

Ad Primum Respondeo: Ad substantiā huius Sacramenti non requiri semper contritionem, vel attritionem tam perfectam vt sufficiat ad effectum Sacramenti consequendum: vt ostensum est suprà qu. 1. *Additionum*, dub. 5. & vt docet Nauarrus loco citato. Ad Secundum: Etiam forma Baptismi significat ablutionem animi à peccatis; & tamen potest verus esse Baptismus, etiamsi anima non abluatur propter indispositionem suscipientis. Sic & in proposito. Et quamuis talis homo, quantum in se est, falsam reddat formam, tamen absolutè forma non est falsa. Nam significatio formæ est ex institutione Christi, ex qua non significat hominem sanctificari quomodocumque dispositum, sed solùm legitimè dispositum.

An forma in confessione informi sit falsa.

Instabis: Iste non est absolutus apud Deum: ergo neque in Sacramento. Si enim esset in Sacramento absolutus, etiam apud Deum esset; vt patet ex illo Matth. 18. v. 18. *Quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo*: Ioannis 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: ergo cùm non fuerit data in effectu vera absolutio, non fuit validum Sacramentum.

Respondeo: Ipsum esse verè absolutum in Sacramento, quantum necesse est ex vi Sacramenti, & ex vi auctoritatis Sacerdotalis: pariqúe modo verè absolutus est apud Deum: nam ex parte Dei & Sacramēti absolutio fuit data, sed propter hominis ineptitudinem, non habuit effectum. Simile est in donatione factâ homini inhabili, quæ non habet effectum, donec inhabilitas sit sublata.

DVBIVM I.

Quibus casibus sit Confessio informis?

4 Informitas ex quintuplici capite.

Respondeo: Assignari varios modos à Doctoribus. Præcipui de quibus dubitari potest, sunt quinque. Informitas enim illa prouenire potest, vel ex parte doloris, vel ex parte propositi, vel ex parte examinis, vel ratione ignorantiæ peccati, vel denique ratione excommunicationis.

1. Ex parte doloris.

Primus modus, qui ex parte doloris prouenire potest, est: Si quis doleat de peccato, ratione & spiritu merè humano commotus, non autem ex instinctu Spiritus sancti. Hic modus inter omnes videtur maximè probabilis, vt patet ex suprà dictis quæst. 1. *Additionum*, dub. 5. Credibile autem est hanc confessionem habituram effectum, quando posteà accesserit legitima hominis dispositio, scilicet contritio, vel saltem attritio legitima, sicut dictum est suprà de Baptismo quęst. 69. art. 9. & 10. Idem docet D. Thomas hîc, & Caietanus quæst. 5. de Confessione, Petrus Soto, Canus, Siluester, Paludanus.

2. Ex parte propositi.

Secundus modus est ex parte propositi: Dum quis putat se habere propositum absolutum non peccandi inposterum, quod tamen non habet; sed solùm habet velleitatem & desiderium quoddam imperfectum: vt frequenter accidit in ijs, qui ferè semper reincidunt in eadem peccata mortifera. Hîc tamen requiritur, vt bonâ fide putet se habere legitimum propositum, esseque absolutionis capacem.

Hic modus est probabilis. Sic enim docent multi graues Doctores: Paludanus, & Caietanus suprà. Franciscus Victoria qu. 157. Sotus dist. 18. quæst. 3. art. 3. concl. 5. Canus suprà, & alij.

Propositū emendationis nisi sit absolutum, confessio est irrita.

Sed omnino verius videtur, quando propositū abstinendi nō est absolutum, ita vt homo paratus sit seriò se emendare, Sacramentum esse irritum. Probatur: quia Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. eam contritionem, quam cap. 3. dixerat esse partem pœnitentiæ, explicans, definit esse *Dolorem de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero*: atqui iste, de quo agitur, non habet verum propositum non peccandi, sed solùm habet velleitatem, & simplicem affectum, qui non excludit propositum absolutum peccandi: ergo non habet partem pœnitentiæ essentialem. Confirmatur: Quia, qui dicit *vellem abstinere*, reuerà non vult abstinere: sed potiùs, omnibus consideratis, vult persistere; quamuis optet hac difficultate, seu necessitate expediri.

Non sufficit hic bona fides.

Neque sufficit bona fides, qua putant se rectè dispositum. Quia hæc quidem potest excusare talem pœnitentem à peccato sacrilegij, non tamen potest supplere defectum partis necessariæ Sacramento.

Neque dolor post confessionem.

Pari modo non sufficit, vt legitimus dolor sequatur absolutionem, sicut sequitur satisfactio, quidquid dicat Canus. Quia dolor requiritur nō solùm pro remissione pœnæ, sicut satisfactio, sed ad remissionem culpæ & iustificationem: vnde debet antecedere absolutionem, per quam datur remissio culpæ.

Nec sufficit re conferi tuam indispositionem.

Quòd verò Victoria, & quidam alij addunt, eum qui aduertit suam indispositionē, & cognoscens esse peccatum sic accedere ad hoc Sacramentum, confitetur hoc suum peccatum, validè confiteri, nec teneri reiterare confessionem; non videtur probabile. Ratio est; Quia sponte committit sacrilegium in confessione, dum petit absolutionem aduertens in se defectum legitimi propositi: vnde non solùm non habet attritionē huius peccati, sed etiam habet actuale propositum illius committendi. Nam quicumque sciens & volens committit aliquod peccatum, necessariò habet illius

illius propositum: nec fieri vllo modo potest vt simul de illo doleat.

6 3. Ex parte examinis conscientiæ.

Tertius modus est: Si quis putet se feciſſe debitam diligentiã in examinanda conſcientiã, cùm tamen non fecerit, ſicque bonã fide confiteatur. Ita omnes Auctores ſuprà dicti.

Sed probabilius est, etiam hoc modo non dari confeſſionem informem. Nam vel illa negligentia est talis, vt cum ea confiteri ſit peccatũ mortiferum, vel veniale. Si veniale, nihil obſtat, quo minus conſequatur gratiam; alioqui fatendum eſſet, quotieſcumque aliqua parua negligentia committitur in examine, non conferri gratiam per abſolutionem, quod eſt improbabile. Si verò eſt mortiferum, ergo confeſsio eſt nulla. Tum quia non eſt integra; omittit enim confiteri aliquod peccatum mortiferum ex magnã negligentiã; quando enim aliquid ex mortifera negligentia omittitur, cenſetur voluntariè omitti. Et quamuis formali & expreſſa intentione velit integrè confiteri, tamen interpretatiuè vult contrarium, ob mortiferam & grauem negligentiam ſe ad id parandi. Tum quia deeſt legitima attritio, quæ non poteſt conſiſtere cum peccato mortifero actuali.

Contraria tamẽ ſententia non eſt omnino improbabilis propter Auctores.

7 4. Ex parte ignorantiæ peccati.

Quartus modus eſt ratione ignorantiæ: dum quis omittit confiteri peccatum mortiferum, eò quòd ignorantiã craſsã ignoret eſſe peccatũ mortiferum: quod fæpè accidit adoleſcentibus, qui neſciunt contactus aliquos turpes, vel delectationes moroſas, & huiuſmodi, eſſe peccata mortifera; idque eã ignorantiã quæ nõ excuſet à peccato mortali; & idcircò non confitentur, neque proponunt abſtinere.

Verùm talis confeſsio non ſolùm eſt valida, & conſequenter non neceſſariò repetenda, vbi conſtiterit fuiſſe peccatum; ſed etiam confert gratiam, ſi reliqua adſint, ſicut poſſunt adeſſe. Ratio eſt: Quia talis non peccat, ſaltem mortiferè, omittendo illud peccatum in confeſsione, quod ipſe ignorabat, etſi ignorantia craſſa eſſet peccatum: nam præceptum confeſsionis non obligat, niſi ad confeſsionem eorum, quæ ſcimus eſſe peccata, non autem obligat, vt de ſingulis inquiramus, an ſint peccata, niſi dubitatio de aliquo in particulari occurrat. Vnde, etſi ignorantia illa ſit craſſa reſpectu operis faciendi, (hoc enim opus faciendum poſtulabat inquiſitionem, an eſſet licitum facere:) tamen non eſt craſsã reſpectu confeſsionis.

8 5. Ex parte excommunicationis.

Quintus modus eſt ratione excommunicationis: quando is, qui eſt excommunicatus, cupit abſolui à peccatis, neſciens vel non aduertens ſe eſſe excommunicatum, idque culpabiliter; vel certè, neſciens eſſe ſacrilegium ita petere abſolutionem à peccatis. Ita Nauarrus cap. 4. num. 4. Caietanus Verbo *Abſolutionis impedimenta*, & alij.

Verùm hic modus rarò venit vſu in praxi: nam is qui ſcit ſeſe excommunicatum, poteſt confiteri, & petere abſolutionem. Vtrùm verò priùs debeat abſolui ab excommunicatione, an à peccatis, relinquit iudicio Sacerdotis, qui in formula, qua Eccleſia vbique vtitur, priùs ſolet abſoluere ab excommunicatione, quantum poteſt, quàm abſoluat à peccatis. Tamen ſi ponamus pœnitentem excommunicatum petere abſolutionem à peccatis ante abſolutionem excommunicationis, tunc diſtinguendum eſt: vel enim pœnitens ſcit ſe non poſſe abſolui à peccatis, niſi priùs abſoluatur ab excommunicatione; & tunc peccat mortiferè, & nulla eſt abſolutio; quia non habet attritionem, cùm non habeat propoſitum non peccandi: fieri enim nequit, vt is qui actu peccat, habeat propoſitum non peccandi. Vel neſcit ſe poſſe petere, idque vel ignorantiã craſsã, & ſic rurſum non eſt attritus ob cauſam dictam; vel ignorantiã probabili, putans bona fide ſe poſſe ſic abſolui; & tunc non impeditur effectus Sacramenti, modò Sacerdos habeat in illum iuriſdictionem. Nam caſus reſeruatus, vel cenſura reſeruata, dum pœnitens bona fide, & debita diſpoſitione confitetur, non impedit fructum Sacramenti, iuxta probabiliorem ſententiam; ſicut neque illius caſus, vel cenſuræ obliuio; vt rectè Nauarrus cap. 9. num. 4. & 7. Caiet. quæſt. 5. de Confeſsione. Victoria quæſt. 3. de Excommunicatione, & alij.

Quid ſi excommunicatus priùs petat abſolutionem à peccatis, quàm ab excommunicatione?

DVBIVM II.

Quibus caſibus confeſsio eſt inualida, ita vt ſit repetenda?

REſpondeo: Id prouenire ex aliquo defectu, vel in Confeſſario, vel in Pœnitente.

9 Ex parte Confeſſaris inualida eſt confeſsio:

Ex defectu in Confeſſario. Primò: Si deeſt intentio abſoluendi: quod tamen numquam eſt credendum, niſi ipſe dicat. Vide quæ diximus de neceſſitate intentionis Miniſtri, in Tractatu de Sacramentis in genere, quæſt. 64. art. 8.

1. Si deeſt intentio.

Secundò: Si omnino deſit illi poteſtas iuriſdictionis requiſita ex parte materiæ, ita vt ne coloratum quidem titulum habeat: vt ſi fingat ſe Parochum, cùm non ſit.

2. Si deeſt iuriſdictio.

Dicitur autem *Habere titulum coloratum*, qui etſi non habeat verè iuriſdictionem completam, tamen vulgò putatur habere ratione beneficij ei collati, vel commiſſionis ei factæ, etſi inualidè. Exempli gratia, ſi factus ſit Parochus per ſimoniam occultam, vel ſi erat ei commiſſa iuriſdictio, ſed ea iam expirauit, & ignoratur: vide Nauarrum cap. 9. num. 11. tunc confeſsio ei bona fide facta valet, vnde non eſt neceſſariò repetenda. Ratio eſt; Quia Eccleſia in hoc caſu confert iuriſdictionem, ne tot fideles immeritò decipiantur cum magno animarum damno.

Habens *titulum coloratum*, validè abſoluit.

Tertiò: Si poteſtas iuriſdictionis in eo ſit impedita: vt, ſi ſit denuntiatus de excommunicatione, ſuſpenſione, vel interdicto. Si tamen hic vadat aliò, vbi omnino hæc res ignoratur, validè poterit abſoluere: quia habet titulum coloratum.

3. Si ſuſpẽſa iuriſdictio.

Quartò: Si non adhibuit legitimam formam. Vide ſuprà dicta de Sacramentis in genere quæſt. 60. art. 8. dub. 1. & 2.

4. Si deſit forma.

Quintò: Si deprehendatur poſteà fuiſſe omnino ignorans, aut non intellexiſſe pœnitentem, ſic vt non cognouerit illius ſtatum.

5. Ob eius ignorantiã.

In hoc tamen caſu probabile eſt, ſi confeſsio bona fide facta fuit, abſolutionem non fuiſſe irritam. Ita tenet Antonius Cordubenſis citans Gabrielem & Silueſtrum, & quidam alij recentiores. Ratio eſt, Quia iſte pœnitens ex parte ſua integrè con-

Excipe caſum bonæ fidei.

grè confessus est; & ex parte Sacerdotis scientia generalis, quâ intelligit pœnitentem se accusare de peccatis, videtur sufficere præcisè ad absolutionem. Cognitio enim distincta peccatorum non tam ad absolutionem, quàm ad satisfactionem, & remedia præscribenda videtur necessaria. Quod confirmatur: quia, qui sic absoluitur in articulo mortis, validè absoluitur; vt infrà art. 2. dub. 2. dicemus: atqui articulus mortis non dat illi hanc potestatem absoluendi cum generali cognitione: ergo ex ipsa natura rei sufficit.

An tunc partialiter iteranda confessio,

Aduerte tamen, talem confessionem posteà videri iterandam, quâ parte intellecta non fuit; vt communiter Doctores docent. Etsi contrarium non sit improbabile, vt docet Henriques lib. 2. de Pœnitentia cap. 14. citans pro se Cordubam, Gabrielem, & Siluestrum.

10 Ex parte pœnitentis fit irrita confessio:

Ex parte pœnitentis est inualida & repetenda. Primò: Quando non est integra de industria, ob verecundiam, vel aliam causam non legitimam. Ob causam tamen legitimam potest interdum de industriâ fieri non integra. Pari modo, si

1. Si sponte non est integra,

ex crassa negligentia non fuerit integra, iuxta ea, quæ suprà num. 6. diximus: quamuis Confessor hoc non facilè debeat iudicare, quando pœnitens pro suo modulo aliquam operam dedit.

2. Si defit dolor &c.

Secundò: Quando non habet vllum dolorem, aut non habet absolutum propositum abstinendi imposterum, vt suprà num. 4. & 5. dictum est.

3. Si nolit acceptare pœnitentiam.

Tertiò: Quando non est paratus acceptare aliquam rationabilem pœnitentiam, aut certè non habet animum illius implendæ, idque ante absolutionem. Tenetur enim acceptare aliquam pœnitentiam rationabilem, si Sacerdos velit. Neque contrarium est probabile, quidquid aliqui dixerint. Hoc enim apertè docet Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 8. *Habeant Sacerdotes præ oculis, vt satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorũ peccatorum vindictam & castigationem. Nam Claues Sacerdotum non ad soluendum dumtaxat, sed etiam ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt & docent.* Ratio est; Quia fungitur officio Iudicis auctoritate diuinâ præditi: ergo eius sententia obligat pœnitentem, multò magis quàm sententia Iudicis secularis, qui tamen ad mulctam subeundam potest obligare. Vnde non potest pœnitens dicere, *Nolo hic satisfacere, sed satisfaciam in Purgatorio.* Quòd si pœnitentia illi videtur nimis grauis, roget Sacerdotẽ vt illam mitiget. Quòd si, dum pœnitentia iniungeretur, habuit animum implendi, posteà tamen neglexit, vel etiam contempsit, non tenetur priorem confessionem repetere, vt falsò quidam existimarunt; sed sufficit confiteri illud peccatum neglectæ pœnitentiæ. Et ratio est, quia peccatum sequens non potest Sacramentum, quod præcessit, reddere irritum: nam natura Sacramenti, eiusque effectus non pendet ab euentu futuro.

Confessio quomodo iteranda.

Notandum hîc est: Si quis inualidè confessus redeat ad eumdem Cõfessarium, qui adhuc aliquo modo, saltem in confuso, meminit peccatorum, vel status pœnitentis, vel saltem pœnitentiæ quam iniunxerat, sufficere vt confiteatur peccata omissa, relictis ijs quæ anteà fuit confessus: sic enim poterit ab omnibus absolui; vt docet Nauarrus cap. 9. num. 19. Medina, Paludanus, Richardus. Quòd si Confessarius ille, quem adit, nullo modo meminerit, vel si alium adeat, tenetur ex integro omnia priora confiteri.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Confessio debeat esse integra?

11 Integram esse debere confessionem, est de fide.

REspondetur: Confessio debet esse integra omnium peccatorum, quę post diligens examen memoriæ occurrunt: idque iure diuino est necessarium. Est fide tenenda. Patet ex Concilio Trid. sess. 14. can. 7. vbi hoc expresè definitur: & ex testimonijs Scripturę, Conciliorũ & Patrum suprà q. 6. dub. 1. allatis.

Hinc sequitur necessarium esse confiteri omnia peccata secundùm suas species, numerum, & circumstantias speciem mutantes: quod etiam fide tenendum est ex ijsdem locis. Legatur diligenter cap. 5. & can. 7. sess. 14. & Concil. Lateranense cap. 21. Ratio est: quia sine numero & circumstantijs nec pœnitens potest confiteri omnia peccata, à quibus debet absolui; nec Sacerdos potest cognoscere, à quibus debeat absoluere.

12 Explica numerum vt potes,

Notandum tamen Primò: Si pœnitens adhibitâ diligentiâ non possit certum numerum inuenire, satis esse, vt dicat *plus minus*, quantum illi videatur. Vel si hoc non potest, aperiat suam consuetudinem, quanta & quàm diuturna ea fuerit: sic enim poterit intelligi eius status. Ita militi satis erit dicere, se quotidie blasphemare, quando datur occasio, tali vel tali modo blasphemiæ. Vsurario, se iam triennum omnibus aduentantibus dare ad vsuras. Meritrici, se quinquennium omnibus expositam.

Examen sit iuxta conditionem pœnitentis

Notandum Secundò: Eam diligentiam in examine requiri, quam quis pro suo captu in re seria adhibere solet. Vnde Rustici, & homines simplices cum modica discussione possunt audiri; quia parum sunt idonei ad vitam præteritã excutiendam, & interrogatio Sacerdotis supplet. Vide Nauarrum in Capitulum *Fratres*, de Pœnitentia dist. 5. nu. 65. & sequentibus.

DVBIVM I.

Vtrùm aliquando fieri possit Confessio non integra: & quibus casibus?

13

REspondeo: Posse, & debere interdum fieri confessionem non integram: nempe quotiescumque interuenit iustum impedimentum, siue ex parte Pœnitentis, siue ex parte Confessoris.

Si pœnitens amittat loquelam.

Primò: Si pœnitens dicto vno, vel altero peccato, amittat loquelam: tunc enim est absoluendus. Ratio est; Quia hæc confessio est integra sicut esse potest. Sicuti enim obliuio non tollit integritatem confessionis necessariam, ita nec impotentia.

Si periculũ mortis.

Secundò: Quando multi sunt audiendi, & ob temporis breuitatẽ & periculũ mortis ingruens, non possunt omnia dici: vt in naufragio, inuasione hostili, & similibus periculis.

14

Tertiò: Quando probabiliter timet aliquod notabile damnum sibi, vel alteri ex confessione certi

Si metuat inde damnum.

certi peccati obuenturum: exempli gratia, reuelationem peccati, odium graue, sollicitationem pudicitiæ, vel etiam damnum temporale. Ratio est, Quia, dum pœnitens alteri timet malum ex sua confessione, esset contra charitatem vel iustitiam, illud confiteri. Si sibi timet malum, esset contra illam inclinationem vitandi proprij damni, quæ adeò naturalis est, vt humanæ imbecillitati non sit consentaneum obligari sponte contra facere per nudum præceptū positiuum: vnde cùm *Iugum Domini sit suaue*, non est credibile in tali casu obligari.

Non tamen excusat propria vel complicis infamia apud solum Confessarium.

Notandum autem, hoc damnum, quod timetur, debere esse notabile. Si enim ex mea confessione nihil aliud sequeretur, quàm mala opinio Confessoris de me, vel de personâ peccati sociâ, non possem omittere illud peccatum, aut necessariam circumstantiam: vt ferè omnes Doctores docent: D. Thomas, Alexander, Bonauentura, Paludanus, Henricus, Durandus, Richardus, Gabriel, Antoninus, Adrianus Papa, Sotus, Caietanus, Angelus: quos citat Petrus Nauarra lib. 2. cap. 4. num. 27. Ratio est duplex: Prior, Quia non est per se infamia, aut notabile damnū, quod vni aperiantur mea peccata, quando nihil inde aliud sequitur: sicut neque est notabile bonum, quod vnus sciat meas virtutes, qui numquam id potest exterius ostendere; vt rectè docet Petrus Nauarra loco citato. Si enim id notabile incommodum fuisset, Dominus confessionem peccatorum non præcepisset. Vnde meritò, propter integritatem huius Sacramenti, poterit tale peccatum aperiri. Secunda Ratio est: Quia Christus ita instituit hoc iudicium pœnitentiæ, vt voluerit esse integrum & completum, id est, continere integram peccatorum absolutionem: ergo etiam instituit & præcepit omne illud, quod per se est necessarium ad hanc integritatem: atqui commisso tali peccato, per se necessarium est ad integritatem huius iudicij, vt Sacerdoti species, & circumstantia mutans speciem, aperiatur: ergo hoc ipsum Dominus præcepit, quando nihil aliud incommodi inde sequitur, quàm quod Sacerdos illam personā cognoscet: (hoc enim per se sequitur ex confessione) præsertim cùm non cognoscat, nisi vt fungens auctoritate diuinâ.

15 Confitere Sacerdoti qui complicem non nouit.

Hîc tamen Aduerte Primò: Si pœnitens possit commodè alteri confiteri, qui socium criminis non cognoscet, tenetur saltem sub veniali peccato: quia tunc non habet iustam causam sic confitendi vt alterius peccatum aperiat.

Si Confessarius complicem inde conijciet, quid agam?

Aduerte Secundò: Non esse improbabile tale peccatum, seu circumstantiam posse, ac proinde debere taceri apud Confessorem, qui inde socium conijciet. Ita enim tenet Nauarrus cap. 7. num. 3. citans Hostiensem & Innocentium. Idem tenet Viguerius de Confessione. §. *Quòd si non possum*, versiculo 27. Bannes 2. 2. quæst. 33. art. 8. & alij eiusdem Ordinis. Iuxta hanc sententiam pœnitens, si non possit alteri confiteri, & præceptum vel consuetudo confitendi vrgeat, debet omittere illam circumstantiam vel illud peccatum; &, secundùm quosdam, debet confiteri internum affectum, tacito opere externo.

DVBIVM II.

Virùm possit absolui æger, qui Confessarium vocauit, & ante eius aduentum vox ei intercipitur? Item: *An is qui non valens confiteri in genere vel specie, solùm dedit in extremis signa contritionis tundendo pectus, eleuando oculos in cælum, &c?*

16 Quidam negãt posse absolui.

QVidam putant, non posse absolui. Fundamentum præcipuum est, quia deest materia confessionis. Ita Abulensis in cap. 16. Matthæi quæst. 79. Melchior Canus relectione 5. fol. 141. Dominicus Soto dist. 18. quæst. 2. art. 5. Ioannes Medina quæst. 53. codice de Confessione. Nauarrus in Enchiridio cap. 26. num. 27. & cap. 27. num. 268.

Verius affirmatur.

Sed dicendum est; Probabilius esse, talem debere absolui. Probatur Primò: Ex Concilio Arausicano can. 12: *Subitò obmutescens, & baptizari, & pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, vel præsentis in suo nutu.* Et Concilium IV. Carthaginense cap. 77. *Is, qui in infirmitate pœnitentiam petit, si casu, dum ad eum Sacerdos venit, oppressus infirmitate obmutuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam: & si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia.* Idem præcipit Leo I. epistola 91. *His, qui in periculi vrgentis instantia præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec actio illis Pœnitentiæ nec Communionis denegetur, si eam, amisso etiam vocis officio, per iudicium integri sensus quærere comprobetur. Quòd si aliquæ ægritudine ita fuerint aggrauati, vt quod paulò antè poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, vt simul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium consequantur.*

Araus. can. num.

Carth. IV.

Leo I.

17 1. Aduersariorum responsio.

Ad hæc Respondent Primò: His locis agi solùm de reconciliatione eorum, qui erant excommunicati, & egebant absolutione ab excommunicatione.

Refellitur.

Sed contrà. Primò: Quia Concilium Arausicanum *accipere pœnitentiam* coniungit cum *baptizari*: intelligit ergo Sacramentum. Idem facit Cõcilium Carthaginense & Leo. Secundò: Quia *accipere pœnitentiam*, numquam accipitur apud veteres pro *accipere absolutionem ab excommunicatione*, sed *accipere Sacramentum Pœnitentiæ*; vt patet ex epistola 2. Cælestini I. vbi dicitur, *Sacerdotem, qui in extremis pœnitentiam negat, esse reum animarum.* Idem patet ex verbis Leonis, qui *pœnitentiam* vocat *actionem pœnitentiæ*, quæ datur in ipso Sacramento, dum imponitur satisfactio pro peccatis: *Reconciliationem* autē vocat *absolutionem à peccatis*, vt patet ex decursu totius epistolæ. Tertiò: Patres & Concilia non fuissent adeò solliciti de absolutione ab excommunicatione, vel de aliqua reconciliatione non Sacramentali, sine qua infirmi facilè poterant saluari, & quę etiam post mortem poterat impendi.

2. Aduersariorum responsio.

Respondeo Secundò: Agi de absolutione eorum, qui agebant pœnitentiam publicam, qui initio Quadragesimæ confitebantur, & circa Pascha absoluebantur: hi, si interim incidissent in morbū, poterant absolui sine alia confessione. Ita Canus.

Refellitur. Sed hoc facilè refellitur ex Leone, qui grauiter reprehendit eos, qui maturè non peterent pœnitentiam, dum sani sunt: at hi non erant reprehendendi, quia non poterant petere absolutionem ante tempus statutum. Deinde qui iam publicam agebant pœnitentiam, non dicebantur *petere pœnitentiam*, sed *agere*: erat enim satisfactio Sacramentalis; nihilque petebant aliud, quàm Absolutionem.

18 Augustin. Probatur Secundò eadem sententia ex D. Augustino lib. 1. *De adulterinis Coniugijs* cap. vltimo, vbi idem docet quod Leo, & Concilia citata.

Sacerdotale Rom. Probatur Tertiò: Ex Sacerdotali Romano approbato à Leone X. vbi in tractatu de Sacramento Pœnitentiæ cap. 20. fol. 65. eadem sententia habetur.

Alcuinus. Præterea hanc sententiam tenet Alcuinus lib. de diuinis Officijs §. *De infirmis* in fine paginæ 94. vbi dicit: *Ægris qui non possunt exprimere quod paulò antè poscebant, testimonia fidelium debere prodesse; vt scilicet pœnitentiæ & reconciliationis beneficium assequantur.* Et D. Thomas Opusculo 65. capite *De extrema Vnctione: Si infirmus*, inquit, *qui petit vnctionem, amisit notitiam, vel loquelam, antequam Sacerdos veniat ad eum, nihilominus vnget eum Sacerdos: qui in tali casu deberet etiam baptizari & absolui.* Vbi patet eum loqui de Absolutione Sacramentali, quod est contra Nauarrum: nam coniungit eam cum Baptismo. Hanc quoque sententiam tenet D. Antoninus parte 3. titulo 10. capite 2. his verbis: *Si infirmo petente Sacerdotem, interim dum veniret, obmutuit, vel effectus est phreneticus, aut amens, Sacerdos aduenies siue ad nutum infirmi, siue ad testimonium illorum qui audiuerunt illum petentem pœnitentiam, vel Sacerdotem, debet ei impendere quidquid potest humanitatis, absoluendo, reconciliando.* Denique plurimi recentiores, quos citat Alponsus Vialdus fol. 121.

D. Thom.

D. Antoninus.

Vialdus.

Ratio conclusionis. Ratio est: Quia hîc est sufficiès materia Sacramenti Pœnitentiæ: nam ad hoc Sacramentum sufficit ea peccati explicatio, quam homo pro sua facultate præstare potest. Cuius signum est, quod homo, si non posset, nisi vnum veniale explicare, omnium iudicio deberet absolui: nam se accusat, suaque peccata explicat quantum potest: ergo qui in articulo mortis dat signũ contritionis, non valens amplius facere, debet absolui: nam hoc signo censetur se accusare de suis peccatis in ordine ad absolutionem: sicut enim confitemur voce, ita etiam gestu, quando aliter nequimus. Hinc patet Responsio ad fundamentum sententiæ contrariæ.

19 Respondetur ad rationes oppositæ sententiæ. Contrà: Obijcitur Primò: Absolutio est actus iudicialis, qui non potest exerceri, nisi cognitâ causâ in particulari: ergo &c.

Respondeo: Etsi id ordinariè verum sit, scilicet quando cognitio particularis causæ potest haberi; tamen quando non potest haberi, sufficit cognitio generalis, præsertim ad absoluendum: sicuti videmus sufficere cognitionem dimidiatam quando integra haberi nequit. Sic etiam Ecclesia absque particulari causæ cognitione absoluit ab omnibus censuris. Atque hoc maximè locum habere debet in articulo mortis, vbi non est necesse imponere pœnitentiam, saltè exactam, ob quam potissimũ crimina in particulari cognosci debent.

Obijcitur Secundò: Per illa signa contritionis Sacerdos non plus cognoscit de ipsius peccatis, quàm anteà; cùm etiam homo sanctissimus possit ea edere: ergo &c.

Respondeo: Si ille infirmus confiteretur, in vitâ suâ se dixisse vnum verbũ otiosum, sine dubio deberet absolui: & tamen Sacerdos per hoc nõ plus cognoscit de peccatis ipsius, quàm anteà. Satis ergo est, vt cognoscat alio modo, scilicet per aliquam significationem pœnitẽtis editam in ordine ad absolutionem.

Obijcitur Tertiò: Concilium Tridentinum sess. 14. can. 9. dicit anathema ei, *Qui dicit confessionem pœnitentis non esse necessariam, vt possit à Sacerdote absolui:* & loquitur de confessione in particulari.

Respondeo: Concilium agit contra hæreticos, & loquitur de eo, quod ordinariè necessarium est, & extra casum necessitatis. Nam simili modo definit confessionem debere esse integram, cùm tamen constet ex causa posse dimidiari.

Notandum hîc est Primò: Etiam illum, qui tenet contrariam sententiam, debere in praxi vti hâc nostrâ: tum quia tenetur absoluere pœnitentem qui tenet probabilem sententiam, etiamsi ipsius sit probabilior: tum quia esset contra charitatem in hoc articulo denegare absolutionem, quam sine peccato potest impẽdere. Nam certum est hanc sententiam in praxi esse securam, & passim vbique seruari.

20 Tenetur quilibet Confessor in dictis casibus absoluere.

Notandum Secundò: Si pœnitens nullum signum contritionis dederit, nõ posse absolui: quia deest materia huius Sacramenti. Iansonius & quidam alij putant posse absolui, etsi non petierit, nec signum vllum dederit. Probat ex D. Augustino lib. 1. de Adulterinis coniugijs cap. vltimo. Sed manifestè Augustinus loquitur de eo qui agit pœnitentiam, vt asequatur ab Ecclesia absolutionem. Talis autem iam signum dedit doloris, & petijt Sacramentum reconciliationis.

Non dans vllum signũ doloris non potest absolui.

DVBIVM III.

Vtrùm teneamur confiteri peccata in præcedenti confessione per obliuionem vel ignorantiam inculpatam omissa?

21 Affirmatur. REspondeo: Omnes fideles iure diuino ad confitẽda omnia peccata mortifera per obliuionem vel ignorantiã inculpatam, etiam post diligens examẽ in priore confessione omissa, obligantur quando posteà memoriæ occurrent.

à consensu DD. Probatur Primò: Quia id docet communis DD. consensus. Omnes enim consentiunt, eum, qui in confessione annua oblitus est aliquod peccatum etiam inculpatè, si posteà memoriæ occurrat, teneri illud confiteri etiam anno transacto; etsi in eo discrepent, vtrùm statim teneatur, an possit differre in alterum Pascha: nec quisquam est inter probatos Auctores qui de hoc legatur dubitasse.

à praxi Ecclesiæ. Probatur Secundò: Quia id declarat vniuersalis Ecclesiæ praxis; vt constare potest ex ijs qui in Italia, Hispania, Gallia, Germania scripserunt de hac re. Non enim dubitari potest, quin ita vbique seruetur in Ecclesia, sicut DD. passim per orbem diffusi faciendum docent. Nam Episcopi & Parochi & Religiosi communem Doctorum sentẽtiam in sacramentorum ministerio sequuntur.

Ex Script. Probatur Tertiò: Quia idem confirmari potest ex illa sententia Domini, Ioannis 20: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* &c. adiuncta interpreta-

terpretatione vniuersæ Ecclesiæ, quæ vt Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. ait, *Semper intellexit ex verbis prædictis, institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem : & omnibus post Baptismum lapsis, iure diuino necessariam existere.* Atqui reipsâ integra non est confessio, in qua aliquid per obliuionem omittitur, licet opinione & intentione confitentis integra sit, & ideò gratiam consequatur: ergo adhuc manet obligatio illa cõfitendi velut in habitu, licet ob impossibilitatẽ sit sopita, ac proinde ipse excusetur à transgressione: nemo enim potest confiteri quod ignorat. Confirmatur, quia ante confessionem priorem, ille verè ex parte rei erat obligatus ad confitendum illud peccatum cuius non meminit, (vt facilè probari potest:) sed hæc obligatio non extinguitur per confessionem secutam; nam in ea non confitetur illud peccatum : ergo illa obligatio manet post illam confessionem velut in habitu, & vim suam exeret simulatque memoriæ occurret. Simile videmus in obligatione restitutionis, quæ per obliuionem vel ignorantiam iniuriæ, non extinguitur in reipsâ, sed sopitur: quando autem in mentem venit iniuriam illatam esse, rursus vim suam exerit. Sic quoque peccato perpetrato, statim oritur obligatio confessionis, quæ est veluti restitutio quædam honoris diuini violati, eaque per obliuionem non extinguitur, sed sopitur tantummodò. Omitto alia quæ in hanc sententiam adduci possent, cùm sit res indubitata.

22 Hinc malè inferunt hæretici conscientiarum carnificinam.

Neque hinc sequitur confessionem integrã fore conscientiarum carnificinam, vt dixit Lutherus in Assertione art. 9. Nam etsi obligemur reipsâ ad confitendum omnia peccata, etiam oblita; tamen hæc obligatio vim suam nõ exerit nisi circa ea peccata, quæ post diligens examen, memoriæ occurrunt. Vnde in actu secundo & in exercitio, non obligamur nisi ad ea confitenda quæ memoriæ occurrunt. Vnde qui pro suo captu conuenientem diligentiam adhibuit in conscientia excutienda, & debito cum dolore, & emendationis proposito confessus est ea, quæ tunc occurrerunt, nõ debet esse amplius anxius de vlteriori examine vel confessione. Quòd si aliquid sponte occurrat, quod illi cõstat omissũ, potest id sine anxietate & carnificina conscientiæ confiteri; idq; poterit quotiescumque aliquid noui occurret, quod illi constabit prætermissum. Quòd si illi sit probabile non esse omissum, non tenetur confiteri. Hîc sanè nulla est carnificina, nulla causa anxietatis ratione illius peccati cõfitendi, quod omissum esse constabat. Esset autem carnificina conscientiarum, si in actu secundo obligaremur absolutè omnia confiteri, sic vt, si fortè aliquid per obliuionem omitteretur, irrita esset confessio, eiusque præcepto non satisfieret ex parte hominis. Quo modo hæretici doctrinam Ecclesiæ accipiunt: hinc etiam colligentes confessionem, quam Ecclesia præcipit, esse impossibilem: nam reuerà sic maximè anxias redderet conscientias, & sæpè impossibilis esset vera & legitima confessio. Quare Concilium Tridentinum vt vtramque hanc calumniam refutaret, sic ait sess. 14. c. 5. *Constat nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm vt postquam quis se diligenter excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit : reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuersum, eâdem confessione inclusa esse intelliguntur : pro quibus fideliter cũ Propheta dicimus, Ab occultis meis munda me Domine.* Quibus posterioribus verbis, non vult Concilium significare peccata quæ non occurrunt, sic censeri inclusa, vt non debeamus ea postea speciatim confiteri si memoriæ occurrant; sed vt non reddant confessionem irritam & infructuosam, cùm ab illis etiã, etsi indirectè & ex consequenti, liberemur. Hanc esse Concilij mentem patet ex scopo Concilij. Scopus enim Concilij erat ostendere confessionẽ vt ab Ecclesia præcipitur, non esse carnificinam conscientiarum, aut impossibilem. Atqui ad hoc, non erat necesse ostendere peccata omissa non esse confitenda; sed satis erat docere ad præceptum confessionis implendum, & fructum consequendum, sufficere vt quis omnia confiteatur quæ memoriæ post diligens examẽ occurrunt; & propter ea quæ obliuione omittuntur, non impediri fructum, aut integritatem confessionis reddi impossibilem: eò quòd peccata omissa generatim intentione & bona fide confitentis (qui intendit, & bona fide existimat se omnia cõfiteri) intelligantur contineri.

Hinc patet, quid respondendum sit ad rationes quæ contra obijciuntur. Prior est: Peccata omissa inclusa sunt eâdem confessione, iuxta Concilium Trident. & subsecutâ absolutione verè dimissa sunt: quid ergo constringit & vrget ad eorum posteà confessionem? 23 1. Obiectio, ex Triden.

Respondeo: Peccata omissa intelligũtur in vniuersum eâdem confessione inclusa; non quia reipsâ sufficienter explicata sunt (hoc enim implicat contradictionem:) sed quia intentione & bona fide confitentis inclusa censentur; sic vt neque fructum confessionis, neque integritatem necessariam ex parte pœnitentis impediant. Similiter dicuntur dimissa secutâ absolutione, non directè, sed indirectè. Nam cui remittitur vnum peccatũ mortiferum, necesse est remitti concomitanter omnia; eò quòd remissio vnius non fiat, nisi per infusionem gratiæ, quæ concomitanter necessariò excludit omnia reliqua. Hinc tamen nõ sequitur, nos non teneri ea posteà confiteri cùm in memoriam venerint, vt directè ab illis absoluamur. Nã omnia subijci Clauibus debent, vt omnes docent, & Concilium Trident. apertè insinuat cap. 5. in principio. Et confirmatur: quia alioquin is qui in discrimine vitæ, quando intercepta voce vel ratione, non nisi vnum vel alterum peccatum potuit confiteri, non teneretur posteà restitutus sanitati cetera cõfiteri, cùm ab omnibus fuerit absolutus; quod tamen constat falsum est, vt superiore dubio dictum est. Soluitur.

Altera obiectio est: Confessio ob solam remissionem est absolutè necessaria. Nam extra necessitatem remittendi peccati, & tempus Paschale, nullum habemus confitendi præceptum: ergo cùm illa peccata obliuione omissa, sint remissa, nõ tenemur ea ampliùs confiteri. 24 2 Obiectio, quòd confessio ob solam remissionẽ sit necessaria.

Respondeo: Verum non esse, confessionem ob solam peccatorum remissionem esse necessariam, seu nos ad eam obligari, si per remissionem intelligitur remissio culpæ vel pœnæ. Patet hoc in exemplo allato, de eo, qui in extremis solum vnũ vel alterum peccatũ confiteri potuit. Item de eo, qui veram cõtritionem de suis peccatis habuit ex amore Dei. Ratio autem cur præceptum confessionis Soluitur.

sionis obliget etiam remisso peccato, est, quia remissio peccati est finis huius præcepti, non substantia: atqui cessante fine in particulari, non idcirco cessat obligatio præcepti, modò nihil contrarium illi fini & intentioni legislatoris eueniat ex obseruatione; vt docent omnes Doctores: & patet in præcepto ieiunij, cuius finis est maceratio carnis, quod tamen non desinit obligare, etiamsi hac maceratione quis opus non habeat: & in præcepto Baptismi, cuius finis est remissio peccati originalis, quod tamen non desinit obligare, etiamsi peccatum hoc remissum sit; vt patet Act. 10. v. 47. Idem patet in præcepto Eucharistiæ, & alijs multis.

DVBIVM IV.

Vtrùm liceat aliquando confiteri non integrè ratione casus reseruati?

25 Peccata quædam reseruari posse, est de fide.

SVppono Primò: Posse superiores Prælatos aliqua peccata grauiora, tum ratione culpæ, tum ratione censuræ annexæ, sibi reseruare, à quibus inferiores non possint absoluere: quod fide tenendum est. Patet ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 7. & canone 11. & Capitulo *Si Episcopus*, de Pœnitentijs, & remissionibus in 6. & ex perpetua Ecclesiæ consuetudine, quam esse antiquissimam patet ex Cypriano epist. 13. Ratio est; quia etsi omnes Sacerdotes in sua Ordinatione accipiant à Christo potestatem iudiciariam, quæ ex parte iudicis est necessaria, non tamen accipiunt subditos, in quos hanc exerant: sed hos accipiunt à Pontifice mediatè vel immediatè, scilicet per Episcopos, & alios Prælatos. Sicut ergo in horum potestate est dare hos vel illos subditos; ita etiam in potestate est subdere illos absolutè, vel tantùm secundùm certos casus. Quod vt interdum facerent, fuit conueniens ad disciplinam populi Christiani, vt ait Concilium Tridentinũ: tum vt quorundam peccatorum grauitas magis innotesceret, hominesque se magis ab illis continerent; tum vt efficacior medicina quibusdam grauioribus peccatis adhiberetur. Simile videmus in Tribunalibus Principũ, qui multas causas suæ cognitioni reseruare solent, quas inferioribus Iudicibus non permittunt.

Vtilitas reseruationis.

26 An peccata purè mentalia possint reseruari.

Suppono Secundò: Hanc reseruationem discretè fieri debere ad ædificationem, & non ad destructionem, vt inquit Concilium Trident. cap. 7. Hinc peccata purè mentalia non debent reseruari. Si tamen Superior non concederet potestatè ea absoluendi inferiori, habenti dumtaxat iurisdictionem delegatam, valida esset reseruatio: quia hæc Iurisdictio ex nudo Superioris arbitrio dependet. Secùs, si inferior haberet Iurisdictionem ordinariam, vt Parochus: quia hæc Iurisdictio non pendet ex arbitrio Superioris immediati, sed ex ipso Iure. Vnde inferior sine iusta causa non potest eâ priuari.

27 Nulla nuda culpa reseruatur Papæ.

Suppono Tertiò: Pontifici nullos casus esse reseruatos, nisi ratione censuræ annexæ. Vnde si constat sublatam esse censuram, vel eam non fuisse incursam ob ignorantiam iuris vel facti, iste casus non erit ampliùs reseruatus; vt tenet communis sententia Doctorum. Vide Nauarrum cap. 27. num. 261. Episcopis autem reseruantur etiam casus ratione solius culpæ. Vide Nauarrum ibidem, & numero sequenti. Et patet ex Synodo Mechlinienſi *De Sacramentis* capite 6. vbi reseruantur Episcopo raptus virginum, homicidium, incendium deliberatum, simonia, sodomia, hæresis, apostasia, incastus cum consanguineâ aut sanctimoniali, iniectio manuum in parentes cum læsione, sortilegium, adulterium notorium, & omnia delicta excommunicationẽ maiorem annexam habentia. His positis:

Reseruantur hæc Episcopis.

28 Superior non potest absoluere à solis reseruatis, remisso pœnitente pro ceteris ad inferiorem.

Respondeo & Dico Primò: Quando pœnitens casus habens reseruatos, adit Superiorem, vt ab eo absoluatur, verius est Superiorem nõ posse audire sola reseruata, & ab ijs absoluere, remisso pœnitente pro ceteris ad inferiorem; ac proinde non potest dimidiari cõfessio ratione casus reseruati. Ita Siluester V. *Confessio* 1. quæst. 19. Adrianus qu. 4. *de Confessione*. Melchior Canus *Relectione de pœnitentia* parte 5. & alij. Ratio est: quia integritas confessionis & absolutionis est iuris diuini. Vnde, nisi causa legitima cogat, neque cõfessionem dimidiare, neque super dimidiatam ferre sententiam absolutionis licet: atqui hîc non interuenit causa legitima: nam vel Superior potest audire omnia, & ab omnibus absoluere; vel si non habet tempus audiendi omnia, sed solùm reseruata, potest illum sine absolutione mittere ad inferiorem, cui integrè confiteatur, cum potestate, vt ab omnibus absolui possit.

Contrariũ non est improbabile.

Notandum tamen est, Contrariam sententiam esse plurimorum Doctorum, nempe superiorem, præsertim Episcopum, & summum Pœnitentiarium Pontificis, posse audire sola reseruata, & ab ijs absoluere Sacramentaliter, remisso pœnitente pro cæteris ad inferiorem. Ita tenent Henricus Quodl. 1. q. 29. Paludanus, & Richardus dist. 17. Item Antoninus, Gerson, Dominicus Soto, Petrus Soto, Ioannes Medina, Caietanus, & Nauarrus. Vnde non videtur improbabilis.

29 Inferior habentem reseruata, nec ab his, nec ab alijs absoluet.

Dico Secundò: Si pœnitens, habens casus reseruatos, confiteatur eos inferiori non habenti potestatem in illos, inferior non potest eum absoluere, nec à reseruatis, nec à non reseruatis, extra articulum mortis. Tenet Richardus dist. 17. art. 2. quæst. 8. ad 2. & Adrianus quæst. 4. *de Confessione* §. *sed dubium*: & colligitur ex Concilio Trident. sess. 14. cap. 7. vbi Concilium ait, *Inferiorem, extra articulum mortis nihil posse in casibus reseruatis, sed id vnum pœnitentibus persuadere debere, vt Superiores pro absolutione accedant*. Colligit autẽ Concilium id ex eo, quòd sententia lata in eum, in quem Sacerdos non habet iurisdictionem, sit inualida. Item, quia Concilium dicit *In articulo mortis peccata non esse reseruata, ne pereat quis ratione reseruationis*: vbi apertè indicat Sacerdoti non esse licitum absoluere vllo modo manente reseruatione: si enim posset absoluere, etiam indirectè, non esset periculum ne quis periret ratione reseruationis. Vnde manifestè sequitur non posse inferiorẽ absoluere aliquem à reseruatis. Sed quòd neque à non reseruatis tunc possit absoluere, patet; quia Iure diuino tam absolutio, quàm confessio debet esse integra.

Etsi bona fides intercedat.

Dices: Ergo talis Confessio, & Absolutio, etiamsi bonâ fide facta sit, erit irrita.

Respondeo: Ita sanè quidam Doctores sentiunt, inter quos Richardus & Adrianus, & quidam huius ætatis: idque probant Primò: ex verbis Concilij citatis. Secundò, quia hoc Iudicium pœnitentiæ Iure diuino debet esse integrum, sic vt non

vt non possit diuidi: ergo cùm inferior non habeat potestatem in peccata reseruata, nec sententia possit ferri in sola non reseruata, cùm absolutio debeat esse integra, nihil efficiet. Tertiò: quia censura reddit incapacem absolutionis. Hæc sententia videtur satis consentanea verbis Concilij.

30 Contrariū est probabilius.

Verùm quia est admodum dura, magis probatur nobis contraria, quæ est communior Doctorum, scilicet, confessionem & absolutionem esse validam, etiamsi pœnitens habeat casum ratione culpæ vel censuræ reseruatum, eumque confiteatur non habenti potestatem in illum casum, modò bona fide sic confiteatur, & Sacerdos iurisdictionem habeat saltē in aliqua eius peccata mortifera. Ita Nauarrus cap. 9. nu. 4. & 7. & in Capit. *Fratres*, de Pœnitentiâ dist. 5. num. 45. & 50. vbi citat multos alios: & Caietanus verbo, *Absolutionis impedimenta*, & verbo *Cōfessionis iteratio*. Victoria quæst. 3. *de Excommunicatione*. Idem tenet Henricus Quodlib. 1. suprà. Durandus dist. 17. quæst. 15. num. 8. Paludanus, Gabriel, Antoninus, Siluester, Ioannes Medina.

Ab incommodis.

Probatur; Quia alioqui plurimi fideles grauiter deciperentur cum magno salutis periculo, idque sine vlla sua culpa. Plerique enim Parochi & Confessores per orbem ignorant censuras & casus reseruatos, vnde sine discrimine absoluunt ab omnibus. Si hæc absolutio esset irrita propter reseruationem, fideles nihil ex ea perciperent fructus, & præterea tenerētur confessiones suas omnes repetere: quod sanè maximam perturbationem conscientijs, & damnum animabus adferret. Accedit: quod fideles non possint scire, an Parochus habeat potestatem absoluendi à censuris, vel à casibus reseruatis: vnde sine omni suâ culpâ priuarentur fructu Sacramenti, etiamsi facerent omnia, quæ humano more facere debent, & possunt: quare meritò semper essent anxij. Et confirmatur: quia reseruatio debet *fieri ad ædificationem, & non ad destructionem*, vt dicit Concilium Trident: atqui si sic esset, facta esset in destructionem. Quare existimandum est, Ecclesiam in huiusmodi casibus tacito consensu dare iurisdictionem inferioribus, sicut dat ijs qui non habent titulū, nisi coloratum, vt Pœnitentes possint absolui à culpa & à censurâ ad effectum Sacramenti consequendum, non tamen à reseruatione, sic vt maneant posteà obligati se sistere superiori, vbi intellexerint casum reseruatum fuisse. Hoc enim modo consulitur fidelium saluti, & nihilominùs casuum reseruatio consequitur suum finem.

Censetur Ecclesia hîc tacitam dare iurisdictionem.

31 Respondetur ad Tridentinum num. 29. citatum,

Vnde ad Primum Respondeo: Sacerdotem inferiorem extra articulum mortis nihil posse in casibus reseruatis. Primò, Nisi Ecclesia, tacito consensu, ratione bonæ fidei pœnitentis, det illi iurisdictionem, quasi per modum transeuntis. Secundò, & meliùs: nihil posse licitè, & eo modo, vt tollat reseruationem. Hinc tamen non sequitur absolutionem esse irritam, si detur, quando Pœnitens bonâ fide procedit, quamuis Sacerdos peccet eam dando; sicut dictum est de eo, qui habet titulum coloratum. Si tam pœnitens sciret Sacerdotem non posse, non esset valida absolutio: tum quia tunc non subesset illa ratio concedendi iurisdictionem; tum quia peccaret petendo à Sacerdote, quod sine peccato non potest præstare.

Episcopi possunt Iure cōmuni absoluere à reseruatis Pontifici.

Aduertendum autem est: Concilium signanter dixisse, *inferiores Sacerdotes*, id est, *inferiores Episcopis, nihil posse in casibus reseruatis extra articulum mortis*, quia Iure communi possunt Episcopi absoluere à casibus reseruatis Pontifici, etiam extra articulum mortis, scilicet quando ad eum non patet facilis aditus ob ætatem, sexum, debilitatem, vel aliam iustam causam; vt patet Capitulo, *De cetero:* & Capitulo, *Ea noscitur:* & Capitulo, *Quod de his*, de Sententia excommunicationis. Posteà tamen sic absolutus, cessante impedimento, tenetur se præsentare Pontifici; vt patet ex eisdem locis.

Respondetur ad alia argumenta Richardi & Adriani.

Ad Secundum: Respondeo, Non diuidi hoc iudicium; quia inferiori censetur data potestas in hoc casu, tacito quodam Ecclesiæ consensu, quâ validè quidem, etsi non licitè, absoluit eum, qui bona fide ei confitetur. Potest etiam concedi illud iudicium diuidi, & Sacerdotem non rectè facere, tamen validè; quia in aliqua habet potestatem directam.

Ad Tertium: Excommunicatio pœnitentis non reddit illum incapacem absolutionis à peccatis, sicut neque gratiæ & iustificationis; sed solùm facit, ne quis licitè possit absolui à peccatis, vel aliud Sacramentum percipere ante absolutionem ab excommunicatione. Quare si ignorantia excusset illum, valida erit absolutio.

32 In necessitate si non vales adire Superiorē, conteritus.

Dices: Si Sacerdos inferior non potest licitè absoluere pœnitentem à casibus reseruatis, quid faciet pœnitens, si necessariò sit celebrandum, vel communicandum, nec possit adire superiorem? Respondeo: In hoc casu potest communicare contritus sine confessione, tanquam non habens copiam Confessoris.

Probabile est te posse confiteri & absolui.

Aduerte tamē, Quando aliqua talis necessitas vrget, nō esse improbabile, Confessorē inferiorē posse licitè pœnitentem absoluere à casibus reseruatis, si censuram annexam non habeant. Sic enim sentiunt plurimi Doctores suprà citati, qui non solùm tenēt absolutionem esse validam, sed etiā Sacerdotem inferiorem posse sic absoluere, modò pœnitens non habeat censuram reseruatam; tunc enim fatentur Sacerdotem non posse sine peccato. Teneri tamen pœnitentem posteà illud peccatum reseruatum confiteri superiori.

Quid facies si nulla vrget necessitas.

Non tamen videtur multùm probabile, quidquid Caietanus & alij quidam dixerint, posse sacerdotem absoluere à casu reseruato, etiam quando superior facilè adiri potest, & nulla necessitas vrget: nam Concilium Trident. satis apertè contrarium insinuat. Ratio est, quia si hoc esset permissum, tolleretur sollicitudo, quam Pœnitentes habere debent, vt absoluantur à reseruatis.

DVBIVM V.

Vtrùm, si quis confessus ei, qui habet potestatem absoluendi à reseruatis, fuerit oblitus confiteri reseruata, maneat reseruatio?

33 Probabile est non manere reseruationem.

REspondeo: Plurimorum sententia est, non manere reseruata, si obliuio pœnitentis fuit inculpata, ita vt non reddiderit irritam absolutionem: vnde posteà à quouis Sacerdote habente aliquam in illum iurisdictionem posse absolui. Ita tenet Couarruuias in Capit. *Alma*. 1. parte §. 11. num. 12. vbi citat multos alios, & Nauarrus in Enchirid. cap. 26. num. 12. & 13. Ratio est, quia ille Sacerdos habens potestatem, siue ordinariam, siue delegatam, intendit absoluere quantum po-

tum potest: ergo etiam à reseruatis; saltem quoad reseruationem. Hæc sententia generatim est satis probabilis, & secura in praxi.

Forte argumentum in contrariũ.

Dices: Reseruare peccatum, est adimere alijs potestatem absoluendi, & eam sibi retinere, & obligare pœnitentem ad sibi confitendum, vel alteri à se potestatem habenti, vt conueniens remedium & satisfactio debita adhibeatur: ergo non est in potestate, præsertim delegati, tollere illam reseruationem, nisi pœnitens confiteatur reuerà illud peccatum; quia delegatus non potest tollere obligationem à superiore impositam, nisi ex parte pœnitentis impleatur: ergo cùm pœnitens non sit confessus illud reseruatum, non potuit esse ablata reseruatio: non enim liberatur quis obligatione confitendi superiori per hoc, quod indirectè ab aliquo peccato sit absolutus.

34 Sed excusat ἐπιείκεια.

Respondeo: Hoc argumentum conuincere ita esse in rigore. Verùm contraria sententia probabilis est, & introducta per quandam ἐπιείκειαν, ex tacito consensu superiorum, vt onus reseruationis subditis sit facilius. Qui enim bonâ fide confessus est Sacerdoti habenti potestatem absoluendi à reseruatis, virtute & implicitè intendebat etiam reseruata confiteri; & omnino confessus fuisset, si memoriæ occurrissent: quæ inculpata obliuio non debet ei tantum nocere, vt rursus debeat superiorem adire. Vnde ex quadam benigna interpretatione voluntatis superioris, id ei reputatur perinde atque si à reseruatione absolutus esset: quare sufficit illud peccatum postea Parocho confiteri.

35 Si elegeris Confessorẽ vi Iubilæi.

Aduerte Primò: Satis certum esse tolli reseruationem omnem quando quis virtute Iubilæi eligit Confessorem, à quo absoluatur ab omnibus reseruatis: nam tunc censentur omnia peccata reseruata fieri instar eorum peccatorum, quæ non sunt reseruata.

Si casus reseruatus propter excommunicationem.

Aduerte Secundò: Quando solùm casus est reseruatus ratione excommunicationis, probabilius esse tolli reseruationem, etiamsi per obliuionem peccatum non explicetur. Ratio est, quia potest quis directè absolui ab omni excommunicatione, etiamsi causa non sit expressa in confessione. Vide Couarruuiam & Nauarrum locis citatis.

Si confessio fuerit inualida.

Aduerte Tertiò: Si pœnitens confessus sit Superiori, vel habenti potestatem absoluendi delegatam, peccata reseruata desinere esse reseruata, etiamsi confessio fuerit inualida ob defectum doloris, integritatis, vel alium. Ita Antoninus 3. p. tit. 14. c. 18. §. 17. Siluester V. Confessio 1. q. 19. Caietanus verbo Casus reseruatus. Ratio est, quia consecutus est finem reseruationis, qui est, manifestare peccatum Superiori vel delegato, vt de eo iudicium ferre, & accommodatam pœnitentiam posit imponere.

DVBIVM VI.

Vtrùm sola circumstantiæ mutantes speciem sint confitendæ: an etiam aggrauantes?

36 Quidam negant circumstãtias enormiter aggrauantes esse cõfitendas.

PLerique Doctores docent, illas quæ non mutant speciem, quantumuis intra eandem speciem aggrauent, non esse necessariò confitendas. Vide Nauarrum in Cap. *Consideret*, de Pœnitentia dist. 5. in principio num. 6. vbi hanc sententiam tenet, & multos Doctores citat.

Hæc sententia, etsi probabilis sit ob authoritatem illorum Doctorum: Verius tamen videtur, eas circumstantias, quæ enormiter aggrauant intra eandem speciem, esse necessariò confitendas. Verius affirmatur.

Explicatur exemplis: Primò: Si propter illam circumstantiam erat excommunicatio annexa Papalis, vel Episcopalis: vel si erat casus ratione culpæ reseruatus. Vt percutiens Clericum, est excommunicatus; sed si leuiter percusserit, potest ab Episcopo absolui; qui autem grauiter, à solo Papa absoluitur: tamen hæ circumstantiæ non mutant speciem. Sic qui furatur bona naufragantium, est excommunicatus; sine illa tamen circumstantia fures non sunt excommunicati. Vnde tales circumstantiæ sunt explicandæ: quod etiam cogunt fateri Authores alterius sententiæ. 1. Si propter eas est annexa excommunicatio.

Secundò: Quando peccatum recipit duplicem, vel triplicem, vel multiplicem malitiam in eadẽ specie. Vt si quis vno eodemque desiderio desiderauit occidere quatuor homines, vel desiderauit illicitũ complexum quatuor mulierum: etsi enim materialiter sit vnus actus, sunt tamen formaliter quatuor malitiæ. Similiter, si quis interfecit Ioannem, vt posset interficere Petrum, non sufficit dicere, *occidi Ioannem, & volui occidere Petrum*; sed debet dicere, se occidisse Ioannem ob talem finẽ: quia occisio Ioannis duplici malitiâ homicidij contaminata est, scilicet intrinsecâ & extrinsecâ. 2. Si plures simul iunctæ malitiæ

Tertiò: Quando ob materiæ quantitatem vnũ peccatum contrahit vnam malitiam, quæ pluribus in eadem specie æquiualeat: hoc enim perinde est ac si essent plura peccata numero distincta: nam furtum centum aureorum æquialet decem furtis decem aureorum. 3. Ob quãtitatẽ materiæ.

Quartò: Quando ratione quantitatis temporis, quo actus continuatur, eius malitia æquiualet pluribus peccatis. Vt si quis vno mense fuisset occupatus ad vlciscendum se de inimico vt eum interficeret. Idem de prosecutione puellę &c. 4. Ob quãtitatem temporis.

37 Rationes dictę assertionis.

Nunc prob. Propositio: Primò, Nam sæpè fit, vt circumstantia intra eandem speciem plus malitiæ adferat, quàm si transferret peccatum in alienam speciem, aut esset duplex peccatum: sed, quando transfert in alienam speciem, est necessariò confitenda; similiter quando sunt duo peccata: ergo etiam, quando enormiter auget intra eandem speciem. Secundò: Si pœnitens non tenetur eas confiteri; ergo rogatus à Cõfessore poterit eas negare, saltem sine nouo peccato mortifero; quod tamen nemo concesserit. Consequentia patet: nam si Sacerdos interrogaret me de aliquo peccato veniali, possem negare me feciſſe, saltem sic vt non peccarem mortiferè, quia non teneor illud confiteri: ergo similiter. Tertiò: Sine confessione talium circumstantiarum non potest Sacerdos cognoscere statum pœnitentis, nec imponere debitam satisfactionem: nam plurimũ distant furtum trium aureorum, & trecentorum: homicidium subitò commissum ex ira, & commissum ex odio, diuturna machinatione.

Dices: Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. de hâc re loquens, solùm ait eas circumstantias confitendas, quæ speciem peccati mutant: ergo.

Respondeo: Concilium non dicit eas solas confitendas, sed tantùm dicit eas confitendas; de cæteris nihil dicit, quia noluit hanc quæstionem definire, sed solùm affirmare id quod extra controuersiam erat.

Dico Secundò: Circumstantiæ, quæ augent quidem intra eandem speciem, non tamen enormiter, 38

Circumstantiæ nō enormiter aggrauantes, possunt taceri.

miter, possunt omitti. Est communis Doctorum. Tales sunt omnes illę, quæ communiter solent actum comitari. Vnde non est necessariò confitēda intensio actus, nisi fortassis esset valdè extraordinaria; neque continuatio, quæ ordinariam non multùm excedit. Ratio est, quia sine his Confessario satis innotescit conscientia pœnitentis.

DVBIVM VII.

Quænam Circumstantiæ dicantur mutare speciem?

39 REspondeo: Illę omnes circumstantię dicuntur mutare speciem, quę nouam malitię speciem adiungunt actui ad eam malitiæ speciem, quam actus per se habet. Explicatur in singulis.

Quis. Circumstantia *Quis* addit nouā malitiam, quando cōditio personę peculiari ratione repugnat actui: vt si Religiosus, vel Clericus Ordinis sacri cōsentiat in turpem delectationem; nam malitiæ quæ est contra castitatem in illo consensu, addit malitiam sacrilegij contra votum. Non tamen est duplex malitia, propter duplex votum in Sacerdote religioso, sed vna malitia; quia vna iniuria in Deum, & vna voti violatio, etsi maior ob duplex votum. Sicut qui non soluit alteri quod duplici titulo Iustitiæ illi debet, non committit duas malitias seu culpas, sed vnam, contra Iustitiam, etsi maiorem, quia contra duplicem titulum. Idem dicendum de eo qui violat ieiunium duplici præcepto Ecclesiæ mandatum; vt cùm Vigilia Apostoli incidit in ieiunium Quatuor Temporum. Ratio est, Quia in his & similibus etsi sint duæ numero distinctæ obligationes, tamen honestas quę contemnitur & erat integra causa obligandi, est eiusdem rationis: vt, in violatione ieiunij contemnitur honestas Temperantiæ: in violatione voti, honestas Religionis quę est in soluendo voto. Malitia autem peccati propriè sumitur ex ordine ad honestatem virtutis quæ contemnitur, nō autem ex numero obligationū, qui solùm se habet per modum applicationis obiecti.

Sacerdos religiosus non peccat duplici peccato cōtra votum castitatis.

40 *Quid.* Circumstantia *Quid* addit nouam malitiam: vt cùm ex peccato sequitur scandalum, id est, peccatum proprium, aut alienum, vel damnum v.g. in corpore, in fama, in bonis externis &c.

Vbi. Pollutio & furtum in Ecclesia. Circumstantia *Vbi* addit nouam malitiam: vt quando opus repugnat peculiari modo sanctitati loci & immunitati: vt pollutio in Ecclesia; cogitationes turpes cū periculo pollutionis; secùs est sine periculo: pugna & furtū rei depositæ in Ecclesia; secùs si bursa alicui in Ecclesia abscindatur.

Quibus auxilijs. Occidens per assassinum. Circumstantia *Quibus auxilijs* tunc solùm addit nouam malitiam, quando propriam aliquam deformitatem continet illius vsus: vt si quis per Assassinum occideret; hoc enim peculiari præcepto prohibetur sub pœna excommunicationis. Si autem per famulum vel alium socium, non est per se noua malitia in actu homicidij; quamuis potuit præcessisse noua malitia in mandando, consulendo, rogando, scilicet malitia scandali.

Cur. Furari vt libidinem exerceas. Circumstantia *Cur*: vt quando finis externus per se malus est: vt si quis omittat ire ad Sacrum, vt legat historias turpes delectationis turpis causâ. Si furetur vt insumat in libidines.

Quomodo. Circumstantia *Quomodo*: vt si cognoscat extra vas naturale.

Quando. Circumstantia *Quando*: vt cùm specialiter prohibitum est ob sanctitatem temporis: vt si opus seruile fiat die Festo. Hæc Circumstantia alijs operibus etsi peccata sint, vt ebrietas & fornicatio &c. non addit malitiam mortalem.

Opus seruile die Festo.

Circumstantia *Circa quid* addit nouam malitiā, quando conditio aliqua materiæ vel obiecti peculiari modo repugnat operi: vt si quis furetur calicem: si cognoscat matrem vel filiam. Vbi aduerte, omnem incestum cum ascendentibus in linea recta & descendentibus, videri esse eiusdem speciei: vt, cum matre, nouerca, auia, filia, nepte, quamuis sit diuersa grauitas intra eandem speciē; quia eiusdem speciei reuerentia ascendentibus debetur. Descendentibus in linea recta non debetur quidē illa reuerentia; tamen qui filiam cognoscit, consentit in irreuerentiā quæ fit paternæ coniunctioni per filiam. Alterius speciei est cum sorore: quia aliud vinculum intercedit, alia coniunctio. Denique, quæ ex lege positiua oriuntur, sunt eiusdem speciei.

41 *Circa quid*

Cognoscere matrem vel filiam.

ARTICVLVS III.

Vtrùm quis per alium, vel per scriptum possit confiteri?

REspondet D. Thomas non posse, nisi quis vsu linguę careat. Ratio est, Quia ordinaria materia huius Sacramenti est confessio vocalis facta immediatè ab ipso pœnitente. 42

DVBIVM I.

Vtrùm confessio facta Sacerdoti præsenti per scripturam vel interpretem, sit Sacramentalis, ita vt accedente absolutione Sacerdotis sit verum Sacramentum?

REspondeo: Vtroque modo factam, esse Sacramentalem. Vide Melchiorem Canum relect. de Pœnitentia p. 5. Idem insinuat D. Thomas Quodlib. 1. art. 10. Ratio est: Quia nihil hîc deest essentiale Sacramento. Non enim de ratione confessionis Sacramentalis est, vt fiat secretò soli Sacerdoti, vt insinuat Scotus dist. 17. quæst. vnicâ. Nam hoc concessum est in fauorem pœnitentis, vt solùm cogatur secretò confiteri, cui fauori ipse ob causam in aliquo casu potest renuntiare, & publicè confiteri Sacerdoti audiente populo, & Sacramentaliter absolui; vt colligitur ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 5. & ex antiqua Ecclesiæ consuetudine. Neque etiam requiritur, vt voce fiat, quamuis hic modus sit vsitatior. Nam Christus solùm obligat, vt patefaciamus nostra crimina Sacerdoti per modum accusationis, siue id fiat verbis, siue nutibus, siue scriptura; modò signo aliquo externo fiat: quod addo, quia interno actu patefacere, sicut loquuntur Angeli, non sufficeret ad rationem Sacramenti. 43 Affirmatur.

Confessio debet fieri aliquo externo signo, non tamen necessario voce.

Dices: Si iure diuino non tenemur confiteri voce, ergo confessio facta per scripturam poterit admitti, etiamsi pœnitens possit aliquo modo voce confiteri.

Respondeo: Ob iustam causam posse admitti, vt rectè Canus suprà: vt si aliqua puella præ magna verecundia non auderet eloqui suum peccatum, posset scripto expressum tradere Confessori, sicque

sicque absolui. Sine causa tamen admitti non potest, quia generalis Ecclesiæ consuetudo vim legis habens, est, vt voce fiat; vt res ipsa declarat, & docet D. Thomas Quodlibeto 1. art. 10. De Interprete omnes fatentur.

DVBIVM II.

Vtrùm obligemur confiteri per scripturam, interpretem, aut nutus, quando aliter non possumus?

44 Non tenemur confiteri per Interpretem.

REspondeo & Dico Primò: Ex vi præcepti confessionis nemo tenetur confiteri per interpretem. Est communior sententia Doctorum: Richardi, Paludani, Scoti, dist. 17. Caietani Verbo *Confessio* condit. 11. Ratio est: quia Dominus non obligauit nos, nisi ad confitendum secretò coram solo Sacerdote: vt colligi potest ex Trident. sess. 14. cap. 5. vbi dicit, *Confessionem publicam non esse præceptam à Domino, sed tantùm eam quæ fit solt Sacerdoti.* Contrarium enim nimis graue onus, & humanæ fragilitati minimè accommodatum fuisset. Confirmatur: quia non obligamur confiteri, quando periculum est, ne Sacerdos alteri reuelet confessionem.

Excipe casum.

Dixi, *Ex vi præcepti confessionis:* nam ex præcepto charitatis sui & Dei, possumus ad id obligari; nèpe in periculo mortis; præsertim, quando dubitamus vtrùm legitimam habeamus contritionem.

45 Mutus tenetur confiteri scripto.

Dico Secundò: Verius est mutum, qui non potest confiteri, nisi scripto, præcepto confessionis obligari ad sic confitendum. Ita Petrus Soto lect. 11. Maior dist. 17. & insinuat Caietanus loco citato, etiamsi obscurè loquatur. Probatur: Quia sic potest fieri confessio sine notabili incómodo: ergo ex præcepto debet fieri: nam præcepto confessionis non præcipitur vt fiat voce, sed vt fiat eo modo, quo commodè fieri potest. Neq; periculum est, ne Sacerdos abutatur isto scripto, aut nolit restituere scriptum (quod vrget Dominicus Soto) quia non est ratio, cur id potiùs faciat, quàm cur aliàs non reuelet, dum voce confitemur. Vnde sicut tunc ei confidimus, ita etiam confidere debemus, dum scripto confitemur.

Contrariũ non est improbabile.

Contraria tamen sententia non est improbabilis, quam tenet Dominicus Soto, Ioannes Medina, & Nauarrus.

ARTICVLVS IV.

46 HOc Articulo agitur de conditionibus confessionis, quæ sunt sedecim, comprehensæ his quatuor versiculis è D. Thoma descriptis: quos etiam prosequitur Nauarrus in Cap. *Fratres* de Pœnitentia dist. 5. à num. 1. vsque ad 106.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, acceler ata,
Fortis & accusans, & sit parère parata.

Circa cõditionem *Fidelitatis*, videlicet vt confessio sit fidelis seu verax, est

DVBIVM.

Vtrùm omne mendacium in confessione sit peccatum mortiferum?

47 Affirmat Caietanus.

CAietanus Verbo *Confessio* conditione 4. affirmat, præsertim quando quis mentitur contra propositum, quod antè habuit, confitendi illius peccati. Probatur Primò: Quia D. Thomas 2. 2. quæst. 69. art. 1. dicit mentiri in iudicio, esse peccatũ mortale: atqui iudicium hoc Sacramentale est dignissimum: ergo &c. Secundò: Quia facit materiam Sacramenti falsam; quod est sacrilegium.

48 Distinguet si res grauis.

Respondeo & Dico Primò: Mentiri in re grauí, est peccatum mortiferum: vt, si quis accuset vel neget peccatum mortiferum, quod non erat accusandum vel negandum.

Si res leuis.

Dico Secundò: Mentiri de re leui in confessione, est solùm peccatum veniale. Ita Nauarrus in Capitulo *Fratres* num. 15. & sequentibus. Sotus dist. 18. quæst. 2. art. 4. & alij. Ratio est, quia hoc mendacium nec est contra integritatem confessionis, cùm peccatum veniale non sit materia necessaria: nec est contra effectum confessionis, quia attritio de peccatis mortiferis, quę sufficit ad obtinendum effectũ in hoc Sacramento, potest consistere cum peccato veniali: nec est contra veritatem formæ, quia in forma non dicitur, *Absoluo te ab his peccatis*, sed *à tuis peccatis*; neque demonstrat materiam, sed eam vagè significat. Secùs est de formâ consecrationis, quæ demonstrat materiam, cùm dicitur *Hoc est Corpus meum*, quæ falsa redditur, si vel vna hostia chartacea ponatur inter hostias veras; falsa (inquã) quo ad illam chartaceã: vnde peccatum mortiferum esset veris hostijs immiscere vnam falsam, non tamen est mortiferum veris peccatis in confessione immiscere vnũ falsũ.

Si tota cõfessio reddatur falsa.

Dico Tertiò: Si quis ita confiteretur, vt totam confessionem faceret mendacem, peccaret mortiferè, etiamsi solùm venialia confiteretur. Ratio est; quia irritum reddit totum illud iudicium Sacramentale: nam vbi non est vera confessio, ibi non est vera absolutio.

49 Respondetur argumentis Caietani.

Ad priorem rationem in contrarium suprà allatam: Respondeo, Etsi mendacium in iudicio sit mortiferum, quando est contra iuramentum, vel in notabile damnum alterius; id tamen aliàs non est mortiferum.

Ad secundam: Non facit totam materiam falsam: suppono enim illum alia verè confiteri: sed solùm particulam quandam materiæ non necessariæ falsam facit, quod non vitiat totam confessionem.

QVÆSTIO X.

De Effectibus Confessionis.

Vide D. Thomam, nihil enim hîc dicendum præter ea, quæ suprà dicta sunt de Pœnitentia, & de Contritione.

QVÆ-

QVÆSTIO XI.

De sigillo Confessionis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in quolibet casu Sacerdos teneatur celare, quæ sub sigillo confessionis accepit?

1 Affirmatur contra Gabrielem.

REspondeo Affirmatiuè. Ita sentiunt omnes Doctores, excepto Gabriele dist. 21. quæst. vnica, qui putat saltem ob periculum mortis posse reuelari: *Quia*, inquit, *neque præceptum positiuum secreti, neque naturale secreti obligat cum tanto dispendio.* Imò extendit hoc ad periculum famæ & fortunarum.

Sed est error. Confirmatur ex Gregorio, Canone *Sacerdos*, de Pœnitentiâ dist. 6. vbi dicitur, *Ob nullum scandalum id licere*, id est, ob nullum malum vitandum, quod inde potest sequi. Vide Nauarrum in illum Canonem, nu. 130. & deinceps.

DVBIVM I.

Quo Iure teneamur in omni casu hoc secretum seruare?

2 Tenetur Sacerdos ad hoc secretum.

NOtandum: Vario Iure teneri Sacerdotem ad hoc secretum. Primò, Iure naturali secreti, quo tenemur secreta nobis commissa celare; propter infamiam, vel alia incommoda, quæ ex reuelatione possunt sequi. Sed hoc ius non obligat, quando reuelatio necessaria est ad aliquod graue malum auertendum: vt, ad impediendum homicidium vel proditionem.

3. Iure naturali secreti.

4. Iure naturali Religionis.

Secundò, Tenetur Iure naturali Religionis, quatenus obligatur nihil facere contra reuerentiã debitam huic Sacramento, cuius dignitas postulat secretum, eò quòd id, quod in eo dicitur, Deo dicatur; & quia alioqui redderetur exosum. Sed hæc obligatio, quatenus est Iuris naturæ, non habet vim in omni casu, sicut nec obligatio secreti iuramento consignati; quamuis in hoc etiam sit duplex obligatio, scilicet secreti naturalis & iuramenti. Verùm vt hoc in aliquo casu potest aperiri sine violatione naturalis obligationis iuramenti, quando nimirum esset in perniciem publicam, vel priuatam alicuius; ita etiam poterit istud secretum cõfessionis sine iniuria Sacramenti aperiri, quando similis casus vrget. Nam reuerentia, Iure naturæ debita huic Sacramento, non postulat, vt secretum seruetur, quando pœnitens machinatur malum in alterius perniciem: sicut reuerentia naturaliter debita Eucharistiæ non postulat, vt species in omni casu sumantur. Neque inde sequitur propinquum aliquod periculũ contemptus vel odij confessionis, sicut nec iuramenti. Quia rationi consentaneum est, vt non seruetur secretum, quod malignitas committentis intendit in alterius graue incõmodum. Vnde Dominus sine dubio potuisset illud permittere sine vlla huius Sacramenti iniuria.

5. Iure Ecclesiastico positiuo.

Tertiò, Tenetur Sacerdos Iure Ecclesiastico positiuo. Patet Canone *Sacerdos*, de Pœnitentia dist. 6. vbi Gregorius id præcipit sub pœnâ depositionis, & perpetuæ peregrinationis. Et Concilium Lateranense idem præcipit sub pœna inclusionis in arctum monasterium ad perpetuam pœnitentiam. Sed his locis non conditur nouum ius, quo id præcipiatur, sed explicatur dumtaxat obligatio antiqua, addità nouâ pœnâ.

Ex his sequitur, Hanc arctissimam obligationem, qua Sacerdos in omni euentu tenetur hoc secretum, confessione Sacramentali veluti quodam sigillo consignatum, seruare, ortam esse ex iure diuino positiuo, quo Dominus hoc Sacramentum instituens, Apostolisque tradens, sic statuit seruari (in reuerentiam huius iudicij, in quo pœnitens loquitur Sacerdoti tanquam Deo, & Sacerdos tanquam Deus absoluit & iudicat:) idque eo fine vt iugum confessionis fidelibus esset suauius, ipsique liberiùs & sine vllo metu sese Sacerdoti, tanquam Deo aperirent. Vide Scotum distinct. 21. Nauarrum cap. 8. num. 2. Medinam quæst. 45.

3 4. & arctissimè, iure Diuino positiuo.

Confirmatur: Quia nisi id ita in omni casu statutum fuisset iure diuino positiuo, sed relictum soli iuri naturali, periculum fuisset, ne confessio sensim redderetur exosa; itáque aditus ad remissionem peccatorum præcluderetur: quod sanè maius malum est, quàm amissio vitæ Sacerdotis, aut Reipublicæ proditio. Quòd autem tale periculum fuisset, ex eo patet; quòd iure naturæ in multis casibus licuisset illa secreta patefacere, sicuti & secreta iuramento confirmata. Vnde ad tanti mali periculum excludendum meritò Dominus in omni casu voluit hoc secretum seruari.

Confirmatur à simili in humanis.

Simile videmus in iure humano: Dux enim potest præscribere militi excubias certo loco, etiamsi periculum mortis ibi immineat; quia maius malum est interitus Reipublicæ, cui imminet aliquod periculum, quàm mors vnius hominis. Pari ratione potuit fieri statutum in Ordine Carthusianorum obligans ad perpetuam carnium abstinentiam, etiamsi mors inde alicui citiùs esset obuentura: nam relaxatio abstinentiæ, cuius erat aliquod periculum, maius malum est, quàm paucorum vitam accidi.

4 Confessaria.

Ex dictis sequitur Primò: Si maritus adulteræ aggrederetur Sacerdotem stricto ense, cui vxor peccatum suum est confessa, volens scire an ipse sciat de adulterio, vel audiuerit, vel vxor sit ei confessa, non posse illud reuelare, sed potiùs debere mortem perpeti. Potest autem in tali casu dicere, se nescire quidquam nec quidquam de tali peccato vxoris, audiuisse; idque iuramento confirmare. Ratio est; Quia non nouit, vt homo, seu vt pars Reipublicę Politicę, vt possit illud reuelare; sed nouit vt Deus, id est, vt locum Dei tenens: quomodo Christus dicit *Se non nosse diem Iudicij*, Marci 13. Eademque est ratio, si interrogetur à Iudice. Non tamen posset dicere, Se non audiuisse in confessione, vel vxorem hoc non esse confessam: nam hoc simpliciter falsum est; nisi adhibeat restrictionem mente, scilicet, vt possim illud reuelare. Vide Nauarrum num. 19.

Confessor potiùs eligat occidi, quàm reuelare confessionem.

Alterius confessionē in sua aperire non potest.

Sequitur Secundò: Sacerdotem non posse in confessione sua aperire peccatū, quod alius ei cōfessus est: quod est contra Gabrielē & Dom. Sotū. Sed est certa sententia, & communis. Ratio est, quia integritas confessionis non esset seruanda tam strictè, quàm hoc secretum: nam multis casibus licet non integrè confiteri, vt suprà qu. 9. art. 2. dub. 1. dictum est: non tamen licet secretum confessionis patefacere.

Post absolutionem ne quidem ipsum pœnitentem moneat.

Sequitur Tertiò: Cōfessariū post absolutionē, non posse amplius de peccatis confessis pœnitentem, sine eius venia, rogare aut monere: quia iudicium illud iam transactum est. Potest tamen Cōfessarius in cōfessione posteriore pœnitentem interrogare de peccatis confessionis prioris; quia versatur in eodem foro.

DVBIVM II.

Vtrum Sacerdos extra cōfessionem possit interdum vti scientiâ ex confessione parta, saltem ad gubernationem?

3 Affirmativa sententia est fere omnium, & illustratur.

REspondent ferè omnes Doctores, Posse: modò id ita circūspectè fiat, vt nec directè, nec indirectè moueatur alijs suspicio alicuius peccati pœnitentis; & alioqui immineret pœnitenti, vel alteri magnum aliquod periculum.

Explicatur Primò: Si Superior ex confessione cognoscat pœnitentem esse omnino neptum ad officium quod gerit, vel etiam perniciosè administrare, potest eum posteà officio priuare, si ad nutum auferri potest: secùs verò, si officium est perpetuum, vel definiti temporis.

Secundò: Si agatur de electione, possum negare meum suffragium, præsertim secretum, ei, quem ex confessione cognoui indignum.

Tertiò: Si habeam famulum furem, idque ex confessione cognoui, possum ei non credere pecunias, vel etiam à me dimittere, modò aliam iustam causam possim prætendere.

6 Negatiua tamen & ratione, & Clementi VIII. videtur conformior.

Verùm contraria sententia est valdè consentanea dignitati huius iudicij: decet enim, vt eâ scientiâ, quâ accepit in illo secretissimo tribunali; vbi pœnitens illi tanquam Deo loquitur, nō vtatur extra illud tribunal ad rerum humanarum directionem. In hanc sententiam inclinat Henricus Quodl. 8. qu. 29. & 31. Et confirmatur: quia vti hâc scientiâ in opere externo, est secretum confessionis per effectum suum patefacere. Neque satis esse videtur, quòd hoc non possit ab alijs animaduerti; quia saltem nō retinetur in animo occultū. Accedit; quòd sic maior erit libertas pœnitentibus, qui alioquin sæpè non audebunt se aperire, metuentes aliquod incommodū ex vsu eius scientiæ. Vnde patet non deesse rationem, cur id ita à Christo posset præcipi. An autē reipsa præceperit, non satis constat. Certè Clemens VIII. A. 1592. die 26. Maij edidit decretum, quo præcipit Superioribus Regularium, vt diligentissimè caueant, ne eâ notitiâ, quam in confessione de aliorum peccatis habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.

7 Aliquando superiores tenentur vti eâ scientia.

Posset tamen incidere casus, in quo Superiores eâ scientiâ tenerentur vti: quia contraria sententia est probabilis. Nec Ius humanum potest efficere, vt sententiâ probabili non possim vti, quando id necessarium est ad ingens malum impediendum. Vide D. Thomam hîc ad 1. & 4.

ARTICVLVS II.

Quænam cadant sub sigillum confessionis?

8 Omne peccatum, & omne inducens in eius cognitionē cadit sub sigillum.

REspondeo & Dico Primò: Directè sub hoc sigillum cadunt omnia peccata mortifera in genere, & in specie; & omnia venialia in specie: indirectè verò omnia ea, quæ possunt ducere in notitiam peccati pœnitentis. Est certa, & cōmunis Doctorum. Ratio est: quia quidquid est materia confessionis, id omne per sanctitatē huius Sacramenti veluti consignatur, ne possit reuelari; & consequenter omne id; vnde peccatum pœnitentis posset coniectari.

Casus varij, quibus violatur sigillum.

Hinc colliguntur varij casus, vt videre est apud Nauarrum. Primò: Violari hoc secretum, si quis dicat, *Iste mihi confessus est mendacium iocosum, vel animi distractionem*, &c. Imò id esset peccatū mortiferum. Neque leuitas materiæ excusat, vt rectè Nauarrus, Sotus, & alij docent: quia fit notabilis iniuria huic sacro sigillo; sicut in iuramento assertorio leuitas materiæ nō excusat. Nō tamen violat sigillum, qui dicit in genere, *Iste mihi confessus est peccata venialia*; nam per ipsam absolutionem, hoc implicitè dicit.

Secundò, Esset contra sigillum, si peccatum tertiæ personæ, quod pœnitens confitendo explicuit, aperiret. Ratio est: quia hoc etiam sub sigillum cadit, quando à pœnitente tanquam circumstantia sui peccati refertur; secus verò, si omnino impertinens sit ad peccatum pœnitentis, & non dicatur vt circumstantia.

Tertiò, Violari sigillum, si quis dicat, *In tali monasterio, vbi confessiones audiui, fiunt multa peccata*: nam etsi personam non exprimat in particulari, tamen exprimit communitatem, quæ non ita magna est, quin de multis possit haberi suspicio in particulari. Secùs, si quis dicat, *In tali ciuitate aut regno*: quamuis & hoc malè dicatur, præsertim de ciuitate.

Quartò, Etsi Ioannes Medina q. 47. & Adrianus qu. vlt. de Confessione, putent licitum dicere de peccatore publico, *Hic mihi confessus est sua publica peccata*; verius tamen videtur, non licere; vt docet Nauarrus in Capit. *Sacerdos*, num. 62. Quia etsi non reuelet peccata absolutè, reuelat tamen secretum confessionis, seu peccata, quatenus in confessione sunt detecta. Videtur tamen non esse mortiferum: nam hoc ipso, quo illum absoluit, implicitè testari videtur, illū sua publica peccata confessum, quamuis non necessariò hoc indicet.

Quintò, Violat sigillum, qui dicit, *Iste mihi est confessus, sed eum non absolui*, quidquid dicat Caietanus: quia vix vnquam absolutio negatur, nisi ob impœnitentiam, vel casum reseruatum.

9 Defectus Naturales & similia non cadunt sub sigillū.

Dico Secundò: Defectus naturales, & aliæ imperfectiones, quæ neque sunt peccata pœnitentis, neque peccatorū circumstantiæ, non cadunt propriè sub obligationē huius secreti. Ratio est; quia horum narratio facta à pœnitente in confessione, nullo modo pertinet ad confessionem, seu ad iudicium huius tribunalis; sed est illi merè extrinseca: ergo confessionis secretum nō consignat ea. Tenetur tamen Sacerdos iure naturali secreti, & ad vitandum scandalum, hæc tacita tenere.

DVBIVM.

DVBIVM.

An ea peccata, quæ quis confitetur sine proposito emendationis, cadant sub sigillum confessionis?

10 Si pœnitens nolit absolui.

REspondeo & Dico Primò: Si ille non accedat animo consequendi absolutionem virtute Clauium, sed solùm animo decipiendi Confessarium, vel pertrahendi in suam sententiam, vel petendi consilij, non cadunt eius peccata sub obligationem huius secreti. Est communis DD.

Si velit absolui, sed non abstinere.

Dico Secundò: Si bono animo accedat vt se Clauibus subijciat, & absolutionem consequatur, etiamsi nolit abstinere, cadunt tamen eius peccata sub sigillum confessionis. Est communior sententia Doctorum. vide Nauarrum Capitulo, *Sacerdos*, num. 120. & sequentibus, vbi plurimos pro hac sententia citat contra Panormitanum, Ancharanam, & quosdam alios Canonistas: & contra Alexandrum Halensem, Angelum, & Siluestrum, qui tenent peccatum quod committendum est, posse reuelari; id est, quando Pœnitens habet firmum propositum committendi peccatũ, quod confitetur.

Probatur nostra sententia: Quia, vt confessionis secretum obliget, non requiritur, vt confessio sit valida: sic enim latissima ianua pateret Sacerdotibus reuelandæ confessionis; sed sufficit, vt pœnitens bona fide confiteatur, seque subijciat Clauibus Ecclesiæ, vt ab illo absoluatur, quamuis fateatur se ita ad illud impelli, vt non possit abstinere. Sic enim interdum faciunt peccatores, qui necessitate quadam sibi videntur ad peccatum impelli, & dolent, rogantque Deum, vt ignoscat. Vide plura apud Nauarrum.

ARTICVLVS III.

Vtrùm solus sacerdos obligetur sigillo Confessionis?

11 Præter cõfessorem varij obligantur sigillo.

REspondeo: Non solus Sacerdos, sed etiam omnes alij, qui norunt peccata confessa ex ipsa confessione, obligantur sigillo confessionis. Ratio est: quia quatenus solùm ex confessione innotescunt, eatenus sunt sacro illo sigillo obsignata, ita vt sine sacrilegio non possint aperiri. Confirmatur: quia res ad quemcumque transit, cum suo onere transit. patet in hypotheca: sed peccata cognita in confessione habent illud onus: ergo.

1. Malignè auscultantes.

Vnde sequitur Primò: Teneri cùm, qui malignè auscultauit confitentem.

2. Fortuitò audientes.

Sequitur Secundò, Etiam eum, qui casu & sine culpâ audiuit: vt rectè Nauar. cap. 8. Enchiridij: quod est cõtra Dom. Soto. Ratio est: quia iste nõ nouit nisi ex cõfessione, & res cũ suo onere transit.

3. Interpres

Sequitur Tertiò, Etiam interpretem, quo pœnitens vtitur in confitendo; vt omnes docent præter Sotum: sed est eadem ratio.

12 4. Is cui cõfessor nefariè aperuit.

Sequitur Quartò: Etiam eum, cui confessio à Sacerdote nefariè fuit patefacta; vt communiter docent Doctores: quod est contra Medinam qu. 46. Ratio est: quia hic non nouit, nisi ex confessione. Cùm enim Sacerdos reuelans non sciat, nisi ex confessione, censetur etiam is, cui iniquè reuelatur contra pœnitentis voluntatem, tantummodò ex confessione scire. Hinc si iudex à Sacerdote sigilli violatore audiuisset hunc commisisse homicidium, non posset vllo modo ex hac cognitione contra reum procedere. Imò si aliquem condemnasset ad mortem conuictum testibus, deberet illũ absoluere, vbi intelligeret totam accusationem vel delationem ex confessione reuelata ortam esse. Quæ est communis sententia Doctorum. Vide Sotum dist. 18. q. 4. a. 5. sub finem.

Non tamen consiliarius vel doctor.

Secùs verò est, si concessu pœnitentis Sacerdos illi dixisset: tunc enim ille non teneretur sigillo cõfessionis: & in hoc casu sententia Medinæ vera est. Ratio est: quia hoc perinde est, ac si ipse pœnitẽs dixisset illi tertio extra cõfessionẽ. Nec obstat quòd pœnitens concesserit solùm hac conditione reuelari peccatum illi tertio, vt ille eodem iure teneretur peccatũ sic reuelatum silentio comprimere: quia non potest pœnitens imponere obligationem sigilli confessionis, vbi ex natura rei non est. Non enim ex conuentione aut voluntate partium pendet hæc obligatio, sed ex natura rei. Vnde etiam Doctor, quem pœnitens consulit vel permissu pœnitentis Confessarius, non tenetur sigillo confessionis, etsi Nauarrus & quidam alij contrarium sentiant. Neque valet hîc ratio Nauarri, *Res transit cum suo onere*: quia ille Doctor non accipit cognitionem peccati, vti confessione signatur, sed vt per pœnitentẽ extra confessionẽ patefacti. Nam cùm Sacerdos refert illud ex consensu pœnitentis, perinde censetur, ac si ipse pœnitens extra confessionem referret.

5. Suppositicius confessor.

Sequitur Quintò: Teneri hoc sigillo eum, qui se gerit tanquam Sacerdotem, cùm non sit, & sic audit confessiones. Ita Paludanus, Sotus, Gabriel dist. 21. & Adrianus qu. vltimâ de Confessione. Ratio est: quia peccatum illi innotescit ex confessione, quæ ex vera & prudenti intentione pœnitentis est sacramentalis, & ordinatur ad absolutionem potestate Clauium impetrandam. Nec refert, quòd decipiatur circa personã, cui confitetur: nam est solùm deceptio facti, quæ facilè in prudentissimum cadere potest, nec impedit quò minùs sit vera & prudens intentio Sacramenti; quare confessio illa debet censeri sacramentalis.

13 Non tenetur laicus cui vt laico confiteris.

Sequitur Sextò: Non teneri hoc sigillo Laicũ, cui aliquis in extrema necessitate confitetur, quidquid dicat Nauarrus cap. 8. num. 7. & quidam alij. Ita sentit Sotus, dist. 18. q. 3. art. 5. & insinuat D. Thomas hîc in Corpore. Ratio est: quia confessio, quæ illi fit, non est sacramentalis; non enim ordinatur ad sacramentalem absolutionem. Quòd si pœnitens adeò sit rudis, vt putet eam esse verè sacramentalem, fallitur aperte in iure diuino; & perinde est ac si putaret etiam esse Sacramentum, dum se aperit Doctori ad habendũ consilium.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm ex cõsensu pœnitentis possit Sacerdos aperire, quæ audiuit in Confessione?

14 Quidam negant.

QVidam putant non posse, nisi pœnitens extra confessionem rursus narret peccatum. Ita Scotus, Durandus, Gabriel, & Maior dist. 21.

Affirmatur.

Sed verius est, absolutè posse. Ita ceteri Doctores. Probatur Primò: Ex Capitulo *Significasti, de Adulterijs*, vbi habetur quomodo Sacerdos detexerit adulterium cuiusdam mulieris cum alio Sacerdote ipsa volente. Probatur Secundò: Ratione. Nam dum pœnitens concedit hanc facultatẽ Sacerdoti, perinde facit secundùm æstimationem moralẽ, ac si ipsemet alteri diceret: perinde enim est siue per tę dicas tertio, siue facias potestatẽ Sacerdoti vt illi dicat. Confirmatur: Quia ille tertius non censetur scire ex confessione, sed extra confessionem.

Permittens peccatum suum reuelari, non dispensat in Iure diuino.

Dices Primò: Sacerdos Iure Diuino tenetur celare: atqui pœnitens non potest dispensare in Iure diuino: ergo &c.

Respondeo: Pœnitentẽ non dispensare in Iure diuino, sed per suum cõsensum apponere circumstantiam, quâ positâ, desinit Ius diuinũ obligare. Sicut si condones mihi quod tibi iuramento promisi, non dispensas in iuramento, sed apponis circumstantiã, quâ positâ, desinit iuramentũ obligare: nam solùm in tui fauorẽ obligabar, ac proinde sub tacitâ quâdam conditione, nempe si velles.

Sigillum principaliter est institutum in fauorem pœnitentis, non Sacramenti.

Dices Secundò: Sigillum introductũ est in fauorem publicum; sicut priuilegium illud quòd Clericus non possit trahi ad tribunal sęculare: ergo sicut Clericus non potest huic fauori renuntiare, ita nec pœnitens illi.

Respondeo: Præceptũ Sigilli confessionis primariò introductũ est in fauorem pœnitentis. Primarius enim finis est, vt confessio non esset suspecta & metuenda pœnitenti; non autem, vt honor haberetur Sacramento: quamquam hinc pendeat ratio obligandi: sicut obligatio iuramẽti promissorij tota est in fauorem eius, cui fit promissio; ratio tamen obligans est reuerentia Religionis. Secùs est de priuilegio Clericorum: hoc enim datũ est principaliter in honorem Ordinis Clericalis; qui censetur contemni, & iniuriâ affici in omnibus Clericis, dum aliquis Clericus ad tribunal sæculare pertrahitur.

15 Qualis deb. bear esse scientia pœnitentis, vt possit reuelari peccatum.

Obseruandum tamen Primò: Hanc licentiam debere cõcedi expressè, vt omnes fatentur. Neque sufficit implicita seu interpretatiua licentia; multoque minùs sufficit ratihabitio. Secundò: Debere esse omnino liberam, nulloque modo coactam. Vnde si vxor coacta à marito, daret hanc potestatem Confessario, esset sacrilegium reuelare. Tertiò: Debere subesse iustam causam: alioquin si leui de causa fiat hæc concessio, nihilominùs erit aliquod peccatum sacrilegij reuelare: per se tamen non esset mortale: posset tamen esse mortale ratione scandali.

ARTICVLVS V.

Vtrùm, quando Confessarius aliâ viâ nouit peccatum siue ante siue post confessionem, possit illud reuelare?

16 Affirmatur.

REspondeo: Certum est, posse: vt communiter docent DD. Vide Nauarrũ Capit. *Sacerdos*, num. 161. Probatur: Quia per confessionem non amittit ius illud, quod anteà habebat, vel pòst aliâ viâ acquisiuit: alioqui confessio euerteret iudicia, & fraudibus patrocinaretur: vt, si aliquis coram duobus Sacerdotibus crimen homicidij commisisset, illis confiteretur, ne posset accusari vel deferri.

Cautela.

Cauendũ tamen, vt nihil amplius dicat, quàm extra confessionem nouit: neque magis affirmet, quàm ratio per quam nouit, patiatur. Cauendum quoque omne scandalum.

QVÆSTIO XII.

De Satisfactione, quæ est tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ. *Et primò, de eius essentia.*

1 Satisfactionis duplex Acceptio.

CIrca hanc quæstionem: Notandũ Primò: Nomen *Satisfactionis* esse commune ad cõpensationem, quę fit in rebus ex cõtractu, vel damno illato, quæ cõpensatio propriè dicitur *Restitutio*: & ad eam, quę fit in commutatione actionum, præsertim ex illata iniuria; quæ, quia proprio nomine caret, retinet nomen genericum *Satisfactionis*.

2 Debetur Deo, pro illata ei iniuria.

Notandum Secundò: Per peccatum fieri iniuriam Deo, dum Deus per illud quodãmodò contemnitur, eiusq; honor læditur. Vnde pro eo, Iure naturæ debetur Deo satisfactio. Si enim homini debita est satisfactio ob iniuriam ei irrogatam, multò magis Deo. Hæc autem Satisfactio est duplex: scilicet pro culpa peccati, & pro pœna. Pro culpa quidẽ: Quia enim peccator voluntariè Deo fecit iniuriam lędens eius honorem, obligatur ad hanc voluntatem retractandam, & contrario affectu diuinum honorem sarciendum: quod fit actu cõtritionis, quo dolemus de iniuria Deo illata, & contrario affectu honorem diuinum restituimus, (non quidem efficaciter, sed quo ad affectum:) proponentes Deo obedire. Et hæc dicitur satisfactio pro culpâ, id est, pro voluntariâ in Deum iniuriâ, quatenus hæc iniuria constituit hominẽ formaliter peccatorem, & iniurium in Deũ: oriturq; obligatio huius satisfactionis in peccatore immediatè ex ipsa culpa. Altera satisfactio est pro pœna debita: nam ex iniuria oritur in eo, cui iniuria infertur, ius puniendi siue per se, siue per iudicem: & in peccatore oritur reatus pœnæ, id est, obligatio sustinendi pœnam. Et quamuis non sit necesse ad æqualitatem iustitiæ, vt peccator sibi pœnam inferat (satis enim est, vt alter, qui offensus est, eam infligat:) tunc tamen non erit verè *Satisfactio*, sed *Satispassio*. Vnde vt propriè dicatur *satisfacere* peccator, necesse est vt iniuriam in se vindicet, sibique pœnam infligat; præsertim cùm hæc satisfactio tendat ad reconciliationem.

Satisfactio, alia pro culpa.

Alia pro pœna.

Differentia inter Satisfactionem & Satispassionem.

Notandum Tertiò: Remissâ culpâ mortiferâ, id est, condonatâ iniuriâ, seu læsione honoris diuini (quatenus constituebat hominem formaliter peccatorẽ) & consequenter remissâ pœnâ æternâ, remanere debitũ pœnæ temporalis. Nam homine iustificato, non potest debitũ pœnę æternę quod antè erat, permanere: sed necesse est vel totũ tolli, vel commutari in debitum pœnæ temporalis, vt

3 Remissâ culpâ mortali, adeoque & pœnâ æternâ, remanet debitũ pœnæ temporalis.

Doctores

Doctores loquuntur; id est, tolli æternitatẽ, & remanere debitũ pœnarũ per aliquod determinatũ tempus sustinendarum. Fieri enim nequit, vt iustificatus sit debitor pœnæ æternæ, cùm habeat ius ad æternam beatitudinem, quod non minùs est efficax, quàm debitum pœnarũ; imò est efficacius: nam contra iustitiam esset, si ei non satisfieret; nõ autem esset contra iustitiam, si pœna non soluerẽtur. Quòd verò non tollatur totum debitum pœnę per iustificationem, patet ex dictis suprà quæst. 86. art. 4.

4 Quantum id sit, soli Deo notũ.

Quantum verò præcisè ex ipsa iustificatione remaneat pœnarum, soli Deo notum est, cuius arbitrio hæc res determinatur. Certum tamen est, esse aliquid determinatum. Quod tamen varium est, pro varietate, grauitate, & multitudine peccatorum: de quo tamen aliquid detrahitur per contritionem, qua peccator se disponit ad iustificationẽ. Si enim hęc cõtritio est meritoria gloriæ, vt plerique Doctores tradunt, cur non etiam remissionis pœnæ temporalis? quin imò potest hæc esse tam vehemens, vt omnẽ debitũ pœnæ exhauriat. Pari modo virtute huius Sacramenti aliquid detrahitur: Nam hoc Sacramentum non solùm ad remissionem culpę & pœnę ęternę est institutum, sed etiam pœnæ temporalis; quia institutum est ad perfectè delendum peccatum.

Verùm quia ordinariè neque cõtritio est adeò perfecta, vt totum debitũ pœnę temporalis, quod præcisè ratione iustificationis supereſt, tollat; neque etiam ipsa absolutio totum quod reliquũ est, auferat; ideò Dominus huius Sacramenti partem tertiam voluit esse *Satisfactionem*, quæ partim vi sua, partim virtute Clauium deleat, quod reliquum est pœnæ temporalis.

5 Cur Christus voluerit satisfactionem esse partem Sacramẽti.

Ex his patet quid sit *Satisfactio*: quod D. Thomas explicat hâc qu. 12. Nam *Satisfactio* hoc loco generatim est *Compensatio iniuriæ per peccatum Deo illatæ*; estq; duplex, scilicet pro culpa, & pro pœna. *Satisfactio pro culpâ*, est cõpensatio pro iniuria Deo illata, quatenus illa constituit hominem formaliter peccatorem. *Satisfactio pro pœnâ*, est compensatio pro iniuriâ, quatenus inducit reatum pœnæ, seu obligationem pœnæ sustinendæ.

6 Quid *satisfactio*, & quæ duplex.

QVÆSTIO XIII.

De Satisfactionis possibilitate.

ARTICVLVS I.

Vtrũ possit homo Deo satisfacere?

7 Homo Deo est debitor duobus titulis, beneficij & iniuriæ.

NOtandum est: Hominem dupliciter esse Deo debitorem. Primò: Ratione beneficiorũ; & sic pro modulo suo ei satisfacit per virtutẽ Religionis; vt sacrificio, laude, gratiarum actione &c. Sed de hac satisfactione nõ est hîc quæstio. Secũdò: Ratione iniuriæ illatæ per peccatũ. In peccato autem sunt tria, pro quibus potest intelligi fieri satisfactio, scilicèt culpa, pœna æterna, & pœna temporalis, quæ remissâ culpâ & pœnâ æternâ supereſt luenda. Nunc est

DVBIVM I.

Vtrùm homo possit condignè satisfacere pro culpa mortifera, & pœna æterna?

8 Quidam existimant.

QVidam Catholici existimarunt, posse: idque duplici fundamento: Alterum est, Quia cõtritio naturâ suâ delet peccatũ, sicut lux tenebras; ac proinde satisfacit pro illo: in tali enim modo delendi peccata implicitè continetur efficacissima satisfactio. Alterum est, Quia contritio æquialet iniuriæ Deo illatæ, eamque ex æquo compensat: quia nõ minùs efficaciter honorem Dei instaurat, quàm eum læserit: sicut enim læsit solo affectu, ita etiam affectu eundem resarcit.

9 Verius est contritione non deleri formaliter culpam mortalem.

Respondeo & Dico Primò: Contritio non delet culpam mortalem, tamquam forma contraria. Est communis sententia Doctorum.

Tridentinum.

Probatur Primò: Ex Concil. Trid. sess. 6. c. 6. vbi dicit, *Contritionem esse dispositionem ad iustificationem*: ergo non est causa formalis iustificationis, ac proinde non delet formaliter peccatum vt forma contraria. Capite 7. dicit remissionem peccatorum consequi seriem dispositionum capite 6. descriptam, in qua serie includitur contritio: atqui, si formaliter fieret remissio culpæ per contritionẽ, non sequeretur, sed intimè in eâ includeretur. Eodem capite 7. docet nos formaliter iustos esse per donum quoddam permanens, quod nobis infunditur secundùm mensurã nostræ dispositionis: atqui contritio neque est donum permanens, neque propriè infunditur, neque datur secundùm nostram dispositionem, sed ipsamet est dispositio à nobis elicita. Et capite 9. dicit necessarium esse credere, neque remitti, neque remissa vnquã fuisse peccata, nisi gratis diuinâ misericordiâ propter Christum: atqui iuxta illam sententiã non remitteretur gratis, neque ex misericordia, sed ex iustitia; imò ex naturali necessitate, sicut infusa luce delẽtur tenebræ. Nec sufficit, si dicas peccata gratis remitti, quatenus gratis datur auxilium præueniens, quo auxilio peccator elicit cõtritionem: quia sic etiam dicere possemus vitam æternam numquam dari, nisi gratis & ex misericordia, non autem ex meritis: nam auxilium præueniens ad merendum datur gratis.

Absurdum primum.

Probatur Secundò: Ex illa sententia sequitur, remissionem peccatorum non esse nouum beneficium pœnitentibus distinctũ ab actu cõtritionis: nam intrinsecè includitur in contritione, veluti intrinsecus effectus eius formalis, sicuti depulsio tenebrarũ intrinsecè includitur in lumine, nec est quid distinctum; & sicut exclusio cæcitatis includitur in visu: atqui hoc est contra Scripturas, quibus promittitur remissio peccatorũ pœnitẽtibus, tanquam nouum & summum beneficium: Ezechielis 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor.* Prouerb. 28. v. 13. *Qui confessus fuerit scelera sua, & reliquerit ea, misericordiam consequetur*: & alibi. Et est contra Concilium Trident. sess. 14. c. 4. *Fuit*, inquit, *quouis tempore ad impetrandam peccatorum veniam hic contritionis motus necessarius, & in homine post Baptismum lapso ita demũ præparat ad remissionẽ peccatorum, si cum fiducia diuinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua cõmunctus sit*: vbi Concilium duplicem distinctionem insinuat.

Absurdum secundum.

Probatur Tertiò : Si contritio formaliter deleret peccatum, homo esset causa efficiens & principalis suæ iustificationis, & remissionis peccatorum : nam instructus gratiâ præueniente elicit in seipso actum contritionis efficaciter, tanquâ causa physica & principalis in suo ordine: atqui illud est absurdum ; nam sic multò perfectiùs seipsum iustificaret, & peccata deleret, quàm si iustificationem & remissionem peccatorum ex condigno mereretur.

10 Cõtritione etiam non exhibetur æquiualens satisfactio pro culpa mortali.

Dico Secundò : Contritio etiam non delet culpam mortalem tanquam æquiualens satisfactio pro illa exhibita.

Probatur Primò : Quia satisfactio condigna, sicut & meritũ, postulat vt satisfaciens sit in gratiâ (sit enim satisfactio per modum meriti.) Atqui cõtritio, si cõsideretur, vt est prior remissione peccatorum, non procedit à subiecto grato ; nam in illo signo adhuc intelligitur inesse peccatũ ; vnde non potest esse æquiualens satisfactio. Si autem cõsideretur, vt est posterior remissione peccatorũ, iam non potest esse satisfactio pro culpa, aut pœna æterna ; quia iam intelligitur facta esse gratis remissio : sicut neque potest esse meritoria gratiæ iustificationis ; quia iam intelligitur homo iustificatus.

Non ita instaurat Dei honorem contritio, vt peccatũ lædit.

Probatur Secundò : Quia peccatum in suo genere est longè maius malũ, quàm contritio in suo genere sit bonum ; est enim iniuria Dei, eiusque veluti læsio; vnde in genere malorum, est summũ. Neque verum est contritionem sic instaurare Dei honorem, sicut peccatum læsit : quia longè pluris æstimatur vna iniuria vilis personę in Principem, quàm mille eiusdem honores. Et quamuis contritio nõ videatur habere minorem vim ad conuertendum animum in Deum, quàm peccatum habeat ad vertendum, si ipsos reales actus spectemus, tamẽ auersio longè maior censetur iniuria, quàm cõuersio censeatur esse honor aut satisfactio. Cuius ratio est, quia iniuria æstimatur ex dignitate personæ lęsę, quæ hîc est infinita: honor autem & satisfactio spectatur ex dignitate personæ satisfacientis, quæ pusilla est, atque adeò nulla, quatenus extra gratiam.

11 Contritio non ponit condignam satisfactionem pro pœna æterna.

Dico Tertiò : Sicut homo non potest condignam satisfactionem exhibere pro culpâ letali, ita nec pro reatu pœnæ æternæ. Sequitur ex dictis: nam reatus pœnæ æternæ ita cohæret culpæ, vt nõ possit ab ea separari; vnde hoc ipso, quo culpa remittitur, etiam pœna æterna remittitur. Cõfirmatur ex Conc. Trident. sess. 6. c. 14. vbi dicit, satisfactionem fieri non pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto, vnà cum culpâ remittitur, sed pro pœna temporali &c.

Obiectio.

Dices: Priùs naturâ homo est in gratia, habetque remissionem culpæ, quàm habeat remissionẽ pœnæ æternæ : ergo in illo signo naturæ ipsius contritio erit meritoria, vel satisfactoria pro pœna æterna. Confirmatur à simili: quia idcircò est meritoria vitæ æternæ.

Solutio.

Respondeo Negando Antecedẽs: Quia gratia, & remissio culpæ secũ ferunt & includunt remissionem pœnæ æternæ. Remissio enim culpæ & pœnę æternę sunt effectus formales gratię. Vnde contritio illa, quæ consideratur, vt existens iam in subiecto grato, non potest operari ad remissionem pœnę æternę. Fieri enim nequit, vt quis pro aliquo instanti intelligatur Filius Dei, Deoque charus, qui adhuc concipitur esse in debito pœnæ æternæ. Vnde remissio culpæ non est verè prior naturâ, quàm remisio pœnæ æternæ, sed simul sunt. Ad Confirmationem Respondeo, Est dispar ratio: nam vita æterna non est effectus formalis gratię iustificantis, sicut remisio culpę & pœnæ æternę: neque ipsa gratia per se includit & adfert vitę æternę meritum, sicut adfert & includit remisionem : vt patet in paruulis, qui sine motu liberi arbitrij iustificãtur. Plura dicta sunt in 1.2. quæst. 114. art. 5. dub. 2.

DVBIVM II.

Vtrùm saltem ex congruo possimus satisfacere pro culpâ letali?

12 Affirmatur.

Respondeo: Posse. Est communior sententia Doctorum. Vide D. Thomam suprà qu. 85. art. 3. Ratio est : Quia ex congruo satisfacit, qui facit quantũ potest, quantumque creditor exigit; idque eo modo, vt deceat creditorem eo esse contentum. Confirmatur: quia possumus ex congruo mereri huius remisionem : ergo etiam ex congruo possumus satisfacere.

Quid sit *de congruo satisfacere.*

Aduerte tamen, hanc satisfactionem ex congruo, esse valdè imperfectam : quia solùm nititur misericordiâ & benignâ Dei acceptatione. Vnde absolutè loquendo, culpa & pœna æterna remittuntur gratis ex condigna satisfactione Christi: nostra autem satisfactio solùm habet rationem dispositionis, & præparationis ad remisionem.

DVBIVM III.

Vtrùm pro culpa veniali possimus condignè satisfacere?

13 Affirmatur.

Respondeo: Posse, si simus in gratia. Est ferè communis Doctorum. Probatur Primò : Quia pro tota pœna ei correspondente possumus satisfacere : ergo etiam pro culpa. Patet consequentia : nam pœna suo modo commensuratur culpæ. Confirmatur : quia idcircò dicitur culpa venialis, quòd nostris operibus ex condigno eius veniam possimus consequi.

Vnde culpa dicatur *Venialis.*

Probatur Secundò : Possumus mereri vitam æternam: ergo etiam remisionem culpę venialis, si alioquin opus sit accommodatum, vt suprà dictum est de contritione. Patet consequentia; tum, quia remisio culpę venialis est quid minus, quàm vita æterna ; tum, quia is, qui meretur finem, potest etiam mereri amotionem impedimentorum finis consequendi.

Probatur Tertiò : Culpa venialis est parua iniuria, vix habens rationem iniuriæ, quæ non violat amicitiam : ergo ex amicitia condignè potest ea reparari. Patet exemplis humanis.

14 Contritio est maius bonũ Dei, quàm culpa venialis sit eius iniuria.

Dices : Culpa venialis est quoddam Dei malum, quod peius est, quàm omne malũ creaturæ: ergo non potest ex condigno compensari.

Respondeo, Negando Consequentiam : Quia contritio est maius bonum Dei seu maior honor, quàm culpa venialis sit illius iniuria. Vnde etiãsi minimum Dei malum, quatenus illius malum est, sit peius, quàm omne malum creaturæ, quatenus creaturam malè afficit ; tamen bonum creaturæ, quatenus est bonum Dei, siue quatenus cedit in honorem Dei, potest esse maioris æstimationis apud

apud Deum, quàm aliquod paruum malum. Cuius signum est, quòd culpa venialis non extinguat bona opera, quæ apud Deum reposita habemus, neque violet amicitiam.

DVBIVM IV.

Vtrùm possimus condignè satisfacere pro reatu pœnæ temporalis ex peccato remanente?

15 Negant hæretici.

HÆretici huius temporis omninò negant. Ratio illorum est; Tum quia Deus gratis ignoscit culpam & omnem pœnã ob Christi meritũ: tum quia omnia opera nostra sunt labe peccati inquinata. Ita Lutherus in assertione articuli 5. apud Roffensem, & Caluinus lib. 3. Instit. cap. 4.

Assertio affirmans est de fide.

Respondeo: Fide tenendũ est, iustificatos posse satisfacere pro debito pœnæ temporalis, quod remissâ culpâ remanet. Est definitum à Concilio Trident. sess. 14. can. 13. & cap. 8. & sess. 6. c. 14.

Ex Scriptura.

Probatur Primò: Ex Scripturis. Danielis 4. v. 24. *Peccata tua eleëmosynis redime:* quibus verbis significatur eleëmosynis deleri peccatum quoad culpam & pœnam, quamuis diuerso modo. Prouerb. 16. v. 6. *Misericordiâ & veritate redimitur iniquitas:* quod maximè verum est quoad pœnam temporalem. Lucæ 3. v. 8. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, id est, facite opera pœnitentiæ, digna & idonea peccatis vestris redimendis, vt colligitur ex Chrysostomo homil. 10. in Matthæum, & Gregorio homil. 20. in Lucam. Apostolus 2. ad Corinthios 7. v. 10. dicit, *Tristitiam, quæ secundùm Deum est, operari pœnitentiam in salutem stabilem:* & inter cætera etiam *operari vindictam:* atqui vindicta siue sponte assumpta, siue ab alio imposita, est quædam satisfactio: ergo &c. Item 1. ad Corinthios 11. v. 31. *Si nos ipsos dijudicaremus* (id est, condemnaremus & puniremus) *non vtique iudicaremur* (id est, non puniremur) *à Domino.* de quo loco vide August. in Enchiridio cap. 66.

16 Ex Patribus. Tertull.

Probatur Secundò: Ex Patribus. Vide Bellarminum, Theodorum Peltanum, & alios. Tertullianus lib. de Pœnitentia: *Offendisti, sed reconciliari adhuc potes: habes cui satisfacias, & quidem volentem.* Et infrà: *Quam porrò ineptum, pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum sustinere* (id est, expectare?) *hoc est pretium non exhibere, ad mercedem manum emittere: hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit, hac pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem.* vide sequentia. Origenes.

Origenes homil. 6. in Exodum loquens de peccatore, *Pœnitendo, flendo, satisfaciendo deleat, quod admissum est.* Et homil. 3. in lib. Iudicum: *Quanto tempore deliquisti, tanto tempore humilia te ipsum Deo, & satisfacito ei in confessione pœnitentiæ.* Homil. 15. in Leuit. dicit, *Peccata redimi in hac vita pretio, quod pretium pœnitentiæ lacrymis congregatum sit, & labore boni operis inuentum.* Cyprianus.

Cyprianus epist. 10: *Hæc qui subtrahit fratribus nostris, decipit miseros; vt, qui possunt agere pœnitentiã veram, Deo patri & misericordi precibus & operibus suis satisfacere, seducantur vt magis pereant.* Sermone de lapsis: *Dominus orandus est, Dominus nostra satisfactione placandus.* Sermone de opere & eleëmos. *Loquitur in Scripturis Spiritus sanctus & dicit, eleëmosynis & fide purgantur delicta: non vtique illa delicta, quæ fuerant ante baptismum contracta; nam illa Christi Sanguine purgantur.* Vbi nota Cyprianum dicere, peccata ante baptismum purgari Christi Sanguine; post baptismum autem operibus bonis & eleëmosynis: non quòd hæc peccata etiam non remittantur Christi Sanguine, sed quia non solo Christi Sanguine sine nostro labore & satisfactione, sicut peccata commissa ante baptismum. Lactantius lib. 6. Diuinarũ institut. cap. 24. *Potest peccator reduci, & liberari, si eum pœniteat actorum; & ad meliora conuersus, satisfaciat Deo.* Lactantius.

Hilarius in Psal. 118. exponens vers. illum: *Exitus aquarum deduxerunt*, &c. ait: *Nunc quoque*, id est, postquam arguente Nathan crimen suum recognouit, *non desinit Dauid veræ pœnitentiæ lacrymis facti veteris crimen abolere.* Et infrà: *Hæc venia peccati est fonte fletuum flere, & largo lacrymarum imbre madefieri.* Hilarius.

Ambrosius lib. ad virginem lapsam: *Grandi plagæ altâ & prolixâ opus medicinâ est: grande scelus grandem necessariam habet satisfactionem.* Nazianzenus Oratione in sancta Lumina fusè agit de baptismo laborioso Pœnitentiæ, & inter cetera dicit, *Æquale malum est & dimissio absque castigatione, & castigatio sine venia: quandoquidem illa totas relaxat habenas, hæc verò nimium restringit.* D. Augustinus in Enchiridio cap. 70: *Deus miserando delet iam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur.* Et cap. 71. dicit quotidianam orationem fidelium satisfacere pro quotidianis culpis. Homil. 50. quæ est de necessitate & vtilitate pœnitentiæ in lib. 50. Homiliarum, dicit peccatorem à Præpositis Sacramentorum accipere debere satisfactionis suæ modum. Et eadem homilia: *Non sufficit mores in melius commutare, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfaciat Deo.* Hieronymus in cap. 1. Ioëlis: *Præteritas delitias per quas offenderat Deum, vitæ austeritate compenset.* Chrysostomus lib. 2. de Sacerdotio cap. 4: *Non temerè ad delictorum modum oportet & mulctam ipsam adhibere, sed peccatoris mens exploranda est.* Homilia 41. ad Populum: *A nobis vltionem sumamus, & ita placabimus Iudicem.* Innocentius I. epist. 1. c. 7: *Cæterum de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est iudicare, vt attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atque ad lacrymas corrigentis, ac tum debere dimitti, cùm viderit congruã satisfactionem.* Leo. 1. epist. 79. ad Nicetam c. 5. loquens de ijs qui comederant idolothyta: *Pœnitentiæ*, ait, *satisfactione purgentur.* & epist. 92. ad Rusticum cap. 2. *Huiusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei, priuata est petenda secessio; vt illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.* Idem docent reliqui Patres & Doctores. Augustinus. Innocẽt. I. Leo II

Ex his testimonijs patet omnes Patres agnoscere *Satisfactionem*, quæ Deum placet, & peccata redimat; eamque vel sponte suscipi, vel à Sacerdotibus imponi. Vnde cõuincitur ignorantia vel certè impudentia Lutheri, qui negat istam arbitrariam satisfactionem in Scripturis, aut in Patribus reperiri. Caluinus autem respondet, Patres fuisse lapsos, & fuisse nimis austeros, & alia his similia. Alibi autem dicit hanc satisfactionem solùm fuisse disciplinam quandam politicam ad satisfaciendum Ecclesiæ, quando quis fuerat excommunicatus. Sed hoc falsum esse ex eo patet, quòd Patres loquantur de satisfactione, quæ fit Deo, ad ipsum placandum: & loquantur de multis non excommunicatis.

17 Iustus condignè satisfacit pro pœna temporali.

Dico Secundò: Hęc satisfactio in iustis est condigna & æquiualens debito pœnæ temporalis: est communis Doctorum & certa.

Probatur ex Patribus citatis: Vocant enim satisfactionem

tisfactionem *Pretium, redemptionem, dignam satisfactionem*; quæ omnia significant condignitatem.

Probatur Secundò: Ratione. Primò: quia opus hominis iustificati dignum est vitâ æternâ; vt patet Matth. 20. v. 8. *Voca operarios, & redde illis mercedem*. 2. ad Timotheum 4. v. 8. *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi iustus Iudex*: ergo multò magis erit digna satisfactio pro debito pœnæ temporalis, præsertim cùm hoc debitum non sit tanti momenti, eiusque remissio fiat condonatione extrinseca. Secundò: Culpa & pœna æterna remittitur gratis, quia pro his non potest æquiualens satisfactio à nobis exhiberi: ergo cùm debitum pœnæ temporalis remaneat illis condonatis, signum est pro hac posse æquiualentem satisfactionem exhiberi; alioqui simul cum illis gratis condonari deberet. Tertiò: Quòd hæc satisfactio sit condigna, probatur ex conditionibus meriti condigni: Nam satisfaciens est Deo charus, & satisfactio ipsa est opus supernaturale, seu ex gratiâ Dei proueniens, & huic debito proportionatum; & promissio diuina extat, vt patet ex Scripturis allatis: ergo &c.

18 1. Obiectio hæreticorum, quòd nostra satisfactio sit Christo iniuriosa.

Obijciunt hæretici Primò: Ista satisfactio cedit in iniuriam satisfactionis Christi, quasi ea non fuerit plenissima.

Refellitur.

Respondeo: Nostram satisfactionem minimè cedere in iniuriam satisfactionis Christi: quia etsi Christus plenissimè pro nobis satisfecerit, hæc tamen satisfactio medijs à Christo institutis nobis applicari debet: sicuti baptismo applicatur nobis satisfactio Christi ad remissionẽ peccatorũ antèà commissorum: Eucharistiâ ad gratiæ augmentũ: Pœnitentię Sacramento ad remissionem peccatorum post baptismum commissorum quo ad culpã & pœnam æternam: denique operibus laboriosis, vt ieiunio, oratione & eleëmosynâ applicatur nobis Christi satisfactio ad remissionem pœnę temporalis: oportet enim nos quodammodò Christo cõformari vt eius satisfactio nobis cõmunicetur. Adde, cedere in honorem Christi, quòd non tantùm ipse pro nobis satisfecit, sed etiam virtutem satisfaciendi dedit: sicut in honorem Dei cedit, quòd non tantùm ipse omnia operetur, sed etiam creaturis virtutem operandi dederit.

Quomodo bis idem peccatum puniatur.

Instant hæretici: ergo Deus bis punit idẽ peccatũ; videlicet semel in Christo, & semel in nobis; & duplicem exigit satisfactionem. Respondeo: Si agamus de peccatis post baptismum commissis, verum est: sed diuersa ratione. Nam Christi satisfactio fuit ad constituendum thesaurum, seu sufficiens pretium, quo omnis culpa & pœna condonetur: nostra autem satisfactio requiritur vt illud pretium nobis applicetur. Et licet ipsa iustorum opera secundùm se sint satisfactoria sicut & meritoria, tamen applicant etiam satisfactionem Christi, vt videlicet, eò nostra satisfactio sit perfectior. Nam per Christi passionem ex rigore iustitiæ satisfacimus: per nostram autem ex iustitia imperfecta.

19 2. Obiectio, ex Script.

Obijciunt Secundò: Ezechielis 18. v. 21. dicitur: Impietas impij non nocebit ei, quacumque die conuersus fuerit. Atqui noceret, si deberet satisfacere.

Refellitur.

Respondeo: Non nocebit ei quo ad pœnam æternam, sed punietur tantùm pœnâ temporali. Hunc esse sensum huius loci, patet; quia similiter dicit v. 24. *Iustitiæ iusti non recordabuntur*: & tamen Deus remunerat sæpè bona opera peccatorum præmio temporali. Patet ergo Scripturam loqui de pœna æterna, & de præmio æterno. Adde ostensum esse suprà quæst. 86. art. 4. post culpam remissam Deũ sæpè punire peccata vindictâ temporali; vt patet in Mose, Dauide & alijs ibidem relatis.

Eodem modo intelligenda sunt alia Scripturæ loca, in quibus dicitur Deus peccata nostra post tergum suum proijcere: delere instar nubis: demergere in profundum maris: tegere: non imputare: obliuisci, & similia: quia videlicet eos, quibus amicitiam suam restituit, ita respicit quo ad culpam & pœnam æternam, ac si nunquam peccassent; licet eos temporaliter puniat, aut velit vt ipsi se temporaliter castigent.

20 3. Obiectio, ex Patribus.

Obijciunt Tertiò: Ex Patribus. Et Primò quidem ex D. Chrysostomo tria testimonia; quorum prius est ex lib. 3. de Prouidentia, vbi sic ait: *Si ob hoc pœnas infert Deus, vt in malis perseuerãtes ad pœnitentiam vocet, ostensâ pœnitentiâ superflua iam erit pœna.* Alterum est ex homil. 2. in Psal. 50. *Vbi*, inquit, *misericordia petitur, pœnæ locus non est: vbi misericorda postulatur, iudicium non sauit.* Tertium est ex homil. de S. Philogonio: *Si quis recedens à pristinis malis ex animo promittat Deo se nunquam ad illa rediturum, nihil aliud requirit Deus ad satisfactionem vlteriorem.*

Explicatur Chrysostomus.

Respondeo ad primum testimonium Chrysostomi: Quando peccator ostendit perfectam pœnitentiam, quæ non tantùm continet internam conuersionem, sed etiã externos labores & opera satisfactoria, tunc par est vt diuina vindicta cesset. Vel potiùs dicendum est, Chrysostomum loqui de flagellis, quibus Deus homines in peccatis demorantes excitat ad conuersionem & pœnitentiam, quæ cessant quando homo iam facit pœnitentiam; essent enim superflua: nam hoc habetur tunc, propter quod infligitur; quamuis ea flagella quibus punit peccata præterita nõ semper cessent, quando homo facit pœnitentiam, vt patet in Dauide. Ad secundum: Commendat ibi Chrysostomus misericordiam in genere, cui opponitur iudicium & pœna. Qui enim ex misericordia cõsecutus est veniam, non debet subire pœnam condonatam: & quatenus petimus misericordiam, eatenus deprecamur pœnam & iudicium. Sed quia Deus non ita passim vtitur misericordiâ, vt non etiam vtatur iustitiâ; ideò nõ remittit totam pœnam, sed partem relinquit luendam: vnde debet illam homo subire, nisi aliundè constet esse remissam. Vnde Chrysostomus eâdem homiliâ dicit: *Miseretur quidem Deus, sed non passim miseretur: prouocat nos & dicit, Da & tu aliquid.* Et infrà: *Deus dicit, Da mihi cõfessionem tuã, & lacrymas pœnitentiæ.* Et in Psal. 106. *Peius est Dei offensam non placare satisfactione, quàm peccando Dei bonitatem offendere.* Ad tertium: Per satisfactionem intelligit Chrysostomus excusationem: vt patet ex præcedentibus verbis; vbi dicit: *Discede à malo, virtutem amplectere, & istud sufficiet ad excusationem.*

Ambrosius.

Alia quædã loca adferunt hæretici ex D. Ambrosio, & ex D. Augustino. Locus ex Ambrosio, est ex lib. 10. in Lucam, vbi de Petro loquens dicit, *Lacrymas eius lego, satisfactionem non lego.* Sed Ambrosius ibi per satisfactionem, intelligit excusationem: vt patet ex c. 96. Locus ex D. Augustino, vel potiùs ex Gennadio desumitur ex

lib. De

Augustinus seu Gennadius.

lib. De dogmatibus Ecclesiasticis c. 54. vbi dicitur: *Satisfactio est causas peccatorum exscindere, nec eorum suggestionibus aditum indulgere.* Sed definitio illa data est ex effectu: vt suprà q. 12. dictum est. Videatur cap. 53. vbi clarissimè in satisfactione Auctor ille requirit lacrymas & orationem.

21 Obiectio, quòd omnia nostra opera Deo sint debita.

Obijciunt Quartò alia quædam, quæ etiam afferre solent contra meritum: vt, hominem, quidquid habet & potest, debere Deo titulo creationis & redemptionis: quid ergo poterit reddere pro iniurijs? Confirmatur: quia seruus cum totus sit domini, nō potest domino quidquam reddere pro iniuria: quia quidquid est, & habet, est domini.

Explicatur & negatur.

Respondeo: Non quidquid homo potest, absolutè tenetur facere: quia Deus non omnia à nobis exigit, sed ea tantùm quæ præcepta sunt; præter quæ potest multa alia facere, quæ etsi teneatur facere quando peccauit, tamen ante peccatum nō tenebatur, sed erant ei libera: & hæc vocamus opera satisfactoria. Ad Confirmationem Respondeo: Ex eo quòd homo totus naturâ suâ sit Dei, benè sequitur non posse inter illum & Deum esse iustitiam perfectam; non autem quin possit esse imperfecta, præsuppositâ videlicet promissione & acceptatione diuina. Sicuti inter dominum & seruum, si dominus non exigat nisi certa quædam opera, reliqua relinquat in ipsius arbitrio, poterit seruus per illa satisfacere domino suo, si quod damnum intulerit, modò dominus velit acceptare. Vide lib. 13. de Perf. diuinis c. 2.

ARTICVLVS II.

Vtrùm alius pro alio possit satisfacere?

22 Affirmatur.

REspondeo: Posse, modò vterque sit in gratiâ. Probant quidam Primò: Ex illo Apostoli ad Colossenses 1. v. 24. *Gaudeo in passionibus meis pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia.*

Minùs solidè id quidam probant.

Sed Apostolus hîc non loquitur de satisfactione, sed de suis laboribus, quos tolerabat in prædicando Euangelio, vt sic meritum Christi applicaretur hominibus: hoc enim deerat passionibus Christi: nam sine Apostolorum & aliorum sanctorum prædicatorum laboribus, Euangelium Christi non innotuisset orbi, ac proinde eius passio vim non habuisset in hominibus. Probant Secundò: Ad Galatas 6. v. 2. *Alter alterius onera portate.* Sed hic locus non vrget, quia de tolerandis mutuis imperfectionibus agit.

23 Probatur solidiùs.

Probatur ergo Primò: Iacobi 5. v. 26. *Orate pro inuicem, vt saluemini.* 1. Ioannis 5. v. 16. *Qui scit fratrem suum peccare non ad mortem, oret, & dabitur ei vita.* & alia huiusmodi.

Exempla Scripturæ, à maiori ad minus.

Probatur Secundò: Ratione. Prima est: Deus propter Iacob benedixit domui Laban: Genes. 30. v. 27. Propter decem iustos voluit parcere quinque ciuitatibus Pentapolis: Genes. 18. v. 32. Propter preces Samuëlis, pepercit populo cùm Regem petijssent: 1. Reg. 12. v. 19. Propter Dauid Dominus pepercit Salomoni: 3. Reg. 11. v. 12. Propter lacrymas viduæ suscitauit filium eius defunctum: Lucæ 7. v. 13. Propter fidem portantium, sanauit paralyticum: Lucæ 5. v. 20. Ergo bona opera vnius possunt alteri prodesse ad remissionem pœnæ temporalis. Patet consequentia; nam si Dominus sæpè pepercit impijs, ijsque benefecit ob preces & merita iustorum, multò magis ignoscet pœnam temporalem filijs suis ob aliorum preces & afflictiones.

Membra sibi inuicem prodesse possunt.

Secunda Ratio est: Omnes, qui sunt in gratia, sunt membra viua vnius corporis & capitis, vt sæpè docet Apostolus: ad Rom. 12. ad Ephes. 4. Atqui membrorum inter se est communio: iuuant enim se mutuo omnibus officijs sibi proprijs; sustinent pro mutuâ salute varios labores, interdum sectionem & vstionem; &, si quid patitur vnum, compatiuntur reliqua. Ergo pari modo iusti possunt se mutuo iuuare; & alterius afflictio poterit alteri prodesse: hoc enim postulat communio sanctorum, quam constat esse in Ecclesia.

24 Opera iustorum impijs & iustis prosunt, sed differenter.

Dixi, *Modò vterque sit in gratiâ:* quia etsi opera iustorū possint prodesse impijs ex congruo ad impetrandum auxilium, quo ad iustificationem disponantur; & etiam ad pœnas temporales differendas, vt in hac vita non puniantur: tamen non possunt prodesse ad remissionem pœnarum temporalium, quamdiu manent impij; quia nemo est capax remissionis pœnæ, nisi remissâ culpâ, vt suprà ostensum est.

DVBIVM I.

Vtrùm satisfactio vnius valeat alteri ex condigno?

25 Opinio Negans probatur.

MVlti Doctores sentiunt valere ex condigno; estque probabile. Verius tamen videtur, solùm valere ex congruo, id est, ex Dei misericordia acceptantis satisfactionem vnius pro altero. Ita tenet Antonius Cordubensis qu. 5. *de Indulgentijs*, & Ioannes Medina codice *De satisfactione* quæst. 5.

Probatur Primò: Quia opus alterius non valet alteri, neque per modum perpessionis seu luitionis pœnæ; non enim tu sustines pœnam tibi debitam, dum ego punior: neque per modum meriti condigni; nam nemo alteri ex condigno mereri potest: ergo solùm valet per modum impetrationis. Patet Consequentia, quia tantùm his tribus modis potest valere satisfactio.

Probatur Secundò: Quia nulla extat promissio Dei de acceptanda alterius satisfactione pro peccatis alterius; & quamuis extaret, non sufficeret ad condignitatē satisfactionis: vt patet in promissione remissionis peccatorum facta pœnitentibus, quam tamen remissionē non merentur ex condigno, eò quòd promissio non tribuat operi dignitatem.

Ratio à priori.

Probatur Tertiò: Ratione à priori: quia opus hominis cùm sit limitatum secundùm conditionē & virtutem operantis, non potest alteri aliquam dignitatem tribuere ad aliquod bonum, sed soli operanti in quo manet (illud enim proprium est operibus Christi, quæ infinitam habent dignitatem meriti & satisfactionis;) quæ etiam causa est quòd nemo alteri possit ex condigno quidquam mereri: ergo mea satisfactio non potest tibi valere ex condigno, cùm te non possit reddere dignum remissione pœnarum. Secùs est de satisfactione Christi quæ nobis applicata per Baptismum vel Sacramentū Pœnitenti, æreddit dignos non solùm remissione pœnæ temporalis, sed etiam culpę & pœnæ æternæ.

Dices

26 Obiectiones soluuntur.

Dices Primò: Peccatum Adæ non erat infinitæ virtutis in ratione mali, & tamen ex condigno meruit omnibus priuationem gratiæ & damnationem: ergo pari modo satisfactio vnius poterit alteri valere ex condigno.

Cur voluntas Adami ex condigno valuerit posteris ad damnationem,

Respondeo Negando Consequentiam: nam opus illud non solùm erat Adami, sed etiam posterorum, qui in ipso virtute continebantur, quatenus voluntas Adami censebatur esse posterorum. Itaque ex condigno valuit omnibus ad damnationem, non vt erat opus Adami, sed vt opus totius posteritatis: satisfactio autem mea nõ sic est opus alterius, pro quo satisfacere intendo, imò nec esse potest.

Dices Secundò: In Republica ciuili alter potest pro altero apud Principem condignè satisfacere: cur non etiam in Republica spirituali, id est, in Ecclesiâ apud Deum?

Cur vnus pro alio possit condignè satisfacere quoad debitum pecuniæ, non ita pro debito pœnæ

Respondeo: Si debitum sit pecuniarum, sic potest alter pro altero satisfacere: nam in tali solutione solùm spectatur, vt tanta summa detur, siue à reo, siue ab alio nomine rei: cùm enim alius nomine rei dat, ipse reus soluere censetur. Ratio est, quia pecunia potest perfectè transferri in ipsum reum, vt tam verè & perfectè fiat ipsius, sicut antè fuit alterius. Si autem debitum consistat in obligatione ad aliquam pœnam positiuam sustinendam (vt si reus damnatus sit ad exilium, carcerē, flagella) non potest alius pro eo condignè satisfacere, sed solùm ex misericordi acceptatione Principis, qui condonat reo suppliciũ propter alterius preces, & afflictionem oblatam. Ratio est, quia opus satisfactorium alterius non potest ita in reũ transferri, vt propriè fiat ipsius, sicut erat eius qui illud reipsa sustinuit.

Dices Tertiò: In Ecclesiâ est communio Sanctorum: ergo ex condigno: alioquin erit imperfecta.

27 Qualis, & in quo, sit communio Sanctorum in Ecclesia,

Respondeo: Sicut communio Sanctorum non postulat, vt alter alteri ex condigno mereatur, ita neque vt cõdignè satisfaciat. Sufficit enim ad hãc communionem, vt alter curam salutis alterius gerat, vt de bonis mutuis gaudeant, de malis doleant, bona procurent, mala auertant; quod fit orando, suaque bona opera Deo pro altero offerendo.

Dices Quartò: Si satisfactio alterius alteri solùm valeat per modum impetrationis: ergo non valet lege infallibili; quod videtur absurdum. An satisfactio vnius pro alio valeat lege infallibili,

Respondeo Primò: Non est certum satisfactionem vnius valere alteri lege infallibili; nusquam enim id habetur in Scriptura vel Traditione; nec vlla ratio conuincit: imò certum est, non valere alteri tantum, quantum valeret, si ipsemet eam subiret; vt rectè Medina quæst. 5: quod est signum non valere ex condigno, quando eam non subit.

Respondeo Secundò: Negari potest consequẽtia: nam etiam contritio lege infallibili effectum habet remissionem peccatorum, non tamen ex condignitate.

Dices Quintò: Ergo Indulgentiæ non valebunt ex condigno: quod est contra communem Ecclesiæ sensum.

Respondeo Negando consequentiam: quia per Indulgentias nõ solùm applicantur satisfactiones Sanctorum, sed etiam Christi; & eatenus ex condigno valent.

DVBIVM II.

Vtrùm satisfactio, quam alius pro alio suscipit, sit Sacramentalis?

28 Non potest Confessor alteri imponere pœnitentiam pro pœnitente subeundam,

Respondeo: non esse: quidquid alij dixerint.

Probatur Primò: Quia satisfactio sacramẽtalis debet procedere ex virtute Clauiũ, id est, ex potestate Sacerdotali: hinc enim habet, quòd sit sacramentalis; vt colligitur ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 8. Atqui Sacerdos, per potestatẽ Clauium non potest alteri imponere pœnitentiam pro pœnitente subeundam, sed solùm ipsi pœnitenti: ergo pœnitentia illa non est sacramentalis.

Probatur Secundò: Quia pœnitentia sacramentalis imponi debet tum ad remedium & ad custodiam contra peccata futura, tum ad vindictam præteritorum: atqui satisfactio tua non est remedium, aut vindicta peccatorum alterius. Quò fit, vt quando pœnitens non potest implere pœnitentiam impositam, non teneatur eam curare per alium; & si curet, non ideò liberatur, quando rectè valuerit: neque illa per alterum impleta, aliter ipsi proderit, quàm per modum impetrationis, etiamsi consensu vel iussu Sacerdotis curauerit per alium impleri. Pœnitens, non valens per se implere pœnitentiam, nõ tenetur eã curare per alium impleri.

QVÆSTIO XIV.

De Qualitate Satisfactionis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm homo possit de vno peccato satisfacere, sine alio?

Respondeo & Dico Primò: Non potest quis satisfacere pro vno peccato quoad culpam & pœnam æternã, quin pari modo simul satisfaciat pro alio. Patet ex dictis suprà q. 86. & 87. & hoc solùm vult D. Tho. isto articulo.

Dico Secundò: Iustificatus potest satisfacere pro pœna temporali vnius peccati, sic vt non satisfaciat simul pro pœna alterius. Est etiam certum. Ratio est: quia diuersis peccatis diuersæ pœnæ respondent, quarum vna non est alteri connexa.

Petes: An ergo pro diuersis peccatis oporteat diuersis pœnarum generibus satisfacere? An quouis genere satisfactionis, possis pro quouis peccato satisfacere,

Respondeo: Si satisfactio consideretur, quatenus est satisfactio, & vindicta pro peccatis præteritis, sic quouis genere satisfactionis possumus pro quouis peccato satisfacere; nempe vel oratione, vel ieiunio, vel eleëmosynis: quia quodlibet horum, si debitè & quantum oportet vsurpetur, sufficit ad quamuis pœnam temporalem redimendam. Si autem consideretur satisfactio, quatenus

est in

Quid spectare debeat Confessor in pœnitentijs imponendis.

est in remedium contra futura, debet fieri diuersis operibus. Sacerdos autem in pœnitentijs imponendis vtrumque spectare debet, scilicet vt sint in vindictam præteritorum & in remedium futurorum; vt præcipit Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 8.

ART. II. III. IV. & V.

DE his quatuor articulis suprà dictum est q. 89. vbi ostendimus hominem in peccato mortifero, nec posse mereri, nec satisfacere; nec opera illa reuiuiscere ad meritum, aut ad satisfactionem charitate superueniente: valere tamen ad temporalia beneficia impetranda, & ad præparationem animi ad iustificationem. Solùm super est

DVBIVM.

Vtrùm expleta satisfactio Sacramentalis in statu mortifero valeat: & si non valeat, vtrùm saltem reuiuiscat per pœnitentiã & charitatem superuenientem?

Implens pœnitentiã in mortali, non satisfacit debito pœnæ coram Deo.

RESpondeo & Dico Primò: Qui implet pœnitentiam iniunctam in statu peccati mortalis, etsi satisfaciat præcepto Sacerdotis, non tamen satisfacit pro debito pœnę coram Deo. Patet ex rationibus suprà allatis q. 89. art. 6. Confirmatur Primò: Quia Sacramenta nihil prosunt ijs, qui sunt in statu peccati mortiferi sine cõtritione, vel pœnitentia disponente ad Sacramenta: ergo multò minùs satisfactio prodest. Secundò: quia satisfactio nõ applicat Christi meritũ ad iustificationẽ, sed solùm ad remissionẽ pœnarum: atqui talis applicatio nullã vim habetin eo, qui est inimicus: nã remissio pœnę temporalis supponit amicitiã, & remissionem culpæ: est enim veluti cõplementũ iustificationis, per quod omnis inequalitas tollitur. Satisfacit tamẽ præcepto Sacerdotis: nam sicut alijs pleriſque præceptis satisfieri potest in statu peccati, ita etiam huic; præsertim cum actus virtutum, scilicet orationem, ieiunium, & eleëmosynam, quibus fit satisfactio, extra gratiam præstare possimus: quò fit, vt iste postèa non teneatur illam pœnitentiam repetere.

Satisfacit tamen præcepto confessoris.

Dico Secundò: Probabile tamen est, hanc satisfactionem reuiuiscere per gratiam superuenientem, quamuis ea quæ ipsonte assumitur, non reuiuiscat. Ita Caietanus Opusculo *de Satisfactione* q. 2. Petrus Soto lectione 2. *de satisfactione* sub fine. Victoria q. 201. & alij complures.

3 Reuiuiscit illa satisfactio per gratiam superuenientem.

Probatur Primò: Quia, etsi sacramentalis satisfactio, dum impletur, non sit grata Deo ex opere operantis, est tamen grata ex opere operato, id est, ratione operis externi ex institutione Christi vim habentis; applicat enim Christi merita ad remissionem pœnæ temporalis: ergo habebit suam efficaciam, quando fuerit homo capax: sola enim incapacitas hominis impediebat, quò minùs illa Christi merita Sacramentali satisfactione applicata haberent effectum: sublatâ ergo hominis indignitate erunt efficacia. sicut dictum est de alijs Sacramentis. Secùs est de satisfactione nõ sacramentali, quia hæc solùm ex opere operantis potest placere; quando ergo operans displicet, ipsa non potest esse accepta.

Probatur Secundò; Ecclesia numquam fuit solljcita, vt pœnitentes repeterent pœnitentiam, quam in peccato expleuerunt: videtur ergo sentire, illam prodesse saltẽ post conuersionem: alioqui monendi fuissent pœnitentes, vt rursum pœnitentiam iniunctam præstarent, nẽ post hanc vitam diras pœnas luant.

QVÆSTIO XV.

De his, per que fit Satisfactio.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Satisfactio debeat fieri per opera pœnalia?

1 Affirmatur.

RESpondetur Affirmatiuè. Quod probari potest. Primò, Quia passim Scriptura, dũ meminit pœnitentiæ, proponit opera pœnalia. Secundò; Quia satisfactio fit in vindictam peccatorum: vindicta autem sonat pœnam. Tertiò; Quia satisfactio compensat inæqualitatem, quæ per peccatum inter Deum & hominem est inducta; ea autem inæqualitas in hoc consistit, quod homo plus sibi tribuerit, minus Deo: postulat ergo satisfactio, vt aliquid sibi in honorem Dei adimat, quod fit inflictione pœnæ, quæ aufert homini bonum vtile, vel delectabile, sicut culpa aufert bonum honestum. Quartò denique, Satisfactio debet esse in remedium contra futura: optimum autem remedium est opus pœnale. Nihil enim tam cohibet à peccato committendo, quàm pœna, cuius molestiam ex expertus. Notandum tamen est, has rationes solùm conuincere opus pœnale esse maximè accommodatum, proprijssimeque dici satisfactorium; & ideò ordinariè imponendum; non tamen, quin per alia opera meritoria etiam possit satisfieri. Vnde

Notandum est: Tribus modis posse nos satisfacere.

2

Primò, Debitam pœnam sustinendo; sicut satisfaciunt qui ob crimen plectitur capite: sic satisfaciunt in Purgatorio. Sed hoc potiùs dicitur *satispassio*, quàm *satisfactio*: nam hîc non habetur ratio patientiæ interioris, sed solùm externæ perpessionis.

Tribus modis possumus satisfacere.

1. Satispatiendo.

Secundò: Merendo pœnę condonationem. idque dupliciter. Primò: directè & immediatè: vt dum quis in statu gratiæ pro peccatis suis laboriosa & molesta facit opera; v.g. dum ieiunat, gerit cilicium, cubat humi, dat eleëmosynam. Huiusmodi enim operibus, eò quòd pœnalia sint, & sponte suscipiantur, meremur directè maiorem pœnã nobis remitti. Nam illa promptitudo quâ quis sibi infligit pœnam, vt alteri pro iniuriâ satisfaciat, pluris æstimatur, quàm si quadruplum ab alio inflictam sustineret. Hęc propriè dicuntur satisfa-

2. Merendo pœnæ condonationẽ.

satisfactoria, quia maximè accommodata ad promerendam pœnæ remissionem. Secundò: meremur remissionem pœnæ secundariò & indirectè. Sic actus charitatis internus est satisfactorius, etiamsi cum summa voluptate fiat. Ratio est Primò: Quia per actum quemuis meritorium non solùm efficimur digni vitâ æternâ, sed etiam, ex consequenti, amotione impedimêti externi, quod impedit eius consecutionem; quale impedimentum est pœna illa temporalis; & quamuis non mereamur semper vt totũ hoc impedimentum amoueatur, meremur tamẽ vt minuatur. Secũdò: Quia, qui meretur incrementum amicitiæ, etiam meretur imminutionem iræ seu offensionis animi, quo amicus parabat vindictam ob præcedentem culpam; vt cernere est inter homines: ergo omni opere meritorio, quo meremur incrementũ amoris Dei erga nos, ex consequenti meremur etiam imminutionem iræ, seu affectûs puniendi.

5. Impetrando pœnæ remissionem.

Tertiò: Satisfacimus etiam impetrando remissionem pœnæ, sicut impetramus alia bona: sic oratione, & omnibus ijs, quæ adhibemus, vt oratio nostra Deum commoueat ad misericorditer ignoscendum, satisfacimus. Impetratio enim nititur misericordiâ, & efficitur omnibus illis, quibus Deum ad miserendum flectimus. Ex dictis sequitur, fructum impetrationis posse alteri applicari, retento fructu qui est ex merito: quia non ideò sum minùs dignus condonatione pœnę, quòd pro altero opus satisfactorium præstem.

DVBIVM I.

Vtrùm satisfactio debeat fieri per opus aliàs indebitum?

3 Quidam affirmant.

MVltorum Doctorum Sententia est, opus satisfactorium debere esse aliàs indebitum; id est, ad quod homo non teneretur nisi peccasset. Ita Paludanus, Gabriel, Maior dist. 15. Antoninus & Siluester. Ratio illorum est: quia quando aliquid est debitum titulo priore, non possumus per illud satisfacere obligationi nouæ, quæ alio titulo superuenit.

Opera aliàs debita, sunt etiam satisfactoria.

Respondeo & Dico Primò: Etiam opera ex præcepto, vel voto debita, sunt satisfactoria. Ita Medina q. 4. *De satisfactione* sub finem. Sotus dist. 19. qu. 2. art. 1. Adrianus qu. 3. *De satisfactione*. Probatur Primò: quia ieiunia Ecclesię sunt præcepta, & tamen sunt satisfactoria: Nam idcircò ab Ecclesiâ sunt instituta. Probatur Secundò, Patientia martyrio tolerando est præcepta, & tamen est maximè satisfactoria. Probatur Tertiò, Ratione. Quia nostra satisfactio non fit per commutationem dati & accepti, sed per modum meriti: ergo sicut obligatio præcepti vel voti nihil obstat, quò minùs illo opere possimus mereri vitam æternam, ita nihil impedit, quin possimus satisfacere pro peccatis.

Ad Rationem contrariam: Respondeo, Id solùm habere locum in debitis iustitiæ particularis, in quibus spectatur æqualitas dati & accepti; vna enim res non potest esse æqualis duabus acceptis, ex quibus orta est duplex obligatio: vt si debeas Petro decem, quia laborauit, & decem quia mutuauit, debes restituere id quod est æquale illis duobus, quod non est decem, sed viginti. Secùs verò, si debeas Deo ex præcepto & iniuria illata: nam per hoc, quod satisfacis præcepto, nihil detrahitur operi dignitatis ad merendam remissionem, sed hæc potiùs crescit ex præcepto. Idem de voto optimè Medina q. 4. sub finem.

4 Hæc tamẽ non sunt ordinariè à Confessore imponenda.

Dico Secundò: Opera tamen huiusmodi aliàs debita non sunt ordinariè in Sacramento pœnitentiæ imponenda: neque satisfactio iuncta est de his intelligenda, nisi Sacerdos contrarium exprimat. Est communis Doctorum. Ratio est: quia æquitas postulat, vt is, qui illicita perpetrauit, ad aliquid noui obligetur, ad quod aliàs non tenebatur: alioquin non sentiet vindictam suorum peccatorum. Vide Gregorium hom. 20. in Lucam circa mediũ, vbi super hæc verba, *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*, sic ait: *Aliud est fructum facere pœnitentiæ, aliud, dignum pœnitentiæ fructum facere. Vt enim secundùm dignos pœnitentiæ fructus loquamur, sciendum est, quia quisquis illicita nulla commisit, huic iure conceditur, vt licitis vtatur: sicque pietatis opera faciat, vt tamen si voluerit, ea quæ mundi sunt, non relinquat. At si quis in fornicationis culpam, vel fortasse, quod est grauius, in adulterium lapsus est: tanto à se licita debet abscindere, quanto se meminit & illicita perpetrasse. Neque enim par fructus boni operis esse debet, eius qui minus, & eius qui amplius deliquit, aut eius qui in nullis, & eius qui in quibusdam facinoribus cecidit, & eius qui in multis est lapsus.*

Gregorius.

Dixi, *Ordinariè*: Quia interdum Sacerdos habet iustas causas opera præcepta imponendi: v. g. ieiunium Ecclesiæ, recitationem Officij diuini Clerico, restitutionem furi: nempe quando videt eum aliâ ratione ad hæc vix posse adduci, aut non habere opportunitatem aliter faciendi. Hoc casu duplici obligatione pœnitens tenetur: & si omittat, duplex peccatum cõmittit: si præstet, duplicẽ consequitur fructum, scilicet ratione operis præcepti & ratione virtutis, quam opus trahit ex potestate Clauium: hinc enim habet vim applicandi Christi meritum ad pœnarum remissionem.

Si imponantur, duplicem adferunt obligationem.

DVBIVM II.

Vtrùm Pœnitentia sint arbitrariæ?

REspondeo, & Dico Primò: Communis sententia Doctorum est, esse arbitrarias. Quod non sic intelligendum est, quasi Sacerdos pro nudo arbitratu possit imponere magnas vel paruas (tenetur enim, spectata conditione pœnitentis, & habita ratione spiritualis vtilitatis illius, iniungere, quantum fieri potest, accommodatas & commensuratas, vt colligitur ex Concilio Tridentino cap. 8.) sed quia non tenetur sequi Canones pœnitentiales.

5 Pœnitentiæ sunt arbitrariæ?

6 Ab initio Ecclesiæ.

Dico Secundò: Valdè probabile est, non solùm à tempore magni Concilij Lateranensis, vt quidam volunt, sed ab initio nascentis Ecclesiæ, pœnitentias hoc modo arbitrarias fuisse: quamuis olim ob dispositionem pœnitentiũ consueuerint maiores imponi. Colligitur hoc ex epist. 77. Leonis, vbi Nicetæ Episcopo scribit, *Tempora pœnitudinis, habitâ moderatione, constituenda sunt tuo iudicio, prout conuersorum animos perspexeris esse deuotos; pariter etiam habentes ætatis senilis intuitum*, &c. Itẽ ex Canone, *Mensuram*, de Pœnitentiâ dist. 1. vbi dicit, *Mensuram temporis agendæ pœnitentiæ linqui in arbitrio Sacerdotis*. Canones autem Pœnitentiales seruabantur tum in foro externo, tum etiam interdũ in interno, quando id expediens videbatur.

Canones Pœnitentiales quomodo seruati.

Dico

7 Confessor teneatur pœnitentiã iniungere pro mortiferis peccatis.

Dico Tertiò: Sacerdos omnino tenetur pœnitentl iniungere pœnitentiam maximè pro mortiferis, etiam in articulo mortis. Probatur Primò: Quia multi Canones & Concilia id præcipiunt, Concilium Trident. sess. 14. cap. 8. sic ait: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & conuenientes satisfactiones iniungere: ne, si fortè peccatis connniueant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur*, &c. Probatur Secundò: Quia Sacerdos est Iudex loco Dei, & veluti arbiter inter Deum & hominem: ergo tenetur curare vt parti læsæ satisfiat: alioquin facit contra suum officium. Probatur Tertiò: Quia hæc satisfactio pertinet ad integritatem Sacramenti, quę integritas in causa magni momenti, qualis est confessio peccati mortalis, nullo modo potest permitti. Vnde etiam sequitur pœnitentiam non posse tantùm iniungi sub consilio: quia hoc non est iniungere.

Qualem pro venialibus.

Vbi tamen solùm est confessio venialium, probabilius est nõ esse peccatum mortale, si nulla iniungatur satisfactio: quia hæc sunt minoris momenti, & ipsa verecundia & humilitas cõfessionis, potest magna ex parte sufficere. Similiter si constaret peccatũ mortale iam penitus esse remissum quo ad culpam, & omnem pœnã ex perfectissima quadam contritione esse condonatam. Tunc enim probabilius est Sacerdotem non teneri iniungere satisfactionem: quia illa pars Sacramenti non est tunc necessaria ad perfectam peccati condonationem.

Qualem in articulo mortis.

In articulo autem mortis si pœnitens vtitur ratione, debet etiam ei aliquid iniungi quod impleat si conualescat. Item potest ei iniungi vt mortem acceptet de manu Dei. Item vt dicat, *In manus tuas Domine, commendo spiritum meum*; vel versiculum aliquem aspiratorium ex Psal. 50. &c. si non vtitur ratione, non est necesse quidquam iniungere.

8 Pœnitentia confessionis est præ cæteris satisfactoria.

Dico Quartò: Opera à Sacerdote imposita, sunt magis satisfactoria, quàm ea, quæ sponte assumuntur. Primò: Quia ex obedientia procedunt. Secundò: Quia ex virtute Clauium nouam quandã vim contrahunt: applicant enim merita Christi tanquam ex opere operato. Vnde etiam reuiuiscunt. Hinc pœnitentes optimè sibi consulunt, qui magnas pœnitentias pro peccatis mortiferis iniungi sibi petunt.

DVBIVM III.

An alius Sacerdos possit mutare pœnitentiam ab alio iunctam?

9 Superior.

REspondeo & Dico Primò: Superior potest mutare pœnitentiam impositã ab inferiore. Ita communiter Doctores. Rationem adfert Sotus, quia ille habet iurisdictionem in inferiorem. Sed hæc ratio non vrget: nam inferior Sacerdos secundùm eam potestatem, qua iniungit pœnitentiam pœnitenti, non est cuiquam subiectus, nisi Christo. Vnde tota ratio est ratihabitio inferioris, quę semper præsumitur, quando causa immutandi est iusta.

Inferior.

Dico Secundò: Etiam inferior potest commutare ex iusta causa pœnitentiam iunctam à Superiore, præsertim si non fuit iuncta ob casum reseruatum. Ita Victoria qu. 211. Nauarrus c. 26. n. 22. Siluester *Confess.* 1. qu. 27. & alij. Ratio est: quia censetur esse ratihabitio Superioris.

Mutatio solùm fiat audita cõfessione.

Dico Tertiò: Hæc commutatio debet fieri audita cõfessione priorum peccatorum; alioqui pœnitentia, in qua fit commutatio, non erit Sacramentalis. Ita Siluester loco citato. Ratio est: quia sine confessione priorum peccatorum non potest ex virtute Clauium iniungere pœnitentiam pro illis peccatis; cùm illa peccata ipsius iudicio nunquam fuerint subiecta.

Excipe 4, qui potest Indulgentias conferre.

Dico Quartò: Superior tamen, qui potest conferre Indulgentias pœnitenti, potest eius pœnitentiam, vel totam, vel ex parte tollere non audita confessione. Patet ex praxi Ecclesiæ. Ratio est: quia potestas conferendi Indulgentias, est potestas absoluendi à pœnis debitis interuentu iustę solutionis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm flagella præsentis vitæ sint satisfactoria?

RD

REspondetur: Esse satisfactoria, si patienter tolerentur. Est fide tenendum, vt patet ex Tridentino sess. 14. can. 13. Sed est

DVBIVM.

An solùm ratione actûs interioris patientiæ, sint ista flagella satisfactoria, an per seipsa?

11 Si flagella fiũt immissa ex particulari Dei prouidentia.

REspondeo & Dico Primò: Flagella, quæ ex peculiari Dei prouidentia infliguntur ad punienda peccata, sunt satisfactoria, non solùm ratione interioris patientiæ, sed etiam per seipsa. Ita Sotus hîc. Medina q. 5. & alij. Victoria q. 207. Sic diluuium, euersio Sodomorum, captiuitas populi Israëlitici, punitio Dauidis. Vide Hieronymum in c. 1. Nahum, vbi docet luculentè Sodomitas conuersos non sustinuisse castigationem in altera vita.

Probatur Primò: Quia idcircò à Deo immittuntur, vt per ea castigentur peccata, & debitum pœnæ exhauriatur. Sicut dum parens castigat filium, non solùm interno actu patientiæ, sed ipse dòlor satisfacit. Pari ratione, Ideò pœnæ Purgatorij sunt satisfactoriæ, quia à Deo ad hoc infliguntur.

Probatur Secundò: Quia *non punit Deus bis in idipsum:* Nahum 1. iuxta LXX. in quem locum vide Hieronymum de ijs, qui perierunt in diluuio & Sodomis. Atqui bis puniret, si post calamitates immissas ad vindicanda peccata, easque toleratas, obligaret hominem ad aliam satisfactionem, vel eam infligeret in Purgatorio, perinde ac si hic castigatus non fuisset.

Probatur Tertiò: Quia solutio debiti pœnæ, nihil aliud requirit, quàm vt ipsa pœna infligatur & sustineatur; modò is qui patitur, non obmurmuret, saltem mortiferè: requiritur enim status gratiæ. Dices: in illa tolerantia flagellorum potiùs est satispassio, quàm satisfactio. Respondeo: Non facimus vim in nomine *Satisfactionis*. Tantùm volumus debitum pœnarum per peccata cõtractum, minui & consumi hâc tolerantiâ.

12 Si immissa ex communi prouidentia.

Dico Secundò: Flagella quæ secundùm communem cursum rerum obueniunt, non videntur satisfactoria, nisi quatenus ad id acceptantur. Probatur: quia ista non directè infliguntur in hunc finem, sed præuiso peccato originali secundùm naturalem rerum cursum permittuntur; vnde quasi naturaliter obueniunt. Quatenus tamen acceptantur, tanquam à diuinâ Prouidentiâ ob nostram salutem permissa, sunt satisfactoria; eoque magis, quò maior est afflictio.

ARTICVLVS III.

An conuenienter enumerentur opera satisfactoria?

13 Tria genera operum satisfactoriorum.

Docet hoc Articulo esse tria genera operum satisfactoriorum. Primum est *Ieiunium*, ad quod reducuntur omnes aliæ asperitates, vt cilicium, humicubatio, voluntaria corporis verberatio &c. Secundum est *Eleëmosyna*, quæ continet omnia opera misericordiæ corporalia & spiritualia. Tertium est *Oratio*, quæ continet omnem adorationem & cultum Dei, meditationem, contemplationem, actum fidei, spei, charitatis &c. Ratio est, quia hæc omnia sunt quodam modo pœnalia. Ieiunium enim per se affligit. Eleëmosyna etiam quodam modo pœnalis est: nam subtrahit pecunias & bona temporalia, & plerumque cum labore coniuncta est: & quamuis non semper sit molesta, neque positiuè pœna, est tamen pœna priuatiuè, subtrahens homini aliquid. Oratio etiam pœnalis est, tum quia nõ sine labore perficitur, tum etiam quia spiritum hominis deprimit, & Deo subijcit.

Quod nam ex his magis satisfactorium?

Petes: Quodnam ex istis operibus est magis satisfactorium. Respondeo: ceteris paribus, id est, si ex æquali deuotione procedant, magis satisfactoria est afflictio corporis; dein oratio; tertiò eleëmosyna. Quodam tamen modo eleëmosyna est maximè satisfactoria, quia excitat alios ad orationem pro nobis. Vnde præcipuè in Scripturis commendatur.

QVÆSTIO XVI.

De Suscipientibus hoc Sacramentum.

QVærit hîc D. Thomas Primò: Vtrùm pœnitentia possit esse in innocentibus. Secundò: Vtrùm sit in Sanctis qui sunt in gloria. Tertiò: Vtrùm sit in Angelis bonis seu malis. Sed hæc explicata sunt suprà quæst. 85. art. 4. dub. 2.

QVÆSTIO 17. 18. 19. 20.

HIs quatuor Quæstionibus tractat Diuus Thomas de potestate Clauium. Et quidem in quęstione 17. agit de entitate & quidditate Clauium. In quæst. 18. de effectu earum. In quæst. 19. de Ministris Clauium. In quęst. 20. de his in quibus potest exerci vsus Clauium. Sed hæc non habent peculiarem difficultatem, quæ hactenus explicata non sit.

Claues Metaphoricè significant Potestatem Regendi.

Notandum solùm: *Claues* in Scripturis Metaphoricè accipi, pro potestate spirituali in subditos, nam claues sunt signum potestatis regendi. Vnde Magistratui dantur claues vrbis: Oeconomo, claues domus. Sic Isaiæ 22. vers. 22. *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius*, id est, summam potestatem spiritalem in Tribu Iuda; & in Apocalyp. *Qui habet clauem Dauid*, id est, qui habet summam potestatem in domo Dauid, id est, in Ecclesia. Strictè verò accipiuntur *Claues*, pro potestate remittendi & retinendi peccata, quibus clauditur regnum cœlorum, quæ potestas Apostolis collata est Ioannis 20. Vnde à Doctoribus hæc definitio dari solet: *Clauis est potestas ligandi atque soluendi, qua Ecclesiasticus Iudex dignos recipere, & indignos à regno excludere debet.* Quare, etsi in veteri Testamento fuerit aliquo modo potestas Clauium, vt patet ex loco Isaiæ citato; tamẽ propriè & strictè loquendo soli Sacerdotes Noui Testamenti potestatem Clauium habent; quia soli impedimenta regni cælestis possunt tollere.

Clauis Ecclesiæ, quid.

Eius actus.

Porrò actus huius potestatis sunt, *præcipere, vetare, dispensare, absoluere, punire*: de quibus generatim dictum est in Tractatu de Legibus, & ex parte suprà. Solùm superest vt hîc in particulari dicamus de pœnis Ecclesiasticis, quæ sunt *Excommunicatio, Suspensio, Interdictum, Irregularitas.*

DE

satisfactoria, quia maximè accommodata ad promerendam pœnæ remissionem. Secundò: meremur remissionem pœnæ secundariò & indirectè. Sic actus charitatis internus est satisfactorius, etiamsi cum summa voluptate fiat. Ratio est Primò: Quia per actum quemuis meritorium non solùm efficimur digni vitâ æternâ, sed etiam, ex consequenti, amotione impedimêti externi, quod impedit eius consecutionem; quale impedimentum est pœna illa temporalis; & quamuis non mereamur semper vt totũ hoc impedimentum amoueatur, meremur tamẽ vt minuatur. Secũdò: Quia, qui meretur incrementum amicitiæ, etiam meretur imminutionem iræ seu offensionis animi, quo amicus parabat vindictam ob præcedentem culpam; vt cernere est inter homines: ergo omni opere meritorio, quo meremur incrementũ amoris Dei erga nos, ex consequenti meremur etiam imminutionem iræ, seu affectûs puniendi.

5. Impetrando pœnæ remissionem.

Tertiò: Satisfacimus etiam impetrando remissionem pœnæ, sicut impetramus alia bona: sic oratione, & omnibus ijs, quæ adhibemus, vt oratio nostra Deum commoueat ad misericorditer ignoscendum, satisfacimus. Impetratio enim nititur misericordiâ, & efficitur omnibus illis, quibus Deum ad miserendum flectimus. Ex dictis sequitur, fructum impetrationis posse alteri applicari, retento fructu qui est ex merito: quia non ideò sum minùs dignus condonatione pœnę, quòd pro altero opus satisfactorium præstem.

DVBIVM I.

Vtrùm satisfactio debeat fieri per opus aliàs indebitum?

3 Quidam affirmant.

MVltorum Doctorum Sententia est, opus satisfactorium debere esse aliàs indebitum; id est, ad quod homo non teneretur nisi peccasset. Ita Paludanus, Gabriel, Maior dist. 15. Antoninus & Siluester. Ratio illorum est: quia quando aliquid est debitum titulo priore, non possumus per illud satisfacere obligationi nouæ, quæ alio titulo superuenit.

Opera aliàs debita, sunt etiam satisfactoria.

Respondeo & Dico Primò: Etiam opera ex præcepto, vel voto debita, sunt satisfactoria. Ita Medina q. 4. *De satisfactione* sub finem. Sotus dist. 19. qu. 2. art. 1. Adrianus qu. 3. *De satisfactione*. Probatur Primò: quia ieiunia Ecclesię sunt præcepta, & tamen sunt satisfactoria: Nam idcircò ab Ecclesiâ sunt instituta. Probatur Secundò, Patientia martyrio tolerando est præcepta, & tamen est maximè satisfactoria. Probatur Tertiò, Ratione. Quia nostra satisfactio non fit per commutationem dati & accepti, sed per modum meriti: ergo sicut obligatio præcepti vel voti nihil obstat, quò minùs illo opere possimus mereri vitam æternam, ita nihil impedit, quin possimus satisfacere pro peccatis.

Ad Rationem contrariam: Respondeo, Id solùm habere locum in debitis iustitiæ particularis, in quibus spectatur æqualitas dati & accepti; vna enim res non potest esse æqualis duabus acceptis, ex quibus orta est duplex obligatio: vt si debeas Petro decem, quia laborauit, & decem quia mutuauit, debes restituere id quod est æquale illis duobus, quod non est decem, sed viginti. Secùs verò, si debeas Deo ex præcepto & iniuria illata: nam per hoc, quod satisfacis præcepto, nihil detrahitur operi dignitatis ad merendam remissionem, sed hæc potiùs crescit ex præcepto. Idem de voto optimè Medina q. 4. sub finem.

4 Hæc tamẽ non sunt ordinariè à Confessore imponenda.

Dico Secundò: Opera tamen huiusmodi aliàs debita non sunt ordinariè in Sacramento pœnitentiæ imponenda: neque satisfactio iuncta est de his intelligenda, nisi Sacerdos contrarium exprimat. Est communis Doctorum. Ratio est: quia æquitas postulat, vt is, qui illicita perpetrauit, ad aliquid noui obligetur, ad quod aliàs non tenebatur: alioquin non sentiet vindictam suorum peccatorum. Vide Gregorium hom. 20. in Lucam circa mediũ, vbi super hæc verba, *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*, sic ait: *Aliud est fructum facere pœnitentiæ, aliud, dignum pœnitentiæ fructum facere. Vt enim secundùm dignos pœnitentiæ fructus loquamur, sciendum est, quia quisquis illicita nulla commisit, huic iure conceditur, vt licitis vtatur: sicque pietatis opera faciat, vt tamen si voluerit, ea quæ mundi sunt, non relinquat. At si quis in fornicationis culpam, vel fortasse, quod est grauius, in adulterium lapsus est: tanto à se licita debet abscindere, quanto se meminit & illicita perpetrasse. Neque enim par fructus boni operis esse debet, eius qui minus, & eius qui amplius deliquit, aut eius qui in nullis, & eius qui in quibusdam facinoribus cecidit, & eius qui in multis est lapsus.*

Gregorius.

Dixi, *Ordinariè*: Quia interdum Sacerdos habet iustas causas opera præcepta imponendi: v. g. ieiunium Ecclesiæ, recitationem Officij diuini Clerico, restitutionem furi: nempe quando videt eum aliâ ratione ad hæc vix posse adduci, aut non habere opportunitatem aliter faciendi. Hoc casu duplici obligatione pœnitens tenetur: & si omittat, duplex peccatum cõmittit: si præstet, duplicẽ consequitur fructum, scilicet ratione operis præcepti & ratione virtutis, quam opus trahit ex potestate Clauium: hinc enim habet vim applicandi Christi meritum ad pœnarum remissionem.

Si imponantur, duplicem adferunt obligationem.

DVBIVM II.

Vtrùm Pœnitentia sint arbitrariæ?

REspondeo, & Dico Primò: Communis sententia Doctorum est, esse arbitrarias. Quod non sic intelligendum est, quasi Sacerdos pro nudo arbitratu possit imponere magnas vel paruas (tenetur enim, spectata conditione pœnitentis, & habita ratione spiritualis vtilitatis illius, iniungere, quantum fieri potest, accommodatas & commensuratas, vt colligitur ex Concilio Tridentino cap. 8.) sed quia non tenetur sequi Canones pœnitentiales.

5 Pœnitentiæ sunt arbitrariæ?

6 Ab initio Ecclesiæ.

Dico Secundò: Valdè probabile est, non solùm à tempore magni Concilij Lateranensis, vt quidam volunt, sed ab initio nascentis Ecclesiæ, pœnitentias hoc modo arbitrarias fuisse: quamuis olim ob dispositionem pœnitentiũ consueuerint maiores imponi. Colligitur hoc ex epist. 77. Leonis, vbi Nicetæ Episcopo scribit, *Tempora pœnitudinis, habitâ moderatione, constituenda sunt tuo iudicio, prout conuersorum animos perspexeris esse deuotos; pariter etiam habentes ætatis senilis intuitum*, &c. Itẽ ex Canone, *Mensuram*, de Pœnitentiâ dist. 1. vbi dicit, *Mensuram temporis agendæ pœnitentiæ linqui in arbitrio Sacerdotis*. Canones autem Pœnitentiales seruabantur tum in foro externo, tum etiam interdũ in interno, quando id expediens videbatur.

Canones Pœnitentiales quomodo seruati.

Dico

12 Si immissa ex communi prouidentia.

Dico Secundò: Flagella quæ secundùm communem cursum rerum obueniunt, non videntur satisfactoria, nisi quatenus ad id acceptantur. Probatur: quia ista non directè infliguntur in hunc finem, sed præuiso peccato originali secundùm naturalem rerum cursum permittuntur; vnde quasi naturaliter obueniunt. Quatenus tamen acceptantur, tanquam à diuinâ Prouidentiâ ob nostram salutem permissa, sunt satisfactoria; eoque magis, quò maior est afflictio.

ARTICVLVS III.

An conuenienter enumerentur opera satisfactoria?

13 Tria genera operum satisfactoriorum.

Docet hoc Articulo esse tria genera operum satisfactoriorum. Primum est *Ieiunium*, ad quod reducuntur omnes aliæ asperitates, vt cilicium, humicubatio, voluntaria corporis verberatio &c. Secundum est *Eleëmosyna*, quæ continet omnia opera misericordiæ corporalia & spiritualia. Tertium est *Oratio*, quæ continet omnem adorationem & cultum Dei, meditationem, contemplationem, actum fidei, spei, charitatis &c. Ratio est, quia hæc omnia sunt quodam modo pœnalia. Ieiunium enim per se affligit. Eleëmosyna etiam quodam modo pœnalis est: nam subtrahit pecunias & bona temporalia, & plerumque cum labore coniuncta est: & quamuis non semper sit molesta, neque positiuè pœna, est tamen pœna priuatiuè, subtrahens homini aliquid. Oratio etiam pœnalis est, tum quia nõ sine labore perficitur, tum etiam quia spiritum hominis deprimit, & Deo subijcit.

Quod nam ex his magis satisfactorium?

Petes: Quodnam ex istis operibus est magis satisfactorium. Respondeo: ceteris paribus, id est, si ex æquali deuotione procedant, magis satisfactoria est afflictio corporis; dein oratio; tertiò eleëmosyna. Quodam tamen modo eleëmosyna est maximè satisfactoria, quia excitat alios ad orationem pro nobis. Vnde præcipuè in Scripturis commendatur.

QVÆSTIO XVI.

De Suscipientibus hoc Sacramentum.

QVærit hîc D. Thomas Primò: Vtrùm pœnitentia possit esse in innocentibus. Secundò: Vtrùm sit in Sanctis qui sunt in gloria. Tertiò: Vtrùm sit in Angelis bonis seu malis. Sed hæc explicata sunt suprà quæst. 85. art. 4. dub. 2.

QVÆSTIO 17. 18. 19. 20.

HIs quatuor Quæstionibus tractat Diuus Thomas de potestate Clauium. Et quidem in quęstione 17. agit de entitate & quidditate Clauium. In quæst. 18. de effectu earum. In quæst. 19. de Ministris Clauium. In quęst. 20. de his in quibus potest exerci vsus Clauium. Sed hæc non habent peculiarem difficultatem, quæ hactenus explicata non sit.

Claues Metaphoricè significant Potestatem Regendi.

Notandum solùm: *Claues* in Scripturis Metaphoricè accipi, pro potestate spirituali in subditos, nam claues sunt signum potestatis regendi. Vnde Magistratui dantur claues vrbis: Oeconomo, claues domus. Sic Isaiæ 22. vers. 22. *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius*, id est, summam potestatem spiritalem in Tribu Iuda; & in Apocalyp. *Qui habet clauem Dauid*, id est, qui habet summam potestatem in domo Dauid, id est, in Ecclesia. Strictè verò accipiuntur *Claues*, pro potestate remittendi & retinendi peccata, quibus clauditur regnum cœlorum, quæ potestas Apostolis collata est Ioannis 20. Vnde à Doctoribus hæc definitio dari solet: *Clauis est potestas ligandi atque soluendi, qua Ecclesiasticus Iudex dignos recipere, & indignos à regno excludere debet.* Quare, etsi in veteri Testamento fuerit aliquo modo potestas Clauium, vt patet ex loco Isaiæ citato; tamẽ propriè & strictè loquendo soli Sacerdotes Noui Testamenti potestatem Clauium habent; quia soli impedimenta regni cælestis possunt tollere.

Clauis Ecclesiæ, quid.

Eius actus.

Porrò actus huius potestatis sunt, *præcipere, vetare, dispensare, absoluere, punire*: de quibus generatim dictum est in Tractatu de Legibus, & ex parte suprà. Solùm superest vt hîc in particulari dicamus de pœnis Ecclesiasticis, quæ sunt *Excommunicatio, Suspensio, Interdictum, Irregularitas.*

DE

DE EXCOMMVNICATIONE

Circa Quæstionem 21. 22. 23. & 24.

1 TRactationem de Excommunicatione diuidimus in septem Capita. Primum Caput, *Quid sit, quotuplex, & quomodo differat ab alijs pœnis Ecclesiasticis*. Secundum Caput, *Quos effectus habeat*. Tertium Caput, *Quis possit excommunicare*. Quartum Caput, *De causa excommunicationis*. Quintum Caput, *Quæ requirantur, vt sit valida, & vt quis eam incurrat*. Sextum Caput, *Quo iure excommunicati sint vitandi*. Septimum Caput, *De absolutione ab excommunicatione*.

CAPVT I.

Quid sit excommunicatio, quotuplex, & quomodo differat ab alijs pœnis Ecclesiasticis?

2 Differentia inter *Anathema* & *Excommunicationē*.

NOtandum Primò: *Excommunicationem* significare separationem à Communione Fidelium: Græcè dicitur Ἀνάθημα, quia excommunicatus est veluti piaculum, & res exterminanda, vt Deus placetur. Concilia tamen hoc nomen *Anathematis* potissimùm vsurpant in damnandis hæresibus & hæreticis. In alijs plerumque vtuntur nomine *Excommunicationis, Separationis, vel Absentionis*; vt videre est, tum alibi, tum in Tridentino sess. 13. can. vltimo. Vide Couarruuiam in Cap. *Alma*, 1. parte §. 8. num. 6.

Communio fidelium triplex.

Notandum Secundò: Esse triplicem communionem inter Fideles: Prior, Interna per fidem & charitatem. Secunda est, Partim interna, partim externa; scilicet in Orationibus, Sacrificijs, & Sacramentis: res enim ipsæ externæ sunt, sed fructus earum est internus. Tertia est, Omnino externa, quæ posita est in conuictu humano, in conuiuijs, colloquijs, salutationibus, contractibus, & alijs huiusmodi congressibus. His positis: Constat excommunicationem nō tollere primam cōmunionem, sed eam supponere: hæc enim tollitur per solum peccatum: tollit autem excommunicatio secundam, & tertiam.

DVBIVM I.

Quid sit excommunicatio?

3 Explicatur definitio *Excommunicationis*.

REspondeo: Definiri rectè potest, *Censura Ecclesiastica, qua separatur homo à communione Sacramentorum, & conuictu Fidelium*.

Dixi, *Censura*; vt excludatur irregularitas, prouenies non ex delicto, sed ex defectu lenitatis in Iudicibus, vel significationis in bigamia. Etsi enim irregularitas prouenies ex delicto, sit vera & propriè dicta censura Ecclesiastica, id est, animaduersio & punitio Ecclesiastica, vt rectè docet Sotus dist. 22. quæst. 3. art. 1. & Medina 1. 2. quæst. 106. art. 4. & multi alij recentiores: tamen ea, quæ non prouenit ex delicto, censura non est. Quò fit, vt irregularitas in genere non sit censura, sed abstrahat à ratione censuræ.

Similiter excluditur *Degradatio*, & *Cessatio à diuinis*, quæ etiam propriè non sunt censuræ; vt docet Nauarrus cap. 27. num. 166. Quamuis hæc etiam alio modo excludi possint; quia hæc non separant à conuictu Fidelium.

Dixi, *Ecclesiastica*: quia potestas ciuilis non potest aliquem excludere à communione Sacramentorum, imò nec propriè à conuictu Fidelium, sed sola Ecclesia.

Dixi, *Qua separatur homo à communione* &c. vt distinguatur à *Suspensione*, & *Interdicto*. Nam *Suspensio* solùm excludit ab vsu officij vel beneficij, & solùm personam Ecclesiasticam contingit: à perceptione autem Sacramentorum & conuictu Fidelium non excludit. *Interdictum* verò non separat à conuictu Fidelium, sed solùm à diuinis officijs Sacramentis, & Ecclesiastica sepultura, prohibens directè ipsas officij Ecclesiastici, Sacramentorum, & sepulturæ actiones.

DVBIVM II.

Quotuplex est excommunicatio?

REspondeo: Variè diuiditur. Prima diuisio: Alia est *Maior*, quæ priuat Sacramentis & conuictu Fidelium. Alia *Minor*, quæ solùm priuat Sacramentis percipiendis. Hæc solùm incurritur participatione cum excōmunicatis denunciatis vel cum notorijs percussoribus Clericorum; nec inducit irregularitatem; vt patet Capitulo *Si celebret*, de Clerico excommunicato. Olim etiam ab homine infligebatur per sententiam, & à iure in omni sacrilegio: verùm hæc iam desita sunt. 4 Maior. Minor.

Secunda diuisio: Excommunicatio, Alia est *à iure*. Alia *ab homine*. *A iure* sunt, quæ fiunt à Papa, vel Synodo vniuersali, vel particulari; vel certè à Papa confirmatur; & hæ semper durant, etiāsi Auctor moriatur. *Ab homine* sunt, quæ fiunt per modum mandati vel sententiæ: hæ expirant, id est, non ampliùs incurruntur mortuo auctore, vel deposito ab officio. Vnde patet *Excommunicationes Bullæ Cœnæ Domini* partim censeri esse *à iure*, quia mortuo Pontifice non expirant, partim *ab homine*, quia quot annis renouantur. A Iure. Ab Homine. Excommunicatio Bullæ Cœnæ ex his mixta.

Tertia diuisio: Excommunicatio, Alia est *latæ sententiæ*. Hæc ipso facto incurritur: vt cùm dicitur, *Qui hoc fecerit, ipso iure vel ipso facto sit excommunicatus, incurrat excommunicationem*, vel *subiaceat excommunicationi*, vel *excommunicamus talem*. Alia est *ferendæ*, seu *comminatoria*: vt cùm dicitur, *Qui hoc fecerit, excommunicetur*; vel, *Prohibemus sub pœna excommunicationis*. Denique cùm dicitur, *Sit excommunicatus*, ordinariè intelligitur excommunicatione ferendâ, nisi aliunde cōstet contrarium, iuxta Nauarrum cap. 27. num. 12. Latæ sententiæ. Comminatoria.

CAPVT II.

De effectibus excommunicationis.

DVBIVM I.

Qui sint effectus excommunicationis maioris, id est, sententiæ excommunicationis, siue actiuè siue passiuè consideretur: siue quatenus fertur, vel quatenus aliquem contingit?

5 REspondeo: Multos esse effectus istius excommunicationis, qui ferè omnes in particulari pendent ex iure positiuo.

1. Effectus, priuat cõmunione Sacramentorum.

Primus est, Quòd priuet communione Sacramentorum actiuâ & passiuâ: ita vt excommunicatus nec possit suscipere, nec alteri conferre vllũ Sacramentum. Quòd si exerceat actum Ordinis Sacri, etiam fiat irregularis. Hoc intellige de quouis excommunicato, etiam occultè.

2. Effectus, priuat fructu sacrificij, vt est à publico ministro.

Secundus, Quòd priuet fructu sacrificij Missę & Suffragiorum Ecclesiæ. Ratio est, quia Ecclesia non vult ipsis hunc fructum applicari. Vbi

Notandum Primò: Hoc esse intelligendum de fructu sacrificij, & officij diuini, quem habet quatenus à Ministro publico Ecclesiæ peragitur, vt dictum est suprà Tractatu de Sacrificio quęst. 83. art. 1. dub. 9. non autem de eo fructu, quem habet, vt celebratur à personâ priuata: nam Ecclesia non vetuit priuatis offerre preces, & suo modo etiam Sacrificia pro excommunicatis; imò nec ipsi Sacerdoti, vt est priuata persona, id est, vt habet tantam vel tantam sanctitatem, vt offert tali vel tali deuotione: sanctitas enim personæ & deuotio, qua offert, pertinent ad oblationem Sacrificij, vt est actio priuata, sicut consecratio Sacerdotalis per quâ Sacerdos gerit personam Christi & Ecclesiæ, pertinet ad oblationem, vt est actio publica. Vnde etiam licitum est orare pro illis in *memento*, & in quibusuis Orationibus priuatis, quæ nomine Ecclesiæ non obeuntur: vt rectè Nauarrus c. 27. n. 23. & 36. Couar. in Cap. *Alma* 1. parte §. 6. num. 4. Sotus dist. 22. quæst. 1. art. 1.

Non tamen vt est à priuato.

Priuat fructu orationis publicę.

Notandum Secundò: Nullum excommunicatum, etiamsi excommunicatio sit occulta, comprehendi generalibus Ecclesiæ Orationibus, quibus ipsa pro omnibus Fidelibus orat, vt omnes Doctores fatentur. Ratio est; quia Ecclesia non intendit illos comprehendere.

Exclude solos denuntiatos & notorios.

Notandum Tertiò: Si alicuius excommunicatio non sit denuntiata, nec notoria, probabile esse pro eo posse orari publica oratione, & sacrificium offerri; vt docet Nauarrus num. 36. & Henriquez de Missâ cap. 15. Ratio est, quia Ecclesia non vetat communionem cum talibus. Patet ex decreto Concilij Constantiensis, quod incipit *Ad euitanda*, apud Nauarrum num. 35. Vnde videtur sequi, neque orationem vetare pro talibus: nam oratio est communio quædam cum illo, pro quo oratur. Vnde etiam videtur sequi licitum esse offerre pro notorijs excommunicatis, modò non sint denuntiati, aut notorij percussores Clericorum: nam secundùm hanc limitationem illud decretum est receptum, vt docet Nauarrus loco citato, & est communis sententia.

Validè offertur Sacrificium pro excõmunicato denuntiato, &c, etsi illicitè.

Notandum Quartò: Si offeratur sacrificium pro excommunicato denuntiato vel notorio Clerici percussore, etsi contra præceptum Ecclesiæ fiat, proderit tamen illis ex opere operato, vt suprà quæst. 83. art. 1. dub. 9. num. 52. dictum est de Sacrificio. Ratio est, quia applicatio fructus sacrificij non ita subest dispositioni Ecclesiæ, vt ipsa possit eam irritam reddere, cùm Sacerdos offerat ex persona Christi per potestatem immediatè à Christo communicatam, quam Ecclesia non potest limitare. Orationes tamen Ecclesiæ non proderunt; neque vt publicæ, quia sic dicuntur in persona Ecclesiæ, quę noluit eas ipsis prodesse: neque vt priuatæ, quia qui contra Ecclesiæ præceptum facit, est in statu peccati, ac proinde eius oratio, vt est hominis priuati, vim non habet impetrandi bona spiritualia alteri.

Si excommunicatus est in gratia, hæc pœna non obest.

Notandum Quintò: Hanc pœnam non intelligi de illis excõmunicatis, qui sunt in statu gratiæ; neque de alijs, qui coram Deo non sunt excommunicati, quod est contra Dominicum Soto, & quosdam alios. Sed ita sentit Couarruuias 1. p. §. 6. concl. 9. in Cap. *Alma*. Nauarrus cap. 27. nu. 36. Turrecremata in Cap. *Si quis Episcopus* II. quæst. 3. Antoninus 3. parte titul. 24. cap. 76. Ratio est: quia non est credibile Ecclesiam velle illis sua suffragia subtrahere, qui nõ ampliùs contumaces contra illam sunt, & ipsi Deo iam sunt reconciliati.

6 3. & 4. Effectus,

Tertius effectus: Quòd priuet diuinis Officijs, ita vt neque priuatim, neque simul cum alijs possit illis interesse, idque ne in festo quidem Paschatis. Tenetur nihilominùs recitare Officium, si sit in sacris, vel si habeat beneficium.

Quartus effectus: Priuatio externi conuictus fidelium.

5. Effectus, circa beneficij collationem, permutationem, & pensionem.

Quintus effectus: Quod faciat incapacem collationis Beneficij; ita vt collatio Beneficij facta excommunicato sit irrita, quamuis ipse ignoret suam excommunicationem. Ita Couarruuias suprà §. 7. num. 1. Vnde in litteris Pontificijs, quibus beneficia conferuntur, solet dari ad cautelam absolutio ab excommunicatione, ad effectum præsentium consequendum. Hinc sequitur etiam permutationem beneficiorum inter excommunicatos non valere; quia hîc fit mutua collatio, vt idem Couarruuias, & alij docent. An autem sit incapax pensionis, dubium est: Vtraque pars est probabilis, vt colligitur ex Couarruuia. Puto tamen non esse incapacem, cùm pensio non sit Beneficium vel Officium Ecclesiasticum, & pœnæ non sint extendendę. Si tamen pensio requirat titulum Ecclesiasticum, & vbi Bulla Pij V. de Pensionibus est recepta, erit incapax.

7 6. Effectus, priuatio vocis actiuæ & passiuæ.

Sextus effectus: Quòd priuet voce actiuâ & passiuâ in electionibus, non solùm ad Beneficia & Officia Ecclesiastica, sed etiam ad dignitates sæculares, quibus annexa est iurisdictio; vt ad Regalem, Imperatoriam, Ducalem, Præsidis, &c. vt patet ex Cap. *Venerabilem*, de Electionibus, vbi vide Panormitanum num. 8. Vnde sequitur, si excommunicatus eligatur ad beneficium, electionem esse irritam. Est communis sententia, vt docet Couarruuias §. 7. nu. 1. Similiter postulationem, si postuletur: & præsentationem, si præsentetur, vt ibidem Couarruuias.

Hîc tamen Aduerte Primò: Si electus aut præsentatus in excommunicatione absoluatur ante acceptatio-

Si electus vel præsentatus absoluatur ante acceptationem,

acceptationem vel collationem, id sufficere ad acquirendum titulum. Ita quidam, & citat Couarruuiã. Sed Couarruuias hoc nõ dicit, nec videtur habere solidum fundamentum. Probabilius est, quod ait Couar. n. 4. (etsi dubitãter) nempe si tibi facta sit collatio ante excommunicationẽ, & posteà incursa excommunicatione acceptes collationem, vel ingrediaris possessionem, non esse irritam acceptationem, aut possessionis ingressionẽ. Ratio ipsius est, quia acceptatio & ingressio possessionis potiùs ad factum, quàm ad ius pertinet; vt ibidem probat Couarruuias: per collationem enim acquiritur ius, etsi conditionale; &, ipsa acceptatio solùm est conditio necessaria vt illud ius fiat absolutum. Ingressio possessionis solùm fit quando plenum ius iam acquisitum est. Denique idipsum comprobat praxis.

Si sit toleratus,

Aduerte Secundò: Si ille excommunicatus sit toleratus, id est, si non sit denuntiatus nominatim, aut notorius Clerici percussor, eius electio, præsentatio, & postulatio actiua videntur valere post decretum Concilij Constantiensis, sicut etiam actus iurisdictionis valent. Ratio est: quia ad bonum aliorum Ecclesia statuit talem non esse vitandum: imò ipse non videtur peccare mortiferè hos actus subeundo; quia solùm secundariò ei prohibentur, sicut & alij actus pertinentes ad communicationem in rebus humanis.

8

7. Effectus.

Septimus effectus: Irritam reddit gratiam per rescriptum litterarum Apostolicarum obtentam. Vnde etiam in huiusmodi litteris solet dari absolutio ad cautelam. Vide Nauarrum num. 22.

8. Effectus, liberat ab obedientia.

Octauus effectus: Liberat subditos ab obedientia Superiorum excommunicatorum tam secularium, quàm Ecclesiasticorum: quod intellige, si excommunicatio est publica. Quòd si etiam sit denuntiata, aut ob notoriam Clerici percussionem, non solùm liberat subditos, sed etiam obligat, ne obediant, nisi ad maius malum vitandum: vt apertè colligitur ex Capitulo *Nos Sanctorum*, & Capitulo *Iuratos* 16. quæst. 6. de quo plura 2. 2. quæst. 11. art. 4. dub. 5.

9

9 Effectus, suspendit ab officio & beneficio.

Nonus effectus: Suspendit ab Officio, & Beneficio.

Aduerte tamen Primò: Id quod facit excommunicatus ratione officij publici quãdiu toleratur, ratũ haberi: si autem non sit toleratus, omnes sententiæ, constitutiones, alijque legitimi actus irriti erunt; vt patet ex Capitulo *Aduersus*, de Immunitate Ecclesiarum.

An excommunicatus faciat fructus suos.

Aduerte Secundò: Multorum sententiâ ita suspendi à Beneficio, vt si sit in mora petendæ absolutionis, non faciat fructus suos: de quo vide Couarruuiam lib. 3. variarum cap. 13. num. 8. vbi dicit, hanc esse omnium consensu receptam sententiam. Sed Petrus Nauarra lib. 2. de Restitutione dub. 4. satis probabiliter contrarium docet. Ratio eius est, quia, Iure non est expressum ipsum perdere fructus ipso facto: vnde cùm titulum Beneficij retineat, & officium præstet, non est cur dicamus eum ob vllum peccatum vel censuram fructus non facere suos. Nec obstat Capitulum *Pastoralis*, de Appellationibus, quia solùm dicit esse priuandum fructibus: & hâc ratione dicitur suspensus à Beneficio, quòd nempe fructibus Beneficij possit priuari.

10

Decimus effectus: Quòd excommunicatus non possit esse Testis, Aduocatus, Procurator, Actor, imò nec possit constituere Procuratorẽ ad agendum aut impetrandum: vt patet Capitulo *Finali*, de Procuratoribus. *De hac re vide latius lib. 2. de Iustit. & Iure cap. 29. dub. 7. vbi latè deducitur, Vtrum Iudex excommunicatus peccet vsurpatione iudicij, si iudicia exerceat.*

10. 11. & 12. Effectus.

Vndecimus effectus: Si per annum obdurato animo insorduerit huic censuræ, potest contra eùm procedi tanquam contra suspectũ de hæresi, vt constituit Tridentinum sess. 25. cap. 3. *de Reformatione.*

Duodecimus effectus: Si moriatur in excommunicatione, caret Ecclesiastica sepulturâ. Intellige de non tolerato.

DVBIVM II.

Qui sint effectus excommunicationis minoris?

11

1. Effectus, excludit à participatione Sacram.

PRimus effectus: Excludit à paticipatione Sacramentorum, adeò vt mortiferè peccet, qui in excommunicatione minore aliquod Sacramẽtum percipit; vt communiter Doctores docent. Nam Cap. *Si celebrat*, de Cleri. excom. min. dicitur grauiter peccare si celebret. Ratio est: quia perceptio Sacramentorum est res grauis, quę directè ab Ecclesia huic excõmunicato prohibetur.

2. Effectus, facit electionem irritandam.

Secundus effectus: Si quis eligatur ad beneficium, electio est irritanda. Hi duo effectus exprimuntur Cap. *Si celebrat*, de Clerico excommunicato. Vbi aduerte, plerosque Doctores dicere, electionem esse irritam. Quod mirum videri possit, cùm textus apertè dicat *esse irritandam*: & in pœnis non debeat dura interpretatio fieri præter vim verborum.

Huic conferens Sacramentum vel beneficium, peccat mortiferè.

Ex dictis sequitur, Eum quoque mortiferè peccare, qui sciens huius excommunicationem, confert ei aliquod Sacramentum, vel beneficium priusquam ab hâc censura absoluatur: vt passim Doctores docent.

Excommunicatus alteri conferens Sacramentum, peccat venialiter.

Notandum tamen, Si talis excommunicatus conferat alteri Sacramentum, sic tamen vt ipsemet non sumat, non peccare, iuxta Nauarrum & alios quosdam; vel certè non nisi venialiter, vt Sotus etiam docet, quod verius est. Nam in Capitulo *Si celebrat*, Gregorius ait, *Peccare administrantem, recipientem verò grauiter peccare*, nempe quia ille venialiter, hic mortiferè. Ratio est, quia est nonnulla irreuerentia, quòd conferat Sacramenta, cùm non possit illa recipere.

CAPVT III.

De potestate excommunicandi.

DVBIVM I.

Vtrùm in Ecclesiâ sit potestas excommunicandi?

12

Affirmatur. Scriptura.

REspondeo: Fide tenendum est, esse. Probatur ex Scripturis: Matt. 18. v. 16. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*; vbi Prælatis datur potestas excludendi contumaces ab illis omnibus, quę sunt Religionis Christianę, sicut ab illis exclusus est Ethnicus. Confirmatur: Quia ibid. dicitur; *Quæcunque alligaueritis super terrũ, erunt ligata & in cælo*, in quem locum vide Hiero.

& Chrysostomum. Ioannis 20. datur Petro plena potestas pascendi omnes Christi oues: atqui ad rectè pascendum, necessaria est potestas, qua oues morbidæ & rebelles à grege separentur. 1. ad Corinthios 5. v. 5. *Iudicaui huiusmodi tradere Satanæ in interitum carnis:* quod nihil est aliud, quàm eijcere extra Ecclesiam, & permittere diabolo corporaliter vexandum: vide Chrysostomum, Theodoretum & Theophilactum in illum locum. 2. ad Thessalonicenses 3. v. 14. *Si quis non obedit verbo nostro, ne commiscearnini cum illo, vt confundatur.* Idem patet ex omnibus Cõcilijs, & perpetuo Ecclesiæ vsu.

Ratio. Ratio est; Quia in omni Republica benè constituta est potestas puniendi contumaces, eosque in exilium mittendi & priuandi priuilegijs bonisque communibus Reipublicæ: ergo etiam in Ecclesiâ, quæ perfectissimę Reipublicæ formam habet, debet esse hæc potestas quâ extra Ecclesiam, veluti in exilium, rebelles mittantur; & Sacramentis, suffragijsque spiritalibus, tanquam communibus Ecclesiæ bonis, priuentur. Vnde etiamsi potestas excommunicandi sit iure diuino cõcessa; tamen, suppositâ Ecclesiæ fundatione, ratio naturalis postulat talem potestatem: vnde veluti naturaliter ipsi Ecclesiæ competit.

DVBIVM II.

In quibus sit hæc potestas.

13 Papa. REspondeo: Primò, In Pontifice, qui est caput vniuersalis Ecclesiæ. Huic conuenit iure diuino plenitudo huius potestatis, idque in omnia Ecclesię membra.

Concilium Oecumenicum. Secundò, In Concilio OEcumenico est potestas Excommunicationis in omnes personas Ecclesiæ totius, præterquam in Pontificem. Ratio est; quia potestas Concilij OEcumenici est infra Pontificẽ, eique subiecta, orituróque iure gentium ex singulorum Episcoporum coitione & consensu.

Prouinciale. Tertiò, In Synodo Prouinciali est potestas in totam Prouinciam, & in singulos Episcopos illius Prouinciæ.

Episcopus. Quartò, In singulis Episcopis est ordinaria excommunicandi potestas in omnes suos subditos. Ratio est, quia quisque Episcopus est suorũ subditorum Iudex ordinarius in spiritualibus. Confirmatur: Matthæi 18. *Dic Ecclesiæ*, inquit Dominus, id est, Prælato seu Episcopo, qui Ecclesiam repræsentat; vt passim Patres & Doctores interpretantur.

Ab vno Episcopo excommunicatus, censetur vbique excommunicatus. Notandum autem; Eum, qui ab vno Episcopo, vel alio Superiore immediato legitimè est excommunicatus, vitandum esse non solùm in illa diœcesi, sed etiam in tota Ecclesiâ per vniuersum orbem; vt patet ex Concilio Nicæno can. 5. *Seruetur*, inquit, *& ista sententia, vt hi, qui ab alijs excommunicantur, ab alijs ad communionem non recipiantur.* Estque consentaneum iuri diuino Matth. 18. v. 16. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus:* vbi Dominus non limitat hoc ad certum locum, quia loquitur omnibus Fidelibus. Ratio est: quia, etsi multæ sint diœceses per orbem, Ecclesia tamen vna est, & conuenit vbique in omnibus ijs, quibus excõmunicatus priuatur: ergo, si in vna diœcesi sit excommunicatus, censeri debet excommunicatus in omnibus. Aduerte tamen, posse constitui per Pontificem ex plenitudine potestatis, vt is qui est excommunicatus ab Episcopo, tantùm vitari debeat in illâ diœcesi; vt docet Scotus dist. 19. art. 5. Sed id non esset cõsentaneum naturæ excommunicationis: nam non esset excommunicatio absoluta, sed solùm secundùm quid.

Prælati seu Superiores Ecclesiastici. Quintò, Hæc potestas est in omnibus Prælatis, seu Superioribus Ecclesiasticis qui aliquã habent in foro exteriori iurisdictionem. Hi enim omnes debent habere potestatem coactiuam, quæ potissimùm consistit in excommunicatione.

14 Parochi nõ possunt excommunicare. Parochi, etsi olim potuerint excommunicare in quibusdam casibus, vt in furto & rapina, vt patet ex D. Thoma hoc loco quæst. 22. art. 1. nunc tamen non possunt: quia ista consuetudo iam passim est abolita; idque meritò, cùm non habeãt cognitionem in causis fori exterioris. Si tamen alicubi habeant hanc consuetudinem legitimè vsu captam, poterunt excommunicare.

Nec laicus, nec mulier. Laicus & Mulier nõ possunt excommunicare. Fortè tamen posset illis ex plenitudine potestatis Pontificiæ committi; quamuis hactenus non extet exemplum.

DVBIVM III.

Vtrùm aliquis seipsum possit excommunicare?

15 Nec seipsum, nec parem potes excommunicare. REspondeo: Nemo potest seipsum, nec parem excommunicare siue per sententiã, siue per statutum. Neque potest quispiam inferiori, aut pari se subijcere, vt ab illo excommunicetur, nisi ipse officium deponat. Ratio est: Quia excommunicatio est actus iurisdictionis coactiuæ, quæ nisi in subditum exeri non potest. Cuius vlterior ratio est, quia nemo seipsum potest cogere, cùm coactio sit contra voluntatem, ac proinde necessariò ab extrinseco debeat prouenire. Vide Siluestrum *Excommunicatio* 1. num. 8. & 9. Hinc etiam fit, vt inferiori vel pari subijcere se non possit ad hunc effectũ: quia sicut non habet in seipsum potestatem coactiuam, ita nec alteri eam dare potest, nisi officio depositio. Alia est ratio eius, qui subijcit se inferiori, vt absoluatur à peccatis; quia non dat ei iurisdictionem actiuam, qua ille absoluit, sed solùm se illi applicat materiam habenti Iurisdictionem actiuam à Christo.

Cur quis se possit subijcere inferiori, vt absoluatur, non vt excommunicetur.

DVBIVM IV.

Vtrùm excommunicatus possit excommunicare?

16 Toleratus validè excommunicat alium. REspondeo: Si est toleratus, id est, si non est denuntiatus, aut notorius Clerici percussor, validè excommunicat. Idem dicendum de eo, qui est suspensus ab officio, vel interdictus. Tenet Couar. in cap. Alma 1. par. §. 11. num. 4. Sotus dist. 22. q. 2. art. 1. Nauarrus cap. 22. num. 7. & 8. & alij multi. Ratio est: quia quamdiu Ecclesia illum tolerat, non censetur illum priuare iurisdictione; vnde ratam vult eius haberi sententiam: idque ob multa incommoda, quæ alioqui nascerentur. Verum tamen est, posse quem excipere contra talem sententiam, quæ exceptio illi proderit.

An talis excommunicatus peccet. Vtrùm autẽ talis peccet exercẽdo iurisdictionem, dubium est. Nauarrus, Couarruuias, & quidam alij insinuant nõ peccare: nam ob bonum commune

commune Iura permittunt ei iurisdictionis vsum, quamdiu toleratur; vt colligitur ex Cap. *Ad euitanda*. Quæ sententia est probabilis; & meo iudicio certa, quando procedit ex officio, vel ad instantiam partis.

DVBIVM V.

Vtrùm consuetudo possit excommunicare?

17 Affirmatur. REspondeo: Posse, si sit legitimè præscripta: vt, exempli gratia, si in aliqua diœcesi haberetur à Clero & populo excommunicatus, qui in Quadragesimâ vescitur carne, vel qui nõ communicat in Paschate, etiamsi numquam tale statutum esset editum. Ratio est: quia talis consuetudo habet vim legis; vt rectè Nauarrus cap. 27. num. 7. idque, vel quia ipsa Respublica seruans istam consuetudinẽ, instar legis, habet potestatem condendæ legis, vt fit in rebus humanis & Republicâ liberâ; vel quia Superior vult consuetudinem vim legis habere.

DVBIVM VI.

Quinam non possint excommunicari?

18 REspondeo: Nec infidelis, nec catechumenus, nec summus Pontifex, nec vniuersitas seu congregatio, nec mortuus excommunicari potest. De infideli, patet 1. ad Corinth. 5. v. 12. *Quid mihi de ijs qui foris sunt, iudicare?*

Infidelis.

Catechumenus. De catechumeno patet: quia nondum subest potestati Ecclesiæ, sicut nec infideles. Nam per Baptismum illi primùm subijcitur. Ante Baptismum non potest cogi ad fidem, vel aliquid fidei annexum. Vnde nõ est verum, quod ait Alphonsus à Castro lib. 1. de Iusta hæretic. punitione cap. 8. *Catechumenum, si fiat hæreticus, posse puniri ab Ecclesiâ.* Dices: Ecclesia determinat catechumenis tempus suscipendi baptismum; quo præcepto obligãtur sub mortali: ergo subsunt Ecclesiæ quoad potestatem directiuam, & consequenter quoad coactiuam. Respondeo: Non peccant, quòd faciant contra Ecclesiæ præceptum; sed quia instructi iam in fide tenentur iure diuino primo quoque tempore, quo Ecclesia illos admittet, baptismum suscipere.

Papa. De Pontifice Probatur: quia, quamdiu manet Pontifex, est omnium superior in Spiritualibus, nec habere potest in terris in ijsdem superiorem.

Communitas. De Congregatione patet: quia excommunicatio congregationis posset continere intolerabilem errorem: nam etiamsi congregatio peccauit, tamen multi particulares in eâ possunt esse innocentes. Vnde, si is, qui est inferior Papâ, ferat talem excommunicationem, est irrita: Capit. *Sancta Romana*, de sententia excommunicationis in 6. Si autem ipse Papa ferat, valet quidem, quia ipse Iure humano non est alligatus: sed innocentes eâ non ligantur corâ Deo, quidquid dicat Siluester.

Mortuus. De mortuis patet: quia non subsunt ampliùs potestati iudiciariæ Ecclesiæ: Dominus enim ait, *Quæcumque alligaueritis super terram* Matth. 18. non enim pertinent ampliùs ad Ecclesiam visibilem, cuius superior est Pontifex. Possunt tamen declarari excommunicati, vel etiam impropriè excommunicari, dum priuantur sepulturâ Ecclesiasticâ, & interdicitur ne pro illis offeratur sacrificium.

DVBIVM VII.

Vtrùm quis possit alterum excommunicare extra locum suæ iurisdictionis?

19 Episcopus extra suam diœcesim positus, non potest suos subditos excommunicare. REspondeo & Dico Primò: Episcopus positus extra suam Diœcesim, non potest excõmunicare suos subditos. Patet Cap. *Vt animarum*, de Constitutionibus in 6. Ratio est: quia excommunicatio requirit cognitionẽ causæ & tribunal, quod Episcopus extra suam diœcesim non habet: imò nec Pontificalia extra eam obire potest sine consensu Ordinarij, vt habet Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 5.

Nisi ab ijs fit expulsus. Aduerte tamen: Si Episcopus à suis pulsus sit extra diœcesim, potest petitâ facultate ab Ordinario loci, etsi non obtentâ, exercere iurisdictionem; vt habetur Clementina 1. *de foro competenti*.

Potest ibidem eos absoluere. Potest etiam absoluere subditum extra diœcesim sine strepitu iudicij & solemnitate.

20 Delinquens extra diœcesim. Dico Secundò: Subditi, extra diœcesim delinquentes, non incurrunt excommunicationem illi delicto in diœcesi positam. Patet Cap. *Vt animarum*, suprà. Ratio est: quia statuta non obligant extra limites iurisdictionis sui Auctoris.

Delinquẽs in loco exempto. Ob eandem causam, si subditi peccent in loco exempto à iurisdictione Episcopi, non incurrunt excommunicationem ab Episcopo latam in eos, qui tale crimen committunt: nam, vt Canonistæ docent, locus exemptus, & locus extra diœcesim æquiparantur. Vide Siluestrum *Excommunicatio* 2. num. 12.

Si redeat in diœcesim. Notandum tamen Primò: Si is, qui deliquit extra diœcesim, redeat, & conueniatur coram suo Ordinario, posse ab illo excommunicari, nisi obediat.

21 Si commisso crimine, exeat in aliam diœcesim. Notandum Secundò: Si subditus commisso furto, vel homicidio, vel simili crimine in diœcesi, exeat in aliam, posse excommunicari à suo Episcopo, nisi debitè satisfaciat; quia non solùm ratione personæ, sed etiam ratione delicti est ei subiectus. Et Confirmatur: quia cognitio huius criminis non pertinet ad Episcopum vel iudicem alterius Diœcesis: ergo pertinet ad proprium Episcopum illius Personæ. Si verò extraneus, commisso huiusmodi crimine in diœcesi, exeat, non potest excommunicari ab illo Episcopo, nisi ante egressionẽ sit citatus ab illo; vel certè nisi habeat ibi domicilium. Vide Siluestrum *Excommunicatio* 2. num. 20.

22 Si crimen compleatur in diœcesi à subdito posito extra diœcesim. Notandum Tertiò, Quando delictum completur in diœcesi à subdito posito extra diœcesim, posse eum excommunicari ab Episcopo diœcesis. Sic Episcopus potest excommunicare Clericos non residentes, etiamsi ipsi extra diœcesim sint: nam peccatum non residendi completur in diœcesi circa rem ipsi subiectam. Pari ratione potest excommunicare Parochos, qui non veniunt ad Synodum diœcesanam; & subditos, qui citati non comparent, etiamsi procul absint. Vide Siluestrum suprà.

Prochi nõ venientes ad Synodũ diœcesanã, & citati nõ comparentes.

CAPVT IV.

De causa excommunicationis.

DVBIVM I.

Quale peccatum debet esse, ob quod possit quispiam excommunicari?

23 Ob veniale excommunicari, nequis.

REspondeo & Dico Primò: Neminem posse excommunicari ob peccatum veniale. Ratio est; quia hoc peccatum non meretur tantam pœnam. Excommunicatio enim est pœnarũ omnium, quas Ecclesia potest inferre, grauissima. Vnde D. Augustinus lib. 1. contra Aduersarium legis & prophetarum cap. 17. ait. *Illud, quod ait,* (scilicet Dominus) *si nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus, grauius est, quam si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris subjceretur.* Hinc colligitur optima regula: *Numquam incursam esse aliquam excommunicationem, nisi quando peruentum est ad mortiferum.* Ex qua regula multæ difficultates possunt solui.

Sed ob solũ mortiferũ cui adiuncta contumacia.

Dico Secundò: Non ob quamuis culpam mortiferam potest ferri excommunicatio; sed ob solam contumaciam: vt, si monitus nolit ab aliquo peccato mortifero desistere: si recuset restitutionem facere: si citatus à Superiore, nolit comparere: si sententiæ iudicis Ecclesiastici nolit parère. Colligitur hoc Matth. 18. vbi Dominus nõ vult fratrem peccantem statim tanquã Ethnicum haberi, sed, *Si Ecclesiam non audierit.* Et Apostolus ad Titum 3. v. 10. post primam & secundam admonitionem vult hæreticum hominem deuitari.

24 Si habes iustam causam, vel nunc non es soluendo

Notandũ Primò: Si subditus habet iustã causam, aut certè non potest præstare quod iubetur, non est coram Deo excommunicatus: vt, si excommunicetur, qui non est soluendo, vel saltem non potest sine graui incommodo, nisi fortassis creditor esset in pari vel grauiori necessitate: tenetur tamen eo casu eam partem soluere, quam potest. Quòd si non possit nunc, possit autem post aliquod tempus, tenetur tunc sub pœna eiusdem excommunicationis, modò permaneat idem iudex; quia adhuc durat vis illius sententiæ: secùs, si iudex sit depositus, vel mortuus. Vide Sotum dist. 22. qu. 1. ar. 2.

Si possis postea solucre.

25 Contumacia non eadem sufficit ad excommunicationem ab homine, quæ à Iure

Notandum Secundò: In excommunicationibus à Iure, non requiri aliam contumaciam, quàm eam, qua facit contra Ius, quod passim notum est, sciens vel scire debens huiusmodi pœnam illi esse annexam. Secùs est de excõmunicatione, quæ fertur in aliquos per modum sententiæ.

Leuiter excommunicans, peccat.

Notandum Tertiò: Concilium Trident. sess. 25. capite 3. *de Reformatione*, præcipere omnibus iudicibus Ecclesiasticis, vt in causis ciuilibus non vtantur excommunicatione, nisi alijs Iuris remedijs antè tentatis: neque etiam in criminalibus, si realis executio fieri potest. Vnde grauiter peccant, qui tam facilè homines ob debita excommunicant.

DVBIVM II.

An excommunicatio lata contra innocentem secundùm allegata & probata, sit valida?

26 Quidam existimant validam.

QVidam putant esse validam, eò quòd secundùm ordinem iuris lata sit. Ita Durandus dist. 18. q. 4. & alij, quos refert & sequitur Couarruuias in Cap. *Alma*, 1. p. §. 11. num. 14.

Sed verius est, Non esse validam, quamuis ratione scandali publicè seruari debeat. Tenet Cajetanus 2. 2. q. 7. ar. 4. Adrianus Quodl. 6. Gabriel dist. 18. q. 2. Petrus Soto lectione 3. *de Excommunicatione*. Dominicus Soto dist. 22. qu. 1. art. 3. Probatur Primò: Quia talis sententia est iniusta: est enim condemnatio innocentis, & procedit ex falsa præsumptione: ergo non obligat. Probatur Secundò: Quia sententia iudicis est instar priuatę cuiusdam legis: atqui lex intrinsecè iniusta, non est lex, sed tyrannis, vnde nec obligat: ergo &c. Probatur Tertiò: quia in iudicijs sæcularibus non tenetur quis obedire sententię, quę falsę præsumptioni innititur, nisi fortè ob scandalum. Denique non est credibile Ecclesiam velle innocentem priuari tantis bonis, scilicet Suffragijs, Sacramentis, &c. aut Deum talem sententiam ratam habere: non enim hæc potestas est ad opprimendos innocentes, sed ad puniendos contumaces. *Vide lib. 3. de Iustit. & Iure c. 29. dub. 10. vbi latè deducitur, Iudicem non posse condemnare reũ, qui per testes legitimè est probatus crimine ſus, quem tamen ipse iudex certò nouit innocentem.*

Verius nõ gatur.

Hinc sequitur, Si talis celebret, etsi in publico, non fieri irregularem, quidquid dicant aliqui Canonistæ. Ratio est: quia Sacerdos celebrando non violat censuram quâ reuerà non erat obstrictus. Cauere tamen debet scandalum. Priuatim potest celebrare sine scrupulo.

Innocens in publico celebrans, non fit irregularis.

CAPVT V.

Quanam requirantur, vt excommunicatio sit valida, & vt incurratur?

SVppono, vt excommunicatio sit valida, requiri Primò: vt lata sit ab eo, qui habet iurisdictionem in alium; & vt ea iurisdicto non sit suspensa per denuntiationem alicuius censuræ, vel notoriam Clerici percussionem. Secundò: vt sit lata ob culpam mortiferam externam, id est, prodeuntem in opus externum, quod secundùm se sit peccatum mortale. Sed est 27

DVBIVM I.

Vtrùm etiam requiratur aliqua monitio præcedens?

REspondeo; Vt Excommunicatio constet, debet antecedere aliqua monitio, vel iudicis, vel legis. Est communis sententia. Vide Couaruuiam 1. parte §. 9. Patet Matthæi 18. vbi Dominus docet, vt fratrem corripiamus, antequam excommunicetur. Ad Titum 3. v. 10. *Hæreticum hominem post primam & secundam admonitionem deuita.* Idem patet ex Cap. *Contingit.* Cap. *Constitutionem*, & Cap. *Cum medicinalis*, de sententia excommunicationis in 6 Ratio est: quia Excommunicatio solùm debet ferri contra contumaces. Contumax autem nemo censetur, nisi monitus persistat in scelere. 28 Monitio necessariò præmittenda.

Dico Secundò: Hæc Monitio debet fieri cum interminatione Excommunicationis. Ita recentiores. Et ratio est; quia alioqui non videtur cõtumax contra potestatem Ecclesiasticam, nisi cõtemnat eius minas. Debet esse comminatoria excõmunicationis.

Dico

Qualis, si feratur excommunicatio à iure, vel generatim ab homine.

Dico Tertiò: Quando Excommunicatio fertur à Iure, vel generatim ab homine, sufficit illa monitio, quam lex, vel præceptum Superioris secum defert. Ratio est: quia quiuis sciens illam legem, vel præceptum, satis monetur vt obtẽperet.

29 Qualis, si speciatim contra aliquos.

Dico Quartò: Quando speciatim contra aliquos fertur à Iudice excommunicatio, ordinariè Iure positiuo requiritur trina monitio, cum certo dierum interuallo. Patet ex tribus Capitulis citatis. Vbi

Qualis, cõtra participantes cùm excommunicato.

Aduerte: vt valida sit Excommunicatio, sufficere vnam admonitionem, excepto eo casu, quãdo iudex fert excommunicationem contra illos, qui participant cum eo, quem ipse excommunicauit: tunc enim ita requiritur trina monitio cõtra participantes, vt sine ea excommunicatio cõtra eos lata sit irrita; vt patet Capitulo *Statuimus*, de sententia excommunicationis in 6. Idem dicendum si ijs minetur sententiam suspensionis vel interdicti ob illam participationem cum excommunicato; vt habetur Cap. *Statuimus*, de sententia excommunicationis in 6.

Pœna iudicis hîc errantis.

Si autem iudex sine monitione canonica excommunicauit (id est, trinâ, cum interuallo) vel si absque præsentia idonearum personarum per quas possit probari, est suspensus per mensem ab ingressu Ecclesiæ: Cap. *Sacro*, de sententia excommunicationis. Item si absque scripto, vel non expressâ causâ: Cap. *Medicinalis*, eod. in 6.

Nisi periculum sit in mora.

Si tamen causa sit valdè vrgens, & in mora sit periculum, v. g. si iudex sæcularis vellet plectere Clericum, sufficit vna monitio loco trinæ, etiam absque interuallo dierum; vt habetur Cap. *Constitutionem*, suprà; cuius monitionis formulam ponit Couarruuias §. 9. num. 4.

Dices: Matthæi 18. Dominus requirit trinam monitionem. Respondeo: Requirit trinam, non simpliciter, sed vt conuenienti ordine procedatur in correptione fratris, cuius crimen est occultum.

30 Ex natura rei est necessaria aliqua monitio.

Dico Quintò: Aliqua saltem monitio ita videtur necessaria ex natura rei, vt nec Pontifex sine ea possit validè excõmunicare. Ita Sotus *De secreto*, memb. 2. q. 6. ad 2. & Petrus Soto lectione 3. *de Excommunicatione*. Victoria q. 6. *de Excommunicatione*. Vide Couarruuiam §. 9. num. 5. & 6. Ratio est: quia nemo potest excommuniari, nisi sit contumax contra potestatem ecclesiasticam, Matth. 18. Atqui non censetur aliquis contumax, nisi monitus sit vt resipiscat; & quidem cum minis: nisi enim minæ adhibeantur, non satis appareat an Superior ex tota potestate imperet.

Non potest ferri excõmunicatio meré ob peccatum præteritũ.

Vnde sequitur contra Caietanum 2. 2. q. 69. ar. 2. non posse ferri excommunicationem ob peccatum præteritum, vt illud puniatur. Si enim id fieri posset, posset etiã excommuniari is, quem pœnitet peccati, qui Deo est reconciliatus. Potest tamen ferri ob peccatum præteritum, si monitus nolit ab eo desistere, aut restitutionem facere, aut scandalum tollere, quod ex eo peccato ortum est. Sed hoc non est præcisè, vt peccatum præteritum puniatur, sed vt ab illo desistat, aut vt aliquid faciat quo effectum peccati tollat. Nec obstat, quòd aliæ pœnæ possint infligi ob peccatum prẽteritũ, præcisè vt illud puniatur: quia per alias pœnas non eijcitur homo extra cœtum fidelium, nec habetur vt Ethnicus & Publicanus: vnde infligi possunt, etiamsi pœnitentiam agas, sisque Deo reconciliatus. Similiter non obstat, quòd plerique effectus excommunicationis, vel etiam omnes, possint infligi ob peccatum præteritum, etiam ipsa interna suffragiorum priuatio; quia non potest ita extra Ecclesiam eijci, vt habeatur *tamquam Ethnicus & Publicanus*, in quo consistit substantia excommunicationis.

DVBIVM II.

Vtrùm, vt quis incurrat excommunicationem, requiratur etiam cognitio excommunicationis?

31 Si excommunicatio feratur sub certa verborum formula.

REspondeo & Dico Primò, Quando excommunicatio fertur huiusmodi verborum formulâ, *Qui scienter contrafecerit:* vel, *Qui præsumpserit contrarium facere:* vel, *Qui ausu temerario contrarium fecerit*; requiritur, vt quis sciat, non solùm illud factum esse peccatum, sed etiam habere annexam excommunicationẽ; alioquin eam non incurret. Ita Nauarrus num. 141. & 155. Ratio est: quia qui ignorat pœnam legi appositam, non censetur peculiari modo præsumere contra præceptũ Superioris, aut scienter contra facere, quod tamen lex illa requirit. Vnde ignorantia crassa, siue sit *Iuris* siue *facti*, excusat ab hac excommunicatione; non tamen ea, quæ est affectata, quæ dolo exæquatur.

32 Si feratur simpliciter.

Dico Secundò: Quando Excõmunicatio fertur simpliciter sine huiusmodi verbis, non excusat quidem ignorantia crassa: excusat tamen omnis alia ignorantia siue *Iuris* siue *facti*, etiamsi culpabilis sit, & res ipsa per se sit illicita.

Ignorantia crassa tunc non excusat.

Quòd ignorantia crassa excommunicationis non excuset, est communis sententia DD. Et probatur; quia non excludit contumaciam contra potestatem Ecclesiasticam: qui enim ex tali ignorantiâ facit contra præceptum Ecclesiæ, habens annexam excommunicationem, interpretatiuè censetur contumax: nam censetur quis scire, quod debebat, & facilè poterat scire.

Excusat Ignorantia leuis.

Quòd verò ignorantia, quæ non est crassa, excuset, docent multi Doctores; vt Dominicus Soto dist. 22. q. 1. ar. 2. & dist. 28. q. 1. art. 2. Siluester verbo *Ignorantia*, q. 8. num. 14. Nauarrus cap. 23. num. 45. & cap. 27. num. 16. Castro lib. 2. *de lege pœnali* cap. 14. & primò quidem de *Ignorantia facti*. Probatur ex Cap. *Si verò*, 2. de Sententia excõmunicationis, vbi Alexander III. definit, eum, qui occiderit Clericum alentem comam, nesciens esse Clericum, non esse excommunicatum. Et ratio est, quia talis non committit formaliter sacrilegam Clerici percussionem, ob quam fertur excommunicatio; sed solùm materialiter. De *Ignorantia verò Iuris*, Probatur ex Cap. *Vt Animarum*, de Cõstitutionibus in 6. vbi Pontifex ait, *Sententijs per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen illorũ ignorantia crassa non fuerit.* Et quamuis loquatur ibi de statutis Ordinariorum, id est, Episcoporum; tamen est eadem ratio de statutis Pontificijs; vt rectè docet Castro loco citato: nempe quia excommunicatio non debet ferri, nisi in cõtumaces, quales illi ignorantes non sunt. Et confirmatur: quia ob hanc causam *ignorantia facti* excusat, ergo etiam *Iuris*: idque verum est, siue ignorantia sit *antecedens*, siue *concomitans*, quidquid dicat Couarruuias §. 10. num. 14. in Cap. *Alma*: quia

Seu ea sit *facti*.

Seu *Iuris*.

quia etiã *ignorantia concomitans* occultat peccatori ipsam pœnam, ac proinde facit, vt non censeatur contumax contra potestatem, quæ eam infligit.

DVBIVM III.

Vtrùm incurratur excommunicatio, si alter appellet?

33 Si legitimè appellet ante latã sententiam.

REspondeo & Dico Primò: Si legitimè appellet ante excommunicationem latam, & postea nihilominùs excõmunicetur, est inualida. Patet Cap. *Cum per tuas*, de sententia Excommunicationis. Ratio est: quia legitima appellatio eximit à iurisdictione. Secùs verò, si nulla sit causa appellandi.

Si post latam sententiam.

Dico Secundò: Si post excommunicationem à Iudice latam appelles, vt probes esse nullam, nihilominùs est valida; ac proinde es vitandus extra iudicium. Ratio est: quia alioquin omnis sententia iudicis inferioris frustraretur suo effectu.

Si appelles post declarationem de incursa excommunicatione.

Dico Tertiò: Si appelles post declarationem, qua iudex solùm declarat te incurrisse excõmunicationem, valida erit appellatio, & suspendet effectum illius declarationis, sic vt ob eam non debeas vitari. Ita Nauarrus in Cap. *Cum contingat*, in fine: & Couarru. §. 10. num. 4. & sequentibus. Ratio est: quia hæc sententia declaratoria similis est alijs sententijs definitiuis, à quibus licet appellare, sic vt appellatio ea suspendat.

CAPVT VI.

De vitandis Excommunicatis?

DVBIVM I.

Quo Iure sint vitandi?

34 Vitandi sunt iure humano.

REspondeo, Primò: Non Iure diuino, sed humano sunt vitandi; idque non solùm in conuictu humano, sed etiam in diuinis. Ita Dominicus Soto dist. 22. q. 1. art. 1. & alij passim, præter Ioannem Maiorem, Driedonem, & Couarruuiam in Cap. *Alma* 1. p. §. 1. num. 1. qui dicunt iure humano eos esse vitandos in conuictu ciuili, sed Iure diuino in Sacris.

Sed probatur nostra sententia: nam si hoc esset iuris diuini, quomodo Concilium Constantiense & Basilienſe sanxerunt, vt non teneamur euitare nisi certos quosdam, nempe denuntiatos nominatim &c? Non enim possunt Concilia ius diuinum abolere. Secundò: Quia ius diuinum, præsertim negatiuum, etiam cum periculo mortis seruandũ est: atqui cum periculo mortis non tenemur vitare excommunicatos, ne in sacris quidem. Tertiò: Scriptura magis videtur loqui de conuictu ciuili, quàm de participatione in sacris: vt patet Matth. 18. v. 16. *Sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*; cum his enim Iudæi non conuersabantur: & ad Titum 3. *Hæreticum hominem deuita*: & Epist. 2. Ioannis *nec aue ei dixeritis*: ergo non est ratio cur dicantur iure diuino vitandi in sacris, & non in humanis.

Dices: ex his locis Scripturæ videtur esse iuris diuini, vt etiam in conuictu ciuili euitentur.

Cur vitandi excommunicati.

Respondeo: Solùm significatur, quo loco excommunicatos habere debeamus; & eos exterius vitari debere, quando id necessarium est ad nostrum vel aliorum bonum; videlicet ne ab ipsis peruertamur, aut nostra consuetudine eos in contumacia foueamus, aut ne alios scandalizemus. Quando nihil horum metuitur, non est iuris diuini eos vitare. Adde ex testimonio Ioannis & Pauli ad Tit. 3. nihil aliud colligi, quàm esse præceptum Apostolicum; quod etiam testatur Fabianus Papa Cap. *Sicut Apostoli*, 11. qu. 3. in quo Ecclesia ob causam potuit dispensare, & etiam illud ex parte abolere.

DVBIVM II.

Quinam de excommunicatis sint vitandi?

35 Solum vitandi denuntiati nominatim & notorij clericorum percussores.

REspondeo: Solùm duo genera excommunicatorum vitanda: nempe *denuntiatos nominatim*, & *notorios Clericorum percussores*. Alios verò, etsi publicos, non tenemur vitare, ne in sacris quidem. Ita Dominicus Soto dist. 22. q. 1. a. 4. Caietanus verbo *Excommunicatio*, sub finem. Petrus Soto lectione 3. *de Excommunicatione*. Antoninus 3. p. tit. 25. cap. 3. Idem tenet Nauarrus c. 27. num. 35. vbi dicit esse probabile, sicut & Couarruuias §. 2. num. 7.

Martinus V. Conc. Cõstant.

Probatur: quia hoc expresè habetur in decreto Martini V. facto in Concilio Constantiensi, & ab omnibus acceptato, vt refert D. Antoninus suprà, apud quem vide ipsum decretum. Nec obstat; quòd Concilium Basilienſe, quod decem annis fuit posterius, restrinxerit hoc decretum ad eos, qui neque essent denuntiati, neque notoriè excommunicati: quia praxis Ecclesiæ recepit decretum Martini V. nusquam enim vitantur excommunicati publici, si non sint denuntiati, exceptis percussoribus Clericorum. Versantur enim Catholici cum ijs, quos passim constat esse hæreticos, qui tamẽ sunt publicè excommunicati. *Publicè* enim *excommunicatus dicitur, non solùm qui est denuntiatus, sed cuius crimen est publicum, cui crimini constat annexam esse excommunicationem.*

Conc. Basil.

Qui dicatur *publicè excommunicatus.*

Hinc fit, vt etiamsi quis sit nominatim excõmunicatus, non tamen denuntiatus, non necessariò sit vitandus: nam decretum requirit denuntiationem. Idem dico de eo, qui damnatus est hæreseos: quamdiu enim non denuntiatur esse excõmunicatus, non est necessariò vitandus; quidquid dicat Dominicus Soto dist. 22. q. 1. ar. 4. quia pœnæ sunt restringendæ.

Nominatim excommunicatum, non tamen denuntiatũ, non vitabis.

DVBIVM III.

In quibus hi excommunicati, scilicet excommunicati denuntiati, & notorij percussores Clericorum, *sint vitandi?*

36

REspondeo: In ijs, quæ continentur hoc versiculo:

Os, Orare, Vale, Communio, Mensa, Negatur.

Os.

Primò: Per *Os*, prohibetur collocutio verbis vel litteris, osculum, amplexus, & alia amicitiæ signa huiusmodi. Neque excusatur iudex, qui excommunicauit; quia posità excõmunicatione Ius vetat, cui etiam subiectus est.

Orare.

Secundò: Per *Orare*, vetatur communicatio cum illis in orationibus publicis; vt sacrificio Missæ, Officio chori, Processionibus, & huiusmodi: similiter oratio publica pro illis fusa; non tamen oratio priuata.

Tertiò:

Vale. Tertiò : Per *vale*; prohibetur omnis salutatio, verbis, vel litteris, vel etiam externo gestu ; vt aperire caput, assurgere animo salutandi: licet tamẽ resalutare,quia est debiti solutio , quam etiam inimico præstare debemus.

Commu-nio. Quartò : Per *Communio*, prohibetur omnis cõtractus & societas in negotijs. Possumus tamen agere cum famulo excommunicato alterius, si gerat negotia Domini sui ; non autem , si sua negotia gerat. Contractus tamen cum excommunicato sunt validi, potestque cogi ad soluendum ; quamuis ipse alterum cogere non possit, cùm non possit esse actor.

Famulus excommunicatus.

Mensa. Quintò : Per *Mensam*, prohibemur manducare in eadem mensâ. In hospitio tamen publico possum vti eâdem mensâ, modò non simul: item eodem cubiculo, non tamen lecto.

DVBIVM IV.

Quibus casibus prædicti excommunicati non sint vitandi.

37 REspondeo : In hisce : *Vtile , lex , humile , res ignorata, necesse.*

Vtile. Primò : Per *Vtile* , intelligitur tum ipsius excommunicati , nempe vt conuertatur ; tum alterius, vt si petam ab eo consilium , quando non possum commodè ab alio ; si petam debitum ; si audiam prælectiones, si illi prælectionem faciam, hoc enim vtrumque licitum esse docent Doctores Salmanticenses & Complutenses, vt testatur Henriquez cap. 22. de Excommunicatione.

Lex. Secundò : Per *Lex* , intelligitur vinculum matrimonij , quo coniuges ad mutuam communionẽm obligãtur , maximè in petitione & redditione debiti. In ceteris vxor cum viro excommunicato potest communicare , etiam in diuinis , si opus sit ; quia ei subiecta : vir tamen cum vxore excommunicata non potest in ceteris communicare , saltem ad longum tempus : nam , cùm sit eius Superior, potest eam cogere, vt absoluatur.

Si alter coniugum sit excommunicatus.

38 Humile. Si famulus, filius, subditus. Tertiò : Per *Humile* , intelligitur seruos & famulos , qui nempe ante excommunicationem famuli erant , posse versari cum Dominis excommunicatis, & filios cum parentibus , & Religiosos cum suis Superioribus : & è conuerso Dominos cum seruis excommunicatis , & parentes cum filijs, quidquid dicat Glossa ; idque ratione vtilitatis , vel necessitatis. Tenentur tamen eos compellere ad quærendam absolutionem.

Res ignorata. Quartò : per *Res ignorata* , excusantur, qui ignorant alterum esse excommunicatum. Similiter qui dubitant. Pari ratione excusantur qui ignorãt ius, quo statuitur excommunicatos vitari debere.

Necesse. Quintò : Per *Necesse* , intelligitur vera necessitas vel indigentia siue mea, siue Excommunicati: sic medicus potest curare excommunicatum , & tabernarius recipere hospitio.

Notandum est, ratione *Vtilitatis* , vel *Rei ignoratæ*, vel *Necessitatis*, licere etiam in Diuinis communicare cum excommunicato , quando sic res postulat; quod etiam recentiores non improbabiliter extendunt ad *lex* & *humile*.

DVBIVM V.

Vtrùm ipsi excommunicati semper teneantur vitare alios?

39 REspondeo: Teneri, siue publicè, siue occultè sint excommunicati : exceptis duobus casibus, nempe si inducantur ab alijs, idque potissimum in vtilitatem eorum à quibus inducuntur ; & ad vitandum scandalum, vel notabile dãnum animæ, corporis, famæ, fortunarum

Excommunicati, etiã occulte, debent vitare alios.

Prior Pars Probatur: Quia expressè in decreto Concilij Constantiensis dicitur: *Per hæc tamen non intendimus excommunicatis vllum ius concedere, aut eos in aliquo subleuare.* Ratio est : Quia totum hoc decretum est in fauorem aliorum. Vnde peccant excommunicati, etiam occulti , si cum alijs versentur, contrahant, comedant, &c. nisi fortè ab illis sint inuitati. Vide Nauarrum num. 35. §. *Nota* 2.

Nisi ab alijs inuitentur.

Altera pars , & quidem Primò , Posse versari quando inuitantur : Probatur , quia alioqui non censeretur esse priuilegium vllum concessum non excommunicatis, si excommunicati non possent cum ipsis , quandò inuitantur , versari : nam alij non possent illos inuitare, seu inducere. Secundò: Quòd ratione scandali & damni euitandi, possint cum alijs versari : Probatur , Nam ob hanc caussam licet etiam dimidiatam facere confessionem, cuius tamen integritas iure Diuino præcipitur ; ergo multò magis licebit illis versari cum alijs. Deinde iure naturæ tenemur vitare scandalum ; excommunicati autem solùm iure humano tenẽtur aliorum consuetudine abstinere: ergo quando hæc duo iura concurrent, cedet humanum.

Vel vt dãnum euitent.

Quòd ad damnum attinet, Ecclesia non vult sua præcepta cum tanto rigore seruari; vt patet in alijs eius præceptis : imò id non esset humanæ fragilitati consentaneum.

DVBIVM VI.

Quale peccatum sit versari cum excommunicato; vel excommunicatum versari cum alijs.

40 REspondeo: In quibusdam casibus est mortiferum, in alijs est veniale.

Mortiferè peccatur.

Mortiferum est in diuinis: vt simul cum eo interesse officijs diuinis ; recipere ab eo, vel ei ministrare Sacramenta. Ratio est, quia hæc communicatio censetur magni momenti, eamque directè & potissimùm Ecclesia prohibet.

1. Si communices in diuinis.

Si cum alio priuatim dicat Horas Canonicas, non est mortiferum,quia est materia leuis,& Cap. *Alma*, videtur loqui de officio publico.

Excipe priuatam lectionem Horarum.

Si tempore Officij diuini excommunicatus ingrediatur , simul vt diuinis interfit , debet ejici. Quòd si ejici non potest, & Sacerdos nondũ peruenit ad Canonem , abrumpendũ est sacrificium. Quòd si Canon est inceptus , continuandum est, sed alij debent egredi præter ministrũ . Vide Nauarrum num. 33. Si verò ingrediatur , non vt diuinis interfit,sed vt priuatim oret, non est cessandum, nec alij debent egredi. Pari modo, si ipse in vno sacello audiat Sacrum, & ego intersim alteri Sacro in alio sacello , non censeor cum illo communicare.

Quid agendum, si excommunicatus intret templum sub diuino officio.

Secundò : Peccat mortiferè excommunicatus denuntiatus, vel notorius Clerici percussor, si ferat sententiam, si eligat,aut beneficium conferat, quia absolutè est suspensus.

2. Si ferat sententiam &c.

Tertiò : Si ita verseris cum excommunicato, vt ille foueatur in sua contumacia, peccas mortiferè.

3. Si foueas in contumacia.

Quartò: Si contra præceptum Iudicis verseris cum

4. Si contra præceptum Iudicis.

cum excommunicato à Iure, vel ab alio Iudice, & denuntiato, prohibentis hoc sub pœna excommunicationis: tunc enim, si verseris cum illo, incurres excommunicationem maiorem.

41 Quibus casibus peccetur venialiter.

In alijs casibus, quia sunt minoris momenti, est peccatum veniale. Maius tamen peccatum est, si excommunicatus versetur cum alijs, quàm si alij cum ipso: nam ipsi hoc prohibitum est ob propriũ delictum; alijs autem prohibitum est versari cum ipso, ad delictum ipsius puniendum.

42 Metu mortis licitè ages cum excommunicato.

Dico Secundò: Ob metum mortis licitum est versari cum excommunicato, etiam in diuinis, modò id non cogaris facere in contemptum Ecclesiæ. Vide Couarru. §. 3. nu. 9. Probatur: Quia hoc commune est omnibus legibus humanis, vt nisi aliunde grauitas rei ex se aliud postulet, non obligent cum periculo mortis: non enim conueniens est, vt cũ tanto rigore humana præcepta obligent. Neq; obstat cap. *Sacris*, de his quę vi metusue causa fiunt, &c. Vbi expresè dicit Innocentius III. eum incurrere excommunicationem, *Qui metu impulsus communicat excommunicato*; quia loquitur de eo, qui compellitur leui metu.

Compulsus sacrificare, non fis irregularis.

Quòd si quis graui metu compellatur in contemptum Ecclesiæ, peccat quidem mortiferè si obtemperet (quia facit contra legem diuinam naturalem,) non tamen incurrit excommunicationem. Sic si excommunicatus compellatur sacrificare, non fiet irregularis. Ratio est; quia leges Ecclesiæ cessant in hoc periculo.

DVBIVM VII.

Qualem excommunicationem incurrit participans?

43 Participans incurrit maiorẽ excommunicationem tripliciter.

REspondeo: Plerumque incurrit minorem tantùm. In quibusdam tamen casibus incurrit maiorem: Primò: Si participet cùm excommunicato denuntiato in crimine, ob quòd fuit excommunicatus: vt si sis excommunicatus ob adulterium vel fornicationem, persona quæ tecum posteà committet adulterium vel fornicationem, erit excommunicata: vel si tibi auxiliũ, consilium, aut fauorem præstet ad illud peccatũ: vt habetur Cap. *Nuper*, & Cap. *Si Concubinæ*, de Sententia excommunicationis.

Notandum autem; non extendi hoc ad eum, qui participat cum notorio percussore Clerici, si hic non sit denuntiatus: quia Canones prædicti requirunt denuntiationem.

Secundò: Quando Clericus admittit ad diuina officia eum, qui est excõmunicatus & denuntiatus à Pontifice: Cap. *significasti*, de sententia excommunicationis.

Tertiò: Quando fertur excommunicatio in participantes cum eo, qui excommunicatus est à Iure, vel à Iudicè alterius tribunalis: tunc enim qui participant cum illo, statim sunt excommunicati.

Dixi *à Iudice alterius Tribunalis*, quia si quis ferat excommunicationem in participantes cum eo, qui excommunicatus est à se vel à suo decessore, requiritur vt trina monitio præcedat, & vt nominatim exprimantur illi participantes, vt suprà num. 29. dictum est. Vide Nauarrum c. 29. num. 4.

CAPVT VII.

De absolutione ab excommunicatione?

NOtandum est: Triplicem esse absolutionem. Primò: quædam datur *simpliciter*. Secundò: quædam datur *ad cautelam*, nempe quando dubium est, vtrùm quis sit excommunicatus. Quicumque potest absoluere *simpliciter*, potest etiam *ad cautelam*; quia non requiritur maior potestas. Tertiò: quædam datur *ad reincidentiam*: vt cùm quis absoluitur cum onere, vt nisi intra tot dies satisfecerit, reincidat. 44 Absolutio triplex. 1. Simpliciter. 2. Ad cautelam. 3. Ad Reincidentiã.

Excommunicatio lata sub conditione, hæc posita, tollitur per se.

Quòd si excommunicatio lata sit sub conditione, vel cum limitatione donec satisfeceris, secuta satisfactione per se tollitur, nec opus est alia absolutione. Ratio est: quia implicitè simul fertur absolutio cum excommunicatione, quo modo eam ferri posse docet Couarruuias §. 11. n. 5. 6. 7. quidquid alij senserint.

DVBIVM I.

Quis possit absoluere ab excommunicatione minore?

REspondeo & Dico Primò: Probabile est *à Minori excommunicatione* posse absoluere illũ, qui potest absoluere à peccato, quo hæc excommunicatio contracta est. Tenet D. Thomas in *Additionibus* quæst. 23. art. 3. & Nauarrus num. 39. multiq́ue recentiores. Vnde, si peccatum, quo incursa est, sit veniale, quilibet Sacerdos poterit absoluere. 45 Probabile est quemuis Sacerdotem posse.

Dico Secundò: Probabilius tamen est neminem posse ab ea absoluere, nisi qui habet iurisdictionem in peccata mortifera. Est communior sententia Doctorum. Ratio est: Quia excommunicatio minor est censura Ecclesiastica excludens à participatione Sacramentorum: ergo nemo potest eam tollere, nisi qui potest impedimenta Sacramentorum submouere: atqui hic est Sacerdos habens iurisdictionem ad absoluendum à mortiferis. Vide Couarruuiam §. 12. n. 5. & 6. Probabilius negatur.

Dices: quilibet Sacerdos potest absoluere à venialibus: atqui propter veniale hæc excommunicatio potest incurri: ergo. Patet consequentia: quia, qui potest tollere fundamentum, potest etiam tollere id quod ei innititur.

Respondeo: Hoc non semper esse verum; vt patet in alijs peccatis mortiferis, à quibus potest quilibet confessarius expositus absoluere, quamdiu eis non est annexa censura: quando verò hæc annexa est, non potest; vel etsi possit ab ipsis peccatis, non tamen à censura annexa, vt à suspensione, interdicto, irregularitate.

DVBIVM II.

Quis possit à maiore absoluere?

REspondeo: & Dico Primò: *A maiore excommunicatione* lata ab homine in particulari contra alium, non potest absoluere, nisi is, qui eam tulit, vel eius superior, aut successor, aut delegatus. Ratio est: quia alioqui disciplina ecclesiastica turbaretur: consentaneum est enim, vt *is* soluat, qui ligauit. 46 Si in particulari lata est ab homine.

Aduerte

In foro conscientiæ

Aduerte tamen; hoc intelligendum esse in foro externo: nam in foro conscientiæ interdum ob iustam causam absolui potest is, qui à iudice est nominatim excommunicatus: vt, si instet Iubilæum, & ille non possit adire iudicem; vel iudex nolit illum absoluere, cùm tamen paratus sit præstare id quod potest. Vide Angelum *Absolutio* 3. n. 9. In quibusdã casibus is qui excommunicauit, non potest absoluere, quos vide apud Nauar. c. 27. n. 40.

47 Si à Iure vel generaliter lata ab homine.

Dico Secundò: Ab excommunicatione, quæ à iure, vel ab homine generaliter lata est, si specialim non reseruetur, potest absoluere quiuis Sacerdos, qui potest à peccatis mortiferis. Ratio est; quia hoc ipso, quo non reseruatur Papæ, vel Episcopo, censetur ius dare commissionem omnibus Sacerdotibus peccatorum confessiones audientibus, siue sint Parochi, siue delegati Parochorum, siue Religiosi. Vide Couar. §. 12. nu. 4.

DVBIVM III.

Quando inferior possit absoluere ab excommunicatione reseruata Superiori?

48 Potest in articulo mortis. quiuis sacerdos.

REspondeo & Dico Primò: In articulo mortis quilibet Sacerdos potest absoluere ab omni excommunicatione, adhibitâ tamen debitâ cautione. Patet ex Concilio Trident. sess. 14. c. 7.

Dixi, *Adhibita cautione*: quia infirmus debet promittere, quòd, si conualescat, se præsentabit illi, cui erat reseruata, eiusque mandatis parebit; alioquin reincidet.

Petes: Si in articulo mortis adsit tantummodò Clericus non Sacerdos, vtrùm possit moribundũ ab excommunicatione absoluere?

Idem potest clericus non sacerdos.

Respondeo: Valdè probabile est, Posse: quidquid dicat Sotus & Nauarrus. Ita tenet Glossa in Cap. *A nobis*, de Sententia excommunicationis. Panormitanus, & Felinus ibidem. Angelus Verbo *Absolutio* 3. §. 17. Siluester, *Absolutio*, 1. nu. 8. qui dicunt etiam Laicum posse. Quod tamen non videtur verum; quia non est capax iurisdictionis spiritualis.

Non tamen laicus.

Potest clericus primæ Tonsuræ.

De Clerico tamen, etiam primæ Tonsuræ, est valdè probabile. Probatur Primò: Quia in articulo mortis Ecclesia concedit potestatem absoluendi à peccatis omni ei, qui est capax huius potestatis, id est, omni Sacerdoti: ergo similiter censetur cõcedere potestatem absoluendi ab excommunicatione omni ei, qui est capax huius potestatis: atqui omnis Clericus Primæ Tonsuræ est capax huius potestatis. Secũdò: Hæreticus Sacerdos in eo casu potest absoluere à peccatis: ergo multo magis quiuis Clericus Catholicus poterit à cẽsuris; præsertim cùm hoc illi moribundo multùm prosit, tum vt non desperet, tum vt pro eo possit fieri publica oratio, & concedi sacra sepultura.

49 Episcoporum priuilegia circa censuras Papæ reseruatas.

Dico Secundò: Ex priuilegio perpetuo, vel temporaria delegatione, potest inferior absoluere ab excommunicatione reseruata. Vbi

Notandum est: Episcopis amplissimã esse concessam potestatem à Concilio Tridentino sess. 14. cap. 6. *de Reformatione* circa excommunicationes & censuras alias Pontifici reseruatas. Primò: Vt Episcopus per se, vel per Vicarium possit absoluere ab omni excommunicatione reseruata Papæ, quæ proueniat ex delicto occulto. (Dicitur autem *delictum occultum*, quod non est notorium, etiamsi quinque testibus probari possit; vt rectè Siluester Verbo *Notorium*, quæst. 4. qui id probat ex iure. Præterea, Si deductum est ad forum externũ, sed quia probatum non est, reus est absolutus; hoc euentu censetur occultũ. Ita DD. multi Salmanticenses, vt refert Viualdus de excommunicatione nu. 41. itaque Episcopus poterit absoluere.) Ab hæresi tamen non possit Episcopus absoluere, nisi per seipsum. Probabile tamen est, quòd Episcopus per speciale mandatum possit eam absolutionẽ alteri committere: quod enim per speciale mandatum quis facit, censetur facere per seipsum.

An huic priuilegio deroget Bulla Cœnæ.

Vtrùm autem huic priuilegio derogatũ sit per Bullam Cœnæ, dubium est. Valde probabile est non esse derogatum: quia Concilio Oecumenico recenti nõ censetur fieri derogatio per clausulam generalem; sed debet fieri expressa eius mentio. Ita plerique Theologi in Hispaniâ. Nuper tamen Congregatio Cardinaliũ respondit in hæc verba:

Responsũ Cardinalium.

Episcopus aut Inquisitor absoluere non potest hominem hæreticum in foro conscientiæ, licet hæc facultas à Concilio sit ipsi tradita.

Secundò: Concedit Concilium, vt Episcopus possit dispensare in omni suspensione & irregularitate ex delicto occulto proueniente, exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum.

Duo hîc notanda.

Circa quæ duo priuilegia, duo sunt notanda: Alterũ est, Episcopum non posse absoluere à censurâ Papæ reseruatâ, quę proueniat ex delicto notorio, etiamsi illa censura non sit denuntiata. Ratio est: quia hoc à Concilio non conceditur. Tale enim delictum non est casus occultus. Alterum est: Si crimen erat occultum, tamen iam sit deductum ad forum contentiosum, id est, ad Tribunal iudicis sæcularis vel ecclesiastici, non posse Episcopum ab eo absoluere. Tunc autem dicitur *deductum ad forum contentiosum*, quãdo iuridicè delatum est ad iudicem, & delatio est insinuata parti.

50 Si superior adiri nequeat absoluet inferior.

Dico Tertiò: Inferior potest absoluere à censura superiori reseruata, quando pœnitens habet legitimum impedimentum adeundi Superiorem: v. g. ob morbum, senium, sexum, pericula; tunc enim potest absolui ab Episcopo, sic tamen vt cessante impedimento promittat sese stiturum Papæ vel Superiori, alioquin relapsurus in eandem censuram. Similiter, si Episcopo reseruatur, potest absolui à Parocho. Vide Nauarrum c. 27. n. 89.

Petes: Vtrùm absolutio extorta valeat?

51 Absolutio vi extorta, non valet.

Respondeo: Si metu, vel vi extorta sit, Iure positiuo est irrita: & sic extorquens incurrit nouam excommunicationem. Nauarrus nu. 125.

DVBIVM IV.

Quanam est forma absoluendi ab excommunicatione.

52 REspondeo: Forma ordinaria in foro conscientiæ est: *Ego te absoluo à vinculo excommunicationis, quam incurristi ob talem N. causam: & restituo te sacramentis Ecclesiæ, & communioni fidelium: in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Sub quâ conditione possit dari hæc Absolutio.

Notandũ tamen, Etsi absolutio possit dari sub conditione præteritâ, aut præsenti, tamen sub cõditione futurâ nõ rectè datur; quia absolutio non est pendens. Si tamen sic detur, valet; vt rectè Couarruuias §. 11. nu. 6. & talis absolutio sortietur effectum impletâ conditione.

Petes: Quenã requirãtur, vt quis possit absolui. 53

Duo ad absolutionem requisita.

Respondeo: Requiritur Primò, Vt iuret se mãdatis Ecclesiæ obtemperaturum. Ita Couarruuias §. 11. n. 11. Item Nauarrus cap. 24. n. 11. Quod intellige in magnis criminibus iuxta Caietanum Verbo *Absolutio*. In quibus autem criminibus sit hæc promissio exigenda, vide Nauarrũ c. 26. n. 2. Requiritur Secundò: Vt ante absolutionem satisfiat parti, vel detur sufficiens cautio; vt patet Cap. *Solet*, de Sententia excommunicationis in 6. Vide Nauarrum cap. 26. num. 7.

DVBIVM V.

Vtrùm absolutio, non satisfacta parte, sit irrita? v.g. Si sis excommunicatus ob furtum, vel ob non solutas decimas, an absolutio data ante restitutionem, vel solutionem, sit valida?

54 Respondeo: Validam esse, siue detur ab eo, qui habet potestatem ordinariam, siue ab eo qui delegatam. Tenetur tamen absoluens ad restitutionem, si inde sequatur aliquod damnum parti: nam est causa damni. Vide Couarruuiam §. 11. num. 7. Ratio autem cur absolutio valeat, est: quia ad essentiam absolutionis non est necessarium, vt forma Iuris seruetur, etiamsi Pontifex in sua commissione iuberet eam seruari. Nam illa forma non ponitur, vt conditio sub qua detur potestas absoluendi; sed vt modus seruandus, vt legitimè fiat.

Non satisfacta parte, valet absolutio.

Secùs est, Si præscribatur noua forma, quam ius non postulat, eaque ponatur tanquam conditio: tunc enim eâ non seruatâ, absolutio erit irrita. Pari modo irrita erit, quando expressè dicitur eam non valere, nisi satisfacta parte, vel præstita idonea cautione; sicut in Bulla Cœnæ Gregorij XIII. & Sixti V. videmus.

Excipe casum.

DE SVSPENSIONE.

TRactatus hic complectitur quatuor Capita. Primum est, *De natura suspensionis*. Secundũ, *De varijs modis suspensionis*. Tertium, *Quibus modis suspensio ipsa suspendatur, seu impediatur, ita vt effectum non habeat*. Quartum, *De Absolutione à Suspensione*.

CAPVT I.

De natura Suspensionis.

DVBIVM I.

Quid sit suspensio, & quotuplex?

1 Definitio suspensionis.

REspondeo Primò: *Suspensio* hoc loco est, *Censura Ecclesiastica, qua Clericus ob suam culpã prohibetur ab executione potestatis alicuius Ecclesiasticæ, quam habet ratione Officij vel Beneficij; idque vel in totum ad tempus, vel in parte, siue ad tempus, siue in perpetuum.* Vbi

Differentia inter suspensionem & alias censuras.

Notandum Primò: Solùm personam Ecclesiasticam suspendi. Vnde multùm differt ab Excommunicatione, Interdicto, & Irregularitate, quæ etiam ab alijs incurruntur.

Notandum Secundò: Dum quis suspenditur in totum ab officio vel beneficio in perpetuum, nõ esse suspensionem, de qua hîc agimus: sed depositionem vel priuationem vel irregularitatem. Itaque non datur vlla suspensio, quæ sit censura, & seperet ab officio vel beneficio in perpetuũ. Sed si integrè separat ab officio & beneficio, id solùm debet fieri ad tempus. Si autem solùm ex parte separet, potest durare vel ad tempus, vel in perpetuum: vt si quis suspendatur ab Ordine Pontificali in perpetuum quoad collationem Ordinum tantùm, vel quoad collationem Confirmationis tantùm.

2 Eius diuisio.

Respondeo Secundò: Omissis varijs diuisionibus, præcipua est, quâ diuiditur in *Suspensionem ab Officio, à Beneficio, & ab vtroque*. *Suspensio ab Officio* dicitur, quando ab Ordinis vel Iurisdictionis executione suspenditur. *A Beneficio*, quãdo quis à fructibus, vel à quibusdam beneficio annexis suspenditur: vt si beneficio annexũ sit ius eligendi, præsentandi, vel confirmandi. Dicitur tamen interdũ quis suspendi à beneficio, quando suspenditur à iurisdictione, qui illi ratione beneficij competit.

Suspensio ab officio.

A Beneficio.

DVBIVM II.

Quinam possint suspendere?

3 Omnes qui habent iurisdictionẽ for. exteriores.

REspondeo: Omnes eos posse suspendere, qui in Clericos habẽt iurisdictionem fori exterioris: vt Pontifex omnes Ecclesiasticos totius orbis. Episcopus omnes suę diœcesis (nisi sint exempti,) & eos qui in ea delinquunt, vt suprà dictum est de excõmunicatione; nam ratione delicti fortitur quis forum. Pari modo Prælati Religiosorum suos Religiosos.

Non possũt Parochi & Cõfessarij.

Parochi & Confessarij non possunt suspendere per censuram; sed tantùm per simplex præceptum, cuius tamen violatio non parit irregularitatem.

DVBIVM III.

Quæ culpa requiratur ad suspensionem?

4 Ins non suspendit nisi ob mortale.

REspondeo: Vt suspensio iuris incurratur, requiritur culpa mortifera: quia Canones pœnales, qui irrogant graues censuras, non censentur conditi, nisi ad grauem culpam puniendam. Vnde idem iudicium est de irregularitate, iuxta plurimos Doctores, quæ ob delictum incurritur.

Homo potest ob veniale.

Suspensio tamen ab homine per sententiam interdum irrogatur ob culpam venialem; iuxta Nauarrum cap. 27. num. 151.

Sed in scriptis & expressâ causâ.

Adde, Quòd omnis suspensio debeat ferri in scriptis, sicut excommunicatio, expressâ causâ seu peccato, propter quod impingitur, vt habetur Cap. 1. *de Sententia excommunicationis* in 6. Alioqui Iudex Ecclesiasticus (si non sit Episcopus) incurret suspensionem à diuinis officijs, & ab ingressu Ecclesiæ per mensem, vt habetur ibidem. Hoc tamen non necessariò seruari debet, quando Prælatus Regularis suspendit suum Religiosum; quia consuetudo contrarium præscripsit. Vide Paludanum dist. 18. quæst. 7. art. 3. concl. 10.

Excipe Prælatum regularem.

CAPVT

CAPVT II.
De varijs modis suspensionis.

5

REperiũtur in Iure varij modi suspensionum; qui quo modo sint intelligendi, cùm plerique sint obscuri, nunc explicandum est.

1. Suspensus generatim.

Primus modus suspensionis sit, quo quis suspenditur in genere, hoc modo: *Qui contrarium fecerit, ipso facto sit suspensus.* Talis habetur in Concilio Trid. sess. 24. c. 1. *De reformatione Matrimonij*, contra alienum Parochum vel Sacerdotem, qui sine licentia proprij nuptias benedicit. Et alia similis habetur lib. 6. Decretal. c. 1. *De vsuris.* Quæ suspensiones intelligendæ sunt generatim, scilicet *ab Officio & Beneficio*; nisi aliã esse mentẽ Canonis, vel sententiæ, ex circumstantijs deprehendi possit.

6

2. Suspensus ab Ordine.

Secundus modus est: cùm quis suspenditur ab Ordine. Hìc prohibetur omnis actus cuiuscũque Ordinis. Vnde inferunt Canonistę etiã prohiberi actum concionandi; quia officium concionandi, ipsorum sententiâ, annexum est Ordini Diaconatus; non tamen prohibentur actus iurisdictionis, vt excommunicare, dispensare, &c.

Si hic concionetur, non fit irregularis.

Aduerte tamen Primò: Si is, qui sic est suspensus, concionetur, non fieri irregularem; quod contra Nauarrum tenent multi Doctores. Ratio est: quia neque iure diuino, neque humano officium concionandi annexum est Diaconatui, sed potiùs Episcopatui, & non tã Ordini Episcopatûs, quàm iurisdictioni; vt colligitur ex Tridentino sess. 5. cap. 2. vbi dicitur *hoc esse præcipuum Episcoporum munus*: & sess. 23. cap. 1. *de Reformatione*, insinuatur Episcopos iure diuino ad hoc teneri, scilicet vt vel per se, vel per alios concionentur. Adde, Religiosos passim mittere simplices suos Clericos ad prædicandum: quod signum est hoc propriè nulli Ordini esse annexum.

Neque si obeat officiũ Ordinũ minorum.

Aduerte Secundò: Non fieri etiam irregularẽ, si obeat officium Ord. Minorum, etsi solemniter; quod est cõtra eundẽ Nauar. Ita tenet Antoninus 3. p. tit. 28. c. 1. §. 1. citans Durandum, Astensis in Sũma, & Veruecinus apud Silueſtrũ V. *Irregularitas* n. 15. Ratio est: quia isti Ordines ex communi Ecclesiæ cõsuetudine solent passim à Laicis exerceri cum omni sua solemnitate. Vnde quãuis in aliqua Ecclesia esset cõsuetudo, vt à solis ordinatis obirentur, id non sufficeret ad inducendam pœnam.

7

3. Suspensus à certo Ordine.

Tertius modus est: Quando quis suspenditur à certo & determinato ordine: v.g. à Põtificalibus. Hìc prohibetur vsus ordinis Pontificalis; vt confirmare, ordinare, benedicere calices, & alia huiusmodi. Item prohibetur apparatus insignium Pontificaliũ; vt vsus baculi, & mitræ, & pallij, & consequenter prohibentur omnes actus cum huiusmodi apparatu. Aduerte tamẽ, Si Episcopus cum pedo & mitra tunc caneret Missã, vel obiret aliud officium, quod non est proprium Episcopi, non fieret irregularis: vt rectè Silueſter V. *Suspensio*, n. 5. estque communior sententia contra Nauarrũ nu. 163. cap. 27. Ratio est: quia ex violatione suspensionis nõ incurritur irregularitas, nisi propter exercitium ordinis prohibiti: atqui per talem suspensionẽ solùm prohibentur actus proprij ordini Episcopali; actus autem sacerdotij non prohibentur, sed solùm solemnitas in illis. Quòd si obiret actum proprium ordini Episcopali, siue id fieret cum solemnitate, siue non, fieret irregularis: nam talis actus per se prohibetur.

Episcopus sic suspensus, non fit irregularis si canat missam cum pedo & mitra.

Notandæ autem hìc sunt duæ Regulæ: Prior est, *Suspensus ab exercitio ordinis inferioris, censetur etiam suspensus ab exercitio ordinis superioris.* Quod tamen sic intelligendum est; vt, si ordinem superiorem obeat, peccet quidem, non tamen fiat irregularis, eò quòd directè ab illo suspensus non sit, sed solùm ob indecentiam. Est communis sententia Doctorum. Vide Silueſtrum Verbo *Suspensio*, num. 5. Ex quo sequitur, eum, qui suspensus est à Subdiaconatu, esse quidem ex consequenti suspensum à recipiendo ordine Diaconatus, vel Sacerdotij, non tamen ita vt fiat irregularis, si contra fecerit; quod est contra Couarruuiam p. 2. §. 3. n. 5. in Cap. *Alma*: nam ascendendo ad superiorem, exercet quidem actum superioris, à quo erat indirectè suspensus, sed non exercet actum Subdiaconatus, à quo solo erat suspensus directè; quamuis enim compareat cum indumentis Subdiaconi, non tamen exercet munus Subdiaconi. Adde, quòd suspensio propriè sit ab exercitio ordinis suscepti, non autem à receptione noui Ordinis, nisi indirectè, & ob quandam decentiam.

Duæ regulæ circa hanc Suspensionem.

Subdiaconus suspensus non fit irregularis suscipiẽdo Diaconatũ.

Secunda Regula: *Suspensus ab Ordine Superiori, non censetur idcirco suspensus ab inferioribus.* Ratio est, quia qui prohibet maius, non idcircò prohibet minus. Vide Silueſtrum loco citato.

8

4. Suspẽsus à collatione Ordinũ.

Quartus modus: Quando quis suspenditur à collatione Ordinum, prohibetur conferre quemuis Ordinem siue maiorem, siue minorem: non tamen primam Tonsuram, quia non est Ordo.

5. Suspẽsus à cõllatione certi Ordinis.

Quintus à collatione certi Ordinis: v.g. Presbyterij, vel Diaconatus. Vbi nota: Etsi Episcopus suspendatur à collatione Diaconatûs, non idcircò cẽsetur suspẽsus à collatione Presbyteratus, quidquid dicat Silueſter, & alij quidam. Ratio est: quia sunt diuersę functiones vnius Ordinis, quarũ vna nõ est annexa alteri. Est enim recepta regula quod *suspensus ab aliqua actione determinata vnius Ordinis, non censeatur suspensus ab alijs functionibus, quæ illi nõ sunt annexæ*: vt suspensus à celebratione Missæ, non censetur suspensus ab officio audiendæ confessionis; vt rectè Nauarrus num. 159.

Regula recepta.

6. Suspẽsus à iurisdictione.

Sextus modus; Quo quis suspenditur à iurisdictione. Hìc non prohibentur actus Ordinis, sed tantùm nudæ iurisdictionis: Nauarrus num. 160.

7. Ab officio generatim.

Septimus: Quo quis suspenditur ab officio generatim. Vbi prohibetur omnis actus ordinis & iurisdictionis; idque vbique. Silueſter Verbo *Suspensio*, num. 5.

9

8. A Beneficio.

Octauus: A Beneficio, vel à Beneficijs. Vbi prohibentur fructus beneficiorũ; non tamen quotidianæ distributiones, quæ dantur ratione officij absque respectu ad beneficiũ. Silueſter V. *Suspensio*, n. 5. Vbi aduerte iuxta communem sententiã Canonistarum, eum qui suspensus est à beneficio ob delictum, posse accipere ex fructibus beneficij (si aliundè non habet) quantũ ei opus est ad simplicem sustentationem. Qui verò ob contumaciã suspensus est, nihil omnino posse accipere ex fructibus illis: vide Panormitanũ in Cap. *Pastoralis*, de Electione. Pet. tamen Nauarra lib. 2. c. 2. d. 4. probabiliter tenet neutrum esse priuatũ fructibus ante sententiam, modò officium præstent. Et ratio est: quia hoc nusquam exprimitur in Canonibus, quòd sint priuati ipso facto. Habet tamen suspensio eam vim, vt possint ei fructus negari, quamuis officium præstet.

An sic suspensus priuetur fructibus ipso facto?

10

Nonus modus: quo quis priuatur ab administra-

9. Ab administratione temporali & spirituali,

stratione temporali & spirituali. *Administratio temporalis* est, qua quis potest agere in iudicio de iuribus & possessionibus beneficij. *Administratio spiritualis*, qua administrantur alijs Sacramenta, vel exercetur iurisdictio. Vnde qui sic suspensus est, potest celebrare Missam, non tamen potest alicui subministrare Sacramentum.

10. A collatione sacramentorum.

Decimus: A collatione Sacramentorum: nempe, quæ fit tanquam ex officio. Vnde si solemniter baptizet, qui sic suspensus est, fit irregularis, non autē si absque solemnitate. Item si aliquod aliud Sacramentum conferat. Nam cætera omnia censentur conferri ex officio, seu cum solemnitate.

11. Ab ingressu Ecclesiæ.

Vndecimus modus: Quo quis suspenditur ab ingressu Ecclesiæ. Hîc prohibetur Primò: Exercitium solemne cuiusuis Ordinis intra Ecclesiam, ita vt si intra eam celebret, vel absoluat, cantet Epistolam, &c. fiat irregularis. Extra tamen Ecclesiā, v.g. in Oratorio priuato, potest celebrare, & alios actus Ordinum subire, iuxta communem sententiā; quia Canō solùm loquitur de Ecclesiâ. Secundò: Prohibetur ei, ne audiat diuina Officia in Ecclesia. Extra tempus tamē diuini Officij potest orare in Ecclesiâ, & percipere Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ. Tertiò: Prohibetur Ecclesiastica sepultura, tam in cœmiterio, quàm in Ecclesia.

CAPVT III.

Quibus modis suspensio ipsa suspendatur, seu, impediatur, ita vt effectum non habeat?

11 Quid sit *censuram suspendi.*

NOtandum est: Censuram suspendi, quando remanente ipsius censurę substātiâ effectus eius ad tempus impeditur, sic vt si quis tunc celebret, neque irregularis fiat, neque peccet.

Respondeo & Dico Primò: Appellatio, quæ præcedit sententiam suspensionis, communiter irritam & nullam reddit ipsam suspensionē. Ratio est: quia legitima appellatio aufert Iudici potestatem vlteriùs procedēdi; idque ex iuris dispositione: vt patet ex Cap. *Ad hæc*, de Appellationibus. Dixi, *communiter*; quia appellatio non semper irritat sententiam sequentem; nempe quando iudici conceditur, vel iure, vel speciali mandato, vt procedat *non obstante*, vel, *postposita omni appellatione*; vt sæpè videre est in Concilio Trident. Item quando appellatio non est probabilis: vt patet Cap. *Ad nostram*, de Appellationibus, vbi dicitur; *Remedium appellationis, quod iure introductum est ad subleuandos innoxios, non debere in patrociniū improborum conuerti.*

Appellatio præcedens non semper suspendit sequentem sententiam.

12 Appellatio subsequens subinde suspendit censuram, subinde nō.

Dico Secundò: Appellatio post sententiam aliquando suspendit, aliquando non suspendit censuram suspensionis.

Non suspendit, quādo censura suspensionis erat ab ingressu Ecclesiæ, vel à diuinis officijs; vt habetur Cap. *Is cui*, de Sententia excommunicationis in 6. Præterea nullam suspendit censuram suspensionis, quę est in materia merè spiritali; vt ibidem docet Glossa communiter recepta. Ratio esse potest; quia officia illa spiritalia quotidie ferè obeuntur; vnde par erat, vt censura, qua illa prohibentur, statim vim suam haberet, nec posset per appellationem superuenientem impediri. Confirmatur: quia alioqui vix vnquam posset ad sententiæ executionem peruenirī.

Suspendit autē Appellatio superueniens ipsam censuram suspensionis, quādo censura versatur in materia merè temporali; vt, si suspensus sis per iudicē à fructibus beneficij, & appelles post sententiam, poteris fructus percipere. Pari modo si sis suspensus à beneficio: nam suspensio à beneficio non suspendit à titulo, qui est spiritalis, sed à fructibus, qui sunt res temporalis. Vnde talis suspensio nō censetur esse à re spiritali, sed à temporali, vel mixtâ, quæ non comprehenditur Cap. *Is cui*. Ita docet Innocentius Cap. *Ad hæc*, & Panormitanus ibidē. Pari modo suspensio à Pontificalibus suspenditur per appellationem sequentem, iuxta Panormitanum suprà; quod est probabile, nam hæc suspensio est mixta.

13 Auctoritas Iudicis suspendit censuram suspensionis.

Dico Tertiò: Auctoritate iudicis suspendi potest nō solùm cēsura interdicti personalis ob culpam propriā lata, sed etiam censura suspensionis. Colligitur ex Cap. *Dilectus*, de Appellationibus.

Interim appellare poteris.

Vbi Nota: Si interim, dum ita suspensa est censura per iudicem ad tempus, appellationem instituas, suspendes vlteriùs ipsam suspensionē. Patet ex Cap. allato: v.g. Petrus suspensus est ab Ordinario à diuinis officijs, vel ab Ordine Sacerdotij: postea Ordinarius ob aliquā causam suspendit ad triduum hanc censuram, concessā potestate, vt interim possit celebrare: si Petrus intra illud triduū appellet ad Pontificem, vel Legatum, ostensurus suspensionem esse inualidam, manebit illa censura etiam post triduū suspensa, ita vt possit celebrare, donec causa fuerit per superiorem definita. Ratio est: quia quando hæc appellatio fuit facta, censura nō habebat suum vigorem, sed erat suspensa; vnde appellatio in eâ potuit vim habere: sicut si quis sub conditione esset suspensus, vel excommunicatus, ante conditionis impletionem, censura non haberet suum effectū, vnde posset tunc appellare: secùs est, quando conditio iam est impleta.

CAPVT IV.

De Absolutione à suspensione.

DVBIVM I.

Quomodo tollatur suspensio.

14

REspondeo: Quasdam per se desinere sine vlla absolutione: vt quæ constitutæ sunt ad terminum certi temporis, vel ad certam actionē, vel actionis cessationem. Tales sunt, quæ ponuntur *ad mensem, ad annum:* itē, *donec satisfaciat, donec pœniteat, donec concubinam relinquat*, &c. Aliàs verò tolli per absolutionem superioris, vel delegati.

DVBIVM II.

Quis possit absoluere à suspensione.

15 Suspensum à Iure ad certum tempus, nemo absolvat præter Papam.

DIco Primò: Si suspensio posita sit à Iure *ad certū tempus*, vel *donec satisfaciat, aut pœniteat*, nemo præter Papā potest ab eâ ante tempus præscriptum absoluere. Ratio est, quia hoc esset dispensare in Iure. Ius enim vult hunc ad illud tempus esse suspensum. Ita Glossa in Cap. *Cupientes*, de Electione, in 6. §. *Cæterum*, Siluester Verbo *Suspensio*, num. 8.

Excipe casum.

Aduerte tamen, si talis suspensio esset occulta, posse tolli per Episcopum ex concessu Concilij Tridentini sess. 24. c. 6. vbi Episcopis dat facultatem dis-

tem dispensandi in omnibus irregularitatibus & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, neque vllas excipit. Tunc autem censebitur dispensare in Iure ex potestate legislatoris ipsi concessâ: nam Concilium est approbatum à Papâ.

16 Suspensum à Iure simpliciter, absoluat Episcopus.

Dico Secundò: Omnis suspensio simpliciter, seu sine determinatione temporis, ob delictum in iure lata, potest tolli ab Episcopo, nisi sit expresè reseruata. Est contra Nauarrum n. 162. sed est cõmunior sententia Doctorum, vt fatetur Panormitanus in cap. 2. *De solutionibus*. Idem dicit Glossa in Cap. *At si Clerici*, de Iudicijs. Ratio est: Nam hoc ipso, quo non est reseruata, censetur concessa; sicut patet in excommunicationibus: est enim eadem ratio, cùm vtraque sit censura.

Excipe casum.

Aduerte tamen, si suspensio ita sit lata à iure, vt conditor Canonis significet expresè, velle se in pœnam delicti illam esse perpetuã, vel sine spe veniæ, non posse tolli per Episcopum, sed per solum Pontificem. Excipe tamen eam, quæ orta est ex delicto occulto, & nondum ad forum contentiosum deducto, à qua potest Episcopus absoluere iuxta Concilium Tridentinum.

17 Suspensum ab homine, absoluat suspendens &c.

Dico Tertiò: Suspensio lata ab homine in particulari contra aliquem, non potest tolli, nisi ab eo, qui eam inflixit, vel eius successore, vel superiore. Patet ex Cap. *Pastoralis*, de Officio Ordinarij. Ratio est: quia alioquin disciplina & iurisdictio Ecclesiastica perturbaretur.

Forma absoluendi à Suspensione.

Notandum pro conclusione huius materiæ: etsi in absolutione nõ requirantur necessariò certa verba; ordinariè tamen his vtendum est: *Absoluo te à vinculo suspensionis, quam incurristi ob talem causam; & restituo te executioni tuorũ Ordinum, vel tui officij: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Amen.* Vide Siluestrum num. 8.

DE INTERDICTO.

Diuiditur hęc materia in quinque Capita. Primum, *Quid sit Interdictum & quotuplex.* Secundũ, *De effectibus Interdicti qui, & quot sint.* Tertium, *De potestate Interdicti, eiusque obligatione.* Quartum, *De pœnis violantium Interdictum.* Quintum, *De Absolutione & suspensione Interdicti.*

CAPVT I.

Quid sit Interdictum, & quotuplex?

DVBIVM I.

Quid sit Interdictum, & quomodo diuidatur?

1 Differentia Interdicti ab excommunicatione & Suspensione.

Respondeo Primò: *Interdictum est censura Ecclesiastica, quâ absolutè prohibentur certa Sacramenta, officia diuina, & Ecclesiastica sepultura.* Differt autem multis modis ab Excommunicatione & Suspensione: nam non solùm Clerici interdicuntur; sed etiam Laici; nec solùm nocentes, sed etiam innocentes; nec solùm personæ, sed etiã loca.

2 Diuisio in locale, & Personale.

Respondeo Secundò: *Interdictum generatim acceptum*, aliud est *Locale*, aliud *Personale*, aliud *Mixtũ*. Differunt autem, quòd in *Interdicto locali*, illi omnes, qui nõ fuerint causa Interdicti, possint alibi audire diuina, suscipere Sacramenta, & sepeliri. In *Personali* autem nusquã possunt, vt patet Cap. *Si sententia*, de Sententia excommunicationis in 6. Clerici tamen, qui cum cæteris non sunt interdicti causa, possunt in *Interdicto Personali* in illis locis diuina officia obire coram omnibus non interdictis, vt docet Couarruuias in Cap. *Alma*, p. 2. §. 1. n. 7. nempe ianuis clausis, vt notat Siluester.

Locale Generale.

Dico Tertiò: *Interdictum locale*, subdiuiditur in *Generale*, & *Particulare*. *Generale interdictum loci est*, quo interdicitur aliquis locus continens plura loca alia. Et tunc in nullo illorum licet diuina officia celebrare; vt quando interdicitur regnum, prouincia, diœcesis, ciuitas, vel etiam parochia (etsi in hoc postremo Couarruuias §. 1. num. 5. contrarium sentiat:) Nam paræcia etiam alia loca sub se continere potest.

Locale particulare.

Particulare interdictum loci est, quo interdicitur locus aliquis particularis non continens in se plura loca sacra & profana: vt quando interdicitur aliqua Ecclesia; tunc enim solùm interdicitur ipsamet, & Cœmeterium contiguum: vt patet ex Cap. *Si ciuitas*, de Sententia excommunicationis in 6. quare tunc extra illam licet celebrare.

Sub interdicto ciuitatis etiam sunt Suburbia, etsi alterius diœcesis.

Circa interdictũ generale loci, Aduerte: Dum interdicitur ciuitas, censeri etiam suburbia interdici, etiamsi fortè essent alterius diœcesis. Ratio est: Nam sine illis sententia illa interdicti esset frustratoria: posset enim populus facilè adire suburbia, ibique diuina audire. Patet ex Capitulo *Si ciuitas*. Dices, In pœnis est stricta interpretatio adhibenda: ergo. Respondeo: Id verum esse, quando alioquin sententia non redditur frustratoria. Vide Couar. suprà num. 8.

3 Personale Generale.

Dico Quartò: *Interdictum Personale*, similiter diuiditur in *Generale*, & *Speciale*. *Generale est*, quo interdicitur integer populus, vel vniuersitas hominum, vel collegium: & tunc si quis desinat esse de illo cœtu, desinit esse interdictus, modò causam interdicto non dederit. Ratio est: Quia tale interdictum per se primò afficit communitatem: vnde si quis incipiat esse pars illius communitatis, incipit esse interdictus.

Interdicto populi nõ continentur infantes nec Clerici.

Notandum: *Interdicto populi*, non contineri infantes & amentes; contra Nauarrum nu. 168. Ita Couarruuias 2. p. §. 4. n. 3. Ratio est, quia sunt incapaces præceptorum Ecclesiasticorum, sicut & ciuilium; & si intersint diuinis, actus eorum non est humanus. Continentur tamen *Interdicto loci*, sic vt non possint sepeliri in loco interdicto. Similiter, *Interdicto populi*, non continentur Clerici; nec interdicto Clericorum continetur populus; imò nec regularis, teste Angelo, *Interdictum* §. 4. & Siluestro *Interdictum* 2. §. 17. Ratio est, Quia in odiosis nomine Clericorum non veniunt Regulares, etiamsi tantùm Nouitij sint.

Personale particulare.

Particulare, seu *speciale Interdictum personæ est*, quo censentur interdicti omnes illi, qui dederunt interdicto causam, quamuis generale fuerit. Deinde, quo interdicitur aliqua familia, vel aliqui nominatim, expresso nomine vel officio. Isti cùm per se primò afficiantur censurâ, vbique sunt interdicti, etiamsi desinant esse de illa cõmunitate.

DVBIVM II.

Quale peccatum requiratur, vt possit ferri Interdictum.

4 Quædam Interdicta requirunt culpam mortalem.

REspondeo & Dico Primò: *Interdictum generale* vel *speciale loci*, aut *generale personarum* non potest ferri, nisi ob grauem culpã. Imò maior requiritur culpa ad tale interdictum, quàm ad excommunicationem; vt docet Sotus d. 22. q. 3. a. 1. Nã est pœna grauior extensiuè, cùm etiã secundariò inuoluat innocentes. Vnde ob culpã hominis priuati nõ potest ferri interdictum generale loci, vel personarum, vt docet Couarruuias: sed debet esse culpa Domini vel Rectoris loci, cuius sunt aliquid ipsi inferiores, ita, vt si puniantur ob eius culpam, ille censeatur in ipsis puniri. Vide Couar. §. 1. num. 4.

Quædam culpam venialem.

Dico Secundò: *Interdictum personæ speciale* interdum ferri potest ob culpam venialem; sicuti excommunicatio minor & suspensio. Ita Caietanus Verbo *Interdictum*: quamuis de hoc dubitari possit.

5 Formula ferendi interdicti.

Petes: Quâ formâ debeat ferri interdictum.

Respondeo: Debet ferri in scriptis expresâ causâ particulari, sicut in alijs censuris. Vide Nauarrum num. 165. & 187.

CAPVT II.

De Effectibus Interdicti: qui, & quot sint?

6 TRes sunt potissimùm Interdicti effectus, quatenus tria per illud fidelibus prohibentur. Primum est, ne interfint diuinis officijs. Secundum, ne suscipiant, vel administrent certa quędam Sacramenta. Tertium, ne sepeliant, vel sepeliantur in loco sacro.

1. Effectus ne interfint diuinis.

Primum prohibetur Cap. *Responso*, de Sententia excommunicationis. Vbi nomine *diuinorum officiorum* intelliguntur illa officia, seu ministeria, quæ in Ecclesia speciatim sunt deputata alicui Ordini sacro, nec tamen sunt Sacramenta (etsi aliter sentiat Nauarrus nu. 172.) vt celebratio Missę, solennis ministratio aquæ benedictæ, benedictio chrysmatis, calicis, templi, denique ipsa recitatio Horarum Canonicarũ, præsertim eo modo, quo in Choro. Probatur hæc definitio: quia officia diuina distinguuntur à Sacramẽtis; pertinent enim ad diuersas pœnas Interdicti.

7 Bonifacius 8. mitigauit Ius antiquum.

Notandum est, Iure antiquo tantùm licuisse tẽpore interdicti singulis hebdomadis facere vnũ Sacrum, ad renouandum Sacramentum pro infirmis, vt patet ex Cap. *Permittimus*, de Sententia excommunicationis. Verùm Bonifacius VIII. hoc ius vâldè mitigauit, vt patet ex Cap. *Alma*, in 6. vbi concedit, vt tempore interdicti liceat quotidiè dicere Missam, & alia officia submissâ voce, ianuis templi clausis, exclusis interdictis & excõmunicatis, & campanis non pulsatis; exceptis diebus Natalis Domini, Paschæ Resurrectionis, & Pẽtecostes, & Assumptionis B. Virginis, quibus diebus officia diuina ianuis apertis celebrari possunt, pulsatis campanis.

Notabilia aliquot circa hanc mitigationẽ.

Circa quam Constitutionem, Notandum Primò: Eam loqui de Interdicto generali loci, vt ait Glossa ibidem: vnde hæc non permittuntur in Ecclesijs specialiter interdictis, iuxta Couarruuiam §. 4. num. 1.

Notandum Secundò, Dari facultatem celebrandi tantummodò in Ecclesijs, vel Monasterijs; non autem in priuatis Oratorijs, vt notat Couarruuias num. 5. etsi Nauarrus num. 175. etiam in Oratorijs putet concedi.

Notandum Tertiò: Tempore interdicti posse admitti omnes eos, qui sunt Clerici, vt rectè Nauarrus num. 174. sæculares verò illius loci minimè, nisi habeant priuilegia. Possunt etiam officia diuina eâ voce recitari, quâ ab vno Choro ad alterum possint exaudiri; non tamen ita clarè, vt extra Ecclesiam audiantur: Nauarrus suprà.

Notandum Quartò: Non posse pulsari campanis ad Sacrum, vel ad alia officia; potest tamen ad concionem, & ad salutationem Angelicam, & ad alia huiusmodi, quæ non sunt diuina officia: Nauarrus num. 173.

Notandum Quintò: Dies Festos, quibus suspenditur Interdictum, non esse extendendos ad octauas eorum: vsus enim habet, vt post Completorium Festi interdictum redeat. Vide plura hac de re apud Nauarrum num. 182.

Notandum Sextò: Diebus illis exemptis posse fieri sepulturam cum solemnitate, iuxta Couarruuiam, & alios: quia tunc licita sunt diuina officia, propter quæ duntaxat prohiberi solet sepultura Ecclesiastica in Interdicto.

8 2. Effectus, ne certa sacramenta administrẽt vel suscipiant.

Secundum, quod prohibetur interdicto, est administratio & receptio quorundam Sacramentorũ; vt patet Cap. vltimo, de sententia Excommunicationis, in 6. Vbi

Notandum est Primò: Hæc Sacramenta tempore interdicti posse conferri: Primò, Baptismũ tam adultis, quàm paruulis. Secundò, Confirmationem. Tertiò, Pœnitentiam & Eucharistiam moribundis: & hæc omnia publicè & solẽniter, vt notat Couarruuias num. 6. quia absolutè permittuntur. Quartò, post constitutionem Bonifacij potest Sacramentum Pœnitentiæ etiam sanis administrari, ijs videlicet qui non fuerint causa interdicti, nec dederint auxilium, consilium, aut fauorem. Quintò, Potest celebrari Sacramentum matrimonij, tamen absque solemnitate: ita Couarruuias suprà: Minister enim huius non est Sacerdos, sed ipsi contrahentes.

Notandum Secundò: Sacramentum extremæ Vnctionis tempore interdicti conferri non posse, ne Clericis quidem, nisi speciale priuilegium habeant. Ita Couuarruuias §. 2. nu. 8. & alij. Neque etiam Sacramentum Ordinis, ne in illis quidem diebus exemptis: neque Eucharistiam, nisi per modum viatici solis moribundis.

Quæres, Vtrùm saltem Clericis & Laicis, quibus permissum est cũ moderatione Capitis *Alma*, assistere diuinis, non sit etiam concessum percipere Eucharistiam? Respondeo: Non esse permissum sine priuilegio. Ita Couarr. §. 3. num. 1. & Nauar. num. 178. Nam illis diebus exemptis solùm permittuntur officia diuina, quę distinguuntur à perceptione Sacramentorum, vt suprà dictum est: & colligitur ex Cap. *Si sententia*, in 6. Nec obstat, quod Sacerdos celebrans tunc communicet; quia solùm communicat quatenus hoc est necessarium ad complementum sacrificij, seu officij diuini.

Tertium,

9 §. Effectus, prohibitio sepulturæ sacræ.

Tertium, Quod prohibetur, est sepultura in loco sacro: Cap. *Vt priuilegia*, de Priuilegijs. Vbi Nota Primò: Non comprehendi Clericos, quia possunt tunc sine solēnitate & sonitu campanarum sepeliri, idque vel in cæmeterio, vel Ecclesiâ. Vide Couar. §. 2. num. 7.

Nota Secundò: Omnes eos, qui possunt tempore Interdicti audire Missam, posse etiam sepeliri in loco sacro. Nam cui communicamus viuo, possumus etiam communicare defuncto. Nauarrus num. 181.

CAPVT III.

De potestate Interdicti, eiusque obligatione.

DVBIVM I.

Qui possint interdicere, & qui interdici?

10 REspondeo & Dico Primò: Omnes eos posse interdicere, qui ex potestate ordinariâ vel delegatâ possunt excommunicare. Ita communiter Doctores.

Dico Secundò: Non solùm singulæ personæ, sed etiam communitates, & loca interdicto subijci possunt. Patet ex vsu Ecclesiæ.

DVBIVM II.

Vtrùm is, qui sententiam Interdicti protulit, teneatur illud seruare?

11 EXempli gratia, Si Episcopus subijciat Interdicto omnes Ecclesias huius vrbis, vtrùm ipse possit apertis ianuis &c. celebrare?

Nisi seruet, incurret pœnas Iuris.

Respondeo: Teneri seruare: quòd si non seruet, incurrere pœnas Iuris. Ita Nauarrus num. 165. sicuti etiam tenetur seruare excommunicationem à se latam. Ratio est: Quia ius commune præcipit censuram seruari. Vnde iure communi ligatur, non autem propriâ suâ sententiâ: sed hęc est solùm conditio, sine qua non obligaretur.

Aduerte tamen, Episcopum posse relaxare, vel suspendere illud interdictum; & tunc nec ipse tenebitur nec alij.

DVBIVM III.

Vtrùm omne Interdictum sit seruandum?

12 Secus Interdictum personale.

REspondeo & Dico Primò: Omne interdictum personale, siue sit denuntiatum, siue non denuntiatum, siue à iure, siue ab homine prouenies, est seruandum ab eo, qui sic est interdictus. Est sententia Communis DD. Ratio est: Quia per Extrauagantem, *Ad euitanda*, non subleuantur ipsi interdicti in aliquo: vnde ius antiquum in illis vim habet.

Item Interdictum locale denuntiatum.

Dico Secundò: Nullum interdictum locale est seruandum, nisi sit denuntiatum; vt docet Nauarrus num. 187. & colligitur manifestè Extrauagante *Ad euitanda*. Quò fit, vt nullum locale interdictum incurratur à iure, sed solùm per sententiam, vel certè denuntiationem.

Dico Tertiò: Sacerdos & quiuis alius Clericus in obeundo diuino officio non tenetur vitare, aut excludere aliquem interdictum speciatim vel generatim, nisi denuntiatum; vt patet eâdem Extrauagante.

DVBIVM IV.

Quale peccatum sit violare interdictum?

13 Clericus violans, peccat mortiferè.

REspondeo & Dico Primò: Violatio interdicti in Clericis est peccatū mortale: quod est contra Caietanum. Ita Nauarrus nu. 187. & Sotus d. 22. q. 3. art. 1. Ratio est; quia est violatio Præcepti Ecclesiæ in re graui, cui etiam pœna grauis in iure constituta est.

Violat autem Clericus interdictum tripliciter. Primò: Cùm ipse, generatim vel speciatim interdictus, facit alicubi actum Ordinis sacri, à quo est interdictus. Secundò: Si Sacramentum prohibitum recipiat; scilicet Eucharistiam, extremam Vnctionem, vel Ordinem. Tertiò: Si solemniter obeat actum Ordinis sacri in loco, qui de interdicto est denuntiatus, etiamsi ipse personaliter non sit interdictus.

14 Similiter & laicus.

Dico Secundò: Laicus personaliter interdictus, siue speciatim, siue generatim, peccat mortaliter audiendo sacrum, aliaue diuina officia: similiter percipiendo Eucharistiam, aut extremam Vnctionem; quod est contra Caietanum, qui putat solùm peccare venialiter: cuius sententia non est improbabilis, si loquamur de eo qui generatim est interdictus, nec Interdicto causam dedit. Verùm altera sententia est communis, saltem quoad alios interdictos. Vide Nauarrum & Sotum suprà. Et Confirmatur: vt si interdictus iussus à Clerico vt exeat Ecclesiâ, non obtemperet, ipso facto incurrit excommunicationem; vt patet in Clementina *Grauis*, de Sententia excommunicationis.

Non tamē, si locus tantùm sit interdictus.

Dico Tertiò: Si locus tantùm sit interdictus, Laicus audiens ibi Sacrum, nō peccat mortiferè. Nauar. num. 187. Caietanus suprà, & alij. Ratio est: quia in Interdicto locali præceptum non imponitur Laicis, sed Clericis, quibus mandatur, vt ibi seruent Interdictum, neque ianuas aperiant, aut Laicos admittant; vt patet Clementinâ primâ de sententia excommunicationis.

Excipe tres casus.

Peccant tamen Laici mortiferè 1 Primò, Si vi ingrediantur. Secundò, Si mendacio, vt si dicant se esse Clericos, vel habere priuilegium: nam decipiunt Ecclesiam. Ita multi Doctores. Contrarium tamen huius videtur verius; quia mendacium istud non est pernicioſum, nec est deceptio in re magni momenti. Tertiò, Si nolint egredi, cùm id à Clericis præcipitur. Vide Nauarrum loco citato num. 187.

15 Clericus tenetur excludere interdictos.

Dico Quartò: Clerici in celebratione diuinorum officiorum tenentur sub peccato mortifero excludere interdictos, quos Iudex denuntiauit siue speciatim, siue generatim. Vide Couarruuiâ §. 2. n. 3. Ratio est, quia id illis directè ab Ecclesia præcipitur, estque res magni ponderis: nam alioquin tota hæc censura esset inanis.

Laicus non tenetur eos vitare.

Dico Quintò: Laici non tenentur vitare interdictos, etsi denuntiatos, neque in diuinis, neque in humanis. Vnde possunt audire Missam Sacerdotis interdicti, & vnà cum alijs interdictis. Ita Nauar. & Caietan. suprà. Ratio est, quia nullum extat præceptum, quo Laici iubeantur communionem interdictorum vitare. Idemque censendum de Clericis, cùm se instar Laicorū gerunt: vt, si audiant Sacrum, percipiant Sacramenta, &c.

CAPVT IV.
De Pœnis violantium interdictum.

DVBIVM I.
Quas pœnas incurrant Clerici violantes Interdictum.

16 Si violent exercitio ordinis sacri, fiunt irregulares

REspondeo & Dico Primò: Clerici violantes Interdictum per exercitium Ordinis sacri, fiunt irregulares. Est communis Doctorum. Ratio est: Quia omnis violatio censuræ per exercitium Ordinis sacri inducit irregularitatem. Excusat tamen ab hac irregularitate probabilis ignorantia Interdicti; vt rectè Couarruuias suprà §. 2.

Secùs si exercitio ordinum minorum,

Dico Secundò: Per exercitium Ordinum minorum non fiunt irregulares. Colligitur ex dictis suprà de suspensione cap. 2. Idem docet Sotus, & passim Theologi. Ratio est: quia isti actus possunt etiam à laicis fieri cum omni solemnitate, qui tamen nullam idcircò incurrunt irregularitatem. Contrarium tenêt Canonistæ & Nauarrus; sed alterum est verius.

17 Quatuor aliæ pœnæ.

Dico Tertiò: Præter irregularitatem sunt aliquæ aliæ pœnæ Clericis violantibus Interdictum constitutæ. Primò, quòd possint priuari omnibus beneficijs Ecclesiasticis: Cap. *Postulastis*, §. 2. de Clerico excommunicato ministrante. Secundò, possunt priuari omni iurisdictione; non tamen reipsa sunt priuati: quod est contra Siluestrum; vt patet ex Cap. *Tanta*, de Excessibus Prælatorum. Tertiò, non possunt eligi, nec postulari ad Prælaturas; cap. 1. *De postulatione Prælatorum.* Quartò, Priuantur sepulturâ Ecclesiasticâ: Vide Siluestrum Verbo *Interdictum* 6.

DVBIVM II.
Virùm Clericus non seruans in Interdicto moderationem Capituli Alma, *incurrat irregularitatem?*

18 VT si celebret cum pulsu campanarum, apertisque ianuis?

Respondet Couarr. §. 4. num. 6. Incurrere irregularitatem, si aliquis interfit officio diuino, qui Iure prohibetur. Verùm contraria sententia est probabilis, quia non est Iure expressum, sed solùm à Doctoribus per quandam rationis similitudinem colligitur.

CAPVT V.
De Absolutione & Suspensione Interdicti?

19 NOtandum est: Interdictum posse dupliciter ferri. Primò, absolutè: Secundò, ad tempus. Hoc per se definit tempore illo transacto, vel actione requisitâ præstita. Illud solùm tollitur absolutione.

DVBIVM I.
A quo tollatur Interdictum absolutè latum; & quomodo?

20 REspondeo & Dico Primò: Interdictum latum ab homine, tollitur ab eodem, vel ab eius successore, vel superiore; non autem ab alio, ne disciplina perturbetur. Si latum ab homine,

Dico Secundò: Si sit latum à Iure, & non sit reseruatum, potest tolli ab Ordinario, & à Regularibus habentibus priuilegium. Si à Iure.

Dico Tertiò: In Iure non est certa forma relaxandi Interdictum; sed sufficit intentio relaxantis quibusuis verbis expressa: ita communiter DD. Debet autem hæc intentio aliquibus verbis vel signis exprimi. Quia sicuti nemo potest per solum actum internum interdici, ita nec absolui. Modus id relaxandi.

Dico Quartò: Interdictum generale, quando dubium est, non potest tolli ad cautelam; nempe ab eo, qui est Papâ inferior: sed, idoneâ cautione acceptâ, debet tolli absolutè, vt patet Cap. *Præsenti*, de sententia excommunicationis in 6. Quod intellige de Interdicto generali loci: nam Interdictum generale personale potest in singulis personis ad cautelam tolli. Vide Couar. §. 2. num. 5. Ad cautelã

DVBIVM II.
Quomodo suspendatur Interdum?

21 REspondeo & Dico Primò: Interdictum locale suspendi potest, etiamsi eius causa permaneat, vt patet ex Cap. *Dilectis*, de Appellationibus: & est communior sententia Doctorum. Locale.

Dico Secundò; Interdictum latum in certam personam similiter suspendi potest: Couarr. §. 2. num. 4. Ratio est, quia potest tolli omnino: ergo etiam ad tempus suspendi. Personale.

Dices: Excommunicatio non potest suspendi: ergo nec Interdictum.

Respondeo, Negando Antècedens: Nam cum quis absoluitur ad reincidentiã, videtur Excommunicatio ad certum tempus suspendi, reditura quoad effectus, nisi mandatis pareatur. Hoc solùm est discriminis, quòd excommunicatio non possit suspendi secundùm vnum effectum, quin suspẽdatur secundùm omnes: nam ius non patitur effectus excommunicationis diuidi, manente censurâ. Suspensio autem & Interdictum habent effectus, qui non necessariò coniunguntur: vnde hæ censuræ possunt suspendi secundùm vnum effectum, sic tamen, vt secundùm alios ligent. Conuenientia, & disconuenientia excommunicationis cũ Suspensione & interdicto quoad suspensionem.

Hoc tamen Aduertendum est: si Interdictum non sit suspensum secundùm omnes suos effectus, sed vim habeat vel secundùm vnum effectum, appellationem interpositam fore nullam: v. g. Petrus simpliciter est interdictus, obtinet ab Episcopo, vt ad octiduum interdictum suspendatur quoad officia diuina, non autem quoad sacramenta: si interim appellet à sententia Interdicti, appellatio erit nulla. Causa est: nam tota ratio, in qua Doctores fundant valorem appellationis factę eo tempore, quo sententia manet suspensa, est, quia suspensa sententia equiparatur sententię conditionatæ, cuius conditio nondum est completa. A sententia autem conditionali licet appellare; quia nondum constringit. Atqui cùm Interdictũ habet aliquem effectum coniunctum, non æquiparatur sententiæ conditionali, sed absolutæ quoad illum effectum. Vnde appellatio interposita in aliquo festorum, quibus licet celebrare officium diuinum, nõ valet: quia Interdictum non est tunc suspensum quo ad Sacramenta. Cætera quæ hic dici possent vide apud Couarr. in Capitul. *Alma*. par. 2. §. 2. num. 1. & 6. & §. 4.

DE

DE IRREGVLARITATE.

SVnt in hoc Tractatu nouem Capita: Primum, *De Irregularitate in genere.* Secundum, *De Irregularitate proueniente ex defectu lenitatis.* Tertium, *De Irregularitate ex homicidio voluntario* propriè dicto. Quartum, *De Irregularitate ex homicidio casuali.* Quintum, *De Irregularitate ex delicto notorio seu infamia.* Sextum, *De Irregularitate ex delicto circa Sacramenta.* Septimum, *De Irregularitate ex defectu corporis.* Octauum, *De Irregularitate ex bigamia.* Nonum, *De Irregularitate illegitimorum.*

CAPVT I.

De Irregularitate in genere.

DVBIVM I.

Quid sit Irregularitas?

1 Definitio.

REspondeo, *Irregularitas*, in proposito, *est impedimentum Canonicum, id est, Iure Canonum introductum, directè impediens acceptionem Ordinum Ecclesiasticorum, vel in susceptis ministerium.* Dico, *Directè impediens:* quia *Irregularitas formaliter est inhabilitas ad Ordines suscipiendos, vel ad vsum susceptorum.* Vnde distinguitur à *suspensione*, quæ non dicit formaliter hanc inhabilitatem, sed prohibitionem vsûs Ordinis, vel Iurisdictionis: vnde non impedit directè Ordinum susceptionem, vt Irregularitas, sed solùm executionem; idque non perpetuò.

Differt à suspensione.

Excommunicatione & Interdicto.

Ab *Excommunicatione* & *Interdicto* distinguitur, tum ratione formali; tum quia, præter impedimentum susceptionis & executionis Ordinũ, hęc etiam alia quædam includunt. *Excommunicatio* enim separat ab omnibus Sacramentis dandis & recipiendis, quatenus sunt participatio cum fidelibus, & à ciuili conuictu fidelium; *Interdictum* autem ab officijs diuinis audiendis, & à quibusdam Sacramentis, quæ Irregularis potest suscipere. Tum denique Irregularitas generatim non est censura, eiusque violatio non parit aliam irregularitatem. *Excommunicatio* autem, *Suspensio*, & *Interdictum* secundùm se sunt Censuræ, quarum violatio si fiat per vsum Ordinum sacrorum, inducit *Irregularitatem.* Vide Nauarrum, num. 194.

2 Quando & vnde quis censendus irregularis

Notandum est, Neminem habendum esse Irregularem, nisi id sit Iure expressum; vt communiter Doctores in Cap. *Is qui*, de Sentent. excommunicationis in 6. Vnde opinio Doctorum, vel consuetudo non potest irregularitatem inducere. Quare quandocumque dubium est, Vtrùm in Iure sit posita irregularitas ob certum factum, vel ob aliquem defectum, nemo idcirco censendus est irregularis; nam potest sequi benigniorem partẽ. Ita Couarr. in Clementina, *Si furiosus*, num. 3. & Nauarrus Cap. *Si quis autem*, de Pœnitentia, d. 7. num. 35. & 40. Similiter non est quispiam censendus irregularis, quando, etsi de iure constet, tamen de facto dubitatur. Quod est contra Nauarrum & Couarr. suprà.

Vnus tamen casus excipitur: nempe, quando in homicidio dubitatur, an hic occiderit, vel an cum debito moderamine inculpatæ tutelæ. Nam hic in dubio facti iudicandus est irregularis in vtroque foro; vt patet ex Cap. *Significasti.* 2. & Cap. *Ad audientiam*, de Homicidio. Ratio est, quia ita Iura statuerunt in detestationem homicidij, eò quòd hoc peccatum maximè dedeceat Ecclesiasticam mansuetudinem. Vnde etiam Episcopis à Concilio Tridentino non cõceditur potestas dispensandi in irregularitate homicidij occulti.

3 In dubio homicidij incurritur irregularitas.

Cur verò in alijs casibus nemo sit censendus irregularis in dubio siue Iuris, siue facti, ratio est: Primò, quia non est expressum in Iure; & alioquin *in dubio melior est conditio possidentis*; vt patet de *regulis Iuris* in 6. atqui hic possidet Ius ad ordines: ergo. Confirmatur: Quia in dubio nemo est spoliandus iure, quod habet; vt patet Titulo *De restitutione spoliatorũ.* Secundò: Quia in pœnis semper benignior interpretatio facienda, quando id tenor verborum permittit; vt dicitur in regulis iuris in 6.

Non item in alijs dubijs.

An semper in dubijs sit tutior pars eligenda?

Dices: In dubijs pars tutior est eligenda: atqui tutius est, vt se censeat irregularem, & abstineat à sacris Ordinibus. Confirmatur: quia hæc est ratio quam adferunt Canones.

Respondeo: Id verum esse, quando est periculũ alicuius magni momenti in vna parte, quod in altera non est: v.g. Dubium est, vtrùm baptismus in nomine Christi collatus sit validus; hic est tutior pars eligenda ob periculum. Quando autẽ dubium est tale, quod vtrimque probabiles rationes habeat, quibus vtraque pars reddatur practicè probabilis, potes sequi vtram mauis: quia vtraque tuta est. Ad Confirmationem, Respondeo: Illam rationem, quam adferunt Canones illi, non esse valdè solidam; neque id esse necessarium: sufficit enim, vt decretum ipsum solidum sit.

Obiectio ex Innocentio.

Dices, Innocent. III. in Cap. *Illud Dominus*, de clerico excommunicato ministrante, statuit Episcopum celebrantem cum dubio excommunicationis, incidisse in pœnas Iuris: *Nam in dubijs, inquit tutior pars est eligenda; & ideo debebat abstinere.*

Soluitur.

Respondeo: Ille Episcopus non habebat dubium probabile, quod esset excommunicatus, sed laborabat crassâ ignorantiâ, quæ non excusat ab irregularitate. Adde, post dubitationem non adhibuisse diligentiam, vt veritatem cognosceret.

DVBIVM II.

Vtrùm contrahatur Irregularitas, si crimen vel causa, vnde oritur, sit occulta, vel paucis cognita?

4 A Castro negat.

ALphonsus à Castro lib. 2. *De lege pœnali*, cap. vltimo, docet. Pro nullo crimine, quod vni tantùm, vel paucis notum est, esse post pœnitentiam aliquẽ irregularẽ excepto homicidio, quod irregularem faciat, si vel vni constet: quod si ita sit occultum, vt nemini constet, ne hoc quidem irregu-

irregularem facere. Vnde etiã infert filium Presbyteri non esse irregularem, nisi constet.

Verius affirmatur. Sed dicendum est, quando in Iure pro aliquo crimine vel causa infligitur Irregularitas absolutè, quamuis illud sit occultum, nihilominùs verè efficere irregularem. Est communis sententia DD. Vide Couarr. Clementinã, *Si furiosus*, 2.p. §. 3. num. 4

Probatur Primò: Ex Concilio Tridentino sess. 24. c. 6. vbi ne Episcopis quidem permittit dispensationem in Irregularitate homicidij occulti, quamuis permittat ex alijs delictis occultis. Supponit ergo Concilium ex delicto occulto incurri Irregularitatem. Secundò: quia Ecclesia punit occultos criminosos per excommunicationem; vt hæreticos, qui suam hæresin, quamuis occultissimè, exteriùs prodiderint. Tertiò: Ecclesia ob crimen occultum inhabilitat ad matrimonium; vt patet ex Concilio Trident. sess. 24. c. 4. *De reformat. matrimonij:* vbi ob affinitatem, ortam ex fornicatione intra secundum gradum, statuit esse inhabilem ad contrahendum.

1. Obiectio, quòd Ecclesia nõ puniat crimen occultum. Dices Primò: Ecclesia non infligit pœnam Ecclesiasticam ob crimen occultum: *Non enim habent latentia peccata vindictam*, vt dicitur 32. q. 5. Cap. *Christiana.*

Respondeo Primò: Si delictum sit per se occultum, vt quando est merè internum, Ecclesia non potest illud punire: Secùs verò, si solùm per accidens sit occultum; quia videlicet accidit alios non fuisse præsentes.

Respondeo Secundò: Si delictum sit occultũ per accidens, Ecclesia etiam non punit illud per sententiam in foro externo; & de tali vindicta loquitur Canon; sed benè punit sententiã latã à Iure, seu per Canonẽ in foro interiore &c. Nam simili modo potestas ciuilis ob delictũ paternum, quamuis occultissimum, facit illegitimum inhabilem ad successionem hæreditariam.

2. Obiectio, quòd templum non polluitur ex occulto crimine, Dices Secundò: Ecclesia non polluitur ex crimine occulto, vel paucis noto: ergo nec homo efficitur irregularis ex causa occulta. Patet consequentia: nam quod in Ecclesia est pollutio, in homine est irregularitas.

Respondeo, Negando Consequentiã: est enim dispar ratio. Quia quòd Ecclesia censetur polluta, egeatque expiatione, non est propriè in pœnam alicuius delicti, neque ob ipsam Ecclesiam: sed vt populus intelligat, locum illum, in quo Deus colitur, singularem requirere venerationem, quæ non cessat, quando delictum est occultum; quia per tale delictum veneratio populi erga locum non est imminuta. In irregularitate spectatur punitio criminum, quæ etiam in occultis locum habet.

3. Obiectio, occultè criminosus nõ teneatur se prodere. Dices Tertiò: Si occultus criminosus est irregularis, ergo tenetur se prodere abstinendo ab officio, ad quod tenetur.

Respondeo: Quando est periculum, ne abstinendo contrahat infamiam, potest præuiâ contritione celebrare, quamdiu durat illud periculũ; intellige, si antè non potest habere dispensationem: non tamen potest suscipere Ordines; quia non suscipiendo non se prodit, nec infamat.

DVBIVM III.

Vtrùm ad Irregularitatem, quæ in pœnam delicti est constituta, sufficiat culpa venialis?

6 Opinio nẽ. gans probabilior contra Caietanũ. Caietanus Verbo *Irregularitas*, & 2.2. q. 64. art. 8. & multi alij affirmant. Ratio est, quia culpa venialis sufficit ad excommunicationẽ minorem, quæ non est minor pœna.

Respondeo, Verius esse requiri culpam mortiferam. Ita docet Sotus lib. 5. de Iustitia, q. 2. a. 9. Nauarrus nu. 252. Alphonsus à Castro lib. 2. *De lege pœnali* c. 14. Petrus Nauarra lib. 2. de restitut. cap. 1. n. 54. multique alij recentiores.

Probatur Primò: Quia est pœna grauis, imò multò grauior, quàm excommunicatio minor: reddit enim inhabilem ad Ordines, & rerũ vsum, & ad beneficium ecclesiasticum, multoque difficiliùs tollitur. Vnde quando infligitur ob culpã, censenda est ob culpã completam in ratione culpæ infligi, qualis est sola mortifera. Confirmatur: quia æquitas non patitur, vt pro leui culpa grauis infligatur pœna.

Probatur Secundò: Quia alioquin, qui se defendendo occideret alterum, rarò euaderet irregularitatem; quod est contra Clementinam, *Si furiosus*, de Homicidio: nam rarò ita cautè se defendit, vt non peccet venialiter.

DVBIVM IV.

Qui sint effectus sententiæ Irregularitatis latæ à Iure, vel ab homine?

7 Respondeo: Primus effectus est, Ineptitudo ad Ordines suscipiendos.

Secundus, Ineptitudo ad Ordinum executionem. Vbi notandum est, si oriatur irregularitas ex defectu corporis sine culpa, non impedire cuiusuis Ordinis quamuis executionem, sed eam dumtaxat, ad quam est inhabilis: vt si Sacerdos amittat manum, poterit nihilominùs absoluere, canere Euangelium, & similia.

An collatio Beneficij facta irregulari sit irrita de facto? Tertius effectus, Est inhabilitas ad beneficium Ecclesiasticum; sic, vt collatio facta irregulari sit nulla. Ita Nauar. nu. 251. Couarr. 2. p. §. 3. n. 6. quod est contra Siluestrũ, *Excommunicatio*, 4. n. 4. vbi docet collationem valere, & impetratã dispensatione ab irregularitate, non esse opus nouã collatione. Verùm altera sententia est communis. Ratio iuxta Nauarrum est, quia inhabilis ad principale, est inhabilis ad annexum: sed beneficium est annexum Ordini, & vsui Ordinis, ad quem vsum irregularis est inhabilis. Et Confirmatur; Quia *Beneficium est propter officium*, vt patet Capit. *Finali*, de Rescriptis in 6. Atqui irregularis est ineptus ad officia Ecclesiastica: ergo & ad beneficium. Aduerte tamen, Has rationes non conuincere de beneficio simplici, quod solùm requirit Horarum recitationem.

Cõsectaria Hinc sequitur, Eum teneri restituere fructus ex beneficio in irregularitate quæsito perceptos.

Quòd autem ad beneficium ante irregularitatem obtentum attinet, per irregularitatem superuenientem non priuatur ipso iure: non potest tamen illud retinere, nisi det operam, vt impetret dispensationem irregularitatis. Quod intellige, si beneficium requirat vsum Ordinis sacri, alioquin non erit opus dispensatione. Vide Couar. in Epitome

Epitome 4. Decretalium 2. p. cap. 6. §. 8. num. 7.
Sequitur de speciebus Irregularitatis.

CAPVT II.

De Irregularitate proueniente ex defectu lenitatis, seu ex hominis occisione, vel mutilatione iustâ &c?

8 Tripliciter homo iustè occiditur.

NOtandum Primò: Tripliciter hominem iustè occidi, Primò: ad sui, vel suorum necessariam defensionem. Secundò: in bello iusto. Tertiò: in Iudicio.

Sub homicidio comprehenditur sola mutilatio.

Notandum Secundò: Quando agitur de irregularitate, nomine homicidij vel occisionis, comprehendi etiam mutilationē, & nihil aliud, iuxta communem Doctorum sententiam. Vnde si alterum grauiter vulneres, aut mancum reddas, sine tamen mutilatione, non incurres irregularitatem.

Occidens, vel mutilàs ante baptismum non fit irregularis, vt nec mutilans ad sui iustam defensionem.

Notandum Tertiò: Si occidas aut mutiles ante baptismum, non contrahes inde irregularitatem, sed solùm, si post baptismum: nam Iura id solùm exprimunt, Cap. *Si quis viduam*, d. 50. Idque meritò: quia omnis culpa, omnisque lenitatis defectus baptismo censetur ablui: Secùs de bigamia, vt infrà.

Notandum Quartò: Eum qui occidit, vel mutilauit alium ad sui necessariam tuitionem, excipi ab hâc irregularitate: Clementina, *Si furiosus*, De homicidio. Circa tamen occisionem ex defensione sui, est

DVBIVM I.

Vtrùm occidens inuasorem, si poterat fugâ euadere, fiat Irregularis?

9 Si fuga sit periculosa,

REspondeo: Si fuga sit illi periculosa, non fit irregularis, etiamsi occidat inuasorem. Ita Couarr. 3. p. num. 4. Ratio est, quia defensio ibi censetur necessaria. Si autem nō sit periculosa, sed solum ignominiosa, fiet irregularis, iuxta communiorem sententiam, quam tenet Couarr. suprà, etsi dubitanter, & Nauarrus num. 211. Ratio est: quia in Clementina *De homicidio* solùm excipitur is, qui aliter mortem vitare non potest, nisi occidendo vel mutilando inuasorem.

Si ignominiosa.

Verùm probabile est, Laicum non fore irregularem in hoc euentu; si videlicet fuga ita sit ei ignominiosa, vt sub peccato mortifero non teneatur fugere. Insinuat Couarr. suprà num. 6. Ratio patet partim ex dictis Dubio 3. partim ex dicendis infrà.

DVBIVM II.

Vtrùm is, qui in aliquo casu tenetur defendere proximum, aut Rempub. incurrat Irregularitatem, si occiderit?

10 NAuarrus num. 213. & quidam alij putant incurrere.

Opinio negans probatur.

Sed verius videtur non incurrere, vt docet Couarr. 3. p. num. 5. citans Fortunium in legem *Vt vim, ff. de Iustitia & Iure*. Idem etiā tenent multi recentiores.

Probatur Primò: Quando quis iusto præcepto cogitur, non censetur homicidium voluntarium: at ob solum homicidium seu occisionem voluntariam incurritur irregularitas, iuxta communiorem sententiam. Nec obstat, quòd Iudex, occidens sontem, fiat irregularis, cùm tamen ad id iusto præcepto cogatur: nam illa occisio censetur voluntaria in sua causa; sponte enim suscepit officium Iudicis.

Secundò; Hæc Irregularitas incurreretur solùm ob defectum lenitatis, cùm omnis culpa absit: sed qui præcepto coactus occidit in necessariam defensionem Reipublicæ, censetur satis lenis & mitis: ergo.

Tertiò: Si Clericus accusat aliquem, quando ad id tenetur ad impediendum damnum proximi, vel Reipublicæ, non fit irregularis, etiamsi mors inde sequatur, vt docet Caietanus 2. 2. q. 33. art. 7. Cuius ratio est, quia Canones non prohibent, quod Ius diuinum præcipit: ergo similiter neque fiet Irregularis, si Rempub. defendens aliquem interficiat.

Quartò: Nō est credibile Ecclesiam velle cuiquam esse tanto detrimento, quod Ius diuinum impleat: multi enim auerterentur ab huius præcepti impletione timore tantę pœnę. Graue enim incommodum est, non posse ad sacros Ordines promoueri, neque in susceptis ministrare. Aliud est in Iudicibus, quia sponte hoc faciunt.

Obiectio.

Dices, Clementinâ, *Si furiosus*, excipitur solus is, qui mortem euadere non potest, nisi occidendo suum inuasorem: ergo qui pro necessaria defensione alterius occidit, fit irregularis.

Soluitur.

Respondeo: In illa Clementina solùm agitur de homicidio voluntario, quo quis occidit alterū non compulsus aliquo iusto præcepto, vel magnâ necessitate. Qui enim non voluntariè occidunt, nullo vnquam Iure fuerūt irregulares: vnde Clementina de illis non loquitur.

DVBIVM III.

Vtrùm fiat Irregularis, qui pro necessaria bonorum defensione alterum occidit?

11 Communis sententia affirmat.

VG. Si fur res meas auferat, nec aliter eas possim tueri, aut recuperare, nisi eum occidendo. Communis ferè sententia est, fieri irregularem. Vide Nauarr. num. 211. Ratio ipsius est, quia hic Iure antiquo ante Clementem. V. erat irregularis; & in Clementina vnica de homicidio, non excipitur: ergo manet Ius antiquum in suo vigore. Si obijcias, Clericum & Laicum in hoc casu licitè posse occidere, & sine peccato, ac proinde non fieri irregularem: Respondet Negando Consequentiam: Nam ad irregularitatem non requiritur peccatum. Quidam propter hoc argumentum dicunt, Clericum non posse sic tueri sua bona

12 Probabilis opinio negat.

Nota tamen: Couarruuiam 3. par. num. 6. tenere, nunquam occisorem fieri irregularem ob defensionem bonorum suorum, vel vitæ alterius, quando iure naturæ potest inuasorem occidere, nempe, vim vi repellendo.

Ratio ipsius est, quia ob homicidium priuatum, id est, à priuato, non auctoritate publica commissum, non incurritur irregularitas, nisi sit peccatum:

peccatũ: atquí, dũ quis vim vi repellendo, à se vel bonis suis, vel à vitâ bonisue alterius, aliũ occidit, nõ committit peccatũ: ergo nec contrahit irregularitatem. Quam sententiâ etiam tenet Fortunius, & alij quidam recentiores. Et confirmari potest ex Cap. *Significasti*, 2. de Homicidio, vbi Innocentius III. apertè insinuat non esse irregularem eum, qui vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ alium occidit.

Nec obstat Clementina, *Si furiosus*, vbi hic casus non excipitur. Nam in illâ Clementinâ solùm explicatur qui non sint irregulares; & inter cæteros ponit eum, qui pro necessaria defensione suæ vitæ occidit alterum. At videtur eadem ratio de illo, qui ob necessariam defensionem bonorum occidit, quia nempe Iure naturæ id ei licet, quando aliter illorum iacturam euadere non potest. Quòd autem Nauarrus & alij dicunt hunc Iure antiquo fuisse irregularem, id probari non potest; cùm id nusquam Iure sit expressum.

DVBIVM IV.

Vtrùm sit Irregularis, qui parantem insidias occidit, præueniendo inuasionem?

13 Si occidas præueniendo inuasionem, nõ fis irregularis;

REspondeo; Si in tali constitutus sis periculo, vt, nisi præuenias, mortem non sis euasurus, non fies irregularis, etiamsi occidas: vt si vxor pugionem à marito sub ceruicali positum inueniat, quo noctu sit interficienda. Vide Couarr. p. 3. num. 3. Idem dicendum de alijs similibus casibus. Ratio est, quia constitutus inter illas angustias censetur actu inuasus & constrictus. Si verò non sit tale periculum, non licet.

Irregularitas ex bello iniusto.

Circa homicidium in bello, Nota Primò: Si bellum sit iniustum, non solùm omnes qui occidunt & mutilant, fieri irregulares, sed etiam omnes qui exhortantur ad prælium: Nam omnes, qui concurrunt, censentur vna causa. Ita Couar. p. 2. §. 3. num. 2. Probat ex Capit. *Sicut dignum*, §. vltimo, de Homicidio, vbi id notant passim Doctores. Sed reuerà inde non sequitur: nam Pontifex solùm decernit ibi vt irregulares sint omnes, qui consilium, auxilium, & fauorem præstiterint interfectioni sancti Thomæ Episcopi Cantuariensis: hinc tamen non licet inferre, omnes esse irregulares, qui interfunt bello iniusto. Vnde infrà sententiam hanc limitabimus. Aduerte tamen, Si quis prior inuadatur ab hoste, nec valens aliter effugere, eum occidat, non fiet irregularis, etiamsi pugnârit ex parte iniustâ.

14 Ex bello iusto.

Nota Secundò: Si bellum sit iustum, omnes qui occidunt aut mutilant, fiunt irregulares. Couarr. suprà. Excipe tamen, nisi id faciant ad necessariam sui defensionem, vel patriæ, vel alterius, præsertim quando tenentur defendere patriam vel proximum, (seipsum nemo tenetur defendere, licet ad sui defensionem ius habeat) iuxta suprà dicta.

Quid si milites ad pugnam adhortentur.

Nota Tertiò: Eos, qui non occidunt vel mutilant in bello iusto, quamuis hortentur ad pugnam, non fieri irregulares, etsi sint Clerici, suisque manibus pugnent. Vide Couarr. suprà num. 2. Et Nauarr. num. 215. & 216. Imò etiamsi hortentur ipsos milites vt occidant hostem, non fiunt irregulares secutâ occisione, nisi in particulari hortentur, vt hunc vel illum occidant; vt quidã recentiores notârunt. Ratio est: Quia si Clerici pugnantes, & exemplo suo incitantes milites ad pugnandum & occidendum, non fiant irregulares, modò ipsi neminem occidant, vt communis sententia tenet: cur fiant irregulares qui verbo solo hortantur, cùm hoc minus sit?

Dices; Prælatus, v. g. Episcopus, habens iurisdictionem temporalem, efficitur irregularis, si iubeat Iudicem, vel hortetur eum occidere: ergo similiter Clericus, si in bello hortetur ad occidendum.

Respondeo Negando Consequentiam: Quia in bello iusto solùm sunt irregulares, qui propriâ manu occidunt, vel mutilant, vel in particulari iubent hunc aut illum interfici, non autem qui solùm sunt causa consilio vel exhortatione generali. Circa Iudicia verò, Iura aliter statuerunt. Possunt tamen tales Prælati facere leges, quibus statuatur pœna capitis: sic enim solum sunt causa remota, & vniuersalis occasio; quod non inducit irregularitatem.

DVBIVM V.

Quinam efficiantur Irregulares ex occisione iudiciaria?

REspondeo Primò: Iudex qui condemnat ad mortem vel mutilationem, vel conijcit in carcerem ita grauem, vt reus inde mortem incurrat. Patet ex Cap. *Clericis*: & Cap. *Sententiam*, Tit. *Ne clerici vel monachi*. 15 Quid de Iudice.

Quid de Inquisitore hæreseos.

Inquisitores tamen hæreticæ prauitatis non fiunt irregulares, cùm tradunt hæreticos brachio sæculari. Couarr. tamen §. 5. num. 6. requirit, vt pro ipsis intercedant, ne pœnâ sanguinis afficiantur. Alij tamen dicunt id minimè esse necessariũ.

Prælatus Ecclesiasticus habens sub se iudicem sæcularem, potest hortari, & in communi præcipere, vt faciat iustitiam; non tamen in particulari, vt hunc vel illum interficiat, aut mutilet; alioquin fiet irregularis, iuxta communem sententiam.

16 Quid de Accusatore.

Secundò: Fit irregularis Accusator, si mors, vel mutilatio reo inferatur. Vide Couarr. §. 5. num. 1. Clericus tamen accusans, si protestetur se non intendere iudiciũ sanguinis, vel mortis, aut multilationis sententiâ, non fiet irregularis: nempe si accuset aliquem, vel capiat, aut detineat, & iudici tradat pro damno sibi, rebusque suis illato; vt habetur Cap. 2. *De homicidio* in 6. Secùs verò, si pro rebus alienis id faciat; tunc enim nihil iuuaret protestatio, nisi in casu, quo obligaretur. Vide Couarr. §. 3. num. 3. Qui tamen accusat vel defert apud Inquisitores, non opus est vt protestetur: quia Inquisitores non ferunt sententiam sanguinis, sed tradunt brachio sæculari.

Dices Primò: Quid si accusem aliquem de crimine, quod non meretur mortem; iudex tamen suâ malitiâ morti adiudicet?

Respondeo: Non fies irregularis, quamuis non protesteris; quia non sequitur mors vi accusationis, sed iudicis crudelitate. Sic Couarr. §. 5. n. 3.

Dices Secundò: Quid si protestatio solùm ore fiat, non mente: vtrùm excuset ab irregularitate?

Nauar. cap. 27. num. 226. putat non excusare, quia Ius requirit veram protestationem, non fictam. Contrarium, & meritò, tenet Couarr. §. 5. num. 2.

hum. 2. Nam illa protestatio, quoad actum externum, ciusque circumstantias externas, est vera protestatio, non ficta: Ecclesia autem tantùm iudicat de externo.

17 De Aduocato. Tertiò: Aduocatus fit irregularis, si patrocinetur accusatori in causâ sanguinis, Capit. *Aliquantos*, dist. 51. Secùs verò, si patrocinetur reo, etiamsi contingat accusatorem, ob defectum probationis vel calumniam, pœnâ talionis plecti: quod est contra Nauarrum num. 212. Sentit Couarruuias §. 5. num. 5. Et ratio est, quia merè per accidens sequitur mors accusatoris, cùm hic Aduocatus solùm intendat defendere reum.

Protestatio nihil iuuat Aduocatum; nam hæc sola est pro accusatore, ne Clerici impediantur accusare, quando id est necessarium ad repellendam iniuriam.

18 De Teste. Quartò, Testis fit irregularis, si ex ipsius testimonio sequatur mors, vel mutilatio per Iudicem: nec excusatur protestatione, quòd non intendat Iudicium sanguinis; quia id Iure non est expressum, nisi de accusatore.

Probabile tamen est, testem excusari in eo casu, in quo tenetur in conscientiâ testari, præsertim si protestationem adiungat, quamuis hæc etiam non videatur esse necessaria. Nam in simili casu, quando videlicet obligatur defendere Rempublicam vel proximum, posset inuasorem etiam occidere absque irregularitatis nota, vt superiùs dictum est.

19 De Notario. Quintò: Notarius, qui sententiâ, vel dictat (etsi non scribat) aut recitat. Item qui sciens aut prudens litteras scribit, quibus mors aut mutilatio præcipitur.

Vbi tamen semper aduertendum est, Vtrùm cẽseatur moraliter ad mortem, vel mutilationem alterius concurrere: si enim non concurrat, non erit irregularis. Vide Nauarrum num. 212. Vnde probabile est, famulos Notariorum, qui sententiam iudiciariam transcribunt, non fieri irregulares; quia non efficaciter censentur cooperari occisioni; sicuti famulus vsurarij scribens in libro rationem dati & accepti, non cooperatur ad vsuras, vt alibi dictum est. Secùs de Notario, qui subscribit, & auctoritatem tribuit Scripturæ. Nec obstat Cap. *Aliquantos*, dist. 51. Quia solùm loquitur de Aduocatis, militibus, & curialibus, id est, officialibus curiæ, vt explicat Glossa, vbi non continentur famuli Notariorum.

De eius famulo.

20 De Ministris Iustitiæ. Sextò: Omnes Ministri Iustitiæ, & alij qui efficaciter censentur ad mortem, vel mutilationem cooperari. Vide Nauar. cap. 27. num. 209. & seq. Qui verò non censentur cooperari, etiamsi intersint dum fertur sententia, vel dum fit executio, non fiunt irregulares.

Si impetres mitiorem mortem. Vnde infertur Primò: Non esse eum irregularem, qui à Iudice impetrat, vt reus mitiore breuioreque morte afficiatur; verbi gratia, vt potiùs gladio feriatur, quàm lento cremetur igne: vel vt sacculus pulueris applicetur cordi, ne diu crucietur igne. Ratio est, quia hic non censetur cooperari absolutè eius morti, aut iuuare Iudicem; sicuti nec is, qui impetrat, vt reus, qui erat occidendus, solùm mutiletur: Tum quia, si iste reus iniustè plecteretur, ad nullam teneretur restitutionem, quod est signum quòd ad eius mortem non sis cooperatus, dum leuiorem mortem impetrasti; Tum denique, quia hæc irregularitas contrahitur ex defectu lenitatis: atqui is qui sic impetrat, habet perfectam Christianam lenitatẽ. Adde, nullo Iure contrarium probari posse.

Si vendas instrumẽta mortis. Infertur Secundò: Idem probabile esse de ijs, qui vendunt funes, gladios, ligna, & alia huiusmodi, si passim omnibus vendant: quia probabile est, non censeri moraliter cooperari, nisi id faciant ob illum finem, idque externo signo prodant.

DVBIVM VI.

Quis possit dispensare in hac irregularitate proueniente ex defectu lenitatis.

21 Quidam negant Episcopum posse. RÆspondeo & Dico Primò: Episcopum non videri hîc posse dispensare, vt plerique Doctores affirmant. Ratio est, Quia ante Concilium Tridentinum non poterat, & per Concilium non est ei facta potestas, nisi in irregularitate ortâ ex delicto occulto: hæc autem ex delicto non oritur.

Probabiliter potest. Nota tamen, non esse improbabile, Episcopum posse in hac dispensare, vt docet Couarru. §. 3. in fine. Ratio est, Quia istud homicidium æquiparatur homicidio casuali in Iure (id est, quod casu factum est) in quo potest Episcopus dispensare. Vnde per quandam Ἐπιείκειαν colligimus, simili modo posse dispensari in isto.

Habentes priuilegiũ. Dico Secundò: Omnes eos posse absolutè in hac irregularitate dispensare, qui habent priuilegium dispensandi generatim in omni irregularitate, exceptâ homicidij voluntarij, mutilationis, bigamiæ, & defectus natalium. Ita Caietanus Verbo *Irregularitas*, in fine. Couarruuias suprà §. 3. & insinuat Nauarr. num. 240. Ratio est, Quia hæc irregularitas non est propriè ex homicidio. Nam homicidium est iniusta occisio, vt rectè Nauarrus suprà. Hinc sequitur, si Clericus in bello iusto aliquem occideret, quamuis peccaret contra præceptum Iuris, non tamen committeret homicidium; quia non iniustè occideret: ac proinde irregularitas eius posset per tale priuilegium tolli.

CAPVT III.

De Irregularitate ex homicidio voluntario propriè dicto.

22 Homicidiũ *voluntariũ & casuale* quid. NOta ex Couarruuio parte 2. num. 2. homicidium dici *Voluntarium*, quod in se volitum est, vel in causa proximâ: vt si sciens & volens propines ei venenum, vel traijcias pectus aut caput. Quod autem præter intentionem euenit ex opere, dicitur *Casuale*.

DVBIVM I.

Quando multi concurrunt ad vnius occisionẽ, quinam efficiantur irregulares?

23 Omnes qui ad occisionem concurrunt, sunt irregulares. REspondeo & Dico Primò: Omnes illos censeri irregulares, qui cum cæteris concurrunt, quamuis vnus tantùm, & vnius manu occidatur. Ratio est, Quia omnes censentur vna causa moralis illius homicidij. Ita Couarr. 2. parte §. 2. num. 3. in Clementina, *Si furiosus*; & alij passim.

Excipe solùm comitantes.

Nota tamen: Probabile esse, si quis alios comitetur, & nihil omnino per se faciat, nec causa sit cur homicidium hîc & nunc fiat: id est, cùm his circumstantijs, *Celeriùs, acriùs, animosiùs, audaciùs*, &c. non esse irregularem. Et ratio est, quia nõ censetur contulisse quidquam, aut vllum præbuisse influxum in illud facinus: vnde etiam non tenetur ad restitutionem, vt alibi ostensum est.

24 Si multi ex interuallo vulnerent, tu tamẽ nõ letaliter.

Dico Secundò: Si multi vnum vulnerent, sed ex interuallo, sic, vt non censeantur instar vnius causæ concurrere, si prior non inflixit vulnus letale, sed aliud non letale, non est irregularis, quamuis ille læsus ab alijs occidatur. Colligitur ex Capitulo *Significasti*, 2. de Homicidio: vbi respondet Pontifex, Parochũ, qui primò vulnerârat furem Ecclesiæ ornamenta asportantem, quem deinde Parochiani occiderunt, non esse irregularem, si vulnus non fuit letale: quod est contra Nauarrum num. 223. Si autem infligat vulnus letale; erit irregularis, quamuis ex eo reipsâ non sequatur mors, sed ab alijs occidatur. Colligitur ex eodem Cap. Vide Couarr. num. 4. §. 2.

Nota tamen quosdam dubitare; præsertim si vulnus non fuerit causa, cur citiùs moreretur: vt si repentè ab alijs fuit illi præcisum caput, vel cõfossum cor, vel cerebrum, sic vt reipsâ mors tantummodò sit secuta ex vulnere & læsione aliorũ. Quod sanè videtur rationi consentaneum.

25 Si dubium quis occiderit.

Dico Tertiò: Quando non constat à quo quis fuerit occisus, vel à quo vulnus letale acceperit, omnes, de quibus dubitatur, sunt irregulares. Est communior sententia. Vide Couarruuiam suprà. Ratio est: quia in dubio homicidij censendus est quisque irregularis. Capitulum *Significasti*, suprà.

Nota tamen, quosdam recentiores non improbabiliter dicere, hoc solùm habere locum in foro externo, idque maximè ante diligentem inquisitionem: in foro tamen conscientiæ, si post factam diligentem inquisitionẽ adhuc manet omnino dubium, quis sit auctor, neminem censendum irregularem: quia *Satius est crimen aliquod impunitum relinqui, quam innocentes puniri.*

Si medici incuriâ obierit.

Petes: Quid si vulnus non sit letale, & tamen Medici negligentiâ, vel malo suo regimine læsus moriatur, eritne vulnerator irregularis?

Respondeo: Verius videri non fore irregularem: contra Couarruuiam & Nauarrum. Ita Caietanus 2. 2. quæst. 64. art. 8. Et Sotus lib. 5. de Iust. quæst. 1. art. 9. Ratio est, quia mors non sequitur ex vi vulneris, sed aliunde. Vnde etiam non tenetur ad restitutionem. Colligitur etiam ex Capitulo *Significasti*, 2. de Homicidio, vbi requiritur vt *vulnus sit letale*. Dices: si quis mandet famulo, vt aliquem iniustè percutiat, non tamen letaliter; famulus tamen occidat; mandans erit irregularis, quia est causa mortis: debuisset enim cogitare, facilè ex eiusmodi mandato posse mortem sequi; vt colligitur ex Capitulo vltimo, de Homicidio in 6. ergo hîc similiter. Respondeo, Negando Consequentiã: Quia est dispar ratio. Nam ibi reuerà infligitur vulnus letale ab eo, cui datum est mandatum vulnerandi: hîc autem non infertur vulnus letale.

DVBIVM II.

Vtrùm mandans homicidium semper fiat irregularis?

26 Si ex mandato homicidium sequatur.

Respondeo & Dico Primò: Mandantem fieri irregularem, si homicidium sequatur. Excipe, nisi anteà reuocauerit mandatum, & reuocatio innotuerit mandatario: Tunc enim nõ censetur causa moralis. Ita Couarr. §. 3. num. 3. Nauarrus num. 233.

Si ratum habeat.

Dico Secundò: Ex eo, quòd quis ratum habeat homicidium suo nomine factum, si ipse anteà nullo modo illius causa fuit per aliquod signum externum, non efficitur irregularis. Couarruuias §. 1. num. 4. Est contra Nauarrum, num. 233. Ratio est, Quia non censetur præbuisse influxum in facinus & cooperationem. Nam etsi ratihabitio æquiparetur mandato, id verum est in contractibus, & quoad culpam contrahendam; non tamen in inferendo damno, aut etiam quoad pœnam Iuris. Quia ratihabitio sequitur ipsum opus, ac proinde non potest esse causa efficiens operis.

DVBIVM III.

Vtrùm consensus sit irregularis?

27 Si ex consilio homicidium sequatur.

Respondeo & Dico Primò: Fieri irregularem, si ex consilio sequatur homicidium, vel mutilatio: vel si alter sine suo consilio nõ erat facturus, vel non ita citò, vel non ita animosè & audacter. Est communis sententia.

Si dubium.

Dico Secundò: Quando dubium est, an sine tuo consilio fuisset facturus, præsumitur non fuisse facturus: Nam *in dubio nemo præsumitur peccaturus*. Vnde in eo casu Consultor erit irregularis. Ita Couar. §. 1. num. 4. p. 2.

28 Si consiliũ reuoces.

Dico Tertiò: Si consulens reuocet consilium; alter tamen, persuasus prioribus eius rationibus, nolit desistere, consultor fiet irregularis. Ratio est, Quia eius consilium verè est causa. Secùs est de mandato, quia mandatarius agit vices mandantis: vnde hoc ipso, quo mandatum reuocatur, cessat omnis ratio exequendi mandatum. Sed qui consilium accipit, agit partes suas: vnde etsi consultor reuocet consilium, nisi persuaserit contrarium, semper manet ratio exequendi consilij.

Si consiliũ licitum.

Dico Quartò: Consultor nunquam fit irregularis, quando alter, cui dat consilium, vt morti se exponat, licitè id potest, v.g. pro liberatione parentum, amicorum, & aliorum. Ratio est, quia mors cessetur illi inuoluntaria, & casu obueniens, nullaque intercedit culpa in consilio dando. Vide Couar. p. 2. §. 4. nnm. 9.

29 Si volenti occidere, suadeas mutilationem.

Petes: Vtrùm, si latroni volenti occidere Petrum, persuadeas vt potiùs illum mutilet, sis irregularis?

Respondeo, Non esse: tum quia illa mutilatio non censetur tibi voluntaria, solùm enim intendis auertere eius mortem: tum quia sine omni culpa ita consulis: atqui ex homicidio vel mutilatione, quæ priuatâ auctoritate fit, non contrahitur irregularitas sine propriâ graui culpâ, iuxtà suprà dicta.

DVBIVM

DVBIVM IV.

Vtrùm non impediens homicidium, sit Irregularis?

30 Si teneatur impedire ex iustitia.

DIco Primò: Qui ex iustitiâ tenetur impedire, si dolosè omittat, & idcircò contingat aliquem occidi, fiet irregularis. Est communis. Vide Nauarr. num. 231. Ratio est, quia in foro externo talis tenetur homicidij reus. Sine tamen dolo, vel negligentiâ crassâ, quę dolo æquiparetur, non incurritur hæc irregularitas. Vnde infertur, dominum, si iniuriâ ab aliquo affectus, videat famulos vel amicos velle interficere eum, qui iniuriâ affecit, & non conetur impedire, fieri irregularem, homicidio secuto. Vide Couarr. §. 2. nu. 7. Si autem bona fide conetur impedire, non fiet irregularis, quamuis ipse rixam vel litigium iniquè aduersus eum excitârit. Vide Nauarrum num. 236.

31 Si solùm teneatur ex charitate.

Dico Secundò: Qui solùm ex charitate tenentur, etiamsi negligentiâ vel dolo se subtrahant, non fient irregulares secuto homicidio. Est communior sententia Doctorum. Vide Nauarrum cap. 24. num. 22. Ratio est, quia non peccant contra iustitiam; ac proinde nec peccato homicidij. Idem dico, etiamsi alijs suadeant, ne se immisceant. Si tamen vi vel fraude alios à periclitantis defensione auertant, fient irregulares: quia peccant contra iustitiam.

CAPVT IV.

De Irregularitate quæ prouenit ex homicidio seu mutilatione casuali?

DVBIVM I.

Quinam contrahant Irregularitatem ex homicidio vel mutilatione, quam casu inferunt?

32 Si adhibeas necessariam circumspectionem ne noceas.

DIco Primò: Qui dat operam rei licitę, & adhibet necessariam circumspectionem ne noceat, non fiet irregularis, etiamsi sequatur homicidium, vel mutilatio. Patet dist. 50. multis capitibus. Ratio est, quia tale homicidium nullo modo censetur voluntarium. Aduerte, eam diligentiam, ceu circumspectionem sufficere, quæ à viris prudentibus in simili opere solet adhiberi, spectatis omnibus circumstantijs.

33 Si eam non adhibeas.

Dico Secundò: Qui dat operam rei licitæ vel illicitæ, si non adhibeat debitam circumspectionem ne noceat, fiet irregularis, secuto homicidio, vel mutilatione. Est certa & communis sententia. Ratio est, Quia tale homicidium censetur indirectè, & in suâ causâ voluntarium: vt si deijcias tegulam è tecto, nec clames vt caueant.

Petes: Quæ culpa negligentiæ requiratur, vt hęc irregularitas incurratur?

Requiritur grauis negligentia.

Respondeo: Leuissima non sufficit; quia nullâ lege tenemur summam diligentiam præstare. Neque etiam sufficit culpa vel negligentia leuis; quia non tenemur facere, quod diligentiores faciunt. Requiritur ergo negligentia grauis, quæ sit peccatum mortiferum ob periculum rei, vt docet Nauarrus num. 228. multique alij recentiores, vt Couarruuias, Paludanus, Castro, Petrus Nauarra, Sotus, &c. Ratio est, quia lex non punit, nisi actus perfectos in materiâ quam prohibet; non censetur autem perfectus, nisi sit perfectè voluntarius: atqui id, quod fit ex negligentiâ, non censetur perfectè voluntarium, nisi sit negligentia grauis. Confirmatur, Quia qui bonâ fide aliquid facit vel omittit, vnde mors sequitur, non fit irregularis: vt patet de Clerico ordinato ante legitimam ætatem, & bonâ fide celebrante: hic enim non fit irregularis, vt docet Couarruuias 1. parte §. 1. num. 4. Atqui negligentia leuis non excludit bonam fidem; sed dolus duntaxat, & negligentia grauis, quæ dolo æquiparatur, vt docet Couarruuias regulâ, *Possessor.* 2. parte cap. 7. num. 6. Hinc sequitur, eos qui regunt infirmos, si moueant eos, vt meliùs quiescant, vel vt cibum sumant, vel aliquid propinêt bonâ fide, vnde contingat accelerari mortem, non fieri irregulares, nisi id fecerint tam temerè seu incircumspectè, vt peccârint mortiferè; vt rectè Couarr. 2. parte nu. 3. & 10. Sotus lib. 5. de Iustit. quæst. 1. art. 9. Nauarr. num. 229.

34

Dico Tertiò: Valdè probabile est etiam, eum qui dat operam rei illicitæ, quia periculosa & tendens ad homicidium, si debitam circumspectionem adhibeat, ne grauis noxa sequatur, non esse irregularem, etsi fortè secuta fuerit. Ita multi recentiores hoc tempore. Ratio est, Quia homicidium secutum censetur planè inuoluntarium: diligentia enim illa abstergit periculum, ratione cuius videtur tendere ad homicidium. Est contra Couarr. Nauarrum, Sotum, & alios.

Peccat Clericus exercendo chirurgicam, etsi non fiat irregularis.

Hinc sequitur, Clericum peritum chirurgiæ, si secundùm artis præcepta incidat, vel vrat, etsi peccet contra præceptum Iuris, quo tale ministerium, tanquam indecorum eius statui, prohibetur, non tamen fieri irregularem, etsi fortè mors sequatur; quia censetur omninò inuoluntariè sequi. Quod confirmo; Quia Laicus in huiusmodi casu non fiet irregularis, vt omnes fatentur: ergo neque Clericus; Iura enim non constituunt differentiam inter Laicum & Clericum in hâc specie.

Dices, Ille Clericus tenebatur vitare illam incisionem ob periculum homicidij: ergo, si non vitet, ei imputabitur.

Respondeo: Si erat peritus, non tenebatur vitare præcisè ob periculum, sed ob præceptum Iuris, quod vetuit hanc incisionem generatim Clericis: partim, quia dedecet eorum statum; partim, quia plerumque Clerici non sunt ita periti, vt res illa postulat ad vitandum homicidiũ. Cum hoc tamen stat, quod si quis Clericus reperiatur satis peritus, qui omnem diligentiam necessariam præstet, hunc non censeri causam mortis, sicuti nec Laicus censetur.

DVBIVM II.

Quis possit dispensare in homicidio voluntario, & casuali?

35

REspondeo & Dico Primò: In irregularitate ex homicidio voluntario, etsi occulto, solus

In homicidio voluntario solus Papa dispensat.

Papa dispensare potest, non autem Episcopus. Patet ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 6. vbi excipit homicidium voluntarium: & sess. 14. c. 7. statuit Concilium, vt talis homicida careat omni ordine, beneficio, & officio ecclesiastico. Vbi tamen

Aduerte Primò: Si iste habebat anteà beneficium, non est priuatus ipso facto, sed priuandus per Superiorem, causâ cognitâ: Couar. §. 3. num. 6.

Quid in eo aget Episcopus?

Aduerte Secundò: Probabile esse, Episcopum posse dispensare, vt homicida voluntarius, si crimen occultũ sit, Minoribus iam susceptis vtatur; imò, si causa iusta subsit, vt etiam in sacris anteà susceptis ministret: quia Concilium solùm vetat promoueri ad sacros Ordines. Ita tenent multi ex recentioribus, & Couarr. §. 3. num. 4. qui etiam num. 6. docet, ab Episcopo posse admitti ad beneficium simplex: quod etsi dubium sit, saltem Episcopus potest dispensare, vt beneficium anteà obtentum retineat.

36 Quid aget in homicidio casuali.

Dico Secundò: In irregularitate ex homicidio casu facto, si sit occultum, & nondum deductum ad forum externũ, potest Episcopus absolutè dispensare ad omnes Ordines. Patet ex Tridentino, sess. 24. cap. 6. Tale homicidium est, quod committitur in sui defensionem, sine debito moderamine: item si Clericus exercens chirurgiam, aliquẽ interficiat ex negligentia, vel imperitia: item si dominus mãdet famulo, vt inimicum percutiat non letaliter, & tamen famulus occidat. Huc etiam referri potest homicidium ex subitâ irâ commissum, quia non censetur voluntarium, cùm non sit factum per insidias, vel industriam; quod tamen Concilium videtur requirere, vt dicatur voluntarium.

Dico Tertiò: Si homicidium casuale sit publicum, Episcopus nõ potest dispensare, nisi ad Ordines Minores, & ad beneficium simplex. Ratio est: quia Iure antiquo hoc tantum poterat, & Cõcilium circa hoc nihil innouauit. Vide Nauarr. num. 240.

CAPVT V.

De Irregularitate ex delicto notorio, & infamiâ.

DVBIVM I.

Quinam ratione delicti sint Irregulares?

37 Si crimen occultum,

REspondeo & Dico Primò: Nemo fit irregularis ob aliquod delictum occultum, quantumuis sit graue, nisi hoc delictum sit violatio censuræ, vel crimen homicidij, aut quædam violatio Sacramenti. Ita Nauar. n. 248. & alij. Vnde hæreticus occultus non est irregularis.

Si crimen publicum.

Dico Secundò: Crimen publicum, cui annexa est infamia Iuris, inducit irregularitatem. Est communis. Vide Nauarr. num. 204. Pro quo

Infamia Iuris dupliciter incurritur.

Notandum est, Infamiam Iuris incurri dupliciter: Primò, Per sententiam Iudicis definitiuam, quâ quis de aliquo crimine condemnatur. Secundò, Per quædam crimina, quibus statuto Iuris annexa est infamia. Vide Siluest. Verbo, *Infamia*, num. 8. & 9. Huiusmodi sunt periurium in iudicio, simonia, sodomia, improbum fœnus, id est, vbi vsuræ vsurarum exiguntur, sacrilegium, duellum, crimen læsæ maiestatis, hæresis, similiter esse fautorem, defensorem, receptatorem hæreticorum. Hi omnes ita sunt irregulares, quando crimẽ est publicum, vt per pœnitentiam non purgentur, sed opus habeant dispensatione.

Ob eandem causam irregulares sunt filij hæreticorum, fautorum, defensorum & receptatorum. Patet Capit. *Statutum*, 2. *de Hæreticis* in 6. Et quidem, si pater erat hæreticus, filius erit irregularis & nepos: si autem mater tantùm, solus filius erit irregularis, non nepos. Vbi

38 An, & quãdo, filius hæretici sit irregularis.

Aduerte Primò: Requiri vt filius natus sit, parente iam hæretico: si enim ante hæresim natus sit, non erit irregularis, quia non est filius formaliter hæretici. Secundò requiritur, vt constet parentem decessisse in hæresi, vel certè adhuc hæreticum esse: si enim reconciliatus obijt, vel cum signis pœnitentiæ, filius non erit irregularis. Adde: Non esse improbabile, filium non fieri irregularem, nisi parens sit condemnatus de hæresi, vel certè in iudicio conuictus; id enim videtur insinuare Capitulum, *Statutum*, si rectè expendatur.

39 Si crimen non habeat annexam infamiam Iuris.

Dico Tertiò: Alia crimina notoria, etsi digna sint depositione, si tamen non habeant annexam infamiam Iuris, non inducunt veram irregularitatem, nisi post sententiam Iudicis. Ratio est, quia vera irregularitas non tollitur per pœnitentiam: hæc autem infamia per pœnitentiam & vitæ mutationem, vel etiam per purgationem canonicam tollitur. Vnde per adulterium, & crimina adulterio minora, non incurritur vera irregularitas, quamuis notoria sint; sed suspensio quædam ob indecentiam, donec infamia sit abstersa, iuxta Couarruuiam 2. parte §. 1. num. 4. Quod est contra Nauarrum, qui cum multis alijs propter Capit. *Quæsitum est*, de temporibus ordinandorum, putat incurri irregularitatem. Verùm hoc Capitulum non cogit, quia facilè exponi potest de suspensione, sicut exponit Couarruuias: vel certè, quòd solùm contineat pœnam inferendam: tantùm enim ait, eos qui laborant infamiâ facti, impediri debere ab Ordinibus. Ratio est, quia hæc delicta solùm faciunt inhabilem ad Ordines, & eorum vsum, ob infamiam facti: ergo hâc infamiâ abstersâ, erit & inhabilitas abstersa. Et fauet ipse Nauarrus num. 204. vbi dicit, emendationem vitæ interdum tollere quandam irregularitatem: vbi irregularitatem non accipit propriè, sed pro quodam modo suspensionis.

DVBIVM II.

Quis possit in hac irregularitate dispensare.

40

REspondeo & Dico Primò: In adulterio & huiusmodi criminibus, quibus per se non est annexa infamia Iuris, post peractam pœnitentiam, & detersam infamiam facti, non est opus dispensatione. Ratio est, quia hæc non inferunt veram irregularitatem, nisi post sententiam Iudicis; sed solùm quandam suspensionem ob indecentiam, quæ, sublatâ infamiâ, sponte perit.

Dico

Dico Secundò: Si quis de huiusmodi crimine sit condemnatus per sententiam, dispensare potest Episcopus in infamiâ Iuris contractâ per illam sententiam; vt colligitur ex Capit. *At si clerici*, de Iudicijs.

Dico Tertiò: In irregularitate, quæ oritur ex crimine enormi, habente annexam per se infamiã Iuris, non potest Episcopus dispensare. Talis est ea, quæ oritur ex Hæresi, Apostasia, Sodomia, & similibus. Vide Couarr. lib. 3. Variarum. cap. 3. num. 3.

CAPVT VI.

De Irregularitate ex delicto circa Sacramenta.

DVBIVM I.

Vtrùm repetens Sacramentum, quod imprimit characterem, sit irregularis?

41 Absolutè bis baptizans aut bis baptizatus.

REspondeo & Dico Primò: Qui sciens bis baptizatur, aut eundem absolutè bis baptizat, ex communi sententia censetur irregularis. Dicò, *Absolutè*, quia qui sub conditione tacitâ vel expressâ rebaptizat, vel rebaptizatur, non fit irregularis: sicut nec is, qui sub conditione contrahit cum consanguineâ, est excommunicatus excommunicatione latâ contra incestas nuptias. Ratio est, quia rebaptizare sub conditione, non est simpliciter rebaptizare, contra quod tantùm pœna est statuta.

Aduerte tamen, non esse improbabile, eum qui rebaptizat, non fieri irregularẽ; quia in Iure non est expressum nisi de eo qui rebaptizatur, & de Acolytho ministrante Sacerdoti rebaptizanti: vt dictum est de Baptismo q. 66. art. 9. dub. 1. Vide Capit. 2. *De Apostatis.*

Bis confirmatus, ordinatus &c.

Dico Secundò: Bis Confirmatus, vel bis eundem Confirmans; bis Ordinatus eodem Ordine, vel Ordinans; & bis consecrans eandem hostiam, non sunt irregulares, quidquid dicat Nauarrus, & quidam alij. Ratio est, quia nõ est Iure expressum. Doctores autem non possunt inducere irregularitates, argumẽtando à simili, vel pari, vel à maiori.

DVBIVM II.

Quinam ex indebitâ receptione, vel vsu Ordinum fiant irregulares?

42 Si Clericus vtatur ordine, quem non habet.

DIco Primò: Clericus vtens Ordine, quem non habet, nõ fit irregularis, nisi vtatur Ordine sacro in Baptismo solenni, id est, adhibitis cæremonijs baptismi; vel in officio diuino, scil. celebrãdo Sacrum; cùm non sit Sacerdos canẽdo Epistolam tanquam Subdiaconus cum manipulo; Euangelium tanquã Diaconus cũ stolâ: itẽ benedicens aquam, templum, calicem &c. cum Ordine illo careat. Patet ex Cap. 1. *de Clerico non ordinato ministrante.* Non tamen fit irregularis, si absoluat à peccatis, tametsi Sacerdos non sit. Ratio est, quia absoluere à peccatis, non est exercere officiũ Diuinum. Vide Siluestrum, Verbo *Confessor* 1. in principio, & Franciscum Victoria q. 143.

Si absoluat cùm non sit Sacerdos.

43 Si id faciat Laicus.

Dico Secundò: Laicus non fit irregularis, etiamsi baptizet solemniter, vel simulet se vti Ordine sacro in officio Diuino. Est cõtra Nauarrum & multos alios. Patet, quia Ius non loquitur, nisi de clerico, vt apparet ex titulo, qui sic habet: *de Clerico non ordinato ministrante.* Canones enim, qui titulo subijciuntur, intelligendi sunt prout postulat titulus.

44 Si ligatus censurâ, exerceat actum Ordinis sacri.

Dico Tertiè: Exercens actum Ordinis sacri quem habet, si ligatus sit censurâ excommunicationis, suspensionis ab Ordine sacro, vel interdicti, efficitur irregularis. Est communis sententia. Excusat tamen Primò, ignorantia sui vinculi, si non sit crassa. Secundò, excusat necessitas: vt si Parochus celebret ad vitandã infamiam vel scandalum, quamuis sit excommunicatus; vel si ministret subdito petenti Sacramenta, si alium non habeat, quem substituat. Ratio est, quia his modis nihil temerè præsumit, imò nec peccat. Pari modo non contrahit irregularitatem, si baptizet, Epistolam vel Euangelium canat sine solemnitate; id est, sine manipulo & stola; quia non censetur exercere actum Ordinis sacri.

45 Si in excõmunicatione recipiat Ordines.

Dico Quartò: Qui ligatus censurâ excommunicationis recipit Ordinem, præsertim sacrum, fit irregularis. Est communis, ex Capitulo *Cùm illorum*, de Sententia excommunicationis. Vtrùm verò, si Minores recipiat, fiat irregularis, est dubium. Plerique putant esse irregularem; quia Canon generaliter loquitur de Ordine ecclesiastico. Sed contrarium non est improbabile: quia cùm Canones de Ordinibus ecclesiasticis loquuntur, sæpè tantummodò sacros intelligunt; vt videre est in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 7. *De reformatione.*

46 Si in suspensione recipiat eos recipiat

Dico Quintò: Qui in suspensione recipit Ordinem sacrum, non videtur fieri irregularis: quia Iure non est expressum. Est contra Nauarrum. Ratio esse potest, quia suspensio est directè ab exercitio Ordinis suscepti, & solùm ex decentiâ impedit susceptionem noui. Idem probabile est, si quis in interdicto constitutus ordinetur: quia Iure non inuenitur expressum.

DVBIVM III.

Vtrùm ex indebitâ Ordinatione fiat quis irregularis?

47 Si ordinatus ab episcopo ligato censurâ.

DIco Primò: Ordinatus ab Episcopo excommunicato, suspenso, vel interdicto denuntiato, vel ab eo qui est notorius Clerici percussor, vel ab eo qui absolutè renuntiauit dignitati Episcopali, est irregularis. Ita Nauarrus num. 241. & alij. Excusatur tamen, qui vi vel metu graui sic ordinatur; quia tunc cessant leges Ecclesiæ pœnales. Item, excusatur, qui ignorat Episcopi impedimentum; modò ea ignorantia non sit crassa. Nam irregularitas posita in pœnam, nõ incurritur, nisi ob culpam mortiferam.

48 Si ordinatus ab alieno.

Dico Secundò: Ordinatus ab alieno Episcopo sine licentiâ proprij, non est irregularis; sed ipso facto suspensus, quamdiu proprio Episcopo videbitur. Ita Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 8. Ante Cõcilium solùm erat suspendendus. Nam Bulla Pij II. per quam ipso facto suspendebatur, passim omnibus erat ignota. Vide Nauarrum cap. 25. num. 70. & Couarr. 2. parte §. 1. num. 4.

Dico Tertiò: Ordinatus ante legitimam ætatem, aut extra tempora à Iure statuta, non est ir- 49

Si ordinatus ante legitimam ætatem, & extra statuta tempora,

regularis, sed suspensus ab executione Ordinum. Quòd si fungatur Ordine sic suscepto, fiet irregularis per Bullam Pij II. Vide Nauarr. num. 242. Hæc tamen Bulla non videtur adhuc vbique recepta, vt notat Fumus. Saltem si quis bonâ fide Ordine sic suscepto fungatur, non fiet irregularis, vt notat Couar. suprà; & Nauar. in Capit. *Accepta*, in solutione oppositionis octauæ, nu. 34. Ratio est, quia illa Extrauagans requirit, vt quis cum præsumptione ministret. Nec obstat Bulla Sixti V. quia reuocata est ad limites iuris cõmunis à Gregorio XIV. præterquam vbi tangit simoniacos; ibi enim in suo vigore relicta est.

50 Si duos ordines simul susceperit.

Dico Quartò: Qui duos Ordines sacros simul suscepit, suspẽsus est à posterioribus. Vide Nauar. cap. 25. n. 71. Idem dicendum de eo, qui quatuor Minores, & Subdiaconatum eodem die temerario ausu recipit, vt habetur Capitulo 2. *De eo qui furtiuè Ordines suscipit.* Secùs est, Si Episcopus illum ad hoc inuitet, & ipse bona fide recipiat; quia Canon requirit ausum temerarium.

51 Si per saltum ordinetur,

Dico Quintò: Qui per saltum ordinatur, est suspensus ab Ordine sic suscepto. Quòd si nõ ministrauerit in illo, Episcopus potest dispensare, vt, postquam Ordinem relictum susceperit, ministret. Ita Concilium Trident. sess. 23. cap. 14. Quòd si ministrauerit ante dispensationẽ, fit irregularis, in qua irregularitate solus Papa dispensat; vt colligitur eodem loco: quod intellige, si delictum est notorium; si enim est occultum, potest etiam dispensare Episcopus per facultatem ei concessam sess. 24. cap. 6.

DVBIVM IV.

Vtrùm, quando quis suscipiendo Ordinem Presbyteratus ante legitimam ætatem, vel extra statuta tempora, incurrit suspensionem, fiat irregularis, si celebret cum Episcopo?

52 Non fit irregularis.

VIdetur enim fieri irregularis, quia vtitur Ordine sacro, à quo est suspensus.

Respondeo: Non fieri irregularem. Ratio est: Nam susceptio Ordinis, & illa celebratio cum Episcopo censentur vnus actus: celebratio enim est necessariò annexa; vnde solùm incurrit suspensionem.

Etsi Episcopus addat excommunicationẽ,

Idem dicendum, Si Episcopus sub pœna excõmunicationis prohibeat, ne quis cum aliquo Canonico impedimento ordinetur. Si enim contra huiusmodi præceptum cum impedimento ordineris, incurres quidem excommunicationem, non tamen irregularitatem celebrando in illa excommunicatione cum Episcopo. Secùs verò, si posteà celebres; tunc enim fies irregularis. Ita communiter recentiores.

CAPVT VII.

De Irregularitate ex defectu corporis?

DVBIVM I.

Quit defectus corporis faciat Irregularem?

53 REspondeo & Dico Primò, Omnis defectus corporis, & omnis deformitas reddit hominem irregularem, quæ facit, vt nequeat decorè sacrum ministerium obire. Quis autem talis defectus sit, Episcopi est in dubio arbitrari. Sic carens altero oculo est irregularis, quia est notabilis deformitas; secùs verò si solùm careat aspectu alterius oculi siue dextri siue sinistri, quia id exterius non est notabile, & facilè in celebrando potest ita se aptare, vt nulla sit indecentia. Ita Nauarr. num. 199.

Si nequeat decore obire sacrum ministerium.

Huc referendi sunt Epileptici, id est, qui morbum caducum patiuntur, qui nunquam possunt ordinari: si autem post ordinationem incidant, non possunt offerre, quamdiu est periculum relabendi. Vide Nauarr. nu. 203.

Si Epilepticus.

Dico Secundò: Si quis sibi membrum per culpam abscidit, est irregularis, etiamsi talis defectus non impediret vsum Ordinis, nec adferret notabilem deformitatem. Ratio est, Quia est mutilator.

54 Si culpabiliter tibi ipsi membrum abscideris.

Dico Tertiò: Cui inuito ab alio membrum abscissum est, non est irregularis, etiamsi id ob culpam passus sit, nisi inde sit notabilis deformitas & ineptitudo. Est contra Nauar. n. 198. & quosdam alios; sed tenent multi recentiores: nusquã enim in Iure, id est expressum: vt si ab hoste vel inimico sis mutilatus ob factam illi iniuriã; si in duello sis mutilatus; si à marito adulteræ inuentus in adulterio sis mutilatus. Quòd si à iudice sis mutilatus per sententiam; non tam es irregularis ob mutilationem, quàm ob infamiam Iuris, quam per sententiam incurristi.

Si inuito membrum abscissum.

Dico Quartò: Qui sibi partem digiti abscidit ex indignatione per culpam, quamuis per hoc non sit factus inhabilis ad celebrandum, est tamen irregularis. Patet ex Capitulo *Qui partem*, dist. 55. Idem dicendum de eo, qui sibi ex culpâ alterius membri partem abscidit. Hoc tamen est limitandum, quando notorium est, eum hoc culpabiliter fecisse. Vide Couarr. p. 1. num. 6. & Nauarr. num. 198.

55 Si partem digiti tibi abscideris.

Dico Quintò: Qui alteri digitum abscidit vel pollicem, vel auriculas, non est irregularis, etiamsi alter ob inhabilitatem ad Eucharistiam tractandam factus sit irregularis. Est communis Canonistarum. Ratio est, quia non abscidit membrum: digitus enim non est membrum, sed pars membri; auris etiam membrum non est, sed ornamentum. Membrum enim dicitur, quod per se integrã aliquam functionem habet.

Si abscideris alteri digitum vel aurem.

Quid membrum.

DVBIVM II.

Quis dispensat in hac Irregularitate?

DIco Primò: Solus Papa dispensat super irregularitate, quæ prouenit ex notabili corporis deformitate, vel epilepsiâ, & similibus. Nauarrus num. 200.

56 Si totum membrum.

Dico Secundò: Solus etiã Papa dispensat in irregularitate, quæ ex abscissione partis membri orta est. Ratio est, quia hæc nascitur ex delicto notorio: si enim ea mutilatio fieret ex delicto occulto, cùm non sit mutilatio membri, sed partis membri, non induceret irregularitatem.

Si pars membri.

Dico Tertiò: Episcopus potest dispensare cum eo, qui sibi fecit abscindi membrum, putans obsequiũ se præstare Deo, modo defectus sit occultus. Patet Capitulo *Significauit*, De corpore vitiatis. Vide Couar. 1. p. in principio nu. 6.

Si membrũ secretum tibi abscideris.

CAPVT

CAPVT VIII.

De Irregularitate ex bigamiâ?

DVBIVM I.

Quis dicatur Bigamus, seu Digamus?

57 *Bigamus quis.*

REspondeo: Bigamus propriè dicitur, qui binas nuptias init: γάμος enim nuptias significat.

Explicatur Apostolus, de vnius vxoris viro

Quòd autem hoc sit impedimentum Ordinum, patet ex Apostolo, qui in Episcopo, Presbytero, & Diacono requirit, vt non sint bigami, 1. ad Timoth. 3. & ad Tit. 1. vers. 6. cùm ait, *Oportere esse vnius vxoris virum*, id est, *non bigamum*, vt Patres interpretantur, excepto Theodoreto. Quod confirmatur, quia eâdem epistolâ Apostolus iubet, vt eligatur vidua, *quæ fuerit vnius viri vxor*: quod non potest intelligi, quòd excludatur solùm illa, quę simul habuit duos viros, hoc enim nunquam fuit licitum aut vsitatum; sed solùm excluditur, quæ habuit duos viros successiuè: ergo similiter cùm ait, *Episcopum debere esse vnius vxoris virum*, hoc dicit vt excludatur is, qui successiuè habuit duas vxores.

Ratio verò, cur bigami censeantur irregulares, est, non quòd secundæ nuptiæ Sacramento careant, vt hæretici calumniantur, sed quia carent quadam Sacramenti significatione. Nam per secundas nuptias non benè significatur vnio Christi cum Ecclesiâ vnicâ suâ sponsâ; cuius tamen personam Clerici gerere debent.

DVBIVM II.

Quotuplex sit Bigamiâ?

58 *Bigamia triplex. Vera.*

REspondeo, Est triplex, iuxta communem Doctorum sententiam, *Vera*, *Interpretatiua*, & *Similitudinaria*. *Vera* est, cùm quis duas vxores legitimas habet, vel habuit, siue ante, siue post baptismum; siue alteram ante, alteram post; & cum vtrâque consummauit. Postremum hoc addo, quia ad omnẽ bigamiam requiritur consummatio per coniunctionem affectu maritali factam. Ratio est: Quia sine consummatione non est facta diuisio carnis.

Interpretatiua, eaque duplex,

Interpretatiua est varia: Primò, cùm quis duxit viduam, vel ab alio corruptam, & consummauit. Quod de corrupta dicitur, non rectè probatur ex Cap. *Si quis viduam*, dist. 50. quia ibi tantùm dicitur, *Si quis viduam vel ab eo relictam duxerit*. Itaq; debet alteri fuisse coniuncta. Probatur tamen ex Cap. *Qui in aliquo*, dist. 51. vbi dicitur, *Qui corruptarum mariti fuerint*: & Cap. *Maritum*, dist. 33. Secundò, cùm quis cognouit vxorem suam, postquã illa adulterium perpetrauit; siue ipse id sciat, siue ignoret.

Hi duo modi admittuntur ab omnibus, suntq; fundati in Iure. Quamuis, si quis benè aduertat, Canon in secundo requirat vt constet vxorem adulterium perpetrasse. Vide Cap. *Si cuius*, & seq. 34. dist. Imò videtur adulterium debere esse euidenter probatũ, vel certè notorium. Sed addunt plerique duos alios. Prior est, cùm quis contraxit cum duabus simul viuẽtibus, etsi cũ vtraque, vel cum alterâ tantum inualidè, & consummauit. Alter modus est, quando contraxit cum duabus successiuè, id est, mortuâ priore cum secundâ, quamuis inualidè cum alterâ, vel cum vtrâque. Ita Nauar. n. 195. & Couar. 1. p. §. 2. in Clemet. *Si furiosus*. Verùm hi duo vltimi modi nõ possunt probari ex Iure. Nam Cap. *Nuper*, de Bigamis, quod adferunt, loquitur de clerico, qui mortua vxore in sacris ordinatus, secundam duxit, etsi inualidè. Capitulum *Presbyterum*, 28. dist. est obscurũ, & solùm loquitur de Presbytero qui nuptijs non legalibus iungitur. Vnde probabile est duos istos modos non inducere irregularitatem. Ita Henriches lib. 2. *de Matrimonio*, cap. 6.

59 *Similitudinaria, eaque duplex,*

Similitudinaria bigamia est varia. Primò, si Professus religionis approbatæ, vel insignitus Ordine sacro matrimonium contrahat cum aliqua, quãuis virgine, & consummet affectu maritali. Sed neutrum habetur in Iure expressum.

Secundus modus, si Clericus, vel etiam Laicus contrahat cũm Moniali professa. Verùm neq; hoc in Iure reperitur.

Tertius ergo modus sit, Si clericus Ordinis sacri contrahat cum aliqua vidua, & affectu maritali consummet: hic enim, etsi non fiat verè bigamus, cum matrimonium sit irritum, tamen incurrit pœnam bigamorũ, scilicet irregularitatem, vt habetur Capit. *vltimo*, de Bigamis: dicitúrque per similitudinem bigamus. Secùs verò, si Laicus vel Clericus Minorum ordinum contrahat cum vidua, propter aliquod impedimentum inualidè: hic enim nõ fiet irregularis, vt rectè notauit Nauarr. nu. 191. Quia hoc Iure non est expressum.

Quartus modus, Si mortuâ priore vxore initieris sacris, & postcà rursus contrahas, quamuis inualidè, incurris pœnam bigamiæ, id est, irregularitatem, quamuis verè bigamus non sis. Habetur expressè Capitulo *Nuper de Bigamis*. Alij modi nõ inueniuntur huius similitudinarię bigamiæ. Vnde patet eam tantummodò incurri à Clerico in sacris constituto, qui contrahit & consummat cum vidua; vel qui contrahit & consummat cum virgine, & ante Ordines sacros iunctus fuit matrimonio.

Ex dictis sequitur, non esse irregularem ex hoc capite, qui vnam duxit, & cum alijs adulteratur, quia non censentur duo matrimonia. Similiter nec qui ductam ab alio ducit, & cognoscit; quia hæc censetur virgo.

DVBIVM III.

Quomodo auferatur hæc Irregularitas?

60 *Augustinus censet non auferri per Baptismum.*

REspondeo & Dico Primò: Non aufertur per baptismum. Docet D. Augustinus lib. De bono coniugali cap. 18. & Innocentius I. epist. ad Decentium: habetur Capit. *Acutius*, 9. d. 26. Hos sequuntur ferè omnes Doctores Scholastici, d. 27. in. 4. exceptis paucis; scilicet Henrico, Maiore, & Almaino. Item Doctores Canonistæ in Capitulum *Gaudemus*, de Diuortijs. Contrarium tenuit Hieronymus epist. ad Oceanum, & in Commentarijs ad epistolam ad Titum 1. vbi docet, non efficiri irregularem eum, qui alteram ante baptismum habuit, alterã post. Hunc sequuntur tres illi Scholastici, & quidam alij.

Contrarium tenet D. Hieronymus.

Verùm sententia S. Augustini est melior & probabilior. Nam, prętерquam quòd sit lõgè plurium Auctorum, est etiam sententiâ Innocentij I.

comprobata. Et Cõfirmatur ex verbis Apostoli: Nam Apostolus absolutè requirit, vt is, qui assumendus est ad Episcopatum, non sit bigamus: sed qui alteram ante baptismum habuit, alterâ post, verè & propriè est bigamus: ergo excluditur per Apostolum.

Dices: Ecclesia non potest leges statuere infidelibus.

Respondeo: Etsi leges Ecclesiæ non afficiant infideles ante baptismum; potest tamen Ecclesia suis legibus statuere aliqua impedimenta Ordinum, quæ si reperiantur in ijs qui iam baptizati sunt, siue orta sint ante baptismum, siue post, poterit eos inhabiles censere ad Ordines; sicuti ad eosdem inhabiles censet corpore vitiatos. Neque per baptismum hæc bigamia tollitur, cùm neque peccatum sit, neque eius pœna. Vide Couar. §. 2. num. 5.

61 Quid in ea possit Papa. Dico Secundò: Papa absolutè in omni bigamiâ potest dispensare. Couarr. §. 2. num. 4. Ratio est, quia Iure humano inducta est. Nec refert, quòd sit constitutio Apostolica; quia etiam ieiunium Ecclesiæ, & trina mersio in baptismo, est institutum Apostolicum; in quibus tamen Ecclesia potest dispensare, quia Apostolicam habet auctoritatem.

Quid Episcopus, Dico Tertiò: Episcopus non potest in *Verâ & Interpretatiuâ bigamiâ* dispensare, nisi ad Ordines minores. De quo vide Nauarrum num. 197. & Couarr. suprà.

Dico Quartò: In *Similitudinariâ* dispensare potest Episcopus. Vide Couar. & Nauar. suprà.

CAPVT IX.

De Irregularitate Illegitimorum?

DVBIVM I.

Quis dicatur Illegitimus?

62 Definitio Illegitimi. REspondeo: Is dicitur Illegitimus, qui nõ est natus ex matrimonio verè, vel saltem opinione, legitimo. Dico, *vel opinione legitimo*: quia etiamsi matrimonium verè legitimum non fuerit ob aliquod occultum impedimentum, tamen si bonâ fide contrahentium, vel saltem bonâ fide alterius partis reputetur legitimum, proles nata erit legitima. Patet ex Capit. *Cùm inter*. Tit. Qui filij sint legitimi. Quod limita, si fuerit contractum in facie Ecclesiæ: nam si clandestinè, reputabuntur illegitimi; vt patet Cap. *Cùm inter*, de clandestinâ desponsatione, §. 2. Pari modo, si post Concil. Tridentinum omissæ sint denunciationes sine licentia Ordinarij, & subsit impedimentum dirimens, quamuis ignotum, reputabuntur illegitimi. Colligitur ex cap. 5. sess. 24.

Si matrimonium clãdestinũ, vel si omissæ proclamationes.

Aduerte tamen Primò: Si nondum erat matrimonium, parentes tamen dum prolem susciperent, vel saltem dum nasceretur, erant habiles ad contrahendum, & posteà contrahant, proles erit legitima. Capit. *Tanta*, Qui filij sint legitimi. Vide Couar. *De sponsalibus*. 2. p. cap. 8. §. 2. n. 2. qui extendit hoc etiam ad tempus natiuitatis, cùm Canon solùm habeat de tempore susceptionis. Idque verum est, etiamsi interceserit aliud matrimonium, & proles per viginti annos fuerit illegitima, vt notat Couar. num. 15. imò etiamsi proles ante obijsset, vt notat num. 19.

Si matrimonium subsequatur.

In dubio quisque censetur legitimus quoad Ecclesiastica, nõ ciuilia.

Aduerte Secundò: In dubijs quemque censeri legitimũ quoad Ecclesiastica. Vnde exposititij sunt censendi legitimi. Nam etiam coniuges pauperes aliquando prolem exponunt. Et hæc causa est fauorabilis: ac in dubio nemo debet spoliari suo iure quod habet. In ciuilibus tamen non præsumitur legitimus in dubio, nisi id probetur. Ad quod tamen probandum sufficit ostendere in facie Ecclesiæ parentes contraxisse, & tempore cõuenienti coniugaliter conuixisse. Et licet fuerit aliquod impedimentum dirimens, censentur tamẽ bonâ fide contraxisse, nisi probetur contrarium. Vide Couarr. cap. 8. §. 3. in 2. p. *De sponsalibus*.

DVBIVM II.

Vtrùm censeatur Illegitimus, cuius parentes ante conceptionem castitatem vouerant?

REspondeo: Non censeri, nisi per Ecclesiæ auctoritatem fuerint toro & habitatione separati. Tunc enim reputabuntur illegitimi, qui post talem separationem fuerint susceptì, ita, vt nec succedere possint, nec ordinari. Ita Siluester verbo *Illegitimus* q. 4. ex Hostiensi. 63

DVBIVM III.

Vtrùm Illegitimus teneatur credere matri asserenti ipsum esse Illegitimum?

REspondeo, Non teneri, nisi ex circumstantijs res ita fiat euidens, vt liqueat nullam esse rationem non credendi. Et quamdiu non credet, potest ordinari. Vide Nauar. nu. 201. Quòd si credat, non potest ordinari; alioquin peccat mortiferè, nec potest Ordine susceptò vti, quia ab executione est suspensus. Si tamen vsus fuerit Ordine sacro susceptò, non fiet idcircò irregularis nouâ irregularitate. Est contra Nauarrum. Ita Couar. in Clement. *Si furiosus*, de homicidio, §. 1. num. 3. Ratio est; Quia violatio suspensionis, quæ est ob defectum, non inducit nouam irregularitatem; sed solùm violatio eius suspensionis, quæ est ob culpam: atqui hæc suspensio est ob defectum, nempe tori legitimi; oritur enim præcisè ex irregularitate tori illegitimi. 64 Non tenetur credere. Si credat, non potest ordinari.

DVBIVM IV.

Quomodo tollatur hoc impedimentum?

DIco Primò; Tollitur per ingressum & professionem religionis approbatæ, sic, vt professus fiat habilis ad Ordines sacros, non tamen ad dignitates & Prælaturas: Vnde non potest esse Generalis, Prouincialis, Abbas, vel superior habens iurisdictionem fori externi in suos, sine priuilegio vel dispensatione Papę. Vide Nauar. num. 201, & Siluestrum, q. 6. Vbi 65 Tollitur per ingressum Religionis.

Aduerte: Esse probabile, per professionem religionis tolli omnẽ irregularitatem ad omnes Ordines sacros, excepto Episcopatu, præter eam quę ex homicidio, vel bigamia oritur. Ita Sotus dist. 25. q. 1. art. 3. & quidam recentiores.

Dico Secundò: Episcopus potest dispensare in hac irregularitate ad Ordines minores, & ad beneficium 66

neficium simplex; non autem ad Ordines sacros, aut beneficium curatum. Ita communiter Doctores. Vnde sequitur, Episcopum non videri posse dispensare cum illegitimo ad canonicatum Ecclesiæ cathedralis. Ratio est; quia Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 12. statuit, vt omnes canonicatus Ecclesiæ cathedralis habeant annexũ Ordinem sacrum, ad quem Episcopus non potest dispensare cum illegitimo.

An, & quousque tollatur per Episcopũ.

Aduerte tamen: Quando hoc impedimentum est occultum, probabile esse, Episcopum posse in eo absolutè dispensare ad omnia: nam tunc censetur esse ex delicto occulto, scilicet ipsorum parentum; ac proinde videtur concedi dispensatio per caput 6. sess. 24. Etsi enim omnis dispensatio strictè sit interpretanda, cùm sit odium Iuris; facultas tamen dispensandi est latè interpretanda, præsertim quæ concessa est Episcopis: tum quia ipsis, sepositâ reseruatione superioris, per se competit; tum quia beneficium Principis quod non est in præiudicium tertij, latè interpretandum est, vt docet Glossa in Clement. *Primam*, De officio Vicarij, quam sequuntur omnes.

DE INDVLGENTIIS,

Circa Quæstionem 25. 26. *&* 27.

1 Variæ acceptiones *Indulgẽtiæ*

NOta, nomine *Indulgentiæ* generatim significari quandam iuris relaxationem; nempe, quando cum aliquo minùs seuerè agimus, quàm pro nostro iure possemus. Apud Patres accipitur interdum pro remissione peccatorum; vt patet apud Cyprianum epistolâ ad Iubaianum; & apud Hieronymum in Comment. cap. 4. Danielis; idque meritò, quia in remittendis peccatis, quoad culpam & pœnam Deus maximè de suo iure remittit. Sed posteà accõmodatum est hoc nomẽ ad significandam propriè condonationem pœnæ temporalis. Nam vulgò etiam parentes dicuntur *Indulgentes*, quando filios non castigant: & castigationis condonatio vocatur *Indulgentia*. Ita accipitur in proposito, & potest sic describi: *Indulgentia est remissio pœnæ temporariæ, ob culpam actualem Deo debitæ, per auctoritatem Ecclesiasticam extra Sacramentum facta, per applicationem earum satisfactionum, quæ in communi thesauro Ecclesiæ sunt repositæ.*

CAPVT I.

De potestate conferendi Indulgentias.

DVBIVM I.

Vtrùm in Ecclesia sit potestas conferendi Indulgentias?

2 Hæretici negantes.

NOtandum est: Primos qui hanc potestatem negauêre, fuisse Waldenses, vt docet Alphonsus à Castro *De hæresibus*, Verbo *Indulgentia:* quos secutus est Ioannes Wicleff, vt patet ex Concilio Constantiensi sess. 8: hunc Lutherus, Lutherum Caluinus, & alij hæretici nostri æui. Vide Lutherum apud Roffensem in assertione articuli 18. & 19. vbi dicit, *Indulgentias non valere ad remissionem pœnæ*; & articulo 20. *Non esse salutares:* Caluinus lib. 3. Institut. cap. 5. docet *esse figmenta.*

Veritas Catholica affirmat.

Sed veritas Catholica est, *Esse in Ecclesia potestatem concedendi Indulgentias*, id est, condonandi pœnas peccatis debitas extra Sacramentum. Patet ex Cõcilio Tridentino sess. vltimâ, vbi damnat anathemate eos, qui dicunt *Indulgentias esse inutiles; vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.* Et ex Concilio Constantiensi sess. 8. vbi damnantur articuli Wicleffi, inter quos 42. est: *Fatuum est credere Indulgentijs Papæ & Episcoporum.* Et ex Bulla Leonis X. quæ habetur in tomo 4. Conciliorum, pag. 700. vbi damnantur sex articuli Lutheri de Indulgentijs.

3 1. Probatur ex Scripturis.

Probatur Primò ex varijs Scripturę locis. Primus locus est Ioannis 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Hîc Dominus dat Ecclesiæ Prelatis potestatem remittendi peccata. Atqui nomine *remissionis peccatorum*, in Scripturis nõ solũ significatur remissio culpæ, sed etiã pœnæ temporalis: Psalmo 50. v. 4. *Amplius laua me ab iniquitate mea.* quod multi intelligunt de remissione pœnæ temporalis: Numer. 14. v. 20. *Dimisi iuxta verbum tuum*, id est, dimisi peccatum quo ad vindictam temporariam: & alibi sæpè. Ergo dat hîc etiam potestatem remittendi pœnam temporalẽ. Ioannis 20.

Dices: Dominus hîc solùm dat potestatem remittendi peccata per Sacramentum Pœnitentiæ: ergo non rectè colligitur Sacerdotem ea posse remittere extra Sacramentum.

Respondeo: Principaliter quidem datur potestas remittendi peccata per Sacramentum; secundariò tamen etiam extra Sacramentum. Si enim dedit Ecclesiæ potestatem remittendi culpam & pœnam æternam per suam sententiam, quam voluit esse Sacramentum; multò magis ei dederit potestatem remittendi pœnam temporalem, si causa subsit. Confirmatur ex Cyrillo lib. 12. in Ioan. cap. 56. vbi dicit, Paulum huius potestatis auctoritate fornicarium illum Corinthium, quem priùs in perniciem carnis tradiderat, rursus recepisse; nempe condonatâ vindictâ, ne maiore tristitiâ absorberetur. Atqui Paulus hoc extra Sacramentum fecit; absens enim erat.

Alius locus est Matthæi 16. v. 19. *Tibi dabo claues regni cœlorum.* Ad claues regni cœlorum pertinet impedimenta cæli tollere: atqui non solùm culpa, sed etiam reatus pœnę impedit cœli ingressum: ergo data est Ecclesiæ potestas tollẽdi hunc reatum; alioquin claues essent imperfectæ, neque possent cœlum aperire. Vnde Theophilactus in hunc locum; *Claues*, inquit, *intelligas, quæ ligant & soluunt, hoc est, delictorum vel indulgentias, vel pœnas.* Matth. 16.

Tertius

Matth. 18. Tertius locus Matth. 18. v. 18. omnibus Apostolis, & in ipsis omnibus Ecclesiæ Prælatis, dicitur, *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis.* Hîc amplissimâ potestatẽ ligandi & soluendi promittit; atqui proprijssime dicitur quis *Solui*, quãdo à debito pœnæ absoluitur: ergo hîc istud continetur.

Quid proprijssimè aliquem solui.

Dices, Hæc potestas intelligenda est exerceri mediante Sacramento.

Contrà: Quia *Potestas ligandi* non astringitur Sacramento, ergo neque *Soluendi*. Confirmatur, quia sub potestate soluendi continetur etiam potestas dispensandi in votis, iuramentis, & legibus Ecclesiasticis, & absoluendi ab excommunicatione, alijsque censuris: ergo non solùm exercetur per Sacramentum, sed etiam sine Sacramento.

Dices, Si potestas soluendi à peccatis nõ astringitur Sacramento, ergo etiam Ecclesia poterit remittere culpam mortiferam & pœnam æternam sine Sacramento.

Respondeo, Negando Consequentiam: Quia datur potestas remittendi culpam iuxta naturam & conditionem culpæ, & pœnam iuxta conditionem pœnæ. Conditio autem culpæ est, vt nequeat remitti sine internâ aliquâ renouatione, quam ministri Ecclesiæ non possunt in alijs facere, nisi mediante Sacramento. Reatus autem pœnæ temporalis, vt tollatur, non postulat vllam internam mutationem, sed fit per condonationem extrinsecam; vnde extra Sacramentum fieri potest.

2. Cor. 2. Quartus locus, 2. ad Corinth. 2. v. 10. *Cui aliquid donastis, & ego; nam & ego quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi.* Hîc Apostolus dicit se condonare pœnitentiam iniunctam incestuoso, ne maiore tristitia absorbeatur; nam per donationem intelligit remissionem pœnæ impositæ, vt notauit hîc Ambrosius, Theodoretus, Theophilactus, Anselmus, Oecumenius. Quòd autem hæc donatio rata fuerit apud Deum, ex eo patet, quod Apostolus dicat *se donare in persona Christi*, id est, Christi auctoritate, tanquam Christi vicarius, qui dixit; *Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in Cœlis.* Ita Ambrosius & Anselmus in hunc locum, & Cyrillus suprà lib. 12. cap. 56. in Ioannem. Vnde hæc condonatio non minùs erat efficax, quàm si à Christo facta fuisset, vt notant Glossa & Anselmus.

4 2. Probatur ex Concilijs & Patribus. Probatur Secundò, Ex Concilijs & Patribus. Ex quibus constat in Ecclesia semper fuisse vsum remittendi pœnas peccatis debitas iustis de causis. Nam penes Episcopum erat, habita ratione personarum, peccatorum, & promptitudinis agendæ pœnitentiæ, *remittere de pœnitentia iniunctâ*; quod nihil est aliud, quàm *Indulgentias concedere.* Patet hoc ex Concilio Ancyrano cap. 2. circa annum Domini 308. sub Siluestro 1. vbi in arbitrio & potestate Episcoporum dicitur esse, vt Diaconis lapsis in persecutione, *aliquid pœnitentiæ imminuant.* Et cap. 5. *Episcopum hanc habere licentiam oportet, vt perspectâ singulorum* [pœnitentium] *conuersatione, normam regulamque conuersationis attribuat*; id est, vt humaniùs agens, secundùm vitæ modum, tempus alicui pœnitentiæ breuiare possit. Et ex Concilio Nicæno cap. XI. vbi dicitur, *Episcopo licere humanius aliquid cogitare circa eos, qui aliquod tempus feruenter pœnitendo expleuerint.* Vide etiam Concilium Laodicenum can. 2. sub Siluestro I. & Carthaginense IV. can. 76. sub Anastasio I. An. Domini 436.

Cõcil. Ancyranum. Nicænum. Laodicenum. Carthag.

Idem Confirmatur ex Tertuliano *lib. ad Martyres* circa principium: *Quam pacem*, inquit, *quidam in Ecclesia non habentes, à Martyribus in carcere exorare consueuerunt, eam in vobis custodire debetis, vt si fortè alijs eam dare posßitis.* In quem locum vide Pamelium. Et ex Cypriano varijs epistolis: vt epistolâ, 11. 12. 13. 14. & 52. Erat enim consuetudo, vt lapsi in persecutione, quibus grauis & longa pœnitentia erat agenda, adirent Martyres & Confessores, qui pro fide Christi multa erant perpessi, vel adhuc in vinculis detinebantur, & ab illis impetrarent libellos, vel litteras ad Episcopos, vt eis propter Martyrum merita pœnas iniunctas condonarent. Eiusdem relaxationis meminerunt Basilius can. 54. & 74. ad Amphilochiũ, vt habet Balsamon: & Gregorius Nyss. epist. ad Latoium apud Balsamonem, & Methodius Episcopus Constantinopolitanus, apud eundem in fine, & Innocentius I. epist. 1. ad Decentium c. 7. & Chrysostomus lib. 2. de Sacerdotio. Atqui relaxatio pœnitentiæ constitutæ est Indulgentia quædam. Neque dici potest hanc condonationem non fuisse ratam apud tribunal Dei: tum quia fiebat in personâ Christi ab Episcopis, licet propter Martyrum merita; tum quia alioquin Martyres illi & Episcopi pessimè pœnitentibus consuluissent, & potiùs maleficium, quàm beneficium contulissent.

Tertul. Cyprianus. Mos veterum impetrandi à Martyribus litteras condonatorias.

Expressiùs autem de Indulgentijs habemus circa annum Domini 1088. quando propter necessitatem Ecclesiæ, ad excitandos animos fidelium concessæ sunt Indulgentiæ ab Vrbano II. in Synodo Claromontanâ, proficiscentibus contra infideles, vt scribit Nauclerus, Abbas Vspergensis in Chronico, & alij. Idem fecit Alexander III. circa annum Domini, 1160. & Innocentius III. in magno Concilio Lateranensi circa annum Domini 1220. Vide Capit. *Excommunicamus*, De hæreticis, §. *Catholici:* Et Capit. *Cùm ex eo*, de Pœnitentijs & remissionibus.

Indulgẽtiæ datæ proficiscentibus contra infideles.

Deinde circa annum 1300. Bonifacius VIII. sanciens Iubilæum centesimo quoque anno habendum, insinuat esse rem antiquam: quod Iubilæũ paulò pòst Clemens VI. reuocauit ad annum 50. & posteà Sixtus IV. ad annum 25. vt habetur in Extrauagante de Pœnitentijs & remissionibus. Idẽ patet ex Concilio Constantiensi, & Tridentino citatis.

Concessio Iubilæi.

5 3. Probatur Ratione. Probatur Tertiò: Ratione. Primò, Ecclesiæ data est potestas obligandi ad pœnas pro peccatis subeundas, vt suprà dictum est. Cur non etiam sit data potestas ex causa eas dissoluendi? præsertim cùm Deus pronior sit ad misericordiam, quã ad vindictam.

Secundò: In omni Republica perfecta non solum Princeps & Magistratus habent potestatem delicta puniendi, sed etiam punitionem ex causa condonandi: ergo Ecclesia, quæ diuina quædam & perfectissima Respub. est, similem potestatem habebit, sublimioreẽ tamen, suoque fini cõgruentem: Nempe, quæ etiam apud Deum effectum habeat, à quo ipsa omnem potestatem immediatè accepit.

Tertiò: Adde hanc potestatẽ esse Ecclesiæ valdè vtilem ad eius bonam administrationem, ad populi pietatem excitandam, ad religionis Christianæ

stianæ studium & amorem; præsertim cùm ea sit hominũ conditio, vt sensim rigor disciplinæ langueſcat, & à pœnitentijs subeundis magis magisque abhorreat, vt meritò oportuerit mitiori modo illorum saluti tandem consulere.

6 Vsus Indulgentiarum est vetustissimus.

Ex dictis patet, vsum Indulgentiarum non esse recentem, neque à quadringentis annis primùm exortum, sed iam inde à temporibus Apostolorũ extitisse, etsi parciorem, quàm ab annis 500. in quo decepti sunt quidam Catholici, qui putárunt à 400. vel 500. annis earum vsum cæpisse; hoc enim verum non esse patet ex suprà dictis. Nam Alexander III. in illo Capitulo *Quòd autem*, De pœnitentijs & remissionibus, loquitur de Indulgentijs tanquam de re iam pridem vsitatâ. Similiter Innocentius III. in Concilio magno Lateranensi. Ante tamen illud tempus parcior fuit earũ vsus, eò quòd primis temporibus fideles essent feruentiores, & promptiores ad sua peccata vindicanda. Vnde Patres illam seueritatem pœnitentiarum retinuerunt quamdiu licuit: Verùm vbi cæperunt abhorrere omnino ab illa asperitate, & langueſcere ad bona opera, necessarium fuit aperire thesaurum Indulgentiarum, vt saltem hac benignitate allecti, studium religionis Christianæ, & suam salutem non negligerent: Quò fit, vt, si moderatè fuerint, non eneruent disciplinam Ecclesiasticam, sed potiùs corroborent, dum cultum pietatis in fidelibus excitant.

DVBIVM II.

Vtrùm in Ecclesia sit aliquis thesaurus satisfactionum, ex meritis & satisfactionibus Christi & Sanctorum, cuius dispensatio in concedendis Indulgentijs interueniat?

7 Negat Maronius & Angelus.

FRanciscus Maronius inter Catholicos negat extare huiusmodi thesaurum, quem sequitur Angelus Verbo *Indulgentia*, num. 9. Fundamentum eorum est, quia merita Christi plenè illi sunt remunerata: propter enim illa exaltatus est, & accepit *nomen, quod est super omne nomen*, ad Philip. 2. Sanctorum quoque merita fuerunt ipsis remunerata, etiam supra condignum: quare ex his nihil superest, quod alijs applicetur.

Assertio est Catholica.

Respondeo & Dico Primò: Certum est in Ecclesia esse quendam thesaurum, qui constet primariò meritis & satisfactionibus Christi: secundariò meritis & satisfactionibus Sanctorum. Est definita à Clemente VI. Extrauag. *Vnigenitus*, vbi dicitur, *Christum per copiosissimam sui Sanguinis effusionem, infinitum thesaurum Ecclesiæ militanti reliquisse; ad cuius thesauri cumulum B. Dei Genitricis, omniumque electorum à primo iusto vsque ad vltimum merita, administrum præstare noscuntur.* Et à Leone X. in Bulla damnationis articulorum Lutheri; vbi inter cæteros damnatur iste articulus 17. *Thesaurus Ecclesiæ, vnde Papa dat Indulgentias, non est Christi & Sanctorum.*

Clemens VI.

Leo X.

Prob. de satisfactionibus Christi.

Probatur de meritis & satisfactionibus Christi: Quia hæc sufficiunt pro exhauriendis totius mundi peccatis, tam secundùm pœnam, quàm secundùm culpam, modò applicentur: si enim omnes crederent & baptizarentur, Christi satisfactio per baptismum applicata omne debitum pœnarum tolleret.

8 De Satisfactionibus Sanctorum, Probatur Primò: Quia in operibus bonis est vis merendi, & vis satisfaciendi, quæ duo sunt distincta, vt suprà dictum est. Sanctis autem, etsi plenè & supra condignum opera bona sint remunerata quoad vim meritoriam, non tamen remunerata sunt quoad vim satisfactoriam; non enim tantum pœnarum debebant, quantum persoluerunt; vt patet ex illo Iob. 6. v. 1. *Vtinam appenderentur peccata mea quibus iram merui; & calamitas quam patior, in statera. Quasi arena maris hæc grauior appareret.* Patet etiam ex afflictionibus B. Virginis, quæ nunquam peccauit. Nullo etiam modo credibile est, S. Ioannem Baptistam, Apostolos, Martyres, & alios sanctissimos viros, qui plurima perpessi sunt, omnem illam afflictionem ex debito subijsse. Manent ergo hæ afflictiones Christi & Sanctorum in acceptatione diuina ad aliorum vtilitatem. Et hac ratione vocantur thesaurus.

Prob. de satisfactionibus Sanctorũ.

Probatur Secundò: Bona opera & afflictiones Sanctorum non solùm merentur, vt ipsis detur præmium, quod ex iustitia debetur; sed etiam, vt illorum causâ Deus etiã alijs benefaciat: id enim obsequijs amicorum iure amicitiæ debetur. Ergo etiãsi poneremus illa esse plenè remunerata quoad debitum iustitiæ, tamen non sunt plenè remunerata quoad debitum amicitiæ. Ergo sic semper manent in acceptatione diuina, vt vlteriùs remunerationem accipiant.

Ex dictis patet solutio rationis Francisci Maronij de meritis Sanctorum. Quòd autem ait de meritis Christi, omnino falsum est. Non enim hæc plenè remunerata sunt ipsi Christo quoad debitũ iustitiæ, vt alibi dictum est: præsertim cùm ipsius meritum non fuerit destinatum ad ipsi gloriam promerendam, sed ad generis humani salutem.

9 Thesaurus hic nunquã potest deficere.

Dico Secundò: Hunc thesaurum nunquam posse deficere. Est communis Doctorum. Probatur: Quia merita & satisfactiones Christi non possunt exinaniri, cùm superent omnem omnium hominum malitiam: sunt enim per se infinitæ virtutis, tum in ratione meriti, tum in ratione satisfactionis. Merita verò & satisfactiones Sanctorum, etsi exhauriri possint, quatenus illis ex iustitia aliquid debitum esse potest; non tamen exhauriri possunt quatenus iure amicitiæ, & ex congruo illis aliquid debetur. Nam illis amicitia æterna est cum Deo, semperque decet Dei charitatem & liberalitatem, vt propter amicorum suorum merita & patientiam semper benefaciat ijs, qui ad ipsorum opem confugiunt. Itaque non possunt exhauriri quoad vim impetrandi, quam habent ex congruo.

10 Ecclesia habet potestatem ex hoc thesauro dispensandi.

Dico Tertiò: In Ecclesia esse potestatem ex hoc thesauro fidelibus dispensandi. Definitur à Clemente VI. suprà, vbi dicitur: *Quem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per B. Petrum cœli Clauigerum, eiusque successores, suos in terris vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum.*

Ratio est, Primò: Quia in omni Republica perfecta debet esse potestas dispensandi bona cõmunia. Atqui hic thesaurus, sicut & Sacramenta, pertinet ad bona communia Ecclesiæ. Secundò: Dominus Ecclesiæ reliquit potestatem dispensandi Sacramenta, & per Sacramenta ipsius merita ad remissionem culpæ & pœnæ æternæ, idque etiam in suos inimicos: ergo multò magis reliquit illi potestatem dispensandi ex causa ipsius satisfactio-

satisfactionis in suos filios & viua membra, ad remissionem pœnæ temporalis. Si enim iudicauit Ecclesiam suam dignam tam magnâ potestate dispensandi, cur negauerit illi minorem? Neque necesse erat vt hæc dispensatio fieret per Sacramenta, cùm remissio pœnę temporalis non requiraz gratiæ infusionem. Tertiò: Quia dubitandum non est, quin Sanctorum, dum in hac vita erant, voluntas fuerit, saltem implicita, vt labores & passiones illorum, quantum fieri posset, prodessent omnibus Ecclesiæ membris; vt colligi potest ex locis Cypriani suprà nu. 4. citatis.

11 Per satisfactiones Sanctorum verè redimuntur nostræ pœnæ.

Aduertendum tamen est: Etsi satisfactiones Christi & Sanctorũ diuerso modo nobis valeant; tamen Sanctorum satisfactiones non solùm nobis applicantur, vt efficiamur digni, qui à pœnis peccatum nostrorum pretio sanguinis Christi liberemur, vt quidam docuerunt: sed etiam per illas redimuntur ipsę pœnę, quamuis ex congruo, dum nobis applicantur. Nam si ipsum debitum pœnæ præcisè consideretur, id est, non vt est in alio subiecto, offertur Deo per satisfactiones Sanctorum æquiualens: nam ipsi Sancti in seipsis tantundem pœnarum per huiusmodi afflictiones ex condigno redimere potuissent. Neque ideò ipsi dicentur sui ipsorum, vel aliorum *Redemptores*, nisi secundùm quid; id est, secundùm quoddam debitum pœnæ temporalis, idque sub Christo; quomodo *Eleemosynis*, & alijs bonis operibus dicuntur *redimi peccata:* Daniel. 4. Prouer. 16. Nam hanc virtutem acceperunt ex gratia Christi, quæ merito passionis illius collata est: vnde ipse vbiq; censetur principalis causa.

Ideò tamen non sunt propriè nostri redemptores.

DVBIVM III.

Quinam in Ecclesia habeant potestatem conferendi Indulgentias?

12 Papa & Concilium Generale dant Indulgentiam Plenariam.

REspondeo & Dico Primò: Summus Pontifex, hoc ipso quo legitimè est electus, iure diuino habet plenitudinem potestatis in Indulgentijs conferendis, siue tunc habeat ordinem Episcopatus, siue non. Est certa & communis. Patet: quia hoc ipso, quo legitimè eligitur, accipit immediatè à Christo omnem potestatem iurisdictionis, quam Christus Ecclesiæ concessit. Potestas autem Indulgentiarum est potestas iurisdictionis, non Ordinis, cùm extra Sacramentum dentur Indulgentiæ: ergo

Dico Secundò: Etiam Concilium Generale habet potestatem concedendi plenariam Indulgentiam. Ita Nauar. Tractatu *De Iubilæo*, notabili 31. num. 2. & Sotus d. 21. q. 1. art. 2. Ratio est: Nam huius Concilij est summa in vniuersam Ecclesiam, quamuis sub Pontifice, auctoritas, idque ex coitione & consensu conuenientium.

13 Episcopi quantam dare possint.

Dico Tertiò: Episcopi etiam habent potestatem Indulgentiarum, sed restrictam. Nam Innocentius III. in Cõcilio magno Lateranensi statuit, vt Episcopi in Basilicarum dedicatione non vltra annum, in anniuersario verò dedicationis non nisi 40. dies de iniunctis pœnitentijs Indulgentias concedere possint; iubetque hanc mensuram etiam in cæteris non excedi. Vbi illud, *De iniunctis*, etiam ad annum referri debet, iuxta Doctorum explicationem. Vide Capit. *Cùm ex eo*, de Pœnitentijs & remissionibus.

Quod si ipsi prædictum modum excesserint, Indulgentiæ vires non habebunt; vt patet ex declaratione Bonifacij VIII. Cap. *Indulgentiæ*, de Pœnitentijs & remissionibus, in 6. Notandum tamen: Quod talis concessio valebit quoad eam partem, quam iure poterant dare. Nam *Vtile ab inutili separari potest*; vt ibidem probat efficaciter Glossa citans Panormitanum, & Ioan. Andream. Idem sentit Nauarrus notab. 31. num. 16. Siluester verbo *Indulgentiæ*, num. 15. Sotus dist. 21. q. 2. art. 2. & plerique alij. Nulla enim est ratio, cur Pontifex velit talem concessionem esse irritam, etiam ex ea parte, quæ iuri non repugnat. Si modum excedant.

Aduerte: Episcopum non posse dare Indulgentias, nisi suis subditis; vt expressè habetur in Capit. *Quòd autem*, de Pœnit. & remission. in 6. Ex eodem tamen Capitulo rectè colligitur, Indulgentias Episcopi posse prodesse non subditis, de licentia proprij Iudicis, id est, proprij Episcopi. Si dent alieno subdito.

An autem Parochus possit suo subdito facere hanc potestatem accipiendi Indulgentias ab alieno Episcopo, est dubium. Quidam existimant nõ posse. Ita Corduba q. 11. *de Indulgent.* & Speculator in Cap. *Nostrũ*, De pœnitent & remissionibus. Probabile tamen est, posse dare. Ita tenet Nauar. notab. 31. num. 13. & Paludanus dist. 20. q. 4. ar. 3. Ratio est: quia Parochus potest alteri suum subditum in fauorabilibus subijcere, cùm id non cedat in vllum præiudicium proprij Episcopi. Cum venia Parochi.

Dices, Si Episcopus solùm potest dare Indulgentias suis subditis, ergo Religiosi exempti non possunt obtinere Indulgentias Episcoporum. Religiosi exempti eas lucrantur.

Respondeo, Negando Consequentiam; quia exemptio concessa est in fauorem exemptorum; nempe in onerosis, non autem in fauorabilibus, si ipsi in illis se velint subijcere. Docet hoc Corduba q. 11.

14 Quid possit Primas, Cardinalis, &c.

Dico Quartò: Archiepiscopi possunt concedere Indulgentias non solùm in sua Diœcesi, sed etiam per totam Prouinciam, id est, in Diœcesibus Suffraganeorum. Patet ex Capit. *Nostro*, de Pœnitent. & remissionibus. Pari modo Primas intra limites sui Primatûs, vt Archiepiscopus Toletanus per totam Hispaniam; Legatus intra limites suæ legationis. Ita Nauar. notab. 31. num. 3. Vide eundem nu. 17. de summo Pœnitentiario & Cardinalibus, qui possunt concedere centum dies, nõ Iure scripto, sed Pontificis concessu.

Quid possint inferiores Episcopis.

Dico Quintò; Inferiores Episcopis, vt sunt Archidiaconi, Decani, Abbates, Parochi, nullam habent ordinariam potestatem Indulgentias concedendi. Vide Capitul. *Accedentibus*, De excessibus Prælatorum. Imò nec Episcopi Vicarius generalis, vt docet Nauar. notab. 31. num. 6. & sequentibus.

Quid Capitulum Sede vacante.

Vtrùm verò Capitulum Sede vacante hanc potestatem habeat, dubium est. Multi negant; sed probabilius videtur, habere; vt docet Nauar. n. 7. cum Panormitano. Ratio est; quia Capitulum succedit in totam iurisdictionem Episcopi Sede vacante, exceptis ijs, quæ Iure excipiuntur: atqui Ius non excipit Indulgentiarum potestatem.

15 Quid Confessor in foro pœnitentiæ.

Notandum est: Quosdam Doctores existimare Confessorẽ posse in foro pœnitentię Indulgentias dare, dicendo, quando imponit pœnitentiam: *Impono tibi hanc pœnitentiam, V. G. Septem Psalmos Pœnitentiales, & dispenso tecum super residuo pœnitentiæ, quam deberes.* Ita tenet Summa Rosella, verbo *Indulgentia*, n. 28. Angelus nu. 5. Armilla nu. 2. Item

Archidia-

Archidiaconus, Panormitanus, Innocētius, Aluarus, Cardinalis Sabarella, & Bernardus Glossator Decretalium; quos citant Angelus & Rosella.

Sed contrarium est verius, quod tenent communiter reliqui Doctores, & Iura ab alijs citata non probant illud; vt rectè Nauarrus docet.

DVBIVM IV.

Vtrùm is, qui iure potestatem non habet Indulgentias conferendi, possit hanc consuetudine obtinere?

16 REspondeo: Si Pontifex omnino ignoret illam consuetudinem, aut cognitā improbet, nulla per eam acquiritur potestas in Indulgentias. Nam potestas remittēdi pœnas in iudicio Dei debitas, non nisi vera auctoritate à Christo descendēte, haberi potest. Si autē consuetudo illa Pontifici sit perspecta, & sic tolerata, vt approbari tacitè videatur, tunc per eam verum ius acquiritur. Nam sicut ipse potest hoc ius conferre expresā voluntate, ita etiam tacitā approbatione. Ita docet Antonius Corduba quæst. 10.

CAPVT II.

Quid sint Indulgentiæ.

DVBIVM I.

Vtrùm concessio Indulgentiarum formaliter sit absolutio à pœnis debitis; an solutio pro ijsdem ex thesauro Ecclesiæ?

17 SVnt tres sentētię. Prima est Franciſci Maronij, *Esse meram absolutionem à pœnis peccatorum ex potestate Clauium, sine interuentu solutionis*; quia putat non extare thesaurum vnde fiat solutio.

Tres sententiæ.

Secunda sentētia est in altero extremo, scilicet, *Esse solummodò solutionem pro debito pœnarum*. Ita Durand. in 4. dist. 20. q. 3. & 5. Palud. eādem dist. q. 4. D. Antoninus 1. p. tit. 10. c. 3. Siluester Verbo *Indulgentia*, num. 3. & fauet D. Thomas hic qu. 25. art. 1. ad 2.

Tertia sententia est media. Pro qua

Quid sit Indulgentia viuorum?

Dico Primò, Indulgentia, quæ datur viuis, est absolutio à pœna debita, interueniente tamen applicatione satisfactionum ex thesauro ad iustam pœnæ illius compensationem. Ita tenet Abulensis q. 90. in c. 16. Matthæi, Caiet. Tract. 15. c. 5. & 6. in tomo 1. Opusculorū. Dom. Soto d. 21. q. 2. a. 3. Petrus Soto lect. 2. *de Indulgentijs*. Richardus à Media-villâ dist. 20. circa tertium principale, quæst. 1. & 3. Eandem insinuat D. Thomas in 4. dist. 20. art. 3. quęstiuncula 1.

Probatur, esse veram Absolutionem.

Prima Pars Probatur Primò: Quia concessio Indulgentiarum est actus potestatis Clauium; vt patet ex dictis dub. 1. c. 1. Atqui concessio Indulgentiarum non pertinet ad potestatem Ordinis, vt omnes fatentur; nam Episcopus ante consecrationem Indulgentias conferre potest: ergo ad potestatem iurisdictionis: ergo Ecclesia in concessione Indulgentiarum vtitur iurisdictione, & iuridicè absoluit à pœnis peccatorum. Cōfirmatur ex nomine: quia non ille qui soluit pro altero, dicitur *indulgere ei pœnam*, sed qui ex auctoritate eam remittit.

Probatur Secundò: Ex Capit. *Quòd autem*, de Pœnitentijs & remiss. vbi Alexander III. apertè respondet, Episcopos non posse conferre Indulgentias, nisi suis subditis, eaſque alijs nō prodesse: *Quia*, inquit, *nemo nisi à suo Iudice ligari, vel absolui potest*: apertè ergo sentit concessionem Indulgentiarum esse iuridicam absolutionem.

Probatur Tertiò: Indulgentię passim in iure & literis Pontificum, quibus conceduntur, vocantur *peccatorū absolutiones, relaxationes, remissiones, cōdonationes*. Vide Cap. *Quòd autē*. Cap. *Quod ex eo*. Et Cap. *Nostro*, de Pœnit. & remission. Et Extrauagantem Bonifacij VIII. quæ incipit, *Antiquorum*, codē tit. inter Extrauagantes. Et Bullā Martini V. in fine Concilij Cōstantiensis. Et epistolā Gregorij VII. ad Clerum & populum Belluacensem.

Probatur Quartò: Quia alioqui priuatus posset cōcedere Indulgentias; potest enim per suas satisfactiones pro alterius debito soluere. Similiter Sacerdos in sacrificio Missæ diceretur concedere Indulgentias; applicat enim Christi satisfactiones ad remissionem pœnę temporalis. Quę tamen absurdè dicerentur. Constat ergo *Indulgentias viuorum esse veram absolutionem.*

Secunda Pars, Quòd etiam interueniat dispensatio thesauri, certissima est, quidquid dixerit Michaël Medina. Primò: Quia id apertè asseritur in Extrauagante, *Vnigenitus*. Secundò: Quia in Bulla Leonis X. cōtra Lutherum, damnatur iste articulus: *Thesaurus, vnde Papa dat Indulgentias, nō est Christi & Sanctorū*: qui tamē articulus verissimus esset, si nulla interueniret thesauri dispensatio. Tertiò: Remittere pœnā sine vllā cōpensatione, est eius, qui habet supremam & independentem potestatē, qualis est in Deo; atqui Papa non habet potestatē, nisi Vicarij Christi; ac proinde nō potest remittere, nisi pro vt statuit Christus, qui pro omni culpâ & pœnā satisfecit. Quartò: In Sacramēto pœnitētię peccator nō absoluitur à culpa vel à pœna, nisi intercedēte applicatione pretij Sanguinis Christi. Alia quoq; Sacramēta nō liberant à culpâ vel pœna, nisi ciusdē pretij interuētu, iuxta illud 1. Ioā. 1. *Sanguis* IESV *Christi Filij Dei emūdat nos ab omni peccato*: ergo multò minùs extra Sacramentū poterit quis absolui à pœna, nisi eodem pretio mediante.

18 Probatur etiā interuenire thesauri dispensationē.

Notandū tamen, Quando Pontifex à pœnā absoluit, non requiri aliquem actū, quo significet se applicare satisfactiones Christi & Sanctorum, aut soluere Deo per eadem. Nā hoc ipso, quo absoluit virtute Clauium, implicitè censetur hanc applicationem & solutionē facere: sicut quando Sacerdos in Sacramento Pœnitentiæ absoluit, non debet expresè intendere applicare pretiū Sanguinis Christi ad peccatorum expiationē, aut ad soluendum Deo pro debito peccatorū: nam satis hoc intendere censetur, dum intendit conferre Sacramentum. Si tamen expresè vellet non applicare has satisfactiones, & sola virtute Clauium absoluere, nihil efficeret; quia talis potestas non est in Ecclesia.

Hæc dispensatio non debet fieri actu expresso.

Quid Indulgentia mortuorū.

Dico Secundò: Indulgentia, quæ datur mortuis, non est absolutio facta per Ecclesiam, sed solutio & oblatio pretij, vt à Deo absoluantur. Sed de hoc infrà.

19 1. Obiectio quòd Papa lucrando Indulgentias, seipsū absoluere.

Objicitur Primò: Pontifex potest consequi Indulgentias, quas ipse alijs concedit: atqui non potest seipsum *absoluere*, quia nemo in seipsum iurisdictionem exercere, aut alteri in se eam tribuere potest, quidquid alij dixerint: ergo *Indulgentia* quæ datur viuis non est *absolutio*.

Soluitur. Omissis varijs responsionibus dicendum est, vt Pontifex consequatur Indulgentiam, satis esse, vt per modum solutionis & compensationis eam accipiat. Quâuis enim non possit seipsum absoluere, potest tamen, tanquam distributor thesauri Ecclesiæ, ex Christi & Sanctorum meritis accipere pro se compensationem, quâ Deo soluat. Ita Nauarrus notab. 20. num. 9. 10. 11.

2. Obiectio, quòd actus iurisdictionis non possit operari in inuitum. Obijcitur Secundò: Iurisdictio potest exerceri in inuitum; potest enim quis etiam inuitus absolui ab excommunicatione, alijsque cẽsuris: atqui Indulgentię non possunt conferri inuitis: ergo earũ concessio non est actus iurisdictionis. Confirmatur: quia iurisdictio non potest exerceri sine causę cognitione: vnde etiã in Sacramento Pœnitentiæ requiritur causæ cognitio. At Indulgentiæ conferuntur sine causæ cognitione. Ergo.

Soluitur. Respondeo: Nõ omnis actus iurisdictionis potest in inuitos exerceri, vt patet in Sacramento Pœnitentiæ; sed illud solùm locũ habet, quando ille actus non requirit necessariò aliquam dispositionem in suscipiente; vt fit in absolutione ab excommunicatione. Ad confirmationem: quando sententia nõ fertur super aliquo facto particulari, sicut in Sacramento Pœnitentiæ, sed in genere & quasi sub conditione, non requiritur causę cognitio; vt dum quis sic excommunicatur, *Si quis Clericum percusserit, sit excommunicatus:* tales sunt omnes censuræ Iuris. Indulgentię autem conceduntur in genere, & sub conditione; nempe, *si tale opus præstetur*; vnde non requirunt causæ cognitionem, nisi generatim; videlicet vt generatim causæ dignitas expendatur, propter quam conceduntur.

3. Obiectio, quòd pœnæ Purgatorij nõ subsint iurisdictioni Ecclesiæ. Obijcitur Tertiò: Pœnæ Purgatorij non subsunt iurisdictioni Ecclesiæ: atqui per Indulgentias liberamur à pœnis Purgatorij: ergo earum cõcessio non est *iuridica absolutio*, sed tantùm *cõpensatio*. Confirmatur: quia compensatio sufficiens est ad obtinendam remissionem pœnæ: ergo superuacanea est *absolutio*.

Vera solutio. Respondent quidam, Indulgentiam quatenus tollit pœnam iniunctam, esse *absolutionem iuridicam*; sed respectu pęnę quæ in Purgatorio luẽda sit, esse solùm *solutionem*. Verùm hæc responsio non valet: nã Pontifex viuos etiã à pœnis Purgatorij potest absoluere; vt colligitur ex Synodo Complutensi sub Sixto IV. vbi damnatur hæc propositio Petri Oxomensis, *Papa non potest alicui viuo indulgere pœnam Purgatorij*, id est, à pœna Purgatorij absoluere: *indulgere* enim propriè ad iurisdictionem pertinet. Vnde

Respondeo: Debitum pœnę Purgatorij, quamdiu homines viuunt, ad iurisdictionem Ecclesiæ pertinet, & ab eo potest Ecclesia directè viuos absoluere. Neque hoc mirum est, cùm etiã à debito pœnę æternæ directè per sententiam iuridicã absoluat viuos; vt patet in Sacramento Pœnitentię: habet enim *Claues regni cælorum*, id est, potestatem remouendi omnia impedimenta vitæ æternę, vt Doctores interpretãtur. In defunctos verò, iuxta veriorem sententiam, iurisdictionẽ non habet. Ad confirmationẽ: Cõpensatio non sufficit ad pœnę relaxationem, sed prętereà opus est vt à iudice acceptetur, & reus propter illam absoluatur. Vnde necesse est, vt vel Deus immediatè per seipsũ hominem, pro quo exhibetur compensatio, à reatu pœnæ absoluat; vt fit in baptismo, & dũ alius pro alio satisfacit: vel certè vt Vicarius ipsius auctoritate diuinâ id faciat; vt fit in Sacramento Pœnitentiæ, in quo non solùm est compensatio, sed etiam efficax absolutio.

DVBIVM II.

Vtrùm Pontifex possit viuis dare Indulgentias per solam solutionem ex thesauro Ecclesiæ, sine iuridica absolutione?

20 Potest id Papa. REspondeo: Posse, tum quia hoc modo conceduntur Indulgentiæ defunctis: tum quia Ecclesia habet plenam potestatem circa dispensationẽ sine absolutione; sicut quando priuatus pro altero offert suas satisfactiones, quæ tamen alteri non valent, nisi ex congruo: satisfactiones autem Christi, quas Pontifex potest applicare, valent alteri ex condigno.

Is modus sit minùs efficax, & incertior. Nota tamen: Hunc modum concedendi viuis Indulgentias nõ esse vsitatũ: nam alter est, qui fit per absolutionẽ, est efficacior & certior. *Absolutio* enim efficaciter remittit reatum pœnæ. *Applicatio thesauri* solùm offert Deo pretiũ, vt ipse dignetur remittere: vnde solùm valet per modum impetrationis; sicuti cùm quis offert pretium pro captiuo.

CAPVT III.

De effectu Indulgentiarum.

DVBIVM I.

Vtrùm Indulgentiæ solùm valeant ad remissionem pœnitẽtiæ iniunctæ, an etiã ad remissionẽ eius quæ erat iniungenda: & consequenter an valeant ad remissionem pœnæ Purgatorij, quæ pœnæ iniungendæ respondet?

21 Indulgentiæ non valent ad remissionem culpæ mortiferæ, nec pœnę æternæ. SVppono Primò: Indulgentias non valere ad remissionem culpæ mortiferæ, vel pœnę æternæ; hoc enim tantùm fit per Sacramenta. Vnde quod in quibusdam concessionibus Indulgentiarũ legitur, *per illam Indulgentiam dari remissionem culpæ & pœnæ*, intelligendum est de adiuncto simul Pœnitentiæ Sacramento, quod semper coniungi, imò præcedere debet, saltem in voto, priusquã Indulgentiam consequaris. Verius quoque est, eas non valere ad deletionem culpæ venialis, quia hæc requirit interiorẽ renouationem; vt alibi dictũ est.

Nec culpę venialis.

Nec pœnarum fori externi. Suppono Secundò: Indulgentias valere ad remissionem pœnæ temporalis, quæ remissâ culpâ mortiferâ, vel veniali, luenda superest: non autem ad remissionem pœnarũ siue ciuilium, siue ecclesiasticarũ, quę ad forum contentiosum spectant: quia alioquin disciplinam politicam & ecclesiasticam dissoluerent.

His positis: Caietanus opusc. 15. cap. 7. tom. 1. putat Pontificem quidem habere potestatem per Indulgentias relaxandi pœnas, etiam non iunctas; tamen de facto omnes Indulgentias, quas cõcedit, esse tantùm de pœnis in foro pœnitẽtiæ iniunctis. Idem tenet Petrus Soto lect. 2. *de Indulgentijs*; & quidam antiqui Doctores Scholastici, Albertus & Altisiodorensis.

22 Quid sonet *de Pœnitentijs iniunctis*. Respondeo & Dico Primò: Quãdo in formulâ exprimitur Indulgentias dari *de pœnitẽtijs iniunctis*, probabilius est eam solùm extendi ad pœnitẽtias actu à Confessario iniunctas. Est ferè communis. Vide Nauarrum relect. *de Indulgentijs*, notab. 11. nu. 12. & Antonium Corduba qu. 7. propos. 3.

Probatur Primò: Quia concessio Indulgentiarũ strictè est interpretãda, etsi enim materia videatur fauorabilis,

fauorabilis, tamen in Iure censetur odiosa, vt probat Nauarrus ex Iure. Nam ad Ecclesiasticum rigorem debilitandum aliquo modo pertinet: ergo non est extendenda vltra proprietatem verborũ.

Probatur Secundò: Si Pontifex vellet illas Indulgentias intelligi etiam *de iniungendis*, non diceret *de iniunctis*: inepta enim esset illa locutio, & contra communem vsum.

Pij V. sententia. Nec obstat quòd Pius V. viuæ vocis oraculo dicatur hac de re cõsultus respondisse in hęc verba: *Ego Pius V. auctoritate omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorũ Petri & Pauli declaro, atque ita intelligo, quoties in aliqua Bullâ conceditur Indulgentia tot vel tot annorũ de pœnitentijs iniunctis, debere nõ solùm de ijs, quæ sunt iniunctæ à Confessore, sed etiam de ijs intelligi, quæ alio quouis modo deberent iniungi.* Nam hęc declaratio solùm pertinet ad Indulgentias ab ipso concessas; quia omnino priuatim facta est nullâ editâ constitutione.

23 Indulgẽtia absolutè data comprehendit pœnitentias non iniunctas. Dico Secundò: Quando generatim & absolutè conceditur Indulgentia, liberat nõ solùm à pœnis iniunctis, sed etiam ab ijs quę meritò deberent iniungi, & à pœnâ Purgatorij his respondente. Est communis sententia D D. vt inquit Nauarrus *de Indulgent.* notab. 11. num. 12. Corduba quæst. 7. proposit. 4. *de Indulgentijs.*

Probatur Primò: Quia omnis dispositio Iuris tantum est extendenda, quantum proprietas verborum patitur: atqui absoluta cõcessio Indulgentiarum sine restrictione iuxta proprietatẽ verborum ęquè comprehẽdit remissionem pœnarũ non iniunctarum, atque earũ quæ sunt iniunctæ: ergo nulla est ratio, cur restringatur ad iniunctas. Et cõfirmatur: *Vbi Ius non distinguit, nec nos debemus distinguere;* vt ait Glossa Cap. *Si Euangelica,* dist. 50.

Secundò: Ridiculũ esset cõcedere *Indulgentias centum, vel mille annorum,* cùm nemini vnquam iniungantur pœnitentiæ tot annorum.

Tertiò: Omnes penè Indulgẽtiæ, quę hac tempestate cõceduntur, essent inanes: nam vix paucorum dierũ pœnitẽtia iniungitur; idque Pontifices & Prælati benè nórunt. At parui momenti est, si tantummodò ab exiguâ illâ pœnitentia libereris.

Quartò: In anno Iubilæi Romæ non solent iniungi Pœnitẽtię, nisi exiguę; & Paludanus refert, Bonifacium VIII. anno Domini 1300. ita præcepisse suo Pœnitentiario: ergo intelligunt Pontifices se dare Indulgentias *pro pœnis etiã non iniunctis.* Confirmatur: quia idẽ Bonifacius Extrauag. *Antiquorum,* concessit *plenissimam Indulgentiã omnium peccatorum,* id est, *tantam, quantam vllo modo potestate Clauium dare potest,* vt ipsemet interpretatus est, teste ipsius Glossatore, qui præsens aderat. Eandem concessit Clemens VI. & Sixtus IV. in anno Iubilæi, & alij passim: ergo Pontifices concedunt Indulgentias etiam *de pœnis non iniunctis.*

Quintò: Plerique implent pœnitentiam iniunctam, priusquam faciunt vltimũ opus, quo Indulgẽtias lucrantur: atqui tales, iuxta hanc sententiã, nihil consequerentur, quod est absurdum.

24 1. Obiectio Caietani. Sed contrà. Obijcit Primò Caietanus cum Petro Soto & paucis alijs: in Concilio Lateranensi Capit. *Cùm ex eo,* de Pœnitentijs & remissionibus, Innocentius III. restringit potestatem Episcoporum, vt in Basilicarum dedicatione Indulgentias vltra annum non extendant; & in anniuersario dedicationis die indulta remissio quadraginta dies *de iniunctis pœnitentijs* non excedat.

Respondeo: Ibi solùm restringi potestatem Episcoporum *ad iniunctas,* non autem Pontificis, qui obtinet potestatis plenitudinem, vt ibidẽ dicitur. Adde, nunc ex consuetudine Episcopos etiam *de non iniunctis* Indulgentias concedere; alioqui frustrà concederentur, saltem maximâ ex parte; vt notant Doctores. Soluitur.

Obijcitur Secundò: Saltem illę Indulgentię, in quibus exprimitur certus dierum vel annorũ numerus; vt, dum conceduntur *duæ vel tres quadragenæ, 7. vel 10. anni*; intelligendæ erunt *de iniunctis* duntaxat: quia hæ formulæ alludunt ad Canones pœnitentiales. 2. Obiectio

Respondeo: Etsi in talibus habeatur respectus ad Canones pœnitentiales, tamen non remittuntur solùm eæ pœnæ, quæ actu secundùm Canones sunt iniunctæ, sed etiam eæ, quæ secundùm illos essent iniungendæ, quarum pœnarum verè coram Deo sumus debitores. Aliæ rationes Caietani facilè ex dictis solui possunt. Vide Cordub. q. 7. & Michaëlem Medinam disp. 4. c. 13. & 14. Soluitur.

DVBIVM II.

Vtrùm pœnitens per Indulgentias liberetur ab implenda pœnitentia, quam Confessarius imposuit?

25 Indulgentia si Plenaria, sit certi temporis. DIco Primò: Si *Indulgẽtia* est *plenaria,* liberatur à tota pœnitentia, etsi sit multorũ annorum.

Dico Secundò: Si *Indulgentia est certorum dierũ vel annorum,* liberatur pœnitens à tot diebus vel annis iniunctæ pœnitentię; præsertim si probabiliter credit se non amplius coram Deo debere. Ita Corduba q. 8. Corollario 4. Siluest. V. *Indulgentia,* §. 23. cum Panormitano. Caietanus opusc. 15. c. 7. tom. 1. Nauarrus notab. 31. num. 43.

26 Si plus debeas pœnarum, quam confessor iniunxit. Dico Tertiò: Quòd si credat se amplius debere, quàm ipsi à Confessario est iniunctum, debet potiùs Indulgentiam recipere pro eo quod nõ est iniunctum; & satisfactionẽ implere, quæ iniuncta est. Ita Corduba, & alij. Ratio est: Quia illa censetur intentio concedentis, ne satisfactiones pœnitentiales omnino langueścant.

Quamuis contrarium sit probabile, & forsan verius; nempe ne tunc quidem teneri implere iniunctam pœnitẽtiam. Insinuat Nauarrus suprà, & tenet Gabriel in supplemento, dist. 45. q. 3. art. 2. Ratio est: quia possum Indulgentiam accipere pro pœnitentiâ iniunctâ, & eam partẽ debiti pœnalis quæ superest, vel hîc, vel in Purgatorio persoluere. Vnde enim constat, intentionem concedentis esse, vt non accipiam Indulgentias pro pœnitentia iniuncta, quando existimo me amplius coram Deo debere?

27 Si pœnitẽtia sit medicinalis. Notandum tamen est: Quando pœnitentia imposita nõ solùm est satisfactoria, sed peculiari modo etiam medicinalis, & in remedium futurorũ, non esse omittendã propter Indulgentias, vt passim notant Doctores. Vnde D. Thomas q. 25. a. 1. ad vltimum, ait, *Omnibus esse consulendum, vt opera satisfactoria diligenter obeant, quamuis putent se Indulgentias consecutos:* tum quia sunt in remedium cõtra futura; tum quia sæpè plus debemus, quàm existimemus; tum quia nõ sumus certi an Indulgentiam reipsa simus consecuti; tum denique, quia quotidie noua debita contrahimus.

Quale peccatum eam omittere. Addo tamen, non videri mortiferum peccatũ, etsi pœnitentiam, etiam medicinalem, omitteres

obtentâ Indulgẽtiâ. Ratio est: quia quatenus pœnitentia est remedium futurorum, non videtur posse absolutè iniungi à Sacerdote, nisi hoc remedium omnino sit necessarium ad futura vitanda; quod rarum est. Cuius vlterior ratio est, quia potestas Clauium sõlùm respicit id, quod est necessarium ad solutionem culpæ & pœnę in Sacramento: quod insinuat Conciliũ Trident. sess. 14. c. 8. Cũ enim dixisset, Sacerdotes *non solùm debere spectare, vt satisfactio sit in remedium contra futura, sed etiam in vindictam præteritorum*, subijcit: *Nam Claues Sacerdotibus non ad soluendum duntaxat, sed etiam ad ligandum concessas Patres docent*: vbi indicat potestatem ligandi spectare propriè vindictam præteritorum.

DVBIVM III.

Vtrùm Indulgentiæ tantum valeant, quantum sonant?

28 REspondeo Affirmatiuè: Modò hæc quatuor adsint, scilicet, auctoritas in concedente, iusta causa concedendi, status gratiæ in obtinente, & opus præscriptũ debito modo præstitum. Vide Antoninum 1.p.tit. 10. c. 3. quamuis paulò aliter explicet: & Durandum, dist. 20. qu. 4.

DVBIVM IV.

Quomodo intelligenda sint illæ Indulgentiarũ formæ, quibus conceduntur centum, vel mille anni, aut decẽ millium annorũ Indulgentiæ?

29 Intelligẽdę sunt de pœnitentia iuxta Canones agendæ. REspondeo: Intelligendæ sunt de annis, non qui essent in Purgatorio luẽdi, sed qui in hac vitâ, si tantum se vita extenderet, iuxta Canones deberent in pœnitentia peragi; & consequenter in illis cõceditur remissio pœnę Purgatorij, quę tam diuturnæ pœnę canonicę respondeat: cùm enim pœna Purgatorij sit cõtinua simul & acerbissima, non debet esse tam longa, quàm pœnitentia quæ per Canones constituitur. Vbi

Notandum est: Per Canones cuique peccato mortifero grauiori, vt adulterio, magno furto &c. indici pœnitentiam *septem annorum*, vt patet caus. 33. q. 2. Cap. *Hoc ipsum*. Grauissimis autem peccatis, vt homicidio, parricidio &c. *decem vel duodecim annorum*, vel *per totã vitam*. Quare cùm multi sint, qui centũ, vel mille peccata mortifera omnis generis commiserint, multorũ millium pœnitentia iuxta Canones, si vita suppeteret, illis iniungi deberet; quamuis nemo tamdiu sit in Purgatorio cruciandus, eò quòd longinquitas acerbitate cõpensetur. Vnde non sunt ridiculæ illæ Indulgentiæ, quibus mille, vel plures anni conceduntur; cùm multi sint totidem annorum debitores, si canonicam pœnitentiam spectemus.

Hæ formæ non sunt ridiculæ.

DVBIVM V.

Vtrùm sit aliquod discrimen inter Indulgentiã plenam, pleniorem, plenissimam?

30 Nauarrus existimat. HÆc distinctio sæpè reperitur in concessionibus Indulgentiarum. Nauarrus notab. 9. putat esse distinctionem.

Melius Sotus negat. Sed probabilius est, quod ait Sotus, quidquid olim fuerit, saltem modò non esse discrimen; sed huiusmodi verborum exaggeratione interdũ vti Pontifices, vt significent se ex parte suâ cõcedere quidquid possunt: vt videre est in Extrauag. *Antiquorum*, Bonifacij VIII. Idem sentit Antoniuã Corduba quæst. 9.

DVBIVM VI.

Vtrùm sit discrimen inter Indulgentiam Plenariam, & Iubilæum?

31 REspondeo: Non esse discrimen in pœnarum relaxatione, sed solũ in alijs quibusdã. Nam in Iubileo conceduntur quędam priuilegia, quæ non solent in simplicibus plenarijs Indulgentijs concedi; nempe facultas deligendi Confessorem, cum potestate absoluendi à reseruatis, & dispensandi in votis & iuramentis.

CAPVT IV.

De causâ Indulgentiarum.

DVBIVM I.

Vtrùm requiratur iusta causa, vt Indulgentia constet?

32 REspondeo: Indulgentiã sine iusta causa concessam non valere ad tollendam omnem obligationem pœnarum coram Deo, etsi fortè possit liberare ab obligatione pœnę iniunctæ. Est ferè communis.

Probatur Primò: Quia ab ijs quę in foro Dei debentur, non potest Pontifex sine causa quenquã eximere, vt patet in votis, iuramẽtis, restitutione, & similibus: atqui pœna temporalis remanens post culpam condonatam, iure diuino debetur: ergo sine causa non potest condonari.

Non valet dispensatio sine causa, adeoque nec Indulgentia. Secundò: Pontifex debitum pœnę temporalis non potest tollere, nisi mediante applicatione satisfactionis Christi: sed huiusmodi satisfactionem sine causa nequit applicare: nõ enim est Dominus thesaurĩ Ecclesiastici, siue tẽporalis siue spiritualis, sed dispensator; iuxta illud 1. ad Cor. 4. v. 1. *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*. Dispensator autẽ nisi ex præscripto domini dispenset, irrita est dispensatio.

Tertiò: Idipsum satis insinuat Clemens VI. Extrauag. *Vnigenitus*, vbi dicit *Pontificibus concessam esse potestatem Ecclesiasticum thesaurum proprijs ac rationabilibus causis salubriter dispensandi*.

DVBIVM II.

Vtrùm quæuis causa pia censeatur iusta ad quantumuis magnam Indulgentiam?

33 Affirmat D. Thom. QVidam affirmant. Ita D. Thomas hìc in Additionibus q. 25. a. 2. Durandus dist. 20. q. 4. Paludanus ibid. qu. 4. in principio. Antoninus 1. p. tit. 10. cap. 3. §. 1. & 2. multique alij. Addunt tamen, peccare Papam, si ob leuissimam causam maximam Indulgentiam concedat; valere tamen Indulgentiam.

Communis sententia negat. Sed verius est, non quamuis causam piam sufficere ad quantumuis magnam Indulgentiam: sed necessarium esse, vt causa sit Indulgentiæ proportionata, adeò vt si maior sit, quàm pro causæ magnitudine, non censeatur rata, nisi quoad eam partem, quæ causæ proportionem non superat. Est communis sentẽtia hoc tempore, inquit Corduba quæst. 17. Tenet Bonauentura dist. 20. parte 2. quæst. vltima. Richardus eâdem dist. circa quintum principale qu. 1. Augustinus de Ancona in Summa

in Summa *de potestate Ecclesiæ*, qu. 30. art. 3. 4. 5. Caietanus Opusc. *de Indulgentijs:* quæst. 1. tom. 1. (est opusc. 9.) item opusc. 15. *de Indulgent.* ad Iulium Medicem cap. 8. Bartholom. Fumus Verbo *Indulgentia*, num. 10. Sotus dist. 21. qu. 2. art. 2. & alij multi Theologi. Et inter Canonistas Nauarrus relect. *de Indulgent.* notab. 15 num. 3. & 4. & Innocentius IV. in Capit. *Quòd autem*, de Pœnitentijs & remissionibus; & alij.

Probatur Primò: Pontifex in Ecclesia non est Dominus, præsertim bonorum spiritualium, sed nudus dispensator: ergo non potest ob quamuis leuissimam causam, quantumuis magnos thesauros spiritualium gratiarum distribuere: Dominus enim non habebit ratam huiusmodi dispensationem. Confirmatur: quia in voto & iuramento non quæuis causa sufficit ad dispensandum; sed requiritur causa iusta, alioquin dispensatio coram Deo est irrita: ergo, cùm relaxatio pœnæ Deo debitę similis sit dispensationi voti vel iuramenti, non potest ob quamuis causam fieri; sed requiritur causa proportione respondens.

Probatur Secundò: Collatio Indulgentię absque pia causa omnium sententia est inualida: ergo collatio tantæ Indulgentiæ sine tanta causa non valet tanti.

Probatur Tertiò: Ex Capitulo *Antiquorum*, vbi Pontifex Indulgentiam plenissimam concedens, subijcit: *Vnusquisque tamen plus merebitur, & Indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas amplius & deuotius frequentabit.* Vnde patet, non omnes illos, qui per 30. dies constitutos Basilicas visitabant, consecutos fuisse plenissimam Indulgentiam; sed quosdam amplius, quosdam minus, intra illum terminum, prout deuotius & frequentius, vel minùs deuotè opus præscriptum præstiterunt. Vide Nauarrum notab. 15. vbi hunc locum expendit.

34 Valent semper Indulgentiæ secundũ causæ proportionem.

Quòd autem talis Indulgentia semper sit rata quoad aliquam partem, quæ causæ proportionem non excedit, certum est, & ab omnibus ferè concessum, vt suprà dictum est: alioqui Ecclesia vehementer deciperetur, vereque dici posset, *Indulgentias esse pias fidelium fraudes*, vt principio suę hęresis docuit Lutherus.

DVBIVM III.

Vnde spectanda sit magnitudo causæ, ob quam dantur Indulgentiæ.

35 Finis ob quem Indulgentia conceditur.

REspondeo: Eam spectãdam esse tum ex parte finis, quem sibi proponit Pontifex; tum ex parte operis, quod in illum finem ab ipso præscribitur.

Finis propter quem Indulgentię conceduntur, est cultus Dei, honor Sanctorum, Sacramentorum frequẽtatio, Sedis Apostolicę reuerentia & amor, hæreticorum conuersio, hostium Ecclesiæ repulsio, & similia. Huiusmodi fines præstituit sibi Pontifex in concessione Indulgentiarum.

Opus quo Indulgẽtia obtinetur.

Opus autem quod præscribitur, est illud, per quod vnusquisque ad prædictos fines promouendos cooperatur, cuius operis veluti merces, vel præmium est Indulgentia: quamuis non propriè dicatur *Merces*, quia opus istud non tam est meritum Indulgentiæ, quàm dispositio vel conditio ad eam obtinendam. Vtrumque horum duorum ad causam Indulgentiæ pertinet, & proinde ex vtroque spectanda est causæ quantitas; quamuis principaliter ex fine.

Causa Indulgentiæ spectanda ex fine & opere.

Hinc patet, cùm dicimus *Indulgentiam debere esse causæ proportionatam*, spectandam esse proportionem, quam habet cum fine, & cum opere: v. g. quantum ille finis pertineat ad Dei gloriam, ad animarum salutem, ad commune bonum Ecclesiæ. Similiter in opere non solùm est spectanda difficultas aut excellentia, sed maximè vtilitas & necessitas ad prędictos fines. Etsi enim parui momenti videatur in se, v. g. *Accipere benedictionem Pontificis in die Paschæ, vel die Iouis sancto*, est tamen valdè expediens ad retinendũ populum in vnione cum Sede Apostolicâ, & professione vnius Capitis, quod populo Christiano ad salutem est necessarium. Similiter etsi leue videatur *recitare coronam per calculos benedictos*, est tamen valdè vtile ad fidei Ecclesiæ Romanæ contra hæreticos professionem, & ad vnionem cum illa Ecclesia.

36 Papa non facilè hîc dijudicandus.

Ex dictis infertur Primò: Non esse facilè præsumendum Pontificem errare, quando pro causa, quę videtur parua, magnam confert Indulgentiã: tum quia non est facilè omnes causas nosse, & debitè æstimare, quæ ipsum mouent: tum quia ipsius intentio non est absolutè tantam Indulgentiam conferre, sed solùm quantum potestas Clauium intra hunc terminum se potest extendere, dum talis causa subest. Cùm enim non possit certò sciri ab hominibus, quæ, & quanta requiratur causa ad tantam Indulgentiam, v. g. *centum annorum* (hoc enim soli Deo notũ est) propositâ certâ causâ piâ intendit dare Indulgentiam intra certam mensuram, *vt centum annorum*, quantam potest vi Clauium; adeò, vt, si illa causa coram Deo tantæ Indulgentiæ sit proportionata, conferat tantam Indulgentiam; si autem minori, conferat minorem intra terminum centum annorũ. Expedit autem, vt ille terminus satis sit amplus; partim, quia non constat, an non possit virtute Clauium ob talem causam etiam maior Indulgentia concedi; partim, quia quando terminus est satis amplus, is qui feruentiùs facit opus præscriptum, plus consequitur intra illum terminum; fierique potest vt tantâ deuotione præstet, vt totam Indulgentiam consequatur. Nam quò magis crescit operis perfectio, eò magis crescit eius aptitudo & proportio ad tantam Indulgentiæ mensuram consequendam. Quòd si exiguus esset terminus seu mensura Indulgentię, is qui summâ deuotione expleret opus præscriptum, non posset lucrari amplius, quàm is qui mediocri, vel infima deuotione id expleret; vltra enim mensuram concessam vi Clauium nihil obtineri potest. Vide Nauarrum notab. 15. num. 8. vbi hæc doctissimè explicat, & probat efficaciter per Extrauagantem, *Antiquorum*: & ex Innocentio IV. in Capitulo *Quod autem*, de Pœnitent. & remissionibus.

37 Temerariè paruipendunt aliqui Indulgẽtias rerum sacrarum.

Infertur Secundò: Non posse à magna temeritate excusari eos, qui granorum benedictorum, & similium rerum sacrarum Indulgentias vel reijciunt, vel paruipendunt: tum quia causas, cur hæ concedantur, vel ignorant, vel non satis expendunt: tum quia iudicium suum Ecclesiæ Romanæ iudicio, quæ est mater omnium Ecclesiarum, videntur præponere: tum quia fideles per Italiam & Hispaniam, & alia loca non infecta, huiusmodi Indulgentias magna deuotione & religione complectuntur, etsi Episcopi sint vel Prælati.

CAPVT V.

De Indulgentijs Defunctorum.

DVBIVM I.

Vtrùm Indulgentia prosint defunctis?

38 Non prosunt damnatis vel Beatis, sed in Purgatorio existentibus.

SVppono: Nec beatis, nec damnatis prodesse. Vide D. Augustinum in Enchiridio cap. 110. & lib. *De cura pro mortuis habenda*, cap. 1. Nunc Respondeo: Indulgentias prodesse defunctis in Purgatorio detentis, si illis ab Ecclesia applicentur? Est certum: & contrarium est hæresis, vel hæresi proximum.

Probatur Primò: Nam inter cæteros Lutheri articulos damnatur etiã iste vigesimus secundus: *Indulgentiæ sex hominum generibus nec sunt necessariæ, nec vtiles: mortuis seu morituris, infirmis, legitimè impeditis, his qui non admiserunt crimina, his qui crimina commiserunt sed non publica, his qui meliora operantur.* Vide Leonis X. Bullam apud Caietanum 3. parte quæst. 48. art. 5.

Probatur Secundò: Quia defuncti sunt membra Ecclesiæ, Fide, Spe, & Charitate ei coniuncta; vt docet D. Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei, c. 9. ergo ab Ecclesiâ iuuari possunt. Consequentia probatur, quia idcircò est bonorum cõmunio in Ecclesia, quòd fideles sint inuicem membra: membrum autem pro membro sollicitum sit, & laborẽt.

Probatur Tertiò: Suffragia, id est, preces Ecclesiæ, sacrificia, & alia pia opera prosunt defunctis, vt patet 2. Machab. cap. 12. v. 46. *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Idem definitum est in Cõcilio Tridentino sess. 25. in principio; & in Florentino, in decreto vnionis Armenorum cũ Ecclesia Latina. Idem quoque docent Patres apud Gratianum 13. quæst. 2. Cur non etiam illis prosint satisfactiones Christi & Sanctorum, si per Ecclesiam applicentur? Posse autem applicari, ex eo liquet, quòd sint membra Ecclesiæ opis indiga.

Probatur Quartò: Ex vsu Ecclesiæ satis antiquo. Nam Paschalis I. ante annos 700. Indulgentias defunctis concessit, cuius factum vndecim sequentes Pontifices confirmârunt. Idem fecit Gregorius I. ante annos ferè mille, vt monumenta testantur, quæ in templo S. Praxedis, & alibi Romæ passim extant. Vide Gabrielem in Canonem Missæ, lectione 57. Ioan. Maiorem, dist. 20. qu. 2. sub finem. & Nauar. notab. 22. num. 9.

Paschal. I.

Gregor. I.

DVBIVM II.

Quomodo Indulgentiæ Defunctis concedantur?

MIchaël Medina disput. 7. cap. 34. *de Indulgentijs*, existimat illis conferri *per modum absolutionis*, sicut viuis; idque valdè acriter tuetur.

39 Mich. Medina.

Contrarium tamen est verius, & probabilius: nempe, *Solùm per modum compensationis seu suffragij illis Indulgentias conferri.* Est communis sententia. Nam præter eos, qui hoc modo etiam viuis dari volunt Indulgentias, tenẽt hanc sententiam etiam illi, qui viuis dicunt concedi *per modũ absolutionis:* Bonauentura dist. 20. parte 2. quæst. 5. Richardus eâdem dist. circa 3. principale, quæst. 3. Maior suprà dist. 20. quæst. 2. vbi dicit id à Parisiensi Facultate esse definitum. Gabriel in Canonem Lect. 57. Caietanus Opusc. 15. cap. 5. Nauar. notab. 22. *de Indulgentijs* num. 7. & alij.

Verius est dari *per modũ suffragij*, non *absolutionis*.

Probatur Primò: Quia Ecclesia in defunctorũ animas nullam habet iurisdictionem: ergo non potest illis dare Indulgẽtias *per modum iuridicæ absolutionis.* Antecedens probatur, Matthæi 18. v. 18. *Quæcũque solueritis super terrã, erunt soluta & in cælo:* vbi datur potestas tantùm in viuentes super terram, vt indicat Gelasius Papa, Capit. *Legatur*, 24. quæst. 2. vbi ait: *Super terram, inquit Dominus; nam in ligatione defunctum nunquã dixit esse absoluendum.* Hìc probat Gelasius, defunctum in excommunicatione non posse ab Ecclesia absolui, *quia Dominus inquit, Quidquid solueritis super terram.* D. Leo epist. 90. ad Episcopum Narbonensem de cõmunione priuatis, & ita defunctis: *Horum causa iudicio Dei reseruanda est*, (quia videlicet Ecclesia non potest eos absoluere.) & infrà dicit: *Nos talibus communicare non possumus.* Eadem docet Gratianus in eâdem quæst. & causa in principio: *Super terram, inquit, non sub terrâ, ostendens quòd viuentes pro varietate suorum meritorum soluere possumus, & ligare; de mortuis verò sententiam ferre non possumus.* Idem confirmatur ex Ambrosio lib. 2. *de Cain & Abel*, cap. 4. *Dominus*, inquit, *par ius esse voluit soluendi atque ligandi:* atqui Ecclesia defunctos ligare nõ potest: ergo nec soluere.

Probatur Secundò: Pontifices in omnibus Indulgentijs, quas defunctis concedunt, addere solent, eas obtineri vel concedi *per modum suffragij*; satis per hoc insinuantes aliter se conferre non posse. Dubium enim non est, quin optimo & efficacissimo modo, quo possunt, eas concedere velint. 40

Quid sit, dari Indulgentias *per modũ suffragij.*

Dicuntur autem concedi *per modum suffragij Indulgentiæ*, non quia conceduntur ipsis mediante opere viuorũ, vt vult Gabriel, (hoc enim non est concedere Indulgentias ipsas per modum suffragij, sed per alterius suffragium:) verum quia ipsę satisfactiones Christi & Sanctorum applicantur illis *tanquam suffragium*, id est, tanquam opus bonum suffragatorium vel opitulatorium. Nam valdè probabile est etiam sine opere alicuius alterius viuentis posse eis à Pontifice immediatè Christi & Sanctorum satisfactiones applicari. Ita docet Nauar. notab. 22. nu. 33. vbi dicit aliquot Pontifices huiusmodi Indulgentias concessisse.

DVBIVM III.

Vtrùm Indulgentiæ Defunctis, per modum suffragij concessæ, valeant illis ex condigno, certaq; lege; an tantùm ex congruo, nempe si Deus acceptauerit?

REspondeo, Quidquid Caietanus & alij quidam dixerint, valere ex condigno, & certâ lege. Est ferè communis sententia, vt docet Nauarr. notabili 22. num. 18. Probatur: quia etsi fortasse nostra satisfactio non alteri valeat ex cõdigno, tamen satisfactio Christi ita valet non solùm viuis, sed etiam defunctis: atqui hæc potissimùm applicatur per Indulgentias, vt patet in Extrauag. *Vnigenitus.*

41 Valent ex condigno, & certa lege.

Dices: Ergo Pontifex posset vno die exhaurire Purgatorium.

Respondeo

Cur Papa non possit vno die exhaurire Purgatorium,

Respondet Caietanus opusculo 16. quæst. 5. id fieri non posse: quia Indulgentiæ ijs duntaxat defunctis prosunt, qui, vt prodessent, meruerunt. Ij autem id meruerunt, qui, dum viuerent, conati sunt, quantum in ipsis erat, pro peccatis suis satisfacere.

Verùm hęc sententia passim reijcitur, vt ostendit Sotus d. 21. q. 2. ar. 3. sub finem: Omnes enim, qui in gratia discedunt, capaces sunt cuiusuis influxus meritorum Christi, qui per Indulgentias dispensatur. Non enim fundamentũ communionis suffragiorum Ecclesiæ est particulare aliquod meritum, sed status gratiæ, ob quem satis digni sunt qui iuuentur. Et hoc solùm vult D. Augustinus lib. *De cura pro mortuis*, cap. 1. & in Enchiridio cap. 109. cùm ait, *Illis prodesse suffragia, qui meruerunt, vt sibi prodesse possent:* solùm enim damnatos excludit; vt patet ex diuisione, quam ibi instituit.

Respondeo ergo: Pontificẽ id non posse præstare, quia non subest causa, ob quam potestate Clauium tam ingens dispensatio fieri queat: atqui dispensatio sine iusta causa est irrita.

CAPVT VI.

De Indulgentijs Viuorum?

42 NOtandum est: Ex communi sententia saltẽ hęc duo requiri ex parte susципientis: Alterum, vt sit in statu gratiæ; qui enim est in statu peccati mortiferi, non est capax remissionis pœnæ. Alterum est, vt præstet opus præscriptum.

DVBIVM I.

Vtrùm hoc opus debeat fieri in statu gratiæ?

43 Verior opinio negat. REspondeo: Etsi Caietanus & quidam alij contrarium sentiant, probabilius est non esse necessarium, vt totum opus, quod præscribitur, fiat in statu gratiæ; sed sufficere, vt vltimum, in quo Indulgentia debet obtineri, fiat in gratia. Ita Paludanus d. 20. q. 4. ar. 3. D. Antoninus p. 1. tit. 10. cap. 3. §. 5. in fine. Siluester verbo *Indulgentia*, num. 20. citans Archidiaconum pro hac sententia. Corduba q. 21. & 22. Nauarr. notab. 19. num. 19. Et in expositione Iubilęi Gregorij XIII. expresse docet, satis esse, vt homo sit in gratia tẽpore Indulgentiæ consequendæ, quamuis anteà in statu peccati templa visitauerit, vel ieiunauerit. Additque Romę hoc vltimo Iubilæo Bullam Gregorij ita fuisse intellectam; & omnes ferè Theologos & Canonistas ante & post Caietanũ, contra Caietanum sentire.

Probatur Primò: Opus quod ad Indulgentias requiritur, non requiritur tanquam meritum Indulgentiæ, seu remissionis pœnarum; sed tanquã dispositio & conditio quædam: atqui opus pium, factum etiã in statu peccati, potest esse dispositio ad Indulgentias: ergo non est necesse, vt fiat in statu gratiæ.

Maior patet. Minor probatur: Quia opus pium factum extra gratiam est dispositio ad gratiam & reconciliationem; cur etiam non sit dispositio ad consequendas Indulgentias?

Dices: Meritum Christi non posse applicari ad remissionem pœnarũ per opus mortuũ: ergo.

Respondeo Primò: Etsi fortè per tale opus non possit completè applicari; tamen nulla est ratio, cur non possit applicari inchoatè per illud tanquam per dispositionem, sic vt completa applicatio fiat per vltimum opus, quod ponimus fieri in statu gratiæ: sicut per confessionem & attritionem applicatur Christi meritum inchoatè, per absolutionem completè. Sufficit vt vltimum opus fiat in gratia.

Respondeo Secundò: Applicationem meritorum Christi in Indulgentijs propriè non fieri per ipsum opus nisi dispositiuè, sed per intentionem seu absolutionem Pontificis.

Probatur Secundò: Preces, ieiunia, & alia pia opera, facta in statu peccati, valẽt ad auertendam Dei iram, seu flagella temporaria, vt patet in Niniuitis & in Achab, quos credibile non est fuisse per pœnitentiam iustificatos. Valent etiã ad disponendum populum ad vitæ emendationem, & reconciliationem cum Deo: atqui huiusmodi fines spectat Pontifex in concedendis Indulgentijs: ergo habet causam idoneã eas concedendi, quamuis opus totum non fiat in statu gratiæ. 44 A simili.

Probatur Tertiò: Quando conceduntur Indulgentiæ in forma Iubilæi, vsus Ecclesiæ habet, vt fideles triduo antè ieiunent, & posteà confiteantur & communicent. Quòd si totum opus præscriptum deberet fieri in gratia; oporteret antè omnia confiteri, deinde ieiunia, & reliqua obire: nam certum est, plerosque ante confessionem non iustificari. Ab vsu Ecclesiæ.

Probatur Quartò: In anno Iubilęi Romæ præscribitur, vt per 30. dies incolæ, & externi per 15. visitent Basilicas, vt patet Extrauag. *Antiquorum*, De pœnitent. & remissionibus: tamen moraliter vix fieri potest, vt omnes istæ visitationes passim ab hominibus rudibus præstentur in statu gratiæ.

Aduerte tamẽ, semper esse securius, vt totũ opus fiat in gratia: quia cõtraria sententia nõ est omnino certa. Quòd si nõ totum fiat, saltem curandũ vt pars fiat in gratia: nam pro ea parte Indulgentiam consequeris, quamuis fortè contraria sententia esset vera, vt rectè docet Nauar. suprà, nu. 19. Intentio enim Pontificis est, dare illam vel in totum vel in partem, quantum potest, & causa patitur. Securius est vt totũ opus fiat in gratia.

DVBIVM II.

Vtrùm Indulgentiæ reuiuiscãt? id est: *Vtrùm is, qui eas percepit in statu peccati mortiferi, fructum consequatur, quando resurgit?*

45 Non reuiuiscunt Indulgentiæ, etsi Papa id posset statuere. REspondeo: Non reuiuiscere: si enim tempore susceptionis Indulgentię non sis in statu gratiæ, nihil posteà consequeris. Est communis sententia, vt docet Corduba quæst. 21. Ratio est: Nam tenor earum solùm est, eas concedi tempore certo: ergo, si tunc sis indispositus, nihil posteà consequêris, quia non applicantur. Posset tamen Pontifex statuere, vt tunc valere incipiant.

Dices: Satisfactio Sacramentalis reuiuiscit, cur non etiam Indulgentiæ?

Respondeo: Est dispar ratio: Tum quia ipsa satisfactio applicat nobis Christi merita, tanquam ea in se continens: vnde siue simus dispositi, siue non, per eam applicantur nobis absolutè. In Indulgentijs autem non applicantur nobis per opus pium, sed per Ecclesiæ intentionem, quæ non in-

tendit ea applicare, nisi dispositis; vt colligitur ex formulâ. Tum quia satisfactio sacramentalis in nobis realiter recipitur & consequenter merita Christi per eam quasi intrinsecè applicantur. In Indulgentijs autē solùm fit extrinseca applicatio.

Contrariū non est improbabile.

Aduerte tamen, Siluestrum verbo *Indulgentia*, nu. 32. ex Archidiacono, & Paludanum dist. 20. qu. 4. & quosdam recentiores tenere *Indulgentias reuiuiscere*. Ecclesia enim videtur intendere applicare satisfactiones Christi omni modo, quo potest: atqui posset sic applicari: ergo. Hæc sententia non est improbabilis, præsertim si adhuc tempus Indulgentiæ consequendæ duret.

DVBIVM III.

Vtrùm culpa venialis impediat fructum Indulgentiarum?

46 Si culpæ veniali afficeris,

REspondeo & Dico Primò: Quamdiu manet aliquis in affectu peccati venialis, & vniuersim quādiu aliquis manet in culpa veniali, nō potest vllo modo consequi remissionem pœnæ illius peccati. Ratio est: quia ex culpa necessariò sequitur reatus pœnæ. Potest tamen consequi remissionem pœnæ aliorum peccatorum, quorum culpa est remissa.

Si veniale non vitiet, vel vitiet ipsum opus præscripti.

Dico Secundò: Si peccatum veniale committatur in opere præscripto, non tamen vitiet ipsum opus, non impedit Indulgentiam: vt si, dum ieiunas, mentiaris. Si autem inficiat ipsum opus præscriptū, ita vt ipsum efficiat peccatum veniale; v. g. si ieiunes vel ores ob vanam gloriam, putat Corduba qu. 22. proposit. 2. Indulgentiæ fructum non impediri. Sed contrarium videtur probabilius, quod tenēt Adrianus tract. *de Indulgentijs*, conclus. 4. Petrus Soto lect. 3. Nauarr. notab. 32. nu. 45. & 46. Ratio est: quia tale opus est omnino ineptum, vt sit conditio requisita ad Indulgentiam: satiùs enim est abesse, quàm adesse. Deinde est prorsus inutile ad finē honestum: vnde non potest esse dispositio ad Indulgentias.

Notandum tamen: Probabile esse, opus externum ex duplici intentione posse procedere, quarum altera sit bona, altera mala. Quo posito: Probabiliter dici potest Indulgentiam obtineri per illud opus, quatenus procedit ex intentione bona, licet non obtineatur quatenus procedit ex intentione mala; quod sæpè vsu venire videtur in dandis eleēmosynis.

DVBIVM IV.

Vtrùm, præter statum gratiæ in suscipiente, requiratur præterea sollicitudo & diligētia satisfaciendi pro peccatis per condignam pœnitentiam, petendo eam iniungi à Confessario, vel sponte assumendo?

47 Affirmat Caietanus.

CAietanus tract. 10. qu. 1. putat hoc requiri. Sequitur Fumus verbo *Indulgentia*, nu. 13.

Cōmunis opinio negat.

Sed quamuis hoc sit salutare consilium, non tamen est necessarium. Ita Corduba q. 27. Nauar. notab. 21. nu. 2. & seqq. & est communis sententia. Probatur Primò: Ideò cæpit Indulgentiarum vsus crebriùs frequentari in Ecclesia, quia homines erant tepidiores facti ad pœnitentias, adeò vt vix ad iustas satisfactiones possent induci: ergo, si requitur illa sollicitudo & diligētia satisfaciendi, tunc demum cæperunt frequentari, quandō cæperunt esse inutiles. Hæc ratio est ab absurdo. Secundò: Qui est in gratia, est Christi membrum viuum: ergo est particeps cuiusuis influxus, qui ex eius passione dimanat. Tertiò: Iustus est membrum viuum Ecclesiæ: ergo est particeps communionis Sanctorum, ac proinde illorum meritis ac satisfactionibus potest iuuari.

Salubre consilium in praxi.

Notandum tamen: Hanc sententiam Caietani in praxi esse valdè salutarem, vt monet Nauarrus; præsertim cùm altera non sit omnino certa. Vnde optimè sibi consulunt, qui statuunt in hac vita satisfacere, idque reipsâ nituntur præstare, donec Indulgentias consequantur; hoc enim tantùm requirit Caietanus.

DVBIVM V.

Vtrùm requiratur confessio reipsâ, an in voto tantùm?

48 Si in formula non exprimatur vel exprimatur confessio.

REspondeo & Dico Primò: Si in formulâ non exprimatur confessio, sufficit contritio cum proposito confitendi debito tempore. Ita communiter Doctores.

Dico Secundò: Si exprimatur Indulgentiam concedi *verè pœnitentibus & confessis*, probabilius est, requiri confessionem in *ijs*, qui habent peccatum mortiferum. Ita Nauar. notab. 18. Caietanus Opusc. 15. cap. 10. Corduba q. 24. & alij passim. Ratio est, Tum quia in dubio non est recedendum à proprietate verborū; tum quia vna ex præcipuis vtilitatibus Indulgentiarum est, inducere fideles ad confessionem peccatorum.

An hic non sufficiat propositū confitendi.

Aduerte tamen: Non esse improbabile, etiam in hoc casu sufficere propositum confitendi suo tempore. Tenet enim hoc Siluester Verbo *Indulgentia*, num. 20. citans Paludanum, Panormitanū, Ioannem Andream, Glossam, Imolam, & Cardinalem Sabarellam: additque sic fuisse declaratum in Concilio Constantiensi; ita enim se reperisse scriptum in quodam libro cuiusdam Fratris sui ordinis. Sed Antonius Corduba negat talem declarationem, quia nec in Concilio, nec apud aliquem Auctorem grauem vlla est huius mentio.

49 An requiratur confessio generalis.

Dico Tertiò: Etsi requiratur confessio, non tamen necessaria est confessio generalis: sed sufficit ea mortifera confiteri, quæ anteà nunquam es confessus legitimè. Ita Corduba q. 24. & Nauarrus suprà notab. 18. Nec obstat, quòd formula dicat, *Concedi Indulgentiam omnium peccatorum, de quibus quis fuerit verè contritus & confessus*: ac proinde videatur restringere Indulgentiam ad ea peccata quæ tunc confiteris. Non enim dicit, *Quòd iam de nouo debeat esse contritus & confessus*; sed sufficit vt aliàs ea sit legitimè confessus. Quare non requirit, nisi vt ea confitearis, quę anteà nunquam es legitimè confessus; sic enim aliorum etiam, quæ olim confessus es; veniam consequeris, vt rectè Corduba & Nauar. suprà.

50 Si careas peccato mortifero.

Dico Quartò: Si quis non habeat peccatum mortiferum, etsi in formula requiratur confessio, probabilius tamen est, non teneri ad confessionē. Ita Nauar. Corduba, & alij. Ratio est: Quia formula explicanda est de ijs, qui habent materiam necessariam confessionis, id est, peccatum mortiferum. Quomodo intelligendum etiam est præceptum de annua confessione. Notandum tamen, in praxi securius esse semper confiteri.

DVBIVM

DVBIVM VI.

Vtrùm necesse sit totum opus præscriptum explere: an saltem, qui partem operis explet, non etiam partem Indulgentiæ assequatur?

51 Totũ opus præscriptũ, est explendum.

REspondeo: Probabilius est, eum nihil Indulgentiæ consequi, qui non fecerit totum opus secundùm substantiam, siue id morbo, siue paupertate, siue alio impedimento prouenerit. Colligitur ex D. Thoma q. 27. art. 3. Antonino p. 1. titul. 10. cap. 3. §. 4. Nauarro notab. 18. vbi id fusè probat.

Ratio est: Quia concessio conditionata, qualis est Indulgentiarum, nihil valet, nisi expletâ conditione. Quæ causa est, cur Pontifex soleat in Iubilæis facere potestatem Confessarijs commutandi opera præscripta legitimè impeditis.

Si nequeas tunc confiteri.

Aduerte tamen: Si dedisti operam vt confitereris, tamen ob multitudinem nequiuisti, consequeris Indulgentiam, modò proponas postea confiteri. Ratio est: Quia formula intelligenda est de habentibus peccatum mortiferum, qui potuerunt confiteri.

DVBVM VII.

Vtrùm alius pro alio possit facere opus Indulgentiæ consequendæ præscriptum?

52 REspondeo; Non posse, nisi id exprimatur; vel certè nisi opus sit tale, vt à te fieri censeatur, quamuis per alium facias: sicut cùm largiris eleëmosynam per famulum.

Quòd si exprimatur in formulâ, potest alius pro alio facere, & sic alteri Indulgentias consequi. Ita viui interdũ defunctis Indulgentias obtinent.

Non potest tamen alter alteri Indulgentiã sibi obtẽtam applicare, vt cõmuniter sentiunt Doctores: quia fructus iste est personalis, sicut & Sacramentorum; eò quòd sequatur absolutionem, vel applicationem thesauri, quam solus Prælatus facere potest.

DVBIVM VIII.

Vtrùm necesse sit eum in statu gratiæ esse, qui pro alio Indulgentiam quærit seu obtinet, concedente id formula?

53 REspondeo: Valdè probabile est, id non esse necessarium; verùm sufficere, vt is, pro quo quæritur, sit in gratia, siue sit viuus, siue defunctus. Ita Nauar. notab. 22. num. 30. & seqq. Corduba, q. 23. & alij passim. Ratio est: quia Indulgentia non nititur illo opere, quod facit peccator, neque tanquam merito, neque tanquam dispositione; sed solùm, vt conditione quadẽ extrinsecâ; quâ positâ, Põtifex applicat defuncto Christi satisfactiones, quod interdũ etiã sine opere viuorũ facere potest; vt suprà dictum est ex Nauarro.

DVBIVM IX.

Vtrùm eadem Indulgentia possit sæpiùs obtineri?

54 Plerique negant.

PLerique Doctores docent nõ posse nisi semel obtineri, si determinato tempori est alligata: V.g. cùm durat à primis vesperis, vsque ad occasum solis diei sequentis; vt Indulgentiæ stationũ: vel cùm durant ad vnam, vel duas septimanas; vt Indulgẽtiæ concessæ in forma Iubilæi. Quæ autẽ nõ sũt adstrictę tẽpori determinato, eas sępiùs, nempe toties, quoties præstatur opus, obtineri.

Contrariũ est probabile.

Sed contrarium est probabile, scilicet has Indulgentias toties posse obtineri, quoties opus præscriptum integrè & legitimè præstatur. Ita Henriquez & quidam recentiores. Tenet Angelus, Rosella, Speculator, & Innocentius IV. Ratio est, quia vbi lex vel priuilegium non distinguit aut restringit, nec nos debemus distinguere aut restringere. Vnde quando Iubilæum datur per duas hebdomadas, qui in priore confecutus est Iubilæum, & absolutus est à casibus reseruatis, potest rursus secunda hebdomade, repetitis præscriptis operibus, scilicet ieiunijs, visitationibus, eleëmosynis, eligere Confessorem, absolui à reseruatis, & consequi Indulgentiam.

DVBIVM X.

Quomodo intelligenda sint quædam Priuilegia, quæ in Iubilæis conceduntur de facultate eligendi Confessorem, qui possit absoluere à reseruatis & censuris, dispensare in votis, &c.

55 Etsi Indulgentias nõ consequaris, elige confessorẽ.

REspondeo & Dico Primò: Si habeas animũ consequẽdi Indulgentias, verè obtines hanc facultatem, quamuis posteà Indulgentias non consequaris, nec opus præscriptum expleas. V. g. bonâ fide constituisti consequi Indulgentias, potes eligere Confessorem, & absolui à reseruatis, etiamsi posteà cætera non præstes, quæ ad Iubilæum consequendum sunt necessaria. Neque ob id reincides in censuras, sed absolutio manet valida, quia non pendebat à conditione futuri, sed à præsenti quæ inerat tibi, nempe ab animo sincero Indulgentias consequendi.

Bis absolutus potes.

Dico Secundò: Si quis, v.g. Die Iouis sit confessus & absolutus ex vi Iubilæi, & die Sabbati rursum incidat in casum reseruatum ante Indulgentiæ consecutionem, potest denuò vi Iubilæi absolui. Est etiam cõmunior sententia Doctorũ.

Quid si spe absolutionis, committas casum reseruatum.

Dico Tertiò: Si quis factâ Iubilæi promulgatione committat casum reseruatum spe facilioris absolutionis, probabilius est etiã tunc posse absolui vi Iubilæi; quod est contra D. Antoninum & quosdam alios. Vide Nauarr. notab. 34. num. 4. & Cordub. quæst. 34.

DE PVR-

DE PVRGATORIO.

1 NOtandum est: Hominem tribus modis liberari reatu pœnæ post culpam condonatam, Primò, satisfactione propriâ; vt ieiunio, oratione, eleëmosynâ in hac vitâ. Secundò, satisfactione aliena, siue in hac vitâ, siue in futurâ; vt Indulgentijs. Tertiò, Satispassione, id est, sustinendo totam pœnam debitã: sic in vitâ futurâ liberamur reatu pœnæ, nempe per ignem Purgatorium. De Prioribus duobus modis dictum est, restat vt breuiter agamus de tertio.

Quid Purgatorium. Nomine *Purgatorij* intelligimus locum quendam, in quo animæ iustorum post hanc vitam, quæ cum aliquâ labe vel reatu pœnæ excesserunt, expiantur, & pœnas soluunt.

CAPVT I.

De loco Purgatorij?

DVBIVM I.

An post hanc vitam sit aliquis Purgatorius animarum locus?

2 Hæretici negantes. HÆretici huius temporis negant, idque ob duas causas. Prior est, quia putant cum culpâ remitti omnem pœnam. Altera causa est, quia tollunt nostram satisfactionem, eò quòd Christus plenè satisfecerit. In eâdem sententiâ videtur fuisse Aërius, qui teste S. August. hæresi 53. docuit nõ esse pro defunctis orandum; & quidam hæretici dicti *Apostolici* tẽpore D. Bernardi, qui eos refutat sermo. 66. in Cantica. Hos secuti sunt Waldenses, vt patet ex Antonino, 4. p. tit. 11. c. 7. vbi recenset 19. errores eorum; & Albigenses, vt patet ibidem.

3 Sententia affirmans est de fide. Sed certâ fide tenendum est, Esse purgatoriũ, seu locum quendam, in quo animæ iustorum, quæ in hâc vitâ non fuerunt plenè à peccatis expurgatæ, expientur.

1. Probatur ex Scripturis. Probatur Primò; Ex Scripturis. Primus locus est 2. Machab. 15. vbi narrat Scriptura Machabæũ misisse magnam vim pecunię Ierosolymam ad offerenda sacrificia pro Iudæis, qui in bello pro religione gesto cæsi erant. Quod factum Scriptura probans subiungit: v. 46. *Sancta & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*, id est, à pœnis peccatorum.

2. Mach. 12. Soluuntur obiectiones. Sed contrà Obijcunt Primò: Librum Machabæorum non esse canonicum.

Respondeo: Etsi apud Iudæos non sit in Canone, sicut & multi alij, tamẽ Ecclesia illum semper pro canonico habuit, vt patet ex S. Augustino lib. 18. de ciuit. Dei, c. 36. *Machabæorũ*, inquit, *libros non Iudæi; sed Ecclesia pro canonicis habet*. Id etiam docent alij Patres. Nec obstat, quòd idem S. August. lib. 2. contra Gaudentium cap. 23. ait, *Scripturam Machabæorum receptam ab Ecclesia non inutiliter, si sobriè legatur*; quia illud (*Si sobriè*) non dicit propter aliquem errorem, cùm bis teruè ibidem *Scripturam sanctam* vocet, sed propter exemplum Rasiæ, qui se occidit, quod Scriptura videtur commendare, cùm reuerà, vt S. Augustinus ostendit, non commendet absolutè. Hoc modo *Cantica* etiam *sobriè legi* debent, & multa alia in Scripturis.

Obijciunt Secundò: Quòd ibidem dicatur esse *superfluum orare pro defunctis*, si nõ resurgunt mortui, quod sanè falsum est. Nam etiamsi anima nunquam rediret ad Corporis commercium, posset tamen pati pœnas, ac proinde vtiliter iuuari.

Respõdeo: Apud Iudæos & Sadducæos, & passim in Scriptura pro eodem habetur, *Animam esse mortalem, & non esse resurrectionem*; similiter *Animam esse immortalem, & esse resurrectionẽ*; vt patet Matth. 22. vbi Dominus probat esse resurrectionem, quia animæ viuunt: & 1. ad Corinth. 15. vbi Apostolus probat nullas esse pœnas, nulla præmia, atq; adeò animas interire, si non est resurrectio mortuorum; idque meritò: si enim anima est immortalis, non potest perpetuò carere suo corpore, cuius naturaliter est forma; vnde necessariò debet esse resurrectio. Quòd si tollas resurrectionem, necesse est etiam fatearis, animas interire.

Obijcunt Tertiò; Isti obierant in peccato mortifero; nam inuenta sunt apud illos idolorum donaria, vt patet ex loco citato, quæ tamẽ lex Deuteron. 7. vetabat accipere.

Respondeo: Vel illi legem ignorabant, vel certè multi ex illis in mortis discrimine pœnitentiâ ducti sunt. Quare cùm non constaret obijsse in peccato mortifero, optimè pro illis Sacrificium offerebatur.

4 Expenditur locus Mat. 12. contra hæreticos. Alius locus est Matth. 12. vbi Dominus dicit esse quoddam peccatum, *Quod neque in hoc sæculo, neque in futuro remittitur*. Quare S. Augustinus lib. 21. de Ciuit. cap. 24. ait: *Non veraciter de quibusdam diceretur, quod non eis remittatur neque in hoc sæculo, neque in futuro, nisi essent, quibus, etsi non in isto, tamen remitteretur in futuro sæculo.*

Respondent hæretici, Non sequi: solùm enim significari, *tale peccatum nunquam remitti*; idque probant ex Marco, cap. 3. vers. 29. qui de hac re agens dicit, *non remittetur in æternum.*

Sed hæc responsio parum valet: Etsi enim idẽ sit *æternum*, quod *spatium huius sæculi & futuri*; nunquam tamen solemus *æternum* in has suas partes diuidere, nisi res, de qua agitur, ad vtramque partem pertineat. V. g. Et si rectè dixeris, *Qui vouit continentiam, non potest in æternum vxorem ducere*; non tamen rectè dixeris, *Qui vouit continentiam, nõ potest vxorem ducerè, neque in hoc, neque in altero sæculo*; hoc enim ineptè & fatuè diceretur, eò quòd *vxorem ducere* non pertineat vllo modo ad futurum sæculum. Pari ratione dici non potest, *Qui sic peccauerit, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro*, nisi in futuro sæculo sit aliquorum peccatorum remissio. Neque vllum potest adferri exemplum in contrarium.

5 Expeditur locus 1. Corinth. 3. Tertius locus est 1. ad Corinth. 3. v. 12. vbi Apostolus dicit, eos, qui *super fundamentum*, quod ipse posuit, scilicet super fidem Christi, *ædificant lignum, fœnum, stipulas, saluos quidem fore, sic tamen quasi per*

quasi per ignem. Ex quo loco omnes ferè Patres colligunt *Purgatorium*, quo peccata leuiora post hanc vitam expiabuntur. Vide Ambrosij commentarium, Haymonis, Anselmi, Oecumenij, & D. Thomæ in hunc locum. Origenem Hom. 12. in Ieremiam, Cyprianum epist. 52. Augustinum in psalm. 37. Gregoriũ lib. 4. Dialogorum c. 39.

6 2. Prob. ex Traditione.

Probatur Secundò: Ex perpetua Ecclesiæ traditione, quæ semper consueuit orare pro defunctis; vt patet ex omnibus, quæ vnquam extiterunt, Liturgijs: ex Liturgia Iacobi, Clementis, Basilij, Chrysostomi, Ambrosij, & Aethiopum. Patres etiam docent esse traditionem Apostolicam; Tertulianus lib. de Corona militis, pag. 2. Chrysostomus hom. 69. & 70. ad Populum.

7 3. Prob. ex Concilijs.

Probatur Tertiò: Ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. 66. vbi approbantur exequię pro defunctis. Et ex Concilio Florentino sess. vltima, in decreto fidei, vbi definitur esse Purgatorium, in quod Decretum etiam Græci consenserunt, & testati sunt se semper Purgatorium credidisse. Idem etiam definitur à Concilio Tridentino sess. 25. in principio; vt omittam Concilia Prouincialia omnium Prouinciarum.

8 4. Prob. ex Patribus.

Probatur Quartò: Testimonijs, & communi consensu Patrum Græcorum & Latinorum; ex quibus plurima collegit Garetius lib. *De oratione pro Defunctis*, & Damascenus *de ijs, qui in fide dormierunt*. Pauca tamen adferam.

Hilarius.

Hilarius in illud Psalm. 118. *Concupiuit anima mea, vt desiderarem iudicia tua in omni tempore: Cum*, inquit, *nemo viuens in conspectu ipsius mundus sit, quomodo desiderabile potest esse iudicium eius? An, cùm ex omni otioso verbo rationem sumus præstituri, diem iudicij concupiscimus, in quo nobis est ille indefessus ignis obeundus, in quo subeunda sunt grauia illa expiandæ à peccatis animæ supplicia?*

Augustin.

S. Augustin. lib. 21. de ciuit. cap. 24. *Tales fideles* (nempe, qui cum leuibus peccatis obeunt) *constat ante iudicij diem per pœnas temporales, quas eorum spiritus patiuntur, purgatos, æterni ignis supplicijs non tradendos.* Et lib. 50. Homiliarum in 16. *Qui temporalibus pœnis digna gesserint, per ignem quendam purgatoriũ transibunt, de quo Apostolus: Saluus erit, sic tamen, quasi per ignem.*

Greg. Nyss.

Gregorius Nyssenus in oratione, *Non esse dolendum de obitu eorum, qui in fide dormierunt: Non poterit*, ait, *spiritus à corpore egressus Diuinitatis particeps fieri, nisi maculas animi purgatorius ignis abstulerit*. Similia multa habet tum ibi, tum oratione sequenti.

Eucherius.

Eucherius Lugdunensis Homil. 3. De Epiphania: *Qui temporalibus pœnis digna gesserunt, per fluuium igneum, per vada feruentibus globis horrenda transibunt.*

Gregor. I.

S. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 39. *De quibusdam leuibus culpis esse ante iudicij tempus purgatorius ignis credendus est.* Alios quamplurimos omitto.

9 5. Prob. Ratione.

Probatur Quintò: Ratione. Primò, Certum est remissâ culpâ sæpè restare debitum pœnę temporalis, vt suprà ostensum est. Item certum est esse aliqua peccata venialia, ob quæ homo non damnatur in æternum: atqui fieri potest, vt quis cum tali debito pœnæ, & cum peccatis venialibus excedat è vitâ: ergo necesse est, vt talis post hanc vitam purgetur & puniatur: nam in æternũ puniri non potest, cùm sit iustus, & charitatem habeat; nec ante expiationem possit cœlum ingredi. Neque dici potest, huiusmodi homines omnes morte purgari: tum, quia in ipsâ morte possunt habere inordinatos affectus, qui proinde per ipsã mortem tolli nequeunt; tum quia mors est pœna communis bonis & malis; tum denique, quia mors sæpè repentè occupat, homine minimè aduertente.

Secundò: Omnes gentes veluti natura duce constituunt aliquas pœnas purgatorias leuiorum peccatorum post hanc vitam, vt Mahometani, Philosophi, Ethnici. Nam ratio naturalis dictat, ad diuinam prouidentiam pertinere, vt crimina in hac vitâ non castigata, in altera castigentur; idque pro eorum grauitate.

Tertiò, Probari potest ex varijs animarum apparitionibus. Vide Bedam lib. 3. Anglorum historiæ cap. 19. & lib. 5. cap. 13. & alios.

10 Hæreticorum obiectiones refutantur.

Contrà Objciunt hæretici: Ecclesiastę 11. v. 3. *Si ceciderit lignum ad Austrum, vel ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit:* ergo tantũ sunt duo loca. Confirmatur ex lib. 5. Hypognosticon, vbi dicitur, *esse solùm duo loca, regnum cælorum & gehennam; tertium autem penitus ignorari ab Ecclesia.*

Respondeo: Hic locus Scripturæ non magis est contra *Purgatorium*, quàm contra *Limbum Patrum*. Sicut ergo Patres in limbo pertinebãt *ad Austrum*, id est, ad statum salutis, ita qui sunt *in Purgatorio*. Ad Confirmationẽ, Auctor iste loquitur de locis æternis cõtra Pelagianos. Existimabant enim Pelagiani esse tria loca æterna; scilicet, *cælum, infernum, & locum in quo infantes nondum baptizati habebant iuxta illos vitam æternam.*

Obiciunt Secundò: 2. ad Corinth. 5. v. 10. *Omnes manifestari oportet ante tribunal Christi vt referat vnusquisque prout gessit in corpore suo, siue bonum siue malum.* Atqui, si esset *Purgatorium*, & animæ iuuarentur aliorum operibus, *non referret vnusquisque prout gessit.*

Respondeo, Negando Consequentiam: Nam etiam illi, qui iuuantur aliorum operibus, *referunt prout gesserunt in corpore*. Cùm enim essent in corpore, reddiderunt se dignos tali auxilio: sicut Sancti in hac vitâ meruerunt vt orationes eorum, quas post hanc vitam in cœlo funderent, exaudirentur. Vide S. Augustinum in Enchirid. c. 110. vbi hoc clarè docet.

Obiciunt Tertiò: Apocal. 14. v. 13. *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodò iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis.*

Respondeo: Est sermo de tempore iudicij, seu fine mundi: *Amodo*, id est, ab extremo iudicio. Patet ex connexis. Vide Anselmum.

Obiciunt Quartò, Quædam loca Patrum, vbi dicitur: *Post hanc vitam non posse nos peccata delere, remissionem accipere*, & similia.

Respondeo: Est sermo de remissione peccatorum mortiferorum.

DVBIVM II.

Vbi sit Purgatorium?

11 Dogma Caluini de limbo & inferno.

CAluinus, eiusque sectatores non solùm negant *Purgatorium*, sed etiam omnem locum subterraneum animarum. Et addunt, Patres, qui dicuntur fuisse *in Limbo* non fuisse sub terra, sed in cœlo, solumque caruisse visione Diuina, qua etiam vsque ad diem iudicij sint carituri. *Infernum* etiam non esse sub terra, sed vbique; *pœnasque inferni*

ferni nihil esse aliud, quàm terrorem & anxietatẽ, quâ animæ afficiuntur, dum cogitant Deum sibi esse iratum. Ita Caluinus lib. 3. Institutionum, cap. vlt. & lib. 2. cap. 16. vbi dicit esse *aniles fabulas, quæ dicuntur de locis animarum.*

Communis sententia Doctorum & Patrum est, *Purgatorij locum esse antrum subterraneum, inferno dãnatorum proprinquum.* Pro quo

12 Quatuor loca animarum post vitam.

Notandum est, ex communi DD. sententiâ, quatuor esse loca statuenda subterranea animarũ, quæ communi nomine *Inferni* vocentur, & varijs Scripturæ locis insinuentur: nempe, *Infernum damnatorum, Purgatorium, Limbũ puerorum absque baptismo morientium, & Limbum Patrum veteris testamenti.* Ratio est: quia quatuor sunt genera pœnarum animarũ, post hanc vitã; nempe *pœna damni & sensus æterna, pœna damni & sensus temporalis, pœna damni tantùm æterna, & pœna damni tantũ temporalis. Infernus damnatorum* est pro ijs, quibus debetur pœna damni & sensus æterna. *Purgatoriũ* est pro ijs, quibus debetur pœna damni & sensus temporalis. *Limbus puerorum* pro ijs, quibus debetur pœna dãni tantùm, sed æterna. *Limbus Patrum* pro ijs, quibus debetur pœna damni tantùm, sed temporalis. Vide Palud. in 4. d. 45. q. 3. vbi etiam agit de statu & ordine horum locorum, docetque *Infernum & Purgatorium* post resurrectionem euasurum vnum locum: pari ratione etiam *Limbum Patrum & Puerorum.* Nunc

13 Infernum esse subterraneum locum, est de fide.

Dico Primò; Fide tenendum est, *locum damnatorum* esse subterraneum, & inferiorem.

Probatur Primò: Deuter. 32. v. 22. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima;* id est, *vsque ad infernum inferiorem.* Prouerb. 9. v. 18. *Ignorauit quòd ibi sint gigantes, & in profundis inferni conuiuæ eius.* & Prouerb. cap. 15. v. 24. *Semita vitæ sursum est ad erudiendum, vt declinet ab inferno inferiore.*

Probatur Secundò: Quia Scriptura *Infernum* opponit *cælo*, tanquam imum locum summo. Iob 11. v. 8. *Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces?* Isaiæ 14. v. 14. *Dixisti, ascẽdam supra altitudinem nubium*, &c. *Et in infernum detraheris, in profundum laci.* Psal. 138. v. 8. *Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.* Matthæi 11. v. 23. *Et tu Capharnaum, nunquid vsque in cælum exaltaberis, vsque ad infernum descendes.* Ex quibus patet, hunc locum esse profundissimũ, veluti voraginem quandam, & abyssum, quæ impleri nequeat, vt habet nomen Hebraicum: vnde Dæmones Lucæ 8. rogant, ne Dominus eos mittat *in abyssum.*

Probatur Tertiò: Ratione. Quia sicuti locus iustorum, qui amorem mundi & creaturarum vicerunt, est summus, scilicet supremum cœlum; ita impiorum, qui amorem creaturarum Deo præposuerunt, debet esse infimus, ac proinde sub terra: quod insinuant nomina, quibus in Scripturâ passim appellatur, *Infernus, abyssus, lacus, profundum laci, puteus abyssi, vorago, caminus ignis, stagnum ignis & sulphuris.* Quare pulchrè Tertullianus in Apologet. cap. 47. *Infernum* vocat *arcani ignis subterraneum thesaurum.* De inferno & pœnis damnatorum vide lib. 13. De perfectionibus diuinis, vbi c. 24. & 25. fusè docteque hæc tractantur.

Dico Secundò: Pari modo certum videtur *Limbum puerorum esse subterraneum.* Patet ex Concilio Florentino sess. vltimâ, vbi definitur, *Animas*

14 Vbi Limbus puerorum.

illorum, qui in peccato mortifero actuali, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. Auctor Hypognosticon lib. 5. dicit *fidem Catholicã non agnoscere, nisi duo loca æterna, cælum & infernum:* Limbus ergo ad infernum pertinet, estque veluti extrema inferni ora. Valdè tamen credibile est ignem eò non pertingere; vt colligitur ex Innocentio III. Capit. *Maiores*, de Baptismo; & communiter docẽt Doctores.

Dico Tertiò: Fide quoque tenendum est, *Limbum Patrum etiam esse locum subterraneum.* Probatur Primò ex Symbolo, *Descendit ad inferos.* Et ad Ephes. 4. vbi Christus dicitur *descendisse ad inferiores partes terræ*, scilicet ad locum Patrum. Vide plura Scripturę & PP. testimonia in libro Bellolani sub finem.

15 Vbi Limbus Patrum.

Dico Quartò: *Locus Purgatorij similiter est sub terrâ.* Hæc propositio, etsi non æquè certa est, ac præcedens; videtur tamen fidei proxima. Primò: Nam præterquam quòd sit communis sententia Theologorũ, videtur etiam esse sensus Ecclesiæ, quæ in Missa defunctorum sic orat; *Libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu.* Et probatur ex illo Apocal. 5. v. 13. vbi aperto libro per Agnum (quod fiet in fine mundi), *Creaturæ quæ sub terrâ sunt*, dicunt laudẽ Deo & Agno; quæ *creaturæ* sine dubio sunt *animæ fidelium in Purgatorio existentes*, ad quas beneficium redemptionis Agni pertinet. Ad Philip. 2. v. 10. *In nomine* IESV *omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Deinde locus iste Actor. 2. v. 24. *Solutis inferni doloribus*, à multis Patribus intelligitur de Purgatorio; vt ab Augustino epist. 99. vbi dicit se non intelligere, quomodo aliter possit exponi. Et ab Epiphanio in hæresi Tatiani.

16 An Purgatorium sub terra.

Apocal. 5.

Ad Philip. 2.

Actor. 2.

Omitto visiones. Vide Bedam lib. 5. cap. 13.

Congruentia est: quia animæ illæ eandem pœnam patiuntur, quam damnati, scilicet pœnam damni, & sensus; solùm differt, quòd non sit æterna, sicut pœna damnatorum: ergo conuenteneum est, vt eodem loco, eodemque igne patiantur.

CAPVT II.

De pœna Purgatorij.

DVBIVM I.

Quas pœnas patiantur animæ in Purgatorio?

17 Pœna Purgatorij est pœna sensus & damni.

DIco Primò: Certum est eas pati *pœnã damni*, id est, priuari aspectu Dei, seu visione beatificâ: vnde in illis magnus mœror nascitur; sicuti cùm quis ob suam culpam non admittitur in conspectum Principis vel parentis.

Dico Secundò: Certum etiam est, in Purgatorio esse *pœnam sensûs*. Dicitur autem *pœna sensûs* omnis dolor aliunde proueniens, quàm ex carentia visionis Dei. Ratio est: quia sicuti se inordinatè ad creaturas conuerterunt, ijsque sunt oblectatæ; ita par est, vt per eas puniantur, iuxta illud Sapientiæ 11. v. 17. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.*

18 Est ibi ignis corporeus. Dubitant Græci.

Dico Tertiò: In Purgatorio est pœna ignis corporei. Est communis Doctorum sententia; nõ tamen est fidei. Quia Græci in Concil. Florentino sess. vltima, etsi fateantur se semper credidisse

Purgato-

Purgatorium, & orationem pro defunctis; tamen dicunt se dubitare, vtrùm igne corporeo crucientur, an tenebris duntaxat, vel alio aliquo modo: quam eorum sententiam Concilium tolerat.

Probatur Primò: Prioris ad Corinth. 3. *Saluus erit, sic tamen, quasi per ignem*: hîc Apostolus loquitur de vero igne, *quia dies Domini in igne reuelabitur*. Atqui loquitur de igne Purgatorij, qui minora peccata comburit, id est, comburendo expiat.

Probatur Secundò: Ignis inferni est corporeus: ergo etiam Purgatorij, cùm iuxta receptam Doctorum sententiam, vnus idemque sit. Antecedens probatur Matth. 25. v. 41. *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius*. Hîc apertè insinuatur eundem esse ignem quo spiritus cruciantur, & quo corpora impiorum: atqui constat, eum quo corpora impiorum vruntur, esse corporeum: ergo.

Probatur Tertiò: Quia passim in Scriptura veteri & noua absolutè vocatur *ignis, flammâ, ardor, stagnum ignis & sulphuris, caminus ignis, gehenna ignis*. Vide Esai. 33. & 66. Iob 20. Matthæi 3. 5. 13. & 18. Apocal. 20. Quorsum semper vocetur *ignis*, si non sit verus ignis?

Denique idem colligitur ex testimonijs Patrum citatis. Vide Gregorium lib. 4. Dialog. cap. 39. vbi expresse dicit, *ignem, quo animæ puniuntur, esse corporeum*. Vide etiam August. lib. 20. de Ciuit. cap. 10.

19 Quomodo ignis corporeus possit agere in spiritum.

Dices; Ignis non potest agere in spiritum, quia non potest producere nisi qualitatem corpoream, quæ non potest afficere materiam incorpoream.

Respondeo breuiter: Etsi ignis solis viribus naturæ non possit agere in spiritum à corpore separatum, potest tamen id diuinâ virtute, Deo singulari modo cooperante, & influente cum eius naturali facultate: Si enim ignis potest naturaliter agere in spiritum corpori vnitum, cur non possit diuinâ virtute concurrente in spiritum separatum? Et si calor ab igne productus in corpore, vel species sensibilis potest naturaliter concurrere cum potentia sentiendi, ad actum sensionis, qui iuxta veriorem sententiam est qualitas spiritualis existens in ipsa animâ, nõ in corpore; cur diuina virtute cooperante non posset concurrere ad qualitatem spiritalem, vel ad sensum doloris in spiritu à corpore separato? De hac re vide plura lib. 13. de Perfectionibus diuinis c. 24. num. 134. vbi latè ostenditur Dæmones & damnatos in inferno vri igne corporeo.

DVBIVM II.

Vtrùm pœna Purgatorij sit grauissima?

20 Pœna damni in Purgatorio est grauissima appretiatiuè.

Dico Primò, Pœna damni, seu dilatio gloriæ, etsi sit grauissima appretiatiuè, non tamen videtur grauissima acerbitate.

Prior Pars Probatur: quia sanctæ illæ animæ pluris æstimant visionem Dei, quàm quoduis aliud bonum; omnia enim suis momentis æstimant: ergo pluris æstimant huius boni: carentiam, quàm quoduis aliud malum, cum quo hoc bonum posset consistere; mallentque quiduis pati, & frui hoc bono, quàm pati carentiam huius boni: ergo maximè dolent de hoc malo appretiatiuè. Idem videmus in viris sanctis etiam in hac vita: ad hoc enim perfecta charitas inclinat.

Altera Pars est D. Bonauenturæ d. 20. quæst. 2. art. 1. Ratio est: partim quia certissima spes, breui fore, vt Deum videant, summoperè eas consolatur; partim quia pœna sensus magis repugnat naturæ, vnde magis cruciat. Et confirmatur à simili: Quia Patres in limbo non tantoperè cruciabantur ob carentiam visionis, quantum quis per pœnam ignis cruciaretur. Dices; Esse disparem rationem; quia Patres in limbo non ob culpam propriæ voluntatis, sed ob culpam originalem erant priuati illâ visione: animæ autem in Purgatorio ob culpam propriam. Respondeo: Id non tantoperè refert. Nam substantia mali eadem est vtrobique. Est enim eadem carentia visionis diuinæ, & idem desiderium. Vnde si illos non cruciabat summè, neque etiam animas in Purgatorio summè cruciabit. Adde, nec damnatos maximè cruciari ob pœnam damni. Immò parum curarent, quòd non fruantur diuino conspectu, si liceret illis perpetuò huius vitæ delicijs frui. Hoc patet in multis hominibus impijs adhuc viuentibus.

Non tamen est grauissima acerbitate.

Dices: S. Augustinus in Enchirid. cap. 112. ait: *Exulare à ciuitate Dei, perire à regno Dei, tam grandis est pœna, vt ei nulla possint tormenta, quæ nouimus, comparari.*

Obiectio ex D. Aug.

Respondeo: Loquitur de magnitudine appretiationis, non acerbitatis, seu afflictionis. Dici etiam potest eum loqui de tormentis aliquandò finiendis, & de exilio nõ finiendo; vt patet intuenti verba.

Soluitur.

Dico Secundò: Pœna ignis Purgatorij est grauissima quoad acerbitatem, atque adeò grauior quauis pœnâ huius vitæ. Est communis sententia Doctorum, eamque docet D. Augustinus apertè in Psal. 37. *Quia*, inquit, *dicitur saluus erit, ille ignis contemnitur; grauior tamen erit ille ignis, quàm quidquid homo pati potest in hac vitâ*. S. Gregorius in eundem Psal. *Illum*, ait, *transitorium ignem omni tribulatione præsenti existimo intolerabiliorem*. Similia habet Anselmus 1. ad Cor. 3. & multi alij. D. Bernardus epist. de obitu Humberti: *Post hanc vitam in Purgatorijs locis centupliciter, quæ fuerunt hic neglecta, reddantur vsque ad nouissimum quadrantem*. Idem confirmari potest ex probatis reuelationibus, quas narrat Beda lib. 3. cap. 19. & lib. 5. cap. 13. Ratio esse potest, Primò: quia anima separata longè plura potest perferre, quàm corpori iuncta: in corpore enim statim pœnis vincitur, eò quòd fragile corpus statim dissoluatur, quo dissoluto necesse est hominem mori: sed extra corpus anima est immortalis, vnde in immensum eius pœna potest intendi. Deinde, quia ignis ibi agit vt instrumentum iustitiæ diuinæ; quo modo longè est efficacior, quàm suapte naturâ. Denique, quia tunc ignis immediatè potest ipsam animam totam attingere, seu totaliter: nunc autem non attingit, nisi per medium, videlicet per corpus, tanquam per vestem, & quasi partialiter.

21 Pœna ignis in Purgatorio est grauissima acerbitate.

22 Non omnes animæ in Purgatorio cruciantur pœnâ ignis.

Dico Tertiò, Valdè tamen probabile est, neque omnes animas quæ sunt in Purgatorio pati pœnam ignis; neque eas quę pœnam ignis patiuntur, semper pœnam ignis pati. Vt enim verè do-

cet D.Bonauentura suprà, *dum pœna Purgatorij dicitur grauior quauis pœna huius vitæ*, intelligendum est de grauissima pœna Purgatorij, quę maior est, quàm grauissima huius vitæ; ea autem est pœna ignis; & de hac loquuntur Patres citati. Sunt tamen aliæ pœnæ longè mitiores: Non enim videtur credibile, pro vno verbulo otioso hominem ibi exurendum, sicuti hîc exuruntur latrones. Deinde, ex probatis visionibus habemus, quorundam pœnam esse valdè exiguam, vt vix quidquam pati videantur præter mœstitiam quandam ob dilationẽ cœlestis patriæ; vt patet ex visione Drithelmi, apud Bedam lib.5.cap.13.qui in amœnissimo loco multa millia animarum albatarum Deo canentium laudes vidit, ita vt putaret esse paradisum; quæ tamen animæ non erant perfectè expiatæ. Vnde & iste locus ad purgatorium pertinebat, siue sub terra, siue super terram fuerit. Nam etsi locum, vbi ordinariè fit expiatio animarum, sub terra ponamus; non tamen negamus etiam alibi purgari posse, præsertim eas, in quibus parum restat purgandum. Denique, quia valdè probabile est, pœnam sensim minui, vt tandem minima sit. Colligitur ex vita S. Malachiæ, cui soror, vt scribit S. Bernardus cap. 4. vitę eius, apparuit: primò, in veste pullâ ad limen Ecclesię foris: secundò, in veste subfuscâ, & intra limen Ecclesię, procul tamen ab altari: tertiò, in veste candidâ ad ipsum altare cum cęteris sanctis. Similis etiam visio est apud D. Gregorium 2. Dialog. c. 23. de duabus monialibus, quibus S. Benedictus minatus erat excommunicationem.

Animę sub inde alibi, quàm sub terra, purgantur.

DVBIVM III.

Vtrùm animæ in Purgatorio à dæmonibus torqueantur?

23 Solùm ab igne torquentur.

COmmunior sententia est, neque ab Angelis, neque à dęmonibus torqueri; sed solùm ab igne, vt est instrumentum diuinę Iustitię.

Probabile est interdũ etiam à dęmonibus torqueri.

Est tamen satis probabile, interdum à dęmonibus torqueri, quia non perfectè illos vicerunt, sed ex parte ab illis victę sunt, consentientes peccatis venialibus vel mortiferis, pro quibus pœnę temporales restant luendę. Confirmatur ex visione B. Fursei apud Bedam lib.3. hist. Angl. cap.19. & ex vita D. Bern. lib.1. cap.10. vbi quidam frater defunctus B. Bernardo apparuit, qui se quatuor lacertis traditum esse dixit; qui posteà precibus S. Bernardi liberatus est.

DVBIVM IV.

Quàm diu durent pœnæ Purgatorij?

24 Pœnæ purgatorij non durãt vltra diem Iudicij.

REspondeo: Certum esse, non durare vltra diem extremi iudicij, vt docet S. Aug. l. 21. de Ciuit. c. 16. *Purgatorias*, inquit, *pœnas nullas futuras opinetur, nisi antè vltimum illud tremendumque iudicium.* Et colligitur apertè Matth. 25. vbi tantùm duo statuuntur ordines iudicandorum, quorum *Hi ibunt in vitam æternam, illi in ignem æternum*: ergo nulli in ignem temporalẽ; omnes enim fideles ad alterutrum istorum ordinum pertinent.

Dom. Soto eas coarctat ad 10. annos

Vtrùm autem vna eademq; anima per aliquot annorum centurias, vsque ad diem iudicij sit purgnienda, non est ita certum. Dominicus Soto d.19. q.3. a.2. putat nullam manere in purgatorio vltra decennium, quia grauitas pœnæ compensat diuturnitatem.

Verosimiliùs quidã eas patiuntur per annorum centurias.

Sed probabilius est, aliquas ibi diutissimè, etiam per aliquot annorũ centenarios, puniri. Nam Ecclesia celebrat Anniuersaria defunctorũ etiam per aliquot annorũ centenarios. Censet ergo fieri posse, vt tam diu auxilio opus habeant. Idem etiã confirmatur ex fundationibus perpetuis Anniuersariorum. Confirmari etiam potest ex Beda lib.5. cap.13. vbi Angelus dixit S. Dirthelmo, animas eorum, qui in hâc vitâ semper malè vixerunt, & tandem sub finem conuertuntur, saluãdas omnes in die iudicij, quãuis aliquæ orationibus & eleëmosynis viuentium, & præsertim altaris sacrificio iuuari possint, vt ante illũm diem liberentur.

CAPVT III.

De conditione animarum purgandarum.

25 Assiduè Deum laudant.

SVppono nullam animã purgari post hanc vitam, nisi in charitate decesserit, obstricta tamen culpâ aliquâ veniali, vel saltem reatu pœnæ. Vide B. Augustinum lib.21. de Ciuit. cap.26.

Hinc sequitur, animas illas assiduè amare & laudare Deum, patienterque ferre supplicia. Colligitur Apocal.5. sub finem. Ratio est, quia virtutes in anima separata non possunt esse otiosæ, cùm nihil habeant impedimenti, & suâpte naturâ in suas functiones propendeant, neque etiam corpore aggrauentur, neq; tormentis impediantur: hæc enim non impediunt, nisi turbando organa corporea, quæ ibi non sunt. Vnde etiam in inferno perfecta ratione vtuntur, vti colligitur Lucæ. 6.

DVBIVM I.

Vtrùm possint ibi mereri, vel demereri?

26 Nec merẽtur, nec demerentur.

REspondeo: Neutrum posse. Est contra Lutherum art.39. vbi docuit eas continuò demereri, eò quòd pœnas refugiant: posse tamen & debere mereri, vt habet art.38. eò quòd charitas ipsarũ sit imperfecta. Sed probatur nostra doctrina, 2. ad Corinth.5. vers.10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis pro vt gessit, siue bonum siue malũ.* Cur addit, *Propria corporis*, nisi quia ea, quæ post corpus fiunt, non puniuntur aut remunerantur? Sap.4. v.11. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectũ eius*: ergo post mortem non potest quis mutari. Idem significatur Ecclesiastæ 11. v.3. *In quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Vide Ecclesiastæ 9. & Ecclesiastici 14. Hinc D. Augustinus lib. de Prædest. Sanctorum cap.14. ait, *Neminem Christianum hæc de re dubitare posse.* Ratio est, Diuina ordinatio, quæ hunc mundum voluit hominibus esse ceu stadium ac palęstrã; actiones huius vitæ, cursum in stadio; mortem, terminum cursus, quando præmia, id est, honor vel ignominia cursoribus est tribuenda. Opera autem bona vel mala, quæ post hanc vitã fiunt, non pertinent ad cursum: vnde nec imputantur ad meritum vel demeritum, ac proinde nõ augent præmiũ vel supplicium; sed sunt fructus animæ in termino constitutæ.

Dices

27 Quatuor obiectiones.

Dices Primò: Animæ in Purgatorio non vident Deum, nec amant necessariò: ergo possunt peccare. Patet consequentia, quia hæc est ratio, cur Beati non possint peccare.

Secundò, Istæ animæ fugiunt pœnas, quas tamen Deus vult illas pati: ergo peccant.

Tertiò, Adhuc sunt in via, cùm nondum comprehenderint: ergo possunt mereri & demereri.

Quartò, D. Augustinus dubitat, an adhuc afficiantur rebus terrenis inordinatè. Vide illum libro 21. de Ciuit. cap. 26.

Soluuntur. Respondeo ad Primum: Etsi illæ animæ non videant Deum, nec etiam ament necessariò quoad exercitium actus, ac proinde nec ab intrinseco sint impeccabiles, sicut Beati; ab intrinseco tamen habent, quòd peccare nequeant, nempe à diuinâ protectione: *Iustorum enim animæ in manu Dei sunt, & non tanget eos tormentum mortis:* Sap. 3. quò fit, vt nullos etiam motus prauos sentiant.

Ad Secundum: Abhorrent à pœnis quatenus sunt contrariæ naturæ, sicut & Dominus abhorruit; quæ fuga non est peccatum, sed naturalis & innoxius motus. Amant tamen quodam modo suas pœnas, quatenus à diuinâ iustitiâ infliguntur; quia amant diuinam iustitiam, seseque resignant ad patiendum id, quod Deus vult eas pati.

Ad Tertium: Non sunt ampliùs in via, si statum merendi spectes; sed sunt in termino, etsi nondum præmium acceperint: sicut transacto tempore certaminis non potest aliquid cursu, vel luctâ obtineri, quamuis præmia nondum sint distributa.

Ad Quartum: Certum est, in illis nullos ampliùs esse inordinatos affectus & motus erga res humanas: nam clarè vident istarum rerum vanitatem & noxam. Quod probatur, quia alioquin essent in illis verę tentationes & incitamenta peccandi, quæ D. Augustinus negat in illis esse post hanc vitam: patet c. 14. de Prædestinatione Sanctorum. Possunt tamen secum deferre aliquas prauas affectiones habituales, sed illæ mox per contrarios motus corriguntur, vt alibi dictum.

DVBIVM II.

Vtrùm animæ istæ sint certæ de sua salute?

28 Quidam negant. LVtherus artic. 38. vult quasdam saltem esse incertas. Idem etiã tenuerunt quidã Catholici, eò quòd existimarent, omne peccatum ex natura sua esse mortiferum, & mereri mortem æternam, solumque esse veniale ex misericordia Dei.

Verior sententia affirmat. Sed omnino tenendum est, esse certas de salute sua. Probatur Primò: Quia contraria sententia est damnata, primùm quidem à Leone X. in Lutherо, deinde à Pio V. & Gregorio XIII.

Secundò: Quia Concilium Florentinum definit, eas animas quæ habent culpam letalem, statim damnari: atqui illæ animæ quæ sunt in Purgatorio, vident se non esse damnatas: ergo agnoscunt se non habere culpam letalem: præterea certò norunt ex fide, eum qui non habet culpam letalem vel originalem, post hanc vitam non posse damnari: ergo certæ sunt, quòd non possint damnari. Quòd autem videant se non esse damnatas, Probatur: quia vident se non blasphemare Deum, quòd est damnatorum, sed amare & laudare illum, ac patienter ferre supplicia.

Tertiò: Quia in Canone Ecclesia dicit, eas *dormire in somno pacis, & quiescere in Christo*, vbi per *somnum* & *quietem* significatur illa securitas & solatium, quod habent ex certitudine suæ salutis. Quòd si essent incertæ, essent inquietissimæ, summeque anxiæ.

Quartò: Quia sciunt qualia sint opera quę fecerunt, bona an mala, venialia an mortifera: ergo sciunt se non posse damnari. Antecedens patet Ecclesiastici 11. vers. 29. *In fine hominis denudatio operum ipsius*; id est, cuius in fine denudantur opera sua; quod etiam est necessarium, vt intelligant, quàm iusta sit retributio. Denique, quia certum est, eas statim post mortem iudicari.

Dices: Si animæ illæ sint certæ de sua salute, cur orat Ecclesia, vt Deus *liberet eas de pœnis inferni, de profundo lacu, & ne absorbeat eas tartarus, nec cadant in obscurum?*

Quid velit Ecclesia certo modo orans pro defunctis. Respondeo: Ecclesia solùm intendit his verbis orare, vt à pœnis Purgatorij liberentur. Vtitur autem tali modo loquendi, quasi animę illæ essent in periculo damnationis; tum ad excitandum maiorem affectum in fidelibus ad orandum pro illis; tum etiam, quia repręsentat diem obitus. Sicuti in Aduentu Ecclesia sic orat, ac si Christus iam deberet nasci, *Rorate cœli desuper, & nubes pluãt iustũ.* Quod etiam facit in alijs Festis: repręsentat enim illa mysteria, vt præsentia vel instantia, ad affectum excitandum. Tamen non intendit aliud, quàm vt fructus natiuitatis, passionis, & aliorum mysteriorum nobis applicetur. Pari modo hic non intendit aliud, quàm vt animę liberentur à pœnis, eo modo, quo liberari possunt; nempe vt non detineantur, vel certè vt mitiùs cum illis agatur.

DVBIVM III.

Quando, & quomodo animæ iudicentur?

29 Iudicantur in primo instãti quo separatæ sunt à corpore. REspondeo & Dico Primò: Iudicantur in primo instanti, quo sunt separatę à corpore, vel certè post primum instans mortis, si tale instans detur.

Probatur Primò: Quia nulla est ratio, cur hoc iudicium differatur. Neque enim credibile est, animas in cœlum ante Christi conspectum deduci, vt ibi iudicentur (alioquin enim posteà deberent redire è cœlo ad supplicia.) Prætereà, hoc iudicium fit in instanti: nam nihil est aliud, quàm locutio quædam spiritalis, quâ Deus, vel Christus ipse vt homo, manifestat animæ spiritaliter suam sententiam; quę manifestatio fit per spiritalem locutionem, quam nulla locorum intercapedo potest impedire.

Probatur Secundò: Ecclesiastici 11. vers. 28. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique vias suas.* Hic significatur, in ipso momento obitus (id enim significat, *in die obitus*,) animas iudicari, ijsque præmia vel supplicia à Deo iudice decerni. Illud enim, *Facile*, non significat, *Deum facilè posse*, si velit, sed *absolutè tribuere*: si enim non *tribueret* de facto, non rectè Sapiens hoc argumento hortaretur homines ad benefaciendum.

Dices: Interdum animæ videntur iudicari ante mortem. Colligitur ex Gregorio Dialog. lib. 4.

Obiectio, quòd aliqui ante, aliqui diu post mortem iudicentur.

cap. 38. vbi dicit quendam Chrysaorium ante mortem vidisse damnationis suæ sententiam. Similia refert Beda lib. 5. Hist. Angl. cap. 14. & 15. Interdum videtur differri iudicium aliquamdiu post mortem, vt patet de isto Doctore, cuius fit mentio in vita S. Brunonis.

Soluitur.

Respondeo: Nunquam iudicantur ante mortem, quia nondum sunt in termino; vnde possunt mutari. Permittit tamen interdum Deus, vt propter peccata sua incidant in desperationẽ, & tunc videantur sibi damnati. Post mortem autem non differtur sententia, nisi sint excitandi ad vitam: & credibile est, Doctorem illum ab initio iudicatum fuisse, quamuis per huiusmodi interualla ad hominum instructionem sic apparuerit.

30 An hoc iudicium fiat à Christo vt homine.

Dico Secundò: Etsi non sit certum, vtrùm Christus vt homo sententiam ferat: valdè tamen est probabile quòd Christus post suã resurrectionem, vel etiam post instans suæ mortis, hanc sententiam ferre cœperit.

Prior Pars Probatur: Nam Scripturæ, quibus Christus dicitur *Iudex viuorum & mortuorum*, facilè possunt de iudicio generali intelligi: & ante Christi Incarnationem etiam particulare iudiciũ in morte cuiusque exercebatur, idque per solam diuinitatem.

Altera Pars Probatur: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ*: ad quam potestatem videtur maximè pertinere potestas iudiciaria. Quòd autem statim hanc cœperit exercere post mortem, ex eo cõfirmari potest, quod animas Patrum beatas effecerit.

31 Credibile est in iudicio particulari ab animabus Christum videri.

Dico Tertiò: Vtrùm animæ, dum iudicantur, Christum videant, est etiam incertum. Probabile tamen est videre; quia id facilè fieri potest; & valdè est consentaneũ, vt cernant suum Iudicem, vel ad solatium, vel ad terrorem. Tenet hoc Innocentius III. de Contemptu mundi lib. 2. cap. 43. Quamuis non sit credibile, quòd omnibus appareat in forma Crucifixi, vt ipse existimat.

32 Animæ Sanctę deferuntur ab Angelis.

Dico Quartò: Latâ sententiâ, si anima est omnino pura, statim deducitur ad cœlos ab Angelis; vt colligitur Lucæ 16. vbi anima Lazari dicitur *portari ab Angelis in sinum Abrahæ*. Idem significatur in precibus Ecclesiæ, quæ morientibus recitari solent. Posset tamen anima facilè per se ad cœlum euolare; quia lumine glorię illustrata non valet à dæmone impediri.

Impiæ à dæmonibus

Quòd si anima sit impia, statim rapitur à dæmonibus, tanquam iustitiæ diuinæ ministris, ad inferos; sponte enim nunquam eò concederet. Vide Cyrill. orat. *De exitu animæ*.

Purgandæ deducũtur ab Angelis.

Si est purganda, probabile est, sponte quidem concedere ad locum supplicij, eò quod intelligat eam esse Dei voluntatem: valdè tamen credibile est, ab Angelis eò deduci, saltem à suo Custode, qui eam soletur; vt colligere est ex multis visionibus apud Bedam, & alios.

DVBIVM IV.

Vtrùm animæ possint egredi è suis receptaculis?

33 Dico Primò: E cœlo posse egredi animas Beatorum. Docet expresè B. Hieronymus Dialogo contra Vigilantium: *Si Agnus vbique, ergo & hi qui cum Agno sunt, vbique esse credendi sunt. Et cùm diabolus ac dæmones toto vagentur in orbe, & celeritate nimiâ vbique præsentes sint, Martyres post effusionem sanguinis sui aream operientur inclusi, & inde exire non poterunt?* Nec obstat quòd D. Augustinus lib. *De cura pro mortuis habendâ* cap. 13. contrarium sentire videatur: quia loquitur iuxta naturæ cursum, vt D. Thomas illum exponit in 4. dist. 45. quæst. 1. art. 1. quæstiuncula 3. nempe, quia earum status multùm discrepat à statu viuẽtium in corpore; vnde postulat, vt rebus viuentium non interfint, saltem crebrò: neque aliud argumenta D. Augustini probant. Anima Beata potest egredi è cœlo.

Vtrùm autem aliqua anima in cœlo existens aliquando reuocata sit ad hanc vitam mortalem, dubium est. Quidam affirmant propter historiam aliquam, quam refert S. Gregorius lib. 1. Dialog. cap. 10. de quodam Marcello viro bono reuocato ad vitam à B. Fortunato Episcopo. Quidã putant aliquando animã è cœlo reuocatam ad vitam.

Sed probabilius videtur contrarium cum Soto dist. 45. quæst. 1. art. 4. Tum, quia visio beatifica est vita æterna, quæ non potest vnquam abrumpi, præsertim in cœlo, quod æternæ vitæ propriè est destinatum. Cur enim datur vita æterna, si statim debet auferri, & reuerti ad vitam mortalem? Tum, quia summi boni iam possessi detractio censeretur meritò, non beneficium, sed ingens tormentum, cùm tamen excitatio ad vitam sit beneficium. Tum denique, quia non omnes essent securæ de bono quod obtinent, si inde possent ad vitam reuocari. Meliùs negatur.

Ad locum Gregorij Respondeo: Solùm ibi dici, Marcellum in locum bonum deductum fuisse. Quod autem Gregorius addit, *Illum non perdidisse locum, quem acceperat*; sic intellige: quia posteà benè viuendo consecutus est meliorem.

34 Ex Purgatorio cur subinde egredi permittantur.

Dico Secundò: E Purgatorio sine singulari Dei dispensatione ante debitam expiationẽ egredi non possunt. Ratio est, quia sunt ibi iussu Dei tanquam in carcere. Interdum tamen Dei permissu egrediuntur, vt viuorum suffragia implorent; vt constat plurimis exemplis. Interdum etiam ex Purgatorio sunt excitatæ ad vitam: nam Prophetæ & Christus Dominus excitârunt multos fideles, qui ante Christi mortem erant vel in Purgatorio, vel in Limbo. Apostoli quoque & reliqui Sancti multos alios excitarunt, è quibus credibile est multos in Purgatorio fuisse.

Sunt tales confirmati in gratia.

Notandum autem: Esse valdè credibile, omnes istos fuisse confirmatos in gratia per omnem vitam, ita vt non possent ampliùs à salute excidere. Docet Sotus dist. 45. quæst. 2. artic. 2. & quæst. 1. artic. 4. Ratio est, quia alioqui maximo suo incommodo fuissent excitati, quia erant certi suæ salutis, quam certitudinem amisissent.

35 Ex inferno egredi non possunt citra specialem Dei dispositionem.

Dico Tertiò: Ex inferno non possunt vllo modo egredi sine singulari dispositione Dei; quæ tamen aliquando quibusdam concessa est, vt hominibus ad terrorem, & vitæ emendationem apparerent: vt multis exemplis constat.

Vtrùm autem aliquæ animæ ab inferno sint reuocatæ, quæstio est. Quidam affirmant ob exemplum quod refert Gregorius lib. 1. Dialog. cap. 12. & quia ex probatis Auctoribus constat, multos Ethnicos esse ad vitam reuocatos; vt patet de filio præfecti Sempronij, qui à diabolo necatus fuerat, quòd vellet S. Agnetem violare, quem ipsa virgo à morte excitauit, vt refert Ambrosius serm. 90.

Verùm

Verosimilius est neminem ex inferno ad vitam reuocatum.

Verùm probabilius est, neminem vnquam inferni pœnis adiudicatum, fuisse postea ad vitam reuocatum; ita Sotus suprà. Ratio est: quia locus ille æternæ mansioni & pœnæ est destinatus. Vnde non videtur consentaneum, vt quis illi adiudicatus restituatur huic vitæ, per quam possit illum euadere. Confirmatur: quia alioqui damnati possent sperare liberationem, nec absolutè desperarent; quod est omnino falsum.

Ad exempla allata respondet Sotus, omnes huiusmodi laborasse ignorantia inuincibili fidei, ac proinde non fuisse mortuos in peccato mortifero. Sed hoc parum est credibile: nam Gregorius loco citato scribit, virum quendam pessimum, qui à dæmonibus ad inferos raptabatur, à S. Seuero fuisse excitatum. Filius quoque Præfecti nullo modo potest à peccato mortifero excusari. Vnde dicendum est, tales, etsi obierint in peccato mortali, non tamen fuisse inferni pœnis addictos; sed singulari Dei dispensatione eorum sententiam ad breue tempus fuisse suspensam, eò quòd paulò pòst essent ad vitam reuocandi.

CAPVT IV.

De Suffragijs pro defunctis.

36 Tria genera Suffragiorum.

NOtandum est: Esse tria genera *Suffragiorum*; nempe Sacrificium Missæ, Orationem, & Eleëmosynam: ad quam tertiam partem referenda sunt quælibet opera pœnalia, & satisfactoria; vt ieiunium, cilicium, peregrinationes, & similia. His adde Indulgentias, quia per eas opera satisfactoria aliorum applicantur defunctis.

An restitutio rei alienæ numeretur inter suffragia.

Restitutio autem rei alienæ non est quartum genus *Suffragij*, vt quidam voluerunt. Nam siue fiat restitutio, siue non fiat, hoc defuncto nec obest, nec prodest, per se loquendo. Deus enim non punit, nisi culpam propriam in vita contractam. Nisi fortè hæc restitutio fiat per modum eleëmosynæ; vt, v. g. quando fit ab eo, qui non tenebatur restituere; vel certè nisi fiat meritoriè ex amore iustitiæ: omne enim opus bonum potest referri ad alterius auxilium per modum deprecationis. Ad huiusmodi restitutionem referendæ sunt quædam animarum apparitiones, petentium vt fieret restitutio quarundam rerum, quas ipsæ neglexerant: vel certè ad instructionem viuentium factæ sunt, vt quisque in vita restitutionem faceret.

DVBIVM I.

Vtrùm Ecclesiæ Suffragia prosint defunctis?

37 Est de fide suffragia defunctis prodesse.

REspondeo: Fide tenendum est, prodesse. Patet ex testimonijs Scripturæ, 2. Machab. 12. & ex Concilijs ac Liturgijs suprà citatis. Idem docent quoque omnes Patres, vt videre est apud Garetium in libello *de Oratione pro defunctis*. Ratio est, quia Ecclesia vniuersa est vnum quoddam corpus, cuius caput est Christus: ergo necesse est, vt omnes ad hoc corpus pertinentes, tanquam membra inter se communionem habeant: atqui ad hoc corpus pertinent ij, qui in charitate defuncti sunt, vt docet D. August. lib. 20. de Ciuit. cap. 9, *Neque piorum anima mortuorum separantur ab Ecclesia Dei, quæ etiam nunc est regnum Dei: alioqui nec ad altare fieret eorum memoria.* Et infrà: *Cur enim ista fiunt, nisi quia fideles, etiam defuncti, eius membra sunt?*

Hinc sequitur, defunctos, cùm ope egeant, ab alijs in Ecclesia posse iuuari; sicuti membrum vnum laborans adiuuatur ab alio. Confirmatur: quia viui prosunt viuis, vt patet Iacobi 5. v. 16. *Orate pro inuicem, vt saluemini.* Quin imò ipsi Apostoli preces fidelium sæpè expetierunt. Cur non etiam prosint mortuis, qui & magis egent, & minùs semetipsos iuuare possunt?

Dices: Ecclesiastæ 9. v. 5. dicitur, *Mortues non habere amplius mercedem, nec partem in hoc sæculo, in opere quod sub sole geritur.*

Respondeo: Sensus est, eos non posse amplius mereri, neque habere communionem cum viuentibus in rebus temporalibus huius mundi.

DVBIVM II.

Vtrùm omnibus defunctis Suffragia prosint?

REspondeo: Non prodesse damnatis, neque etiam beatis, si propriè loquamur: sed his solùm qui in charitate defuncti aliquo reatu pœnæ temporalis tenentur. Est communis sententia Patrum, & Doctorum dist. 45. Vide S. Augustinum in Enchiridio cap. 110. & libro *De cura pro mortuis habenda*, cap. 1. vbi ait; *Ecclesiæ Suffragia pro valdè bonis esse gratiarum actiones; pro valdè malis nulla esse adiumenta mortuorum; pro non valdè malis esse propitiationes.* Vbi per *nõ valde malos* intelligit eos, qui in Purgatorio sunt, habentque culpam venialem, vel reatum pœnæ temporalis. 38 Nec damnatis, nec beatis prosunt; sed solis defunctis in charitate.

Nec obstat, quòd Patres aliquando dicant, *Sacrificium offerri pro Apostolis, & Martyribus*; vt Chrysostomus in Liturgiâ. Tantùm enim volunt dicere, *offerri pro gratiarum actione de eorum victoriâ in certamine huius vitæ, & gloriâ in cœlo obtentâ*; sicut S. Augustinus dicit, *Suffragia pro valdè bonis esse gratiarum actiones*. Ita quod in quibusdam Missæ orationibus dicitur *Sacrificium prodesse Sanctis ad gloriam, ad honorem*, intellige vel de gloriâ quadam & gaudio accidentali, vel potiùs de gloria apud homines, idque ad hominum vtilitatẽ. Colligitur ex Capitulo *Cùm Martha*, de Celebratione Missarum. Quo sensu dicatur offerri Sacrificium pro Apostolis, &c.

Contrà obijcitur Primò: Diuus Augustinus in Enchiridio cap. 110. sic ait: *Quibus prosunt Suffragia, aut ad hoc prosunt, vt plena fiat remissio, aut vt tolerabilior sit ipsa damnatio*: ergo prosunt damnatis. Confirmatur ex Innocentio III. Capitulo *Cùm Martha*; vbi dicit, *Mortuis valdè bonis non opus esse suffragijs; valdè malis non prodesse suffragia; mediocriter bonis prodesse ad expiationem, mediocriter malis ad propitiationem*: quo vltimo membro non videntur posse alij intelligi, nisi damnati. 1. Obiectio ex Augustino & Innocentio.

Respondeo: Diuum Augustinum *Tolerabiliorem damnationem* vocare *pœnam Purgatorij mitiorem*, vt patet ex verbis præcedentibus, vbi docet, *Suffragia non prodesse valdè malis, sed solum mediocriter bonis, qui sunt purgandi & saluandi.* Ad Confirmationem: Fortè Innocentius per *mediocriter bonos* intelligit eos, qui nullam habent culpam, sed solum reatum pœnæ, dum hinc excedunt: per *mediocriter autem malos*, eos, qui habent culpas veniales. Soluitur.

2. Obiectio, de Traiano, & alijs ex inferno saluatis.

Obijcitur Secundò: Damascenus *Oratione de ijs qui in fide dormierunt*, dicit Traianum precibus S. Gregorij ex inferno liberatum: & animã cuiusdam Falconillæ paganæ feminę precibus S. Theclæ primæ martyris. Idem refert ex Palladij historia Lausiacâ, cranium cuiusdam idololatræ respondisse S. Macario, *Damnatos sentire aliquod solatium, quando pro ipsis preces offerret.*

Soluitur.

Respondeo: Exemplum istud de Traiano vìderi totum fictitium; vt docet Canus lib. 11. De locis, cap. 2. & 3. & multi recentiores. Quomodo enim credibile est, Traianũ, qui non tantùm fuit idololatra per omnem vitam, & infinitos Sanctos affecit martyrio, & præposteræ libidini deditus fuit, sed etiam voluit statuam suam adorari; post quingentos annos, ob opus misericordiæ planè naturale viduę præstitum in infidelitate & peccato mortifero, ex inferno esse liberatũ; aut B. Gregorium ob tantillũ opus id à Deo petere voluisse? Adde, in eâdem historiâ dici S. Gregorium ob hanc petitionem fuisse punitum perpetuo stomachi dolore. Quomodo ergo in re tanta fuit exauditus, si petendo peccauerit? Dicendum ergo, Damascenum non esse auctorem istius orationis, sed Græcum aliquem parum eruditum. Nam in eadem oratione dicitur, *Multos alios infideles in inferno fuisse à Christo illuc descendente, & prædicante conuersos, & saluatos*: quod est error exploratus & euidens. Similiter apocrypha est illa historia de cranio: tum ob alias causas, tum quia in Palladio non reperitur. Neque etiam credibile est, Macarium pro damnatis orare consueuisse.

DVBIVM III.

Vtrùm Sancti in cælis orent pro defunctis?

39 Don. Soto negat.

DOminicus Soto dist. 45. quæst. 3. art. 2. negat; eò quòd oratio Sanctorum non sit satisfactoria: Suffragia autem non prosint, nisi per modum satisfactionis.

Affirmatur.

Sed hæc sententia defendi non potest. Primò, Quia Lucæ 16. v. 9. dicitur: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt, cùm defeceritis, excipiant vos in æterna tabernacula*: in quem locũ vide Ambros. in Comment. & August. lib. 21. de Ciuit. cap. 27. Secundò: Quia Ecclesia in oratione, *Deus veniæ largitor*, rogat Deum, vt *B. Virgine, & omnibus Sanctis intercedentibus, animas defunctorum ad perpetuæ beatitudinis consortium perducere dignetur.*

Soti ratio soluitur.

Ad rationẽ Soti, Resp: Etsi oratio Sanctorũ nõ sit satisfactoria, est tamen impetratoria, & sic applicat quodãmodo animabus Christi satisfactiones. Precãtur enim Sancti, vt Deus propter Christi & Sanctorum satisfactiones illis condonet; quomodo etiam nobis gratiam impetrant; quamuis Deus non statuerit nobis gratiã conferre, nisi interueniente aliquo merito, saltem Christi; vt alibi dictum est.

DE SACRAMENTO EXTREMAE VNCTIONIS.

Circa Quæstionem 29. 30. 31. 32. & 33.

CAPVT I.

De Essentialibus huius Sacramenti.

DVBIVM I.

Vtrùm Extrema Vnctio sit verum nouæ Legis Sacramentum?

1 Hæretici negantes.

PRimi, qui hoc Sacramentum sustulerunt, videntur fuisse Waldenses; vt refert Thomas Waldensis Tom. 2. cap. 163. Hos secutus est Wicleff, & demùm hæretici nostri temporis.

Sententia affirmans est de fide.

Sed certâ fide tenendum est, extremam Vnctionem esse verum & propriè dictum nouæ legis Sacramentũ. Patet ex Concilio Trident. sess. 14. can. 1. De extremâ Vnctione: *Si quis dixerit, extremam Vnctionem non esse verè ac propriè Sacramentum à Christo Domino nostro institutũ, & à B. Iacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentũ humanum, anathema sit.* Idem patet ex Concil. Florentino, cui interfuerunt Græci, & simul cum Latinis approbarunt Armenorum instructionem.

Expẽditur locus Marci 6. de Vnctione ægrorum.

Probatur Primò: Marci 6. *Vngebant* (Apostoli) *oleo multos ægros, & sanabant.* Hunc locum intelligi de hoc Sacramento probat multis Maldonatus; & insinuat Hieronymus in Commentario huius loci, dicens: *Cum vngunt oleo ægros, infirmitatem fidei virtute corroborant*; vbi satis indicat, se non loqui de dono miraculorum, sed de Sacramento interius sanante. Clariùs adhuc Beda, Theophylactus, Oecumenius, Euthymius, Albertus Magnus, & Dionysius Carthusianus in hunc locum Marci, & Beauxamis tom. 2. fol. 516. Thomas Waldensis suprà, Alphonsus à Castro verbo *Extrema Vnctio*. Petrus Soto lect. 1. Francis. Victoria lect. 213. Probatur: quia omnia hîc insinuantur, quæ ad rationem huius Sacramenti pertinent; Materia remota, *Oleum*; propinqua, *Vnctio*; Minister, *Apostoli*; sub quibus intellige *Sacerdotes & Presbyteros*, Apostolorum in hoc successores: subiectum quod vngitur, *Infirmi*; effectus, *Sanatio*, corporis scilicet & animæ: non enim sanabant Apostoli corpore, nisi quos etiam sanabant spiritu. Et quamus hîc non exprimatur formula verborum, dubitandum tamen non est, quin aliquam adhibuerint; vt etiam fatentur ij, qui existimãt hîc agi de dono miraculorum. Confirmantur hæc omnia: Quia parum credibile est, Dominum præcepisse Apostolis vnctionem olei ad curandum corpus per donum miraculorum, quia hęc vnctio multum detraxisset miraculo; visi enim fuissent virtute olei curasse; quod quidam hæretici, inter quos Wicleff, & aliqui Caluinistæ, dixerunt: ergo præcepit eam vnctionẽ ad significandam & efficiendam potissimum in-

mùm internam animæ curationem, quæ fit Sacramenti virtute.

Soluuntur obiectiones.

Dices Primò: Hoc Sacramentum non potest conferri, nisi à Presbyteris: atqui Apostoli tunc non erant Presbyteri: ergo.

Respondeo: In principio fundationis Ecclesiæ multa fiebant extraordinariâ viâ & potestate, donec omnia essent constituta: sic Apostoli baptizabant, quod tamen solius est Sacerdotalis officij.

Dices Secundò: Hoc Sacramentum non potest conferri, nisi baptizatis; Apostoli verò vngebant etiam non baptizatos.

Respõdeo: Credibile est eos vnxisse solos baptizatos, præsertim cùm iam antè multi essent baptizati. Vnde enim constare potest de contrario? His adde: saltem hîc omnium sententiâ insinuari Sacramentum extremæ Vnctionis, vt expressè docet Concilium Trident. siue insinuetur directè, siue tamquam in figurâ.

2 Expenditur locus Iacobi 5.

Alius locus est Iacob. 5. v. 14. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo, in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* his verbis, præterquâ quod Apostolus indicet materiam, formam, effectum, & ministrũ, vt inquit Concil. Tridentinũ, etiam clarè insinuat esse verum Sacramentum. Tria enim tantummodò ad rationem Sacramenti requiruntur, vt hæretiti cõsentiunt: Primò, Symbolum externum. Secundò, Promissio gratiæ. Tertiò, vt non sit institutum temporale, sed perpetuum. Atqui hæc tria apertè hîc habemus: Symbolum enim externum est *Vnctio olei cum oratione fidei:* Promissio cernitur in *alleuiatione infirmi, & remissione peccatorum:* Perpetua duratio indicatur, cùm ait: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros &c.* insinuans hunc ritum esse frequentandum, quamdiu infirmi in Ecclesia erunt.

Obiectio hæreticorum.

Respondent hæretici, Apostolum loqui de Vnctione, non Sacramentali quę gratiam cõferat; sed de alia quadam tunc adhiberi solitâ ad curationẽ corporum per donum miraculorum. Vnde nunc, quando hoc donum cessauit, superstitiosam esse huiusmodi vnctionem. Quòd autem de tali vnctione loquatur, probant, eò quòd vtatur verbis significantibus sanitatem corporalem, vt ἐγερεῖ, id est, *excitabit ad hilaritatem, & saluabit.*

Solvitur.

Sed contrà: Primò: Donum miraculorum non solùm infirmis prodest, sed etiam cœcis, claudis, mutis, mortuis: & tamen Apostolus solos infirmos vult vngi. Secundò, Si loqueretur de dono miraculorum, non præscriberet *oleum*; hoc enim donum non est oleo alligatũ. Imò si quâ re Deus nos vult vti, ea ferè est inutilis & perniciosa morbo, vt virtus diuina appareat illustrior. Sic Moyses læsos à serpentibus curauit aspectu serpentis ænei, Numerorum 21. Elisæus aquâ Iordanis curauit lepram Naaman 4. Reg. 5. Isaias caricis, id est, ficubus siccis, curauit vlcus Ezechiæ, quæ tamen vlceribus sunt perniciosæ, Isaiæ 38. Dominus cœcum curauit luto, Ioannis 9. Petrus infirmos sanauit vmbrâ, Actor. 5. Tertiò, Cur Apostolus iussisset potiùs *Presbyteros* adduci, quàm alios, cùm nec ipsi omnes, nec soli donum curationum haberent? Quartò, Per donum miraculorum non remittebantur peccata: atqui Apostolus dicit, per hanc *vnctionem, & orationem fidei remitti peccata*. Quintò, Non est credibile Apostolum præcipere fidelibus, vt miracula quærant, quæ *Infidelibus in signum sunt*, non autem *fidelibus*. 1. ad Corinth. 14. Denique, si ageretur de dono curationum; nemo fidelium illius temporis obijsset mortem; quia donum illud habebat infallibilem effectum, & Apostoli promissio est absoluta: *Oratio fidei*, inquit, *saluabit infirmum*. Vnde patet eum nõ principaliter loqui de salute corporis, quæ frequenter non sequitur; sed animæ, quæ semper sequitur, si homo sit dispositus.

Quid prõ priè significet ἐγείρω.

Ad rationem in contrarium: Verbum ἐγείρω, *excito*, non solùm ad corpus pertinet, sed etiam ad animum: significat enim in Scripturis, *pellere mœrorem, torporem, negligentiam:* Ad Rom. 13. v. 11. *Hora est iam nos de somno surgere.* 2. Petri. 3. v. 1. *Excito sinceram vestram mentem*. Similiter σῴζω *Saluo* etiam ad animum pertinet. Nec obstat quòd etiam salutem corporis significet, quia extrema Vnctio interdum corporaliter saluat, quando ita expedit. Rectissimè ergo vocabulum commune positum est, quo effectus huius Sacramenti exprimeretur. Vide Maldonatum suprà, & Bellarminum de hoc Sacramento, & Valentiam.

3 Ex Conciliis.

Probatur Secundò: Ex Conciliis, præter Concilia iam antè citata. Vide Concilium Cabilonense II. tempore Caroli Magni habitum, cap. 48. & Aquisgranense II. can. 8. & alia quædam Prouincialia.

4 Ex Patribus. Innocent. I.

Probatur Tertiò: Ex Patribus. Innocentius I. epist. 1. cap. 8. multa scribit de hoc Sacramento, respondens Episcopo Eugubino, qui illum de hoc consuluerat: Primò, dicit locum Iacobi esse intelligendum de omnibus fidelibus ægrotantibus, qui sacro oleo chrismatis perungi possunt, *quo, ab Episcopo confecto, non solùm Sacerdotibus*, inquit, *sed, omnibus Christianis vti licet in suâ vel suorũ necessitate inungendo*, id est, *vt vngantur*. Secundò dicit, *Non solum Episcopis, sed etiam Presbyteris licitũ esse hoc Chrismate, id est, hac vnctione alios vngere.* Tertiò, solius Episcopi esse, *benedicere.* Quartò, illis, quos non pœnitet peccatorum, non posse conferri; *Quia genus*, inquit, *Sacramenti est: nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur concedi posse?* Eadem verba Innocentij refert Concilium Wormatiense circa annum Domini 868. can. 72. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio; *Sacerdotes*, inquit, *non solùm quando nos regenerant, sed etiam postea habent potestatem indulgendi peccata: Infirmatur, ait Apostolus, aliquis ex vobis? adducat presbyteros Ecclesiæ, & vngant eum oleo.* &c. D. August. serm. 215. *de Tempore*, monet vt infirmi Eucharistiâ sumant; deinde Iacobi Apostoli præceptum seruent: *Infirmatur quis in vobis?* &c. Idem docet Beda, & alij suprà citati.

Concil. VVormatiense. Chrysostomus. Augustinus.

Probatur Quartò: Ratione. Sacramenta sunt instituta in remediũ peccatorum, & ad vincendas tentationes, & ad progressum virtutum: sed in exitu vitę maximè egemus gratia & auxilio ad delenda peccata, & vincendas tentationes, & ad excitandum animum in amorem cœlestium; quia tunc maximas patimur difficultates, cùm & diabolus omnes suas vires exerit, & morbus mentem deprimit, & timor mortis ac damnationis miram anxietatem adfert: ergo, si vnquam est necessarium Sacramentum, est vel maximè in illo statu necessarium.

5 Ex Ratione.

Et confirmatur: Quia si Christus instituit aliqua Sacramenta pro initio vitę & progressu, con-

sentaneum fuit, vt etiam institueret aliquod pro exitu, quia tunc maximè opus est, & homo minimè aptus est vt se ipsum iuuet. Dices: Sufficere confessionem & Eucharistiam. Respondeo: Vniuersè non sufficere: tùm quia sunt plurimi, qui tunc nec confiteri, nec Eucharistiam sumere possunt; tamè hoc Sacramẽto possunt ab æternâ morte liberari: tum quia tunc singulari est opus auxilio, ergo & singulari Sacramento: tum deniq; quia post confessionem & Eucharistiam manent reliquiæ peccatorum impedientes ingressum cœli: ergo oportebat esse Sacramentum aliquod, quo illæ propriè abstergerentur, & mens ad cœlestia disponeretur.

DVBIVM II.

Vtrùm extrema Vnctio sit vnum Sacramentum?

6 REspondeo: Esse vnum Sacramentum, etsi constet varijs vnctionibus, & formulis verborum partialibus. Vide D. Thomam. Sed dubiũ est: Vtrùm plures istæ vnctiones ita pertineant ad rationem Sacramenti, vt, nisi omnes adhibeantur, saltem quæ in locis sensuum adhiberi solent, nihil sit actum, id est, non sit Sacramentum?

7 Dominic. Soto. Dominicus Soto multique alij putant, illas vnctiones omnino esse necessarias ad rationem Sacramenti, adeò, vt ante vltimam nihil efficiatur. Ratio est: quia hoc Sacramentum applicatur homini in modum perfectæ medicinæ ad curanda vulnera interiora: ergo de eius ratione est, vt applicetur ad omnes sensus externos, tanquam ad omnes radices vulnerum animæ interiorum. Patet consequentia: quia alioquí non habebit rationem perfectæ medicinæ; non enim significabit perfectam curationem.

In singulis vnctionibus est ratio Sacramenti. Verùm altera sententia etiam est probabilis, nempe in singulis vnctionibus esse rationem Sacramenti, quamuis omnes ad integritatem vnius perfectę vnctionis concurrant, eo ferè modo, quo suprà q. 73. a. 2. dictum est de Eucharistia. Tenet Scotus d. 23. in fine. Paludanus ead. distinct. q. 1. art. 3. concluſ. 2. & q. 2. sub finem. Ioan. Medina Cod. De confessione, q. 11. citãs pro hac sententia Adrianũ. Insinuat D. Thomas hîc in Corpore sub finem, ad 1. & 3.

Probatur Primò: Quia vnctiones istæ nõ fiunt coniunctim per modum vnius, sed seorsim; & quęque habet suam integram formam, non dependentem à præcedentibus vel consequentibus: ergo &c.

Secundò: Sacramenta statim efficiunt, quod significant: sed vnctio, v. g. oculorum cum suâ formâ significat condonari peccata commissa per oculos: ergo hæc vnctio statim hoc efficit, nec expectatur reliquorum sensuum vnctio: sicuti vt consecretur species panis, non expectatur consecratio vini; aut vt species panis gratiam conferat, non expectatur sumptio speciei vini.

Si vnus sacerdos deficiat, debet alius supplere reliquas vnctiones. Tertiò: Vnum Sacramentum non potest confici à duobus ministris, nisi constet partibus quæ per se sunt Sacramentum, vt patet in Baptismo, Confirmatione, Pœnitentiâ, & similibus, quæ non possunt à duobus ministris successiuè fieri, eò quòd pars Sacramenti non sit Sacramentum: vnũ enim simplex Sacramentum non potest fieri, nisi ab vno ministro. Atqui hoc Sacramentum potest successiuè conferri à duobus ministris; si enim Sacerdos post vnctionem duorum sensuum deficiat, alius debet ei succedere, qui non potest illas duas vnctiones repetere, sed debet progredi ad alias; quod est signum illas duas habuisse suum effectum, & in illis constitisse rationem Sacramenti, vt patet in Eucharistia: si enim post consecrationẽ panis deficiat Sacerdos, qui substituetur, perget consecrare calicem, non verò nouum panem consecrabit.

DVBIVM III.

Vtrùm hoc Sacramentum fuerit à Christo institutum?

8 Affirmatur REspondetur: Istud Sacramentum, sicut & cætera, immediatè esse à Christo institutum, non ab Apostolis. Patet ex Concilio Trident. sess. 7. can. 1. vbi hoc definitur de omnibus Sacramentis, quamuis illud verbum, *Immediatè*, non exprimatur. Et sess. 14. can. 1. definitur idipsum speciatim de hoc Sacramento. Idem clarè colligitur ex verbis D. Iacobi: non enim tam absolutè promitteret virtute illius *saluationem & remissionem peccatorum*, nisi sciuisset illud à Domino esse institutum, cuius soliùs virtute id fieri potest. Vide quæ supra dicta sunt q. 64. art. 2.

Explicatur Magister. Notandum est: Magistrum hoc loco videri sentire contrarium ex Hugone Victorino, qui lib. 2. de Sacramentis part. 15. cap. 2. dicit, *Sacramentum Vnctionis infirmorum ab Apostolis institutum legitur: ait enim Iacobus, Infirmatur quis ex vobis?* &c. Et D. Bonauent. hac distinct. 21. art. 1. q. 2. *Spiritus sanctus*, inquit, *per Apostolos hoc Sacramentum instituit*. Sed fortè explicari possunt, quòd loquantur de institutione promulgatoriâ; sic enim D. Thomas explicat Magistrum: quomodo Moyses interdum *Auctor* dicitur *Veteris legis*.

DVBIVM IV.

Vtrùm materia huius Sacramenti sit oleum ab Episcopo consecratum?

9 Responsio affirmans est de fide. REspondetur Affirmatiuè. Est fide tenendũ. Patet ex Concilio Florentino, vbi dicitur, *Huius Sacramẽti materiam esse oleum oliuæ ab Episcopo benedictum.* & Tridentino sess. 14. c. 1. *De extremæ Vnctione: Intellexit*, inquit, *Ecclesia materiã esse oleum ab Episcopo benedictum*. Idem expresè habetur in Concil. Cabilonensi 2. can. 48. *Secundùm B. Iacobi Apostoli documentum, cui etiam decreta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicitur, à Presbyteris vngi debent*. Idem expresè habet Innocentius I. suprà; & Beda in cap. 5. Iacobi, dicens, *Per illa verba, Vngentes oleo in nomine Domini, significari oleum benedictum, nec posse, nisi ab Episcopis confici.*

Debet esse *Oleum oliuæ*. Et quidẽ quòd debeat esse *Oleum*, patet ex ipsa Scriptura, *Vngentes*, inquit, *Oleo*. Quia verò nullus liquor propriè est *Oleum*, nisi qui ex oliuis exprimitur, ideò necesse est, vt sit *oleum oliuæ*, vt expresè habet Concilium Florentinum. Vnde per *oleum amygdalinum*, *nucum*, *raparum*, &c. nihil efficietur. Ratio primaria est, institutio diuina. Congruentia est, quia *oleum* optimè significat effectum huius Sacramenti. Primùm enim lenit; vnde significat optimè alleuiationem infirmi. Deinde curat vulnera, & intima penetrat: vnde significat

ficat remissionem peccatorum, & vulnerum animæ curationem. Denique significat misericordiã, qua tunc maximè opus est homini, & gratiam Spiritus sancti, qua anima ęgrotantis inuisibiliter inungitur, vt inquit Concilium Tridentinum.

Et quidem benedictũ ab Episcopo.

Ratio verò, cur hoc *oleum* debeat *esse benedictũ*, est similiter diuina institutio. Congruentia est, quòd materia externa, quæ ad Sacramenta adhibetur, huiusmodi sacrâ benedictione debeat veluti disponi, aptari, & eleuari ad formã Sacramentalem; & vt sit idoneũ instrumentũ, per quod gratia cõferatur. Materię quidẽ Baptismi & Eucharistiæ ipso Christi vsu & contactu sanctificatæ & aptatę ad formam sacramentalem fuerunt; vnde non indigent alia benedictione, vt sint idoneæ materiæ. Sed Sacramenti Vnctionis & Confirmationis materiã Christus nunquam est vsus; vnde oportebat vt aliquâ benedictione consecrarentur. Debet autem hæc benedictio fieri ab Episcopo: tum quia in ipso est plenitudo potestatis circa Sacramentorum administrationem: tum quia ab ipso ad sacerdotes omnes potestas descendere debet; vnde etiam meritò ab ipso debent accipere materiam.

Dices: Dispositio materiæ pertinet ad artem inferiorem: ergo hæc benedictio pertinebit ad potestatem, quę sit inferior Sacerdotio, non autẽ ad superiorem.

Respondeo: Dispositio materiæ pertinet ad artem inferiorem, quando is, qui illâ materiâ vtitur, præscribit ei, qui materiam disponit: atqui Sacerdos non præscribit Episcopo, sed contrà Episcopus præscribit Sacerdoti, quomodo illâ materiâ vti debeat. Adde, hoc non debere habere locum in rebus sacris, quarum omnis dispositio & perfectio descendit à supremâ potestate ad inferiores.

DVBIVM V.

Vtrùm hæc benedictio sit necessaria ad essentiam huius Sacramenti.

10 Caietanus. Victoria.

CAietanus suprà q. 73. art. 3. dubitat. Franciscus Victoria, q. 217. negat.

Hæc benedictio est necessaria.

Respondeo & Dico Primò: Omnino esse necessarium, vt oleum sit benedictum. Colligitur ex locis suprà citatis, ex perpetuo Ecclesiæ vsu, & ex communi Doctorum sententia. Fortasse tamen non est necessarium, vt benedictione propria hoc oleum sit benedictum. Videtur enim sufficere benedictio Chrismatis, vt docet Sotus q. 1. a. 3. d. 21. & plures alij.

Fieri debet ab Episcopo.

Dico Secundò: Similiter necessarium est, vt *ab Episcopo sit benedictum*, adeò, vt, si à Sacerdote simplici sit benedictum (nisi fortè id fiat ex commissione Papæ) nihil efficiatur. Probatur: quia Concilia suprà citata id expresè requirunt, præsertim Florentinum & Tridentinum, quæ propter hæreticos hæc omnia distinctè explicuerunt. Baptismi enim materiam aiunt esse *aquam simplicem*, nec requirunt *vllam benedictionem*, nempe, quia non est de essentia, quamuis in cæremoniam adhibeatur. Huius verò Sacramenti materiam expresè affirmant esse *oleum ab Episcopo benedictum*.

Vel ex cõmissione Papæ, à Sacerdote.

Dico Tertiò: Ex commissione Pontificis non est improbabile simplicem Sacerdotem posse hoc oleum benedicere, sicut de Chrismatis benedictione dictum est suprà, q. 72. a. 3.

Animaduertendum est: In necessitate posse addi *oleo benedicto* aliquid olei non benedicti, vt habetur in Capit. *Quod in dubijs*. de Consecratione Ecclesiæ & altaris. Quod intellige, modò id quod additur, minus sit quantitate: vel si non sit minus, saltem fiat additio sensim. Si enim id, quod additur, superet, vel etiam æquale sit, & confertim addatur; id quod auctum est, non censetur esse idem quod antè fuit. Si autẽ sensim fiat additio, semper censetur esse idem, quod immediatè ante erat: vnde cùm anteà esset benedictũ, etiã post additionem censetur esse benedictum. Vide Siluestr. verbo, *Aqua benedicta*; & Fumum ibid. Est enim eadem ratio additionis ad *aquam benedictam*.

11 Huic oleo benedicto addi potest oleum non benedictũ.

DVBIVM VI.

Vtrùm hæc forma sit conueniens: Per istam sanctam Vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum &c.

12 Affirmatur.

REspondeo: Esse conuenientem. Patet ex Concilio Florent. & Tridentino, & vsu Romanæ Ecclesiæ. Consentiunt quoque Doctores Scholastici.

Ratio est: Quia his verbis explicantur omnia, quæ in formâ Sacramenti debent significari. Explicatur enim *causa principalis*, quæ est *Deus*, & *Dei misericordia*; & *instrumentalis*, quæ est *sacra vnctio*; & *effectus*, qui est *peccatorum remissio, alleuiatio infirmi, & sanitas corporis* quæ ex remissione peccatorum sæpè pendet; quæ tria satis insinuantur per verbum, *Indulgeat*.

13 Omnia verba non sunt de essentia huius formæ.

Notandum autẽ Primò: Nõ esse de essentia formę hęc verba; *Per suam pijssimam misericordiam*; satis enim hoc intelligitur in nomine *Dei*, &, *Indulgeat*. Vnde ad essentiam Sacramenti sufficit dicere; *Per hanc vnctionem indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per* &c.

Verba tamen ista, *Per hanc Vnctionem*, multorũ sententiâ sunt repetenda ad singulas vnctiones: alioqui non satis videtur materia exprimi; quod est in praxi securius, quamuis contrarium non videatur improbabile, vt infrà c. 4. dub. 2. dicemus.

Notandum Secundò: Non esse etiam de essentia illa verba; *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Est sententia communis. Nam in solo Baptismo & Confirmatione est necessaria Trinitatis inuocatio.

Neque vnctio in formã crucis.

Notandũ Tertiò: Non necessariò debere fieri vnctionem in formam crucis, sed sufficere simpliciem vnctionem. Est tamen seruanda cõsuetudo.

DVBIVM VII.

Vtrùm sit necessarium, vt hæc forma sit deprecatoria, præsertim cùm nulla aliorum Sacramentorum talis sit?

14 Assertus.

REspondeo: Id esse necessarium. Est communis Doctorum, d. 23. Colligunt ex verbis Apostoli. Sed hæc probatio non videtur efficax; quia Patres passim omniũ Sacramentorũ formas vocant *Preces Mysticas*, *inuocationes Spiritus sancti*, *inuocationes consecratorias*; vt patet ex Dionysio Areopag. cap. 7. parte 3. Hierarchiæ Ecclesiasticæ, &

sticæ, & Cyrillo Hierosol. Catecheſi 2. & 3. mystagogica.

Ratio vtrior.

Verùm firmius argumentum peti potest ex traditione, & vsu Ecclesiæ. Ratio esse potest, quia hoc Sacramentum est veluti pœnitentia quædam infirmorum, qui non possunt per opera bona satisfacere. Confertur ergo illis hoc Sacramentum deprecatoriè, vt significetur dari remissionē peccatorum per hoc Sacramentum ex solâ misericordiâ, nec requiri opera laboriosa, sicut in Sacramento Pœnitentię. Ob hanc causâ videtur Christus hoc modo instituisse.

Deprecatio hæc operatur ex opere operato.

Notandum tamen Primò: Etsi hoc Sacramentū deprecatoriè detur, non tamen habere vim ex deuotione orantiū, vt cæteræ preces; sed ex opere operato, idque propter infallibilem promissionem annexam. Nam Sacramentorum efficacia non pendet ex fide aut deuotione Ministrorum, sed ex Christi certissimâ institutione. Vocat autē Apostolus hanc formam *Orationem fidei*, quia solâ fide intelligitur. Quomodo D. Augustinus tract. 80. in Ioannem, verbum Sacramentale, quod cum elemento operatur, vocat *Verbum fidei*.

An valeat forma Indicatiua.

Notandum Secundò: Si aliquæ Ecclesiæ aliquando vsæ sint illâ formâ indicatiuâ, de qua D. Tho. a. 8. *Vngo hos oculos oleo sanctificato*, &c. credibile est, eas tamen non prætermisisse deprecationem; illamque solùm fuisse veluti præparatoriam quandam cæremoniam. Vel certè dicendum est, quòd eam deprecatoriè intellexerint. Nam variæ fuerunt diuersarū Ecclesiarum in hoc Sacramento conferendo formulæ, vt testatur Eckius homil. 54. de Sacramentis, quæ etsi verbis distinctæ essent, sententiam tamen eandem habere poterant.

CAPVT II.

De effectu huius Sacramenti?

15 Non imprimit characterem.

NOtandum est: Duo hic esse certa: Alterum, hoc Sacramentum non imprimere characterem. Ratio est, quia per hoc Sacramentum non deputamur ad alia Sacramenta conferenda, vel suscipienda, neque accipimus aliquem statum in Ecclesia, sicut per Baptismum, Confirmationem, & Ordinem. Vnde iterari potest, etiam in eodem morbo, quando diu durat, & inæqualis est, ita vt intercedente aliquot hebdomadarum interuallo sæpiùs periculum mortis adferat. Alterū est, hoc Sacramentum interdum conferre sanitatem corporis, quando sic expedit saluti animę; & abstergere peccatorum reliquias: hoc enim expressè affirmant Concilium Tridentinum, & Florentinum. Sed duo hic occurrunt dubia.

Eius effectus.

DVBIVM I.

An hoc Sacramentū semper conferat sanitatem corporis, quando id expedit saluti animæ?

16 Dom. Soto negat.

DOminicus Soto hoc loco negat: & putat Concilia id affirmare, non proponendo dogma Ecclesiæ, sed sequendo opinionem probabilem Hugonis. Ratio ipsius est: Primò, quia interdum fit, vt inunctus conualescens peior euadat; ergo hoc Sacramentum confert sanitatem, etiam dum non expedit animæ. Secundò: sæpè fit, vt multi inuncti non conualescant, quibus tamen expediret ad animæ salutem; augerent enim coronam. Tertiò: sæpè necessarium esset miraculum, nempè quando is, cui expediret sanari, iam pœnè morbo consumptus est.

Improbatur eius sententia.

Sed sententia ista nullo modo est probanda. Nam vtrumque Concilium proponit hoc sine vllâ hæsitatione, sicut & alia, quæ tradit de Sacramentis: ergo proponit tanquam doctrinam Ecclesiæ. Quare dicendum est: Non esse necessarium, vt hoc Sacramentum semper conferat sanitatem corporis quando id expediret animæ saluti; sed satis est, vt interdum id faciat. Nihil enim aliud dicit Concilium Trident. cap. 2. de extrema Vnctione: *Et sanitatem corporis interdum, vbi saluti animæ expedierit, consequitur.* Concilium autem Florent. sic ait: *Effectus verò est mentis sanatio, in quantum autem expedit, etiam ipsius corporis.* Quod intelligi potest generatim, *in quantum expedit iuxta ordinem diuinæ prouidentiæ.*

Nemo sanatur per hoc Sacramentum, nisi id expediat saluti animæ.

Certum ergo est, nunquam sanari aliquem per hoc Sacramentum, nisi id expediat animæ saluti. Vnde si is, qui sanatur, peior euadat, & in peccatis moriatur, non conualuit virtute Sacramenti, sed naturalibus remedijs. Hinc patet respōsio ad Primum argumentum Soti. Ad Secundum; Cōcedo: Non enim dicimus, quòd semper debeat conualescere quando id saluti expediret, sed *Interdum*, prout visum fuerit prouidentię diuinæ. Ad Tertium: Concedo virtute supernaturali conferri valetudinem per hoc Sacramentum, ac proinde quasi miraculosè. Non tamen propriè dicetur fieri *Miraculosè*, quia fit per remedium ordinarium.

Notandum: Hunc effectum significari ab Apostolo, cùm ait; *Et oratio fidei saluabit infirmum.* Etsi enim hæc verba principaliter intelligenda sint de saluatione animę, secundariò tamen intelliguntur de saluatione corporis; vnde & nomen, *saluabit*, commune est.

DVBIVM II.

Quæ sint illæ reliquiæ peccatorum, *quas Sacramentum dicitur abstergere?*

17 Per has reliquias male intelligēs peccata venialia.

QVidam intelligunt *Peccata venialia*. Ita D. Bonauentura, Scotus, Durandus, Richardus d. 23. Ratio est; Quia cùm tria sint genera peccatorum, originale, mortale, & veniale; contra originale, est Baptismus; contra mortale, Pœnitentia; contra veniale, extrema Vnctio.

Sed contrà Primò, quia Apostolus ait, *Si in peccatis fuerit.* Quòd si solùm loqueretur de venialibus, non diceret, *Si*: omnes enim plerumque sunt in peccatis venialibus, & *In multis offendimus omnes*, vt idem Apost. ait cap. 2. Secundò, Apostolus loquitur generatim *De Peccatis*; ergo non oportet restringere ad venialia. Tertiò, quia contra peccata venialia sunt alia remedia: ergo ob illa sola non fuit opus Sacramento.

Sed I. intelligē peccata quæ remanent post sumpta Sacramenta.

Dicendum ergo est: Duplices esse *Peccatorum reliquias* in proposito. Primò, Peccata quæ remanent post alia Sacramēta: fieri enim potest, vt post alia Sacramenta incidat quis in peccatum mortiferum, idque ignoret, ac proinde nequeat confiteri. Hoc peccatum abstergitur per istud Sacramentum cum pœnitentia generali vel virtuali, etiam attritione, sumptum. Et quamuis commune sit omnibus Sacramentis, quòd tollant peccata occulta,

occulta, si quæ inueniant; hoc tamen per accidens eis conuenit, vt suprà dictum est: non enim ad hoc peculiariter sunt instituta. Sed hoc Sacramentum ex suâ principali institutione habet, vt quidquid ex vitâ præteritâ remanet, id omne expiet, idque propter articulum illum, qui tanti est momenti. Hoc indicat Apostolus, cùm ait; *Si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Et Concilium Trident. cap. 3. *Si quæ delicta sint adhuc expianda, abstergit.*

1. intellige torporem, mœrorem, & anxietatem.

Secundò, ad *reliquias* pertinet torpor animi ad res diuinas; mæror ob mortem instantem, & ob ea quæ deseret; anxietas ob incertitudinem salutis; quæ tria dicuntur *reliquiæ peccatorum*, quia ex peccatis orta sunt. Hæc maximè hominem opprimunt in exitu vitæ. Has *reliquias abstergit hoc Sacramentum* certâ quadam mensurâ, quod significat Apostolus, dum ait; *Alleuiabit*, seu, *excitabit eum Dominus.*

Petes: Quomodo hoc fiet? Respondeo: Per auxilium speciale, quod hoc Sacramento confertur, vt verbum græcum ἐγερεῖ indicat, quo auxilio excitatur homo ab illo torpore ad cogitationem & amorem cœlestem, ad consolationem spiritualem, & ad fiduciam diuinæ misericordiæ, *Vt facilius possit morbi incommoda perferre, & tentationibus dæmonis resistere*, vt inquit Concil. Tridentinum, cap. 2.

CAPVT III.

De Ministro huius Sacramenti.

DVBIVM I.

Quis sit Minister huius Sacramenti?

18 Solus Sacerdos est minister.

REspondeo: *Solus Sacerdos* est Minister huius Sacramenti. Est fide tenendum. Colligitur ex verbis Apostoli: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ.* Vbi per *Presbyteros* non possunt intelligi *seniores ætate*, vt exponunt quidam hæretici: tum quia, iuxta vsum Scripturę noui testamẽti & Ecclesiæ, *Presbyter* non significat, nisi solùm Sacerdotem: tum quia neque soli, neque omnes *ætate seniores* habent donum miraculorum, de quo ipsi volunt agi: tum quia horum non est *orare*, sed Sacerdotum: tum deniq; quia Patres hoc loco per *Presbyteros* intelligunt *Sacerdotes*, vt patet ex testimonijs suprà citatis. Vide Concilium Trident. sess. 14. c. 3. & can. 4. *De Sacramento extremæ Vnctionis.*

Dices Primò: Apostolus ait in plurali, *Inducat Presbyteros:* atqui vnus Sacerdos sufficit: ergo non loquitur de Sacerdotibus.

Respondeo: Esse heterosin numeri, id est, pluralem accipi pro singulari; sicut cùm dicimus, *Peccata esse confitenda Sacerdotibus:* Non enim volumus dicere *multis esse confitenda*, sed *alicui è multis.*

Nec in necessitate id potest laicus.

Dices Secundò: Innocentius I. suprà epist. 1. cap. 8. ad Decentiũ, inter cætera ait: *Quo oleo ab Episcopo confecto, non solùm Sacerdotibus, sed omnibus Christianis vti licet in suâ aut suorum necessitate, in vngendo:* ergo omnes Christiani possunt inungere.

Respondet Thomas Waldensis Tom. 2. de Sacramentis, cap. penult. verba Innocentij intelligenda esse de absentia Sacerdotis: tunc enim laicum posse hoc Sacramentum administrare, si infirmus ob periculum non possit expectare. Sed hæc responsio nihil valet; quia nullum est Sacramentum, quod non requirat ministrum Sacerdotem, præter Baptismum, ob summam eius necessitatem; & matrimonium, quod consistit in mutuo contractu nubentium.

Dicendum ergo breuiter: Illud *inungendo*, accipi passiuè, id est, *vt inungantur*; omnes enim Christiani possunt vti hoc oleo, aduocando Sacerdotes in suis & suorum necessitatibus, vt inungantur, scilicet qui in necessitate sunt. Ita Iansenius in cap. 6. Marci. Et facilè patet ex verbis Innocentij: nam sequentibus verbis incipit primùm declarare quis sit minister huius Sacramenti, & ait, esse Episcopum, & Sacerdotem. Habet autem hoc Sacerdos ex proprio officio, & non ex commissione, sicut Diaconus est minister Baptismi tantùm ex commissione.

DVBIVM II.

Vtrùm liceat cuiuis Sacerdoti hoc Sacramentum administrare?

19 Nõ omnis Sacerdos hoc Sacramentum licitè administrat.

DIco Primò: Nemini Sacerdoti licitum est absque facultate administrare vllum Sacramentum, nisi suo subdito, excepto articulo extremæ necessitatis. Ratio est, quia administrare Sacramenta est pascere populum Christianum; imò est primarius actus Pastoralis; vnde non est nisi Pastorum Ecclesię, vel eorum, quibus ipsi commiserint. Imò Clementinâ 1. *De Priuilegijs*, excommunicãtur ipso facto Religiosi, qui clericis aut laicis Sacramentum extremę Vnctionis, vel Eucharistię ministrare, aut Matrimonia solemnizare, sine speciali Parochialis Presbyteri licentia præsumpserint, vti etiam diximus suprà q. 82. ar. 3. in Dub. Alij tamen Sacerdotes non excommunicantur, quamuis id ipsis non liceat, vt rectè Nauarrus cap. 21. Enchiridij, num. 52. & cap. 27. num. 101.

Religiosi hoc administrantes, excommunicantur. Non tamen alij Sacerdotes.

Dico Secundò: In necessitate, quando proprius Sacerdos haberi nequit, potest & debet quiuis Sacerdos inungere infirmum, vt rectè Sotus. Quod est contra Nauar. cap. 27. num. 101: & quosdam alios. Ratio est, quia per hoc Sacramentum fieri potest, vt saluetur is, qui alioquin esset damnandus. Vnde in tali casu censetur adesse ratihabitio Parochi. Et quamuis constaret illum non consentire, censetur tamen Ecclesia consentire, & dare liberam potestatem, quæ non vult infirmum in tali casu eo beneficio destitui.

Quilibet Sacerdos potest in necessitate.

CAPVT IV.

De Suscipientibus hoc Sacramentum.

DVBIVM I.

Quibus hoc Sacramentum conferri debeat?

20 Non potest dari sanis, sed ægris.

REspondeo & Dico Primò: Non posse conferri sanis, sed solùm infirmis morti propinquis. Est certa.

Probatur Primò ex verbis Apostoli: *Infirmatur*, ait, *quis in vobis?* Quòd autem loquatur de graui infirmitate: Patet, tum quia iubet adduci Presbyteros Ecclesiæ; tum quia dicitur, *Oratio fidei saluabit infirmum*; vbi notanda est vox græca κάμνοντα *infirmum*: κάμνω enim significat, *grauiter laboro.*

Probatur

Probatur Secundò : Ex Concilijs & Patribus suprà citatis. Inter cætera Concil. Florentinum sic ait : *Hoc Sacramentum non nisi infirmis, de quorum morte timetur, dari debet.* Et Tridentinum sess. 14. cap. 3. de extrema Vnctione : *Declaratur etiam, hanc vnctionem infirmis adhibendam, illis verò præsertim, qui tam periculosè decumbunt, vt in exitu vitæ constituti esse videantur; vnde & Sacramentum exeuntium nuncupatur.*

Probatur Tertiò : Ratione, Primò : nam hoc Sacramentum etiam valet ad sanitatem corporis recuperandam : atqui non est recurrendum ad remedia supernaturalia, quamdiu suppetunt naturalia, quæ videantur posse iuuare. Secundò : quia hoc Sacramentum est extremum remedium, quod exhiberi potest ægrotis pœnitentiam agere non valentibus, vt per illud reliquiæ peccatorum abstergantur, & ipsi cœlo præparentur. Cuius etiam signum est, quòd Ecclesia hoc soleat conferre post confessionem & communionem.

Neque afficiendis supplicio.

Hinc sequitur, non posse dari ijs, qui afficiendi sunt extremo supplicio, si alioqui non sint infirmi ad mortem; quia ob instantem mortem non dicuntur *infirmi*.

Sed vulneratis.

Vulneratis tamen ad mortem dari potest, & debet; quia sunt verè *infirmi*. Ijs quoque qui vsque ad mortem infirmi sunt, quamuis mox sint extremo supplicio afficiendi, vt passim Doctores tradunt; quia etsi non prosit ad sanitatem recuperandam, proderit tamen quoad primarium effectum.

21 Si detur sano, nihil fit.

Petes : Quid si hoc Sacramentum detur alicui, qui non grauiter ægrotet?

Respondeo: Si detur sano, certum est nihil effici; quia est remedium institutum tantummodò pro infirmis, sicut pœnitentia pro pœnitentibus post baptismum. Vt ergo pœnitentia non esset Sacramentum in eo, qui post baptismum non peccasset, ita nec hæc vnctio, si detur non infirmo.

Si leuiter ægro.

Si infirmitas sit valdè leuis, probabilissimum quoque est nihil effici; quia tam Apostolus, quàm Concilia de graui infirmitate loquuntur.

Si grauiter ægro sed non periculosè.

Si verò sit grauis, non tamen appareat periculosa, probabile est, esse Sacramentum : hoc enim videtur colligi posse ex Concilio Tridentino. Peccant tamen, qui sic scientes conferunt, vel accipiunt; Nam Concilium Florentinum ait, *Non debere dari, nisi infirmo, de cuius morte metuitur.* Idem quoque habet consuetudo Ecclesiæ, quæ debet esse instar legis.

Non expectandus vltimus mortis articulus.

Aduerte tamen Primò : Non esse expectandũ vltimum articulum dum infirmus agat animam: sed maturè conferendã, dum adhuc est integris sensibus, & iudicio medicorum adest notabile periculum vitæ; tum, vt deuotione huius Sacramenti possit affici; tum, vt per hoc ad alacritatẽ, gaudium, & fiduciam excitetur. Hinc qui pestẽ infectus est, vel venenum hausit, si aliam opportunitatem non habet, potest adire ipsum Parochũ dum adhuc robustus est, & ab eo munctus domum reuerti, vt se comparet ad mortem.

Si pestẽ sis infectus. Si venenũ hausisti.

Si dubites, an æger obierit, da sub conditione.

Aduerte Secundò : Si dubitatur, an infirmus obierit, posse ei conferri vnctionem sub tacitâ vel expressâ conditione; nimirum, *si es capax, si adhuc vivis* &c. vt rectè Nauarr. cap. 22. num. 13. estque communis sententia.

22

Dico Secundò : Sacramentum hoc non posse dari pueris ante vsum rationis, aut amentibus à nativitate. Est etiam communis. Ratio est; quia hi non habent, nec possunt habere reliquias peccatorum abstergendas. Forma quoque in ipsis falsa esset; quia non peccarunt per visum, auditum, & alios sensus.

Pueris & perpetuò amentibus ne detur.

Si tamen aliquis amens interdum ratione vsus esset, & hoc Sacramentum saltem virtute & implicitè petijsset (quod fit Christianè viuendo) deberet ei conferri.

Si amens habuerit intervallas.

Idem dicendum de eo, qui subitò per morbum rationis vsu destitutus est, modò tamen anteà non fuerit in aliquo notorio peccato mortifero, vt vsurarius publicus, &c. Vel si fuerit in huiusmodi peccato, ostenderit tamen signa contritionis, vt rectè Nauar. cap. 26. num. 27. & Siluester Verbo *Vnctio*, q. 5. & alij.

Si quis totius peccator.

Petes : Quâ ætate possit hoc Sacramentum conferri pueris?

Quâ ætate possit vel debeat dari pueris.

Respondeo : Quando idonei sunt ad Sacramentum Eucharistiæ. Nam ex consuetudine Ecclesiæ hoc Sacramentum succedit viatico. Vnde ei qui aliquando percepit Eucharistiam, omnino conferri potest, & debet. Ita communiter Doctores, vt Sotus, art. 2. Addo etiam illis dari debere, qui possunt peccare mortiferè, & confiteri, etsi fortè sint octo, nouem, vel decem annorum, quamuis etiam Eucharistiam non perceperint. Ratio est, quia his danda est Eucharistia in periculo mortis, eò quòd opportunius tempus non expectetur, vt suprà dictum est : ergo etiam extrema Vnctio, quæ viatico succedit. Viualdus q. 28. dicit, à pientissimis & doctissimis viris sic practicari.

DVBIVM II.

Quæ corporis partes sint Vngendæ in hoc Sacramento?

23 Quinque sensus necessariò sunt vngendi.

Dico Primò : Vt hoc Sacramentum habeat integram suam perfectionem, necesse est quinque sensuum sedes inungi; nempe sedes oculorum, propter visum; aurium, propter auditum; narium, ob odoratum; labia, propter gustum & locutionem; manus, ob tactum. Patet ex Concilio Florentino, ex vsu Ecclesiæ, & consensu Doctorum. Etsi enim non constet inter Doctores an quinque sensuum vnctiones sint de substantiâ Sacramenti; plerique tamen, & ferè omnes antiqui videntur ita sentire : quidam enim id expressè docent, alij verò dicunt illas esse necessarias. Itaq; omnes in eo conueniunt quòd quinque sensuum vnctiones iure diuino sint adhibendæ, quamuis probabile sit in singulis vnctionibus gratiam aliquam conferri, vt diximus suprà cap. 1. dub. 2. Vnde sequitur non posse vnquam omitti, quando possunt adhiberi : cùm enim non ex instituto Ecclesiæ, sed præcepto diuino sint omnes adhibendæ, non potest Ecclesia dispensare vt aliquando cæteræ prætermittantur, & vna sufficiat. Accedit quòd Ecclesiæ praxis sit in contrarium : nunquam enim tempore contagionis ratione periculi infectionis solet aliqua prætermitti. Facere autem contra communem Ecclesiæ praxim, & communem sententiam Doctorum in re tanti momenti, esset valdè reprehensibile, & temerarium; maximè cùm etiam nouitas omnis in huiusmodi rebus fit vitanda, vt passim Doctores tradunt. Ratio autem cur ad integram perfectionem huius Sacramenti necesse sit quinque sensuum

sensuum sedes inungi, est; quia hoc Sacramentum applicatur in modum cuiusdam medicamenti ad curandos omnes animæ morbos: ergo omnibus morborum radicibus debet applicari; medicina enim ad radicem morbi applicanda est. Primæ autem radices morborum animi sunt quinque sensus, qui etiam sunt veluti quinque ostia, per quæ peccatum intrat ad animam. Debent ergo sedes horum sensuum inungi.

24 Petes: Vtrùm singuli sensus in singulis organis sint vngendi: an verò sufficiat vnctio singulorum sensuum in vno organo, v.g. in vno oculo, in vna aure. Item, an sub vna generali forma omnes istæ quinque vnctiones peragi possint: dum v.g. peste infectum inungis, vt periculum contagionis euites: an verò etiam tunc debeat tota forma ad singulas vnctiones repeti?

Sufficit tamen vnctio vnius organi in quoque sensu. Item vna generalis forma ad omnes sensus.

Respondeo: Mihi valdè probabile est, & quasi certum sufficere vnctionem singulorum sensuum in vno organo, v.g. in vno oculo, vnâ aure, idque sine signo crucis, quamuis celerrimo contactu id fiat & sub vnâ generali formâ: v.g. *Per has vnctiones & suam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid commisisti per visum, per auditum, per odoratum, per gustum & per tactum*, vngendo simul organa singula. Nec opus esse addere in nomine Patris &c. Nam ex Doctoribus constat nec inuocationem Trinitatis, nec signum crucis, nec vnctionem vtriusque organi esse necessariam. Et quamuis forma ex vsu Ecclesiæ ad singulas vnctiones videatur repetenda; hîc tamen ita concipitur vt secundùm communem intelligentiam æquiualeat repetitioni, & singulis vnctionibus respondeat: quod in negotio Sacramentorũ videtur sufficere.

Cautela. Nihilominus tamen non putarem vtendum hoc modo, nisi quando ex morâ esset notabile periculum v.g. dum peste infectum in angusto concluso-que loco inungis: quod tamen periculum rarũ est in tantillo excessu temporis. Alioquin breuiter forma expressè repetenda est ad singulas vnctiones: vti suprà c. 1. dub. 6. dictum est.

25 Vnctio pedum, renum, & vmbilici non est necessaria.

Dico Secundò: Vnctio pedum, & renum vel vmbilici, non est necessaria. Patet, quia multę Ecclesiæ non seruant vnctionem pedum, & renum vel vmbilici: vnde non est hoc vniuersalis Ecclesiæ vsu approbatum. Idem docent Doctores.

Dices: Concilium Florentinum enumerat etiam vnctionem pedum & renum: *In pedibus*, inquit, *vngendus est propter gressum; in renibus, propter delectationem.* Confirmatur, quia non solùm quinque sensus sunt radices peccatorum; sed etiam *vis motiua*, quæ est in pedibus; & *appetitiua*, quæ in renibus.

Respondeo: Concilium Florentinũ enumerat omnes vnctiones, quæ possunt adhiberi, & à quibusdam Ecclesijs adhibentur, idque eo fine, vt omnes approbet; non tamen eas præcipit vt necessarias: nam vnctio renum laudabiliter omittitur tam in viris, quàm in feminis: similiter & vmbilici in feminis. Vnctio pedum commodiùs fieri potest, tamen non est necessaria. Ad confirmationem: etsi *appetitus*, & *vis executiua* sint etiam radices peccatorum; sensus tamen sunt primæ radices è quibus peccatorum tentationes primò oriuntur. Tentatio enim à sensibus transit ad appetitum inferiorem, ab inferiore ad superiorem, à superiore ad vim executiuam. Et idcircò sufficit sedes sensuum vngere.

26 Qui caret aliquo sensu, vbi vngendus?

Dico Tertiò: Qui sensu aliquo carẽt, vel trunci sunt manibus, vngendi sunt in partibus vicinis: vt, si quis cęcus sit à natiuitate, vel careat organo, vngendus est ad locum organi, & qui truncus est manibus, ad partem vicinam. Etsi enim talis non peccauerit per sensum illum externũ, quo semper caruit; potuit tamẽ peccasse per sensum internum seu imaginationem, quatenus sensui externo respondet. Nam, sensus internus est instar quinque sensuum externorum, qui omnia apud se format, quæ in sensus externos cadere possunt. Potuit etiã peccasse per voluntatem v.g. videndi, audiendi. Sic, qui non peccauit per manus ipsas, potuit peccasse per sensum tangendi: qui non peccauit per gressum, potuit peccasse per ipsam vim gradiendi & sese mouendi, illicita conando.

DVBIVM III.

Cùm adhibentur septem vnctiones, in qua tandem detur gratia?

27 Soto putat eam dari in septima.

DOminicus Soto q. 2. art. 3. putant eam primùm dari in septima. *Sicut*, inquit, *consecratio calicis sit per omnia verba illius formæ, quamuis non omnia sint de essentia formæ; nam ex constitutione Ecclesiæ concurrunt ad effectum Sacramenti. Pari modo*, inquit, *si Ecclesia præciperet tribus mersionibus fieri baptismum, nõ daretur gratia ante tertiam mersionem.*

Sed hoc suprà refutatum est: nam posita tota essentia Sacramenti, ponitur quoque Sacramenti effectus, si in suscipiente non sit impedimentum.

28 Duæ vltimę vnctiones nihil operantur sacramentaliter.

Vnde duæ illæ vnctiones nihil operantur sacramentaliter. Ratio est; quia Ecclesia, vel Minister non potest suis additamentis efficere, vt Sacramẽtum, quod iuxta Christi institutionem est essentialiter completum, non habeat statim suum effectum; siue vt ille effectus suspendatur donec illud sit additum. Quare dubitandum non est, completis quinque vnctionibus ad organa sensuum, dari gratiam, nec expectari septimam. Adde, valdè probabile esse, ad singulas vnctiones completâ cuiusque formâ gratiam dari; vt colligitur ex suprà dictis cap. 1. dub. 2.

DVBIVM IV.

Vtrùm extrema Vnctio possit iterari?

28 Vt iteretur, sit morbi status diuersus.

D. Thomas hîc quæst. 33. docet hoc Sacramentum esse iterabile, eò quòd characterẽ non imprimat: possęque etiam in eodem morbo, si ille diuturnus sit, repeti, modò morbus ille diuersos status habeat, ita vt bis hominẽ, interposità nonnullâ cõualescentiâ & temporis tractu, vicinũ morti fecisse videatur. Hinc si quis ex phtisi decumbat, ex qua certum videtur eum non posse diu viuere, & is in aliquo deliquio semel inungatur, non poterit posteà rursus inungi, etiamsi post aliquot menses simile deliquium superueniat: quia morbus ita manet in eodem statu, vt ex eo mors sit expectanda. Vide cetera apud D. Thomam.

DE

SACRAMENTO ORDINIS.

à quæst. 34. vsque ad quæst. 40. inclusiuè.

CAPVT I.

De Essentialibus huius Sacramẽti.

DVBIVM I.

Vtrùm in Ecclesia debeat esse Ordo?

1 Varij sunt gradus seu Ordines in Ecclesia.

REspondeo: In Ecclesia necessariò debere esse *Ordinem*; id est, distinctionem graduũ & ministeriorum sacrorum, per quos alij alijs præsint, & diuina administrent. Ratio est: Primò, Quia Ecclesia est veluti vnum corpus heterogeneũ, quale est humanũ; ad Rom. 12. atqui in corpore debent esse varia membra, quæ habeant distincta officia, inter se ordinata, & quorum aliud influxum habeat in aliud: ergo & in Ecclesia debent esse varij gradus & ordines inter se ordinati, per quos alij in alios sacrum influxum habeant. Secundò, Ecclesia, quæ est in terris, debet imitari cælestem, in qua sunt varij gradus superiores & inferiores: ergo similiter & in ea tales esse debent. Idem cõfirmari potest ex Republica Politica, in qua sunt varij gradus.

DVBIVM II.

Vtrùm conuenienter Ordo *definiatur à Magistro in 4. Sententiarum?*

2 Ordinis definitio.

REspondeo: *Ordinem* rectè sic definiri: *Ordo est signaculum quoddam Ecclesiæ, per quod spiritualis potestas confertur Ordinato.* Addit Scotus, *destinata ad Eucharistiæ ministerium.* Quod explicatur: nam omnis *Ordo*, vel est ad Eucharistiam consecrandã, vt *Sacerdotium*: vel ad ipsos Sacerdotes consecrandos, vt *Episcopatus*: vel denique ad exhibendum aliquod ministerium prę̃uium Eucharistiæ consecrationi, vt reliqui *Ordines inferiores.*

Ordo dupliciter accipitur.

Notandum est: *Ordinem* dupliciter accipi, vt aduertit Scotus dist. 24. a. 3. Primò, Pro ipsa *potestate* seu *gradu*; sicut cum dicimus, in Ecclesia, & in Angelis esse varios ordines: sic accipitur in 1. art. Secundò, Pro *Ordinatione*, seu ritu externo, quo confertur hæc potestas: sic accipitur in 2. art. Ritus enim ille seu cæremonia, quam vocamus propriè *Ordinationem*, est *Signaculum quoddam Ecclesiæ*, id est, *quoddam signum externum in Ecclesia Christi, per quod spiritualis potestas confertur Ordinato*: nempe potestas administrandi & conficiendi Sacramenta, aut ea quæ ad Sacramentorum administrationem, vel receptionem referuntur. Dicitur autem hæc *potestas spiritualis*, quia ad effectũ spiritualem destinatur, siue proximè, siue remotè.

Petes: Cuius rei *signaculum est ordinatio externa?*

Respondeo: Duplicis, nempe *potestatis*, quæ per eam confertur; & *gratiæ sanctificantis*, quæ ad rectã functionem illius potestatis est necessaria.

DVBIVM III.

Vtrùm Ordo, *seu potiùs* Ordinatio, *sit Sacramentum?*

CAluinus lib. 4. Instit. c. 19. §. 31. admittit esse Sacramẽtum, sicut Baptismum & Cœnam. Idem docent Molles confessionistæ; vt patet in Apologia confessionis Augustanæ art. 13. Rigidi Lutherani negant. 3 Hæreticorum contrariæ sententiæ.

Respondeo: Fide tenendum est, *Ordinationem esse verum & propriè dictum nouæ legis Sacramentum.* Vera & Catholica sententia.

Probatur Primò: Ex Script. 1. ad Timoth. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuũ presbyterij.* 2. ad Timoth. 1. v. 6. *Admoneo te, vt resuscites gratiã Dei, quæ est in te per impositionem manuũ mearum.* His locis loquitur Apostolus de *Ordinatione Timothei*, vt docent communiter Patres. Tria autem requiruntur ad rationem Sacramenti propriè dicti; scilicet *Ritus externus, promissio gratiæ, & perpetua eius ritus duratio*: quæ tria hic reperiuntur. Nam *Ritus externus* est *impositio manuum.* vnde Patres, præsertim Græci, *Ordinationẽ*, quę fit ab Episcopo, vocant χειροθεσίαν vel χειροθεσίαν, id est, *manuũ impositionem. Promissio gratiæ* insinuatur, cùm dicitur *gratiã esse datam per impositionẽ*, seu *cum impositione manuũ. Perpetua duratio* indicatur, in eo quòd Timotheus, tanquam Pastor Ecclesiæ acceperit hanc impositionem. Ecclesia autem semper debet habere Pastores, vt patet ad Ephes. 4. 1. Ex Scripturis.

Dices Primò: Illis locis non agitur de gratia iustificante, sed de officio & munere Episcopali non negligendo: Græcè enim non est χάρις, id est, *gratia*, sed χάρισμα, id est, *donum.*

Quid intelligatur per Charisma.

Respondeo: Apostolus per illud nomẽ Charisma, non solùm intelligit munus Episcopale, sed etiam gratiã, ad illud munus ritè obeundum, necessariam: hoc enim nomen commune est, significans omne donum Dei, siue gratum faciens, siue gratis datum; vnde non debet restringi ad nudam potestatem Episcopalem. Quod cõfirmatur: nam Apostolus 2. ad Timoth. 1. cùm dixisset, *Resuscita gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearũ*, statim explicat quæ sit illa gratia: *Non enim dedit nobis Deus spiritũ timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis*, qui spiritus haud dubiè, est gratia sanctificans. Idem confirmatur Ioannis 20. v. 22. vbi Dominus, cùm daret potestatem absoluendi, quæ est pars quędã potestatis Sacerdotalis, simul dedit Spiritũ S. dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis* &c. Atqui in Scripturis nunquam absolutè dicitur *dari Spiritus sanctus*, nisi quando datur gratia iustificans.

Dices Secundò: Christus non ordinauit Apostolos *per manuum impositionem*: nam Lucæ 22. sine vlla cæremonia fecit eos Sacerdotes, cũ ait v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*: ergo.

Respondeo: Etsi Christus ibi *non imposuerit manus*, eò quòd solùm potestatẽ consecrandi contulerit, ad quam etiã modò manus nõ imponuntur; potuit

An Christus ordinarit per manuum impositionem?

potuit tamẽ eas *imposuisse*, Ioan. 20. quando dedit potestatem absoluendi, etsi hoc scriptum non sit, sicut & alia plurima scripta non sunt. Adde: Dominum potuisse dare effectũ Sacramenti sine Sacramento: sicut Apostolis dedit effectum Confirmationis sine Sacramento Confirmationis.

4

2. Ex Concilijs

Chalcedonense,

Florent.

Trident.

Probatur Secundò: Ex Concilijs. Conc. Oecumenicũ Chalcedonense can. 2. *Si quis Episcopus per pecuniam Ordinationẽ fecerit, & pretio vendiderit Spiritus S. gratiam, deponatur:* vbi Concilium vetat *Ordinationem fieri* pro pecunia; quia gratia Spiritus S. venderetur: sentit ergo in eo dari gratiã Spiritus sancti. Idem posteà multa alia Concilia decreuerunt. Denique Conc. Florentinum approbantibus Latinis & Græcis, ait, *Sextum Sacramentum esse Ordinis.* Conc. Tridentinũ sess. 7. can. 1. & seqq. dicit anathema ijs, *qui dicunt Ordinem, aut aliquod ex sex alijs, non esse propriè & verè Sacramentum, aut non conferre gratiam ex opere operato.* Omitto alia loca eiusdem Concilij.

5

Probatur 3. ex Patribus

Innoc. 1.

Ambros.

Augustin.

Leo.

Gregor.

Probatur Tertiò: Ex Patribus. Horũ testimonia vide apud Bellarm. Valentiam, & alios. Innocentius I. epist. 18. c. 3. ad Alexandrum Antiochiæ Episcopum dicit, *Plenitudinem Spiritus S. maximè operari in Ordinationibus Sacerdotum:* & apertè insinuat, *maiorem dari gratiam in Ordinatione, quàm in Baptismo,* quem ibi cum *Ordinatione* cõparat. Ambros. de dignitate Sacerdotali c. 5. *Quis dat frater, Episcopalem gratiam, Deus an homo? Respondes sine dubio, Deus. Sed tamen per hominem dat Deus. Homo imponit manum, Deus largitur gratiam. Sacerdos imponit supplicẽ dexteram, Deus benedicit potenti dextera.* Vide totũ illud caput contra eos, qui ordinant pro pecunia. D. August. lib. 2. contra epist. Parmeniani c. 13. probat *Sacramentum Ordinis* non posse amitti, ac proinde neque iterari, eò quòd Baptismus non possit amitti seu iterari: *Vtrumque enim,* inquit, *Sacramentũ est, & quadam cõsecratione vtrumque homini datur: illud cùm baptizatur, istud cùm ordinatur; & ideò in Ecclesia Catholica vtrãque nõ licet iterare.* Et infrà: *Si enim vtrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & istud amittitur? neutri Sacramento iniuria facienda est.* Vide totum istud caput. Idẽ alibi docet, vt lib. 1. de Baptismo c. 1. D. Leo epist. 81. c. 1. ad Dioscorum, Ordinationem Sacerdotum vocat Sacramentum: *Ieiunantes,* inquit, *& orantes imposuerunt eis manus; vt intelligatis quanta & dantium & accipientiũ deuotione curandum sit, ne tanta benedictionis Sacramentũ negligenter videatur impletũ.* Et epist. 87. c. 1. loquens de ordinatione personarũ indignarum: *Quis,* inquit, *dissimulare audeat, quod in tanti Sacramenti perpetratur iniuriam.* D. Gregorius lib. 4. Comment. in libros Regum c. 5. de Sacramẽto Ordinis loquens, *Qui promouetur,* inquit, *benè foris ungitur, si intus virtute Sacramenti roboretur.* Denique idẽ docent omnes DD. cũ Magistro d. 24.

6

4. et Ratione.

Probatur Quartò: Ratione. Prima est: In *Ordinatione* datur potestas conficiendi & administrãdi Sacramẽta, quibus in Ecclesia Catholica nihil est sanctius: atqui hæc potestas non potest cõuenienti modo exerceri sine gratia iustificante: ergo *in Ordinatione* confertur gratia iustificans; ac proinde Ordinatio est verum Sacramentum. Cõsequentia patet; quia cùm Deus dat potestatem alicuius muneris, simul cõfert ea, quę necessaria sunt ad illud munus ritè obeundum: Dei enim perfecta sunt opera. Secunda ratio est: Non minùs necessaria est gratia ad legitimè conficienda Sacramenta & administranda, quàm ad ea recipienda; conficiens enim magis in illa influit, ac proinde si sit peccator, magis ea contaminat: ergo si in Baptismo tribuitur gratia ad alia Sacramenta conuenienter recipienda, multò magis in Ordinatione dabitur ad omnia Sacramenta conuenienter tractanda & conficienda.

DVBIVM IV.

Vtrùm forma huius Sacramenti conuenienter exprimatur?

7

Cur hæc forma exprimatur primarium verbo *Imperandi.*

REspondeo Affirmatiuè. Notandum Primò: Aptè exprimi formam huius Sacramenti verbo imperandi; vt in Ordinatione Sacerdotis, *Accipe potestatem offerendi:* similique modo in alijs Ordinibus: vt patet ex Cõcilio Florentino, & ex Rituali Romano. Ratio est: Primò, Quia per hoc Sacramentũ confertur potestas ei, qui ordinatur; potestas autẽ optimè confertur verbo imperandi, *Accipe potestatem.* Sic cùm cõstituitur Rex, præsertim à potestate superiore, rectissimè ei diceretur porrecto sceptro, *Accipe potestatem regendi populum.* Secundò, Quia hoc solum Sacramentũ produxit effectũ sibi similem in altero: Episcopus enim per *Ordinẽ* quem habet, confert alteri *Ordinem.* Quare, vt hæc traductio potestatis à potestate significetur, dicitur, *Accipe potestatem* &c. Per hoc enim significatur communicari *Ordinato* eam potestatem, quę est in *Ordinante.* Qualis autem sit hęc potestas, significatur per actum, qui in forma exprimitur.

8

Cur in hac forma non explicetur effectus *Sacramenti.*

Notandũ Secundò: In forma huius Sacramenti non exprimi effectum illum Sacramenti, qui est gratia iustificans, sicut exprimitur in Baptismo, Cõfirmatione, Pœnitentia, & extrema Vnctione. Ratio est, quia hoc Sacramentum non est institutũ primariò in vtilitatem susceptientis, sed aliorũ: illa autẽ sunt instituta ad ipsum susceptientẽ in se sanctificandũ. Vnde in forma huius Sacramenti exprimitur solùm potestas spiritualis, quæ in aliorũ vtilitatem datur; in alijs autem exprimitur gratia sanctificans seu remissio peccatorum, quæ datur in vtilitatem susceptientis.

DVBIVM V.

Vtrùm hoc Sacramentum habeat materiam?

9

REspondeo Affirmatiuè: Hoc enim omni Sacramẽto est cõmune, vt patet ex suprà dictis.

Notandum est: In Sacramentis materiã & formam ad eandem rem significandã adhiberi. Vnde in hoc Sacramento sicut forma significat & exprimit potestatem quę per illud traditur, ita & materia. Instrumenta enim quibus cuiusque Ordinis potestas & officiũ designatur, sunt materia huius Sacramẽti; vt in Sacerdotio calix cũ patena, vino & hostiã; in Diaconatu, liber Euangeliorũ, & sic in cæteris. Verùm cùm in Sacerdotio, non solùm hæc instrumenta porrigantur, sed etiã manus imponantur ab Episcopo: quæritur inter Doctores, vtrùm hæc *impositio manuum* sit necessaria ad essentiam huius Ordinis tanquã pars materię essentialis. Vt autem hæc res meliùs & distinctiùs intelligatur singulari dubio eam excutiemus.

Materia quæ.

DVBIVM VI.

Vtrùm impositio manuum Episcopi sit necessaria ad essentiam Ordinis Sacerdotalis?

10

Negat etiam Soto.

SOtus dist. 24. qu. 1. art. 4. docet hanc impositionem manuum non esse necessariam; neque

etiam verba illa, quæ simul cum impositione proferuntur ab Episcopo, *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseritis &c.* Sed totum Sacramentum Ordinis sacerdotij perfici in porrectione calicis cum vino, patenæ cum pane, tanquam integra materia; & illis verbis, *Accipe potestatem offerendi &c.* tanquã integra forma. Impositione autem manuũ solùm explicari gratiam, & potestatem antè collatã: esse enim cæremoniã sacramentalẽ, non Sacramentũ. Hanc sententiã existimat Sotus esse cõmunem Doctorum. Verũ contraria est certa. Pro qua

11 Impositio manuũ est de essentia Sacramenti Sacerdotij.

Dico Primò: *Impositionem manuum* pertinere ad essentiam huius Sacramenti, sic vt sine ea Ordinatio Sacerdotis sit efsẽtialiter imperfecta. Colligitur ex D. Thoma qu. 37. art. 5. vbi dicit, *Per manus impositionem dari plenitudinem gratiæ:* atqui non daretur gratia, si non esset Sacramentum, sed solùm aliquid sacramentale. Et in responsione ad

D. Thom.

2. dicit Dominum post resurrectionem Ioannis 20. quando dixit, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis &c.* dedisse Apostolis sacerdotalem potestatem quoad actum secundarium, qui est *ligare & soluere*. D. Bonauentura dist. 24. parte 2. q. 4.

Bonauent.

expressè docet, nõ solùm *instrumentorum porrectionem*, sed etiam *manus impositionem* esse materiam, tùm in Sacerdotio, tum in Diaconatu: & initio Ecclesiæ Diaconos esse ordinatos per solam *manuum impositionem*; eò quòd in hac alia instrumenta virtute contineantur, cùm *manus sit organum organorum*. Et infrà dicit, *Impositionem manuum Episcopi* non solùm esse significationem, sed etiam potestatis collationem. Idem expressè docet Scotus dist. 24. art. 3. & Paludanus eadem dist. q. 2. vt omittam recentiores. Vnde patet illam alteram non esse communem, vt Sotus affirmauit.

Ex Scriptura.

Probatur Primò: ex Scriptura. Apostolus 2. ad Timoth. 1. dicit *per manus impositionem dari gratiam*. Confirmatur; quia in Scriptura Ordinatio ministrorum nunquam exprimitur, nisi per *manus impositionẽ*; nec aliud eius symbolum externũ traditur: vt patet Act. 6. v. 6. & c. 13. v. 3: 1. ad Tim. 4. & 5: & 2. ad Tim. 1. Atqui nõ est credibile Scripturã omisso ritu essentiali semper exprimere hoc Sacramentum per cæremoniam extrinsecam.

Ex Conciliis.

Probatur Secundò: ex Concilijs, quæ passim docent *per manus impositionem* ordinari ministros. Vide Concil. Nicænum can. 9. vbi dicit *per manuum impositionem ordinari Presbyterum*. Cõcil. Carthaginense IV. can. 3. dicit *Presbyterum ordinari Episcopo super caput eius manum tenente: simili modo ordinari Diaconum*. Idem confirmat Concil. Trid. sess. 14. c. 3. de extrema Vnctione, dicens; *Ministrum Extremæ Vnctionis esse Episcopum vel Presbyterum rite ordinatum per manus impositionem*. Et sess. 23. can. 4. apertè indicat *dari Spiritum sanctum cùm Episcopus dicit in Ordinatione, Accipite Spiritum sanctum:* atqui hoc dicitur, dum manus imponuntur.

Ex Patribus.

Probatur Tertiò: Ex Patribus, qui expressè docent Sacerdotes ordinari per χειροθεσίαν, id est, *manuum impositionem*. Vide Dionysium Areopagitam lib. de Ecclesiasti. Hierarch. c. 5. parte 2. & 3. Clementem Rom. lib. 8. constitutionum Apostol. c. 16. Ambrosium suprà. & Hieron. in c. 58. Isaiæ.

12 Verba, *Accipe Spiritum S.* &c. sunt de essentia Sacramenti Sacerdotij.

Dico Secundò: Sicut *impositio manuum* pertinet ad essentiam huius Sacramenti, veluti pars materiæ, seu materia partialis; ita hæc verba, *Accipe Spiritum sanctum &c.* pertinent ad essentiam huius Sacramenti, tanquam forma partialis. Docet hoc expressè Scotus dist. 24. art. 3. Et indicat Hieron. in c. 58. Isaiæ cùm ait χειροθεσία *non solùm ad imprecationem vocis, sed etiam ad impositionem manuum impletur*. Vbi per *imprecationem vocis*, intelligit illa verba, *Accipe Spiritum sanctum*. Idem colligitur ex Concil. Trid. sess. 23. can. 4. vbi per verba illa, *Accipe Spiritum sanctũ*, vult dari gratiam: ergo vult esse formam partialem. Probatur; quia, si *impositio manuum* est partialis materia Ordinationis sacerdotalis, ergo debet habere formam sibi respondẽtem: neque enim verba illa, quę in porrectione calicis pronuntiantur, impositioni manuum respondere possunt, cùm diu antè pronuntiata sint, nempe ante Canonem inceptum; impositio verò manuum fiat post Canonem. Idem cõfirmari potest ex Rituali Romano, vbi sicuti porrectioni calicis respondent illa verba, *Accipe potestatem*; ita impositioni manuum ista, *Accipe Spiritum sanctum*.

13 Porrectio calicis & impositio manuũ habent diuersos effectus.

Dico Tertiò: Aliam potestatem & gratiã dari in *porrectione calicis*, aliam *in manuum impositione*. Ita docet Scotus suprà, & Paludanus loco citato. Sequitur ex dictis: nam per vtrumque confertur potestas Ordinato, ac proinde etiam gratia: atqui potestas illa est distincta: alia enim potestas exprimitur dum calix porrigitur, alia quando manus imponuntur. In calicis porrectione significatur & exprimitur potestas consecrandi Corpus & Sanguinẽ Domini; quæ dicitur *Potestas in Corpus Christi verum*: ac proinde hæc potestas confertur & simul gratia ad eius vsum necessaria. In impositione manuum significatur & exprimitur potestas remittendi peccata per Sacramentum Pœnitentiæ, quę vocatur *Potestas in Corpus Christi mysticũ*; ac proinde cõfertur hęc potestas & gratia illi respondẽs.

Ordo Sacerdotalis cõstat duabus partibus.

Hinc patet Sacramentum Ordinis sacerdotalis constare duabus partibus, quarũ quęque suam habeat materiam & formam partialem, & quęque suum conferat effectum; quæ etiam possent distinctis temporibus conferri, vt colligitur ex Gregorio IX. c. *Presbyter*. de Sacramentis non iterandis. Vnde etiam Dominus eas distinctis temporibus dedit: potestatẽ enim consecrandi dedit in cœna; potestatem remittendi peccata, post resurrectionem, Ioannis 20. Vnde nisi impositio manuum ad priorem accedat, ordinatio est imperfecta, & veluti dimidium constituit Sacerdotem, vt qui nondum habeat potestatem remittendi peccata, licet habeat potestatem consecrandi.

14 1. Obiectio ex Florentino.

Sed contrà Obijcitur Primò, ex Soto: Concilium Florent. non meminit nisi vnius materiæ & formæ; scilicet porrectionis calicis cum vino, & patenæ cum pane, & verborum respondentium, & per hęc dicit tradi Presbyteratum.

Soluitur.

Respondeo: Sicut Patres, cùm explicant ritum ordinandi Sacerdotes, non faciunt mentionẽ, nisi *impositionis manuum*, nec tamẽ idcircò negant *porrectionem calicis* esse necessariam: ita Concil. Flor. etsi non meminerit nisi *Porrectionis calicis*, tamen non negat *impositionem manuum*: non enim Concilio propositum erat, exactè explicare omnia necessaria, cùm ea ex libro Rituali Romano petenda sint, ad quem Concilium tacitè remittit, cùm ait, *similiter in alijs* &c.

Petes: cur Concilium potiùs expressit calicis porrectionem, quàm manuum impositionem?

Respõdeo: Fortassis, quia calicis traditio est prima & præcipua pars huius Sacramẽti; vnde sufficiebat hanc expressisse, & reliquas tacitè indicasse.

Obijcitur

a Obiectio quòd vna potestas in altera contineatur.

Obijcitur Secundò: Characteri sacerdotali annexa est potestas remittendi peccata; sed hic character imprimitur *porrectione calicis*: ergo etiam tunc datur potestas remittendi peccata.

Integra Sacerdotis potestas duabus potestatibus constat, vt & integer character duobus characteribus.

Respondeo: Integro characteri sacerdotali annexa est illa potestas remittendi peccata: qui autem porrectione calicis imprimitur, non est integer: nam integer ex duobus constat characteribus, sicut integra Sacerdotis potestas duabus potestatibus constat, quæ diuersis symbolis externis conferuntur. Neque hoc est absurdum, aut contra cõmunem sententiam, vt Sotus existimat. Quando enim datur potestas consecrãdi, datur solùm character huic potestati respondens, in quo hæc potestas fundatur: & quando datur potestas remittendi peccata, datur alius character, cùm sit alia potestas, quæ proinde in alio charactere fundari debet. Neque est vlla ratio, cur non sint duo characteres, sicut sunt duæ potestates.

Dices: Non imprimi nouum characterem per *impositionem manuum*, sed extẽdi dumtaxat priorẽ.

An, & quomodo dici possit extendi Character vel Potestas Sacerdotalis.

Respondeo: Si verè extenditur, ergo reale aliquid ei additur; ac proinde aliquid noui imprimitur, quod nos volumus. Quo modo etiã potestas sacerdotalis potest dici extendi per impositionem manuum ad remissionem peccatorum, quæ potestas anteà solùm se extendebat ad consecrationẽ; nihilominùs tamen aliqua vera & noua potestas confertur, quæ anteà non inerat. Si autem non verè, sed solùm significatiuè extẽdatur character, sequetur etiam per *impositionem manuum* non dari veram potestatem aut gratiam, sed solùm significari potestatem & gratiam antè datam; quod falsum esse ostendimus.

3. Obiectio ex Cap. Presbyter,

Obijcitur Tertiò: In Capitulo *Presbyter*, de Sacramentis non iterandis, definitur, inquit Sotus, *Impositionem manuum non esse de essentia Sacramenti, sicut nec in Subdiacono.*

Soluitur.

Respondeo: Nihil tale dici, sed contrarium insinuari. Sic enim dicitur: *Presbyter & Diaconus cùm ordinantur, manus impositionem tactu corporali (ritu ab Apostolis introducto) recipiunt. Quod si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad huiusmodi Ordines conferendos caute supplendum, quod per errorem extitit prætermissum.* Quòd autem contrarium insinuetur patet: nam pari modo requirit *impositionem manus* ad ordinationem Presbyteri, & Diaconi: atqui in ordinatione Diaconi est omnino necessaria; vt patet Actorum 6. vbi per solam *manus impositionem & orationem* ordinati sunt Diaconi, sine *porrectione libri Euangeliorum*, qui tum nondum extabat: ergo *manus impositio* erat omnino necessaria materia: ergo pari modo in Sacerdotio est necessaria. Deinde, si solùm est cæremonia, cur dicitur *debere cautè suppleri tẽpore ad Ordines conferendos constituto*? Nam quouis tempore suppleri posset, imò parum esset necessarium.

DVBIVM VII.

Vtrùm contactus materiæ sit necessarius ad essentiam huius Sacramenti?

15 Quidam negãt.

PLerique Doctores tenent non esse necessariũ. D. Thomas hîc, Caietanus in Summa, verbo *Ordinandi*. Dominic. Soto q. 1. a. 2. Victoria q. 230. Ratio est: tũ quia hoc Sacramentũ consistit potiùs *in traditione*, quàm *in acceptione*, vt Concil. Flor. indicat; tum quia censetur aliquis accipere, quando manus extendit ad comprehendendũ id, quod porrigitur.

Sententia aiens tutior, & in praxi seruanda.

Hæc sententia probabilis est, non tamen certa. Vnde contrarium tutius est, & in praxi seruandũ; nempe, vt ea quæ porriguntur, benè tangantur, præsertim in Sacerdotio, vbi *calix & patena tangenda*. Si enim altera sententia fortassis in re, vera non sit, excusaberis quidem à peccato, quòd bona fide non tetigeris; tamen hæc bona fides non poterit supplere defectum essentialem Sacramenti. *Hostia* autem satis contingi censetur, dum tangitur *patena*; sicut *vinum*, dum *calix* tangitur. Bonum tamen est esse diligentem etiam *in Hostia tãgenda*. Aduerte tamen: Non esse necessarium, vt contactus materiæ, & formæ prolatio simul fiãt: satis est vt moraliter simul fieri censeantur, etiamsi alterum nonnihil præcedat alterum. Ita Sotus hîc & alij.

16 D. Thomæ, benignè explicãdus.

Notandum circa ea, quę D. Thomas habet hîc q. 34. a. 5. in Corpore, & ad 3. quædam non videri solida, nisi benignè explicentur. Nam Primò certũ est, spiritalẽ potestatem, quæ confertur in hoc Sacramento, nõ solùm causari à Ministro, sed etiam ab ipso Sacramento, ac proinde à materia & forma huius Sacramenti. Quare hæc materia & forma non tantùm adhibentur ad determinandam potestatem, quæ à Ministro traditur, sed etiam ad caussandam: quin imò Minister non caussat immediatè ipsam potestatem, vel characterem, vel gratiam, sed solùm mediante Sacramento. Secundò certum est, effectum, qui in alijs Sacramentis confertur, non solùm esse à Deo, sed etiam à Ministro, quamuis mediante Sacramento. Vnde ex hac parte non videtur statuendum discrimen inter Sacramentũ Ordinis, & alia Sacramenta. Verùm hoc solùm differunt, quòd effectus huius Sacramenti deriuetur à Ministro, tanquam à causa vniuoca, sicut potestas à potestate; in alijs Sacramentis, effectus non ita à Ministro descendat, sed solùm tanquam ab eo, qui applicat materiam habentem diuinitus virtutem Sacramentalem. Et hoc videtur velle D. Thomas.

CAPVT II.

De effectu huius Sacramenti.

DVBIVM I.

Vtrùm in Sacramento Ordinis conferatur gratia & Character. Et an Character Ordinis supponat Characterem Baptismi?

17

REspondeo & Dico Primò: In Sacramento Ordinis confertur gratia & character. De gratia, patet ex dictis suprà du. 3. De Charactere, etiam patet: quia per singulos Ordines datur aliqua peculiaris potestas in ordine ad Eucharistiã. De hoc plura infrà.

Dico Secũdò: Character Ordinis supponit characterẽ Baptismi. Quod adeò verum est, vt si quis careat charactere Baptismi, sit omnino incapax Ordinis: estque id commune Ordini cum cæteris Sacramentis. Baptismus enim tribuit proximam capacitatem ad cætera Sacramenta; vnde dicitur *Ianua Sacramentorum*.

18 *Si non baptizatus ordinetur, & Sacramenta administret, Deus non supplet defectum.*

Notandum est: Id quod D. Thomas ait q. 35. a. 3. in respons. ad 2. *Si contingat non baptizatum ordinari, & Sacramenta administrare, piè credi posse, Christum, qui est summus Sacerdos, suppleturum defectum, dando vltimos effectus Sacramentorũ, nempe gratiam*; parũ habere soliditatis. Nam ex Scripturis, & Patrum traditione non habemus alium modũ

ordinarium iuſtificationis impij, quàm per Sacramentum, vel veram contritionem cum voto Sacramenti. Sicut enim non pertinet ad diuinam prouidentiam ſupplere defectum cauſſarum naturalium, quando illæ cauſæ deſunt, ſed procurare vt ordinariè non deſint; ita non pertinet ad eam ſupplere effectum Sacramentorum, quando ipſa Sacramenta reuerà non exiſtunt, ſed procurare vt omnia neceſſaria ad ipſa ordinariè adſint. Quòd ſi aliquando permittat aliquid abeſſe quod neceſſarium eſt ad ſubſtantiam Sacramenti, non eſt exiſtimandum ſtatim eius effectum ſupplere; ſed eodem iudicio, quo permittit vt aliquid ad ſubſtantiam Sacramenti requiſitum deſit, permittit etiam eius effectum abeſſe.

DVBIVM II.

Vtrùm Character Ordinis ſupponat Characterem Confirmationis?

19 REſpondeo: Non neceſſariò ſupponere. Vnde, ſi non confirmatus ordinetur, verè accipiet characterem & poteſtatem Ordinis: cuius exemplum habemus in Apoſtolis, qui ordinati ſunt in cœna, ſed confirmati in Pentecoſte. Conſentaneum tamen eſt, vt ante ordinationem ſit confirmatus: non enim decet, vt in Eccleſia aſſumatur quis in ducem, qui in ea nondum adſcriptus eſt in militem.

Non eſt mortiferũ ordinari ante confirmationem.

Aduerte tamen: Non videri peccatum mortiferum, ſi ante confirmationẽ ordineris; quamuis id à veniali negligentia excuſari vix poſſit, vt communiter Doctores, Sotus, Victoria, & alij. Nec obſtat Concilium Trident. ſeſſ. 24. cap. 4. *De reformatione*; quia præceptum eius nõ dirigitur ad ordinandos, ſed ſolùm ad Epiſcopos, quibus prohibet ne ordinent nondum confirmatos.

DVBIVM III.

Vtrùm Character vnius Ordinis ſupponat Characterem alterius?

20 REſpondeo: Non ſupponere. Vnde ſi quis ordinetur Sacerdos, qui ante non erat Diaconus vel Subdiaconus, ordinatio tamen eſt valida. Ratio eſt; quia Ordines non habent neceſſariam inter ſe dependentiam, præter Epiſcopatum, qui neceſſariò ſupponit Sacerdotium; vt infrà. c. 4. Dub. 1. nu. 33. dicemus. Notandum eſt; quod

Promotus per ſaltum habet poteſtatem inferiorum Ordinum.

ait D. Thomas, q. 35. art. 5. *Ordinem ſuperiorem virtute in ſe continere Ordinem inferiorem.* Vnde, qui per ſaltum ordinatus eſt Sacerdos, habet poteſtatem, quæ datur per Ordinem Diaconatus, & Subdiaconatus, & per alios inferiores. Imò initio naſcentis Eccleſiæ, Minores ordines, Diaconatus, & Subdiaconatus, non dabantur paſſim omnibus Sacerdotibus, ſed ſolum ſacerdotium; vt notat D. Thomas.

Eam tamen exercere non poteſt.

Aduerte tamẽ circa hæc Primò: eos, qui ita per ſaltum ordinati ſunt, iure Eccleſiaſtico eſſe ſuſpenſos ab executione illius Ordinis, & etiam quodammodò Irregulares, ſic vt nec Ordinem omiſſum, nec vlteriorem, ſine diſpenſatione poſſint ſuſcipere.

Poteſt in eo diſpenſare Epiſcopus.

Aduerte Secundò: Epiſcopum poſſe diſpenſare, tum vt Ordinem omiſſum ſuſcipiant, tum vt etiã ante per ſaltum accepto vtantur, tum vt ad vlteriorem aſcendant; ſi tamen ante diſpenſationem non miniſtrauerint, vt inquit Concilium Trident. ſeſſ. 23. cap. 14. *De reformatione.* Vide Nauar. cap. 25. nu. 71. & cap. 27. n. 242.

CAPVT III.

De diſtinctione Ordinum.

DVBIVM I.

Quot ſint Ordines?

RESpondeo: Ordines Eccleſiaſtici ſunt ſeptem numero. Nempe: *Sacerdotum*, *Diaconorum*, *Subdiaconorum*, *Acolythorum*, *Exorciſtarum*, *Lectorum*, *Oſtiariorum*. Eſt contra hæreticos huius ætatis, qui ſolùm agnoſcunt tres Ordines, ſcilicet: *Epiſcoporum*, *Preſbyterorum*, & *Diaconorum*, eò quòd horum trium dumtaxat fiat mentio in Scripturis; reliquos volunt non eſſe *Ordines*, ſed *miniſteria Eccleſiæ*, ad quæ ſine vlla myſtica Ordinatione pro arbitrio Epiſcoporum, idonei homines aſſumebantur. Sed

21 Septẽ ſunt Ordines.

Probatur ex SS. Patribus.

Probatur: Quia Patres iam inde ab initio Eccleſiæ horum Ordinum meminere. D. Ignatius Epiſtola ad Antiochenos: *Saluto*, inquit, *ſacrum Preſbyterorum cœtum: ſaluto ſanctos Diaconos, ſaluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Oſtiarios, Laborantes, Exorciſtas, Cõfeſſores.* Hic enumerat omnes *Ordines*, præter Acolythum. Et addit duo officia, quę non ſunt *Ordines*, nempe *Cantores*, & *Laborantes*, id eſt, *Sepelientes mortuos*. Et præter hos addit *Confeſſores*, id eſt, qui Chriſti nomen coram Magiſtratibus confeſſi erant. Cornelius Papa epiſtola ad Fabianum, quam refert Euſebius lib. 6. cap. 3. dicit, *In Eccleſia Romana ſuo tempore*, id eſt, circa annum Domini 254. *fuiſſe Preſbyteros quadraginta ſex, Diaconos 7. Subdiaconos 7. Acolythos 42. Exorciſtas & Lectores, cum Oſtiarijs ſimul 52.* Hic enumerat ſeptem *Ordines*. Ijdem numerantur in Concilio Romano priore ſub Silueſtro I. §. *Si quis*, vbi etiam tempora præſcribuntur, quamdiu in ſingulis Ordinibus verſari oporteat. Et in poſteriore ſub eodem Silueſtro cap 3. ijdem numerantur. Concilium Carthaginenſe IV. cui interfuit D. Auguſtinus, à capite 2. vſque ad 9. non ſolùm enumerat prædictos *Ordines*, ſed etiam ſingulorum ritum exponit. Idem ſentiunt reliqui Patres & Doctores Scholaſtici.

Ignatius.

Cornelius.

Concil. Romanũ I.

Concil. Carthagin. IV.

Ratio huius numeri euidens adferri non poteſt. Congruentia tamen, quam habent Doctores, eſt valdè bona. Numerus enim *Ordinum* accipiendus eſt ex diuerſis functionibus ad Euchariſtiam deſtinatis, quæ eſt omnium Sacramentorum vertex. Hæ autem functiones ſunt ſeptem, è quibus quatuor directè pertinent ad ipſum Sacramẽtum, tres ad diſpoſitionem ſuſcipientium. Prima ad Sacramentum pertinens, eſt *Euchariſtiæ conſecratio*: ob hanc functionem eſt *Ordo Preſbyterij*. Secunda, eſt *eius adminiſtratio*: ob hanc eſt *Ordo Diaconatus*. Tertia, eſt *præparatio materiæ in vaſis ſacris*: ad hanc functionem eſt *Subdiaconatus*. Quarta, eſt *præſentatio materiæ ad altare*: ad hanc eſt Ordo Acolythi. Tres reliquæ functiones pertinent ad diſponendos ſuſcipientes, qui ſunt immundi. Triplex eſt enim genus immundorum. Quidam enim ſunt *Infideles*,

22 Ratio huius Septenarij.

Ordinum ſingulorũ functiones.

fideles, qui nolunt credere: hi omnino arcēdi sunt, vt ne symbola quidem Eucharistiæ videant. Ad quos arcendos, & simul ad fideles dumtaxat recipiendos, est *Ostiarius*. Quidam autem volunt quidem credere, sed nondum sunt satis instructi; quales sunt *Catechumeni*. Ad hos instruendos est *Lector*. Quidam credunt, & sunt instructi, sed habent impedimentum ex potestate dęmonis; pro his est, *Exorcista*.

Tonsura non est Ordo.

Tonsura non est Ordo, sed dispositio & proxima quædam capacitas ad munera Ecclesiastica: quia nullam habet functionem, & nullam tribuit potestatem. Canonistæ tamē numerant *Ordinem*. Est quæstio de nomine. Sine tonsura nemo est capax beneficij.

23 1. Obiectio è Patribus.

Contrà Obijcitur Primò: Multi Patres enumerant pauciores *Ordines*, quàm septem: adduntque etiam alios, quàm prædictos. Canones Apostolorū quadragesimus secundus, & quadragesimus tertius enumerant solùm quinque, *Episcopum*, *Presbyterum*, *Diaconum*, *Subdiaconum*, *Lectorem*: & addunt *Cantorem*, qui etiam numeratur inter *Ordines* ab Ignatio, & Concilio Carthaginensi IV. Dionysius Areopagita c. 5. Ecclesiasticæ Hierarchiæ solùm tres enumerat, *Pontificum*, *Sacerdotum & Diaconorum*. Ignatius suprà enumerat sex supradictos, sed omittit *Acolythos*; & addit *Cantores*, *Laborantes*, & *Confessores*. Hieronymus in cap. 19. Isaiæ numerat è dictis solùm tres, *Episcopos*, *Presbyteros*, *Diaconos*: & addit *fideles & Catechumenos*.

Soluitur.

Respondeo: Isti Patres non semper intendunt enumerare omnes *Ordines*: sed interdum aliquos solùm, prout res pręsens postulabat: interdū non solos *Ordines propriè dictos*, sed etiam alia *ministeria*, diuinis obsequijs dedicata recensent; quæ cōmuni ratione *Ordines* dici possunt: sunt enim *officiorum vel statuum gradus*; vt *Cantorum*, *Laborantium*, scilicet in mortuis sepeliendis, *Monachorum*, *Confessorum*. Interdum intendunt enumerare non *Ordines Ecclesiasticos*, sed vel *Hierarchicos* tantùm, vt Dionysius: vel *gradus Ecclesiæ*, vt Hieronymus, qui nomine *Diaconorum* intelligit omnes *Ministros Ecclesiæ infra Sacerdotes*.

24 1. Obiectio quòd sint octo Ordines.

Obijcitur Secundò: Episcopatus videtur esse distinctus Ordo à Sacerdotio: ergo sunt octo Ordines.

Respondeo: Quidam Doctores, inter quos D. Thomas, volunt *Episcopatum* nō esse *Ordinem*, quia non est Sacramentum ordinatum ad ministerium Eucharistiæ. Sed infrà c. 4. dub. 1. ostendemus etiam *Episcoporum Ordinationē* verè & propriè esse Sacramentum. Imò *Episcopatus* etiam ordinatur ad Eucharistiam: nam per *Ordinationem Episcopalem*, datur potestas consecrandi Sacerdotem, qui conficit Corpus Domini; ac proinde *Episcopus*, saltem mediatè, concurrit ad consecrationem Eucharistiæ; nempe per Sacerdotem. Vnde Nauarrus cap. 22. Enchiridij num. 18. concedit esse *octo Ordines*: & rectè, si de re ipsa loquamur. Nā reuerà *Ordinatio Episcopi* specie distinguitur ab *Ordinatione Presbyteri*.

Quo sensu admitti possint octo Ordines.

Verùm, quia communis enumeratio solùm septem Ordines ponit, videndum est qua ratione hoc fiat. Vnde Notandum est: quòd olim etiam nudi *Presbyteri* vocabantur *Episcopi*; vt docet Chrysostomus homil. 1. in Epistolam ad Philippenses, explicans illud v. 1. *Cum Episcopis & Diaconibus &c. Quid*, inquit, *hoc est? Erantne multi vnius ciuitatis Episcopi? Nequaquam: sed Presbyteros ita vocauit*. Tunc enim temporis adhuc vocabulum erat commune, & vicissim veri Episcopi vocabantur Presbyteri, vt ibidem Chrysost. docet: & colligitur ex cap. 4. epist. 1. ad Timoth. *Cum impositione manuum*, inquit, *Presbyterij*, id est, *cœtus Episcoporum*, vt exponunt Patres, Chrysostomus, Theodoretus, Theophilactus, & alij: & ad Titum 1. v. 5. *Vt constituas per ciuitates Presbyteros*, id est, *Episcopos*, vt inquit Chrysostomus. Pari modo nomen *Sacerdotis* commune erat *Episcopo & Presbytero*. Hinc liber Ambrosij & Chrysostomi *De Sacerdotio* inscribitur, id est, *De dignitate Episcopali*. Et hoc modo si nomine *Sacerdotij* vel *Presbyteratus*, comprehendamus *Episcopatum*, sunt solùm *septem Ordines*: videlicet, vnus *Sacerdotis*, qui duplex est, nempè *Sacerdotum minorum & maiorum*, alius *Diaconorum*, alius *Subdiaconorum*, & sic consequenter.

Nomen *Presbyteri & Episcopi* aliquando pro eodem sumuntur.

Sacerdotū *maiorum & minorū* vnus est Ordo.

Obijcitur Tertiò: Apud veteres erant quidam, qui dicebantur *Chorepiscopi*: atqui horum *Ordo* videtur distinctus ab *Ordine Presbyterorū*, & *verorum Episcoporum*: ergo sunt plures *Ordines*, quàm septem.

25 3. Obiectio de Chorepiscopis.

Respondeo: *Chorepiscopi* erant nudi Presbyteri, sic vocati, quod loco Episcopi haberent inspectionem, & curam certorum quorundam locorum, veluti quidam vicarij Episcoporum. Vide Franciscum Turianum in annotatione circa 54. Canonem Concilij Niceni ex Arabico. Hos *Chorepiscopos* Damasus sustulit; vt patet ex 4. eius epist.

Erant hi nudi Sacerdotes.

DVBIVM II.

Vtrùm Ordines *debeant distingui, per* Sacros, *& non* Sacros?

Respondeo: Si *Ordines* secundùm se considerentur, omnes esse *Sacros*: sunt enim Sacramenta; vt infrà cap. 4. dicemus. Si autem considerentur ratione materię, sic propria & peculiari ratione, tres dicuntur *Sacri*, quia circa materiam consecratam versantur. Sacerdotium quidem & Diaconatus *Sacri* dicuntur, quia versantur circa Corpus & Sanguinem Domini vel consecrandum vel administrandum. *Subdiaconatus* verò *Sacer* dicitur, quia versatur circa prępparationē materiæ in vasis consecratis. Reliqui autem dicuntur *non sacri*, eò quòd materiam consecratam non contrectent.

26 Quot ordines *Sacri*, & vnde sic dicti.

Alia etiam ratio assignari solet, ob quam tres illi Ordines *Sacri* vocentur, quia videlicet habent annexum votum continentiæ; *Sacerdotium* quidem *& Diaconatus*, iam inde à temporibus Apostolorū, vt docet Concil. Carthaginense II. cùm ait; *Omnibus placuit, vt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, ab vxoribus abstineant: vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus*. *Subdiaconatus* autem saltem à temporibus Siluestri, qui expresè in Concilio Romano prohibet *Subdiaconis vxorem ducere*. Reliqui verò Ordines numquam talem obligationem habuerunt. Hæc tamen ratio ex priore oritur. Ideò enim illi Ordines continentiam habere debebant, isti verò minimè; quòd illi circa materiā consecratam versarentur, quæ non nisi à puris contrectari debet; isti verò circa non consecratam.

DVBIVM III.

Vtrùm actus Ordinis conuenienter assignentur. Siue, quæ sint singulorum Ordinum Officia?

27 Officia Episcopi.

DIco Primò: *Episcopo* ex officio Ordinis conuenit primariò administratio omniũ Sacramentorũ: Secundariò, consecrare chrisma, oleũ infirmorum, & catechumenorum; item calices, altaria, templa, & alia huiusmodi.

Officia Sacerdotis,

Dico Secundò, *Presbytero*, ex officio tantùm conuenit consecrare Eucharistiam, absoluere, baptizare, & vngere infirmos: non autem ordinare, vel signare chrismate, vel consecrare ea quæ muneris sunt Episcopalis. Aduerte tamẽ ex commissione Pontificis Presbyterum posse omnia, quæ potest Episcopus, excepta ordinatione ministrorum, præsertim Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, vt multi probabiliter tenent; & insinuat Hieronymus epistola ad Euagrium: *Quid facit Episcopus*, inquit, *excepta ordinatione, quod Presbyter non faciat*, id est, non possit facere si ei committatur?

28 Officia Diaconi.

Dico Tertiò: Officiũ *Diaconi* est: Primò, Episcopo & Presbytero in sacrificio, & in omnibus Sacramentis ministrare; vnde & nomen inuenit. Secundò, ex commissione populo Eucharistiam distribuere; vt patet ex Cypriano serm. *De lapsis*: & ex simili commissione baptizare; patet ex vsu Ecclesiæ. Tertiò in sacrificio *Euangelium canere*. Quartò, ex commissione prædicare, publicè pœnitentes reconciliare; & quædam similia, quæ potestatem Ordinis non requirunt, obire: vt patet ex Epistolis Cypriani, & ex Gregorio lib. 4. epist. 88. Quintò, oblationes fidelium colligere, & eleëmosynas Ecclesiæ, præsertim vbi communiter viuebant, administrare. Vbi

Malè statuunt hæretici Diaconi officium in solo ministerio mensarum.

Notandum est Primò: Hæreticos solùm hanc postremam functionem admittere, ex c. 6. Actor. vbi ad ministerium mensarum ordinantur septem Diaconi. Sed hoc facilè refutatur: nam Philippus Diaconus erat, qui tamen baptismo & prædicationi, non autem eleëmosynis distribuendis operã dabat; vt patet Act. 8. Ephesi quoq; Philippus, & in Creta Diaconi erãt, vt patet 1. ad Timot. 3. ad Philipp. 1. & ad Titum 1. vbi tamen Christiani non viuebant communiter, nec opus erat hoc ministerio mensarum. Vide Caietanum Opusculo 11. tom. 1: & Pamelium *annotatione in epist.* 65. *Cypriani*. Dices: Synodus Trullana can. 16. dicit

Synodus Trullana.

septem illos Diaconos, Actor. 6. non fuisse ordinatos, nisi ad ministerium mensarum; & probat ex Chrysostomo scribente in illum locum.

Respondeo: Fortasse non fuisse illos ordinatos ad munus sacrum pro illo tempore obeundũ, sed posteà cùm opus esset. Adde, idem Concilium docere *præcipuum munus Diaconorum esse sacrum*.

Nec primarium Diaconi officium est *canere Euangeliũ*.

Notandum Secundò: Primariam Diaconi functionem non esse, *canere Euangelium*: nam ante Euangelium conscriptum, Diaconi fuerunt. Sed *ministrare Episcopis & Presbyteris in sacrificio, & in omnibus Sacramentis*; vt dictum est. Vnde non solùm ordinantur per *librum Euangeliorum*; sed etiã, & quidẽ potissimùm, per *manus impositionem*; vt patet ex cap. 6. Actor. & ex Concilio Carthaginensi IV. cap. 4. Imò Durandus dist. 24. qu. 3. dicit in

Durandus.

Ecclesia Aniciensi, vbi ipse fuit Episcopus, non solitum dari *librum Euangeliorum* in ordinatione Diaconi, sed solùm *manuũ impositionem*. Nec obstat Concil. Florentinum, quod solùm meminit *porrectionis libri Euangeliorum*; quia non erat ipsius institutum totam materiam exprimere; solùm expressit eam, quæ erat huic Sacramento propria: *Impositio* enim *manus* est communis Episcopo, Presbytero, & Diacono.

Florentinũ explicatur.

Dico Quartò, Officium *Subdiaconi* est ministrare Diacono in sacrificio: nam illi panem & vinũ porrigit in vasis sacris per Diaconum disponenda. Vnde in sua ordinatione accipit *calicem vacuum & patenam*, vt expressè habet Concilium Carthaginense IV. cap. 5.

29 Officium Subdiaconi.

Dico Quintò: Primarium Officium *Acolythi* est, vrceolos cum vino & aqua ad sacrificiũ præparare, vt eos Subdiacono porrigat. Secundarium verò officium est, cum accenso cereo sequi Diaconum ad locum Euangelij. Hinc dictus est *Acolythus*, quasi *pedissequus*; nam etsi præcedat loco, sequitur tamen officio, sicut *pedissequus* præcedens dominum vel dominam suam. Quidam dici volunt *Acolythum*, quasi *minimè prohibitum, & liberum*. Dicitur etiam *Ceroferarius*, quod nomẽ habetur in Concilio Carthaginensi IV. cap. 6. vbi describitur forma ordinationis Acolythi. Vnde Caluinus non habet, quod hoc nomen tanquam magicum calumnietur, cùm D. Augustino, & alijs sapientissimis viris non displicuerit. Conciliũ tamen hoc nomen videtur accipere pro *candelabro*, non pro ipso *Acolytho*: *Accipiat*, inquit, *ceroferariũ cum cereo*. Sed si candelabrum potest dici *Ceroferarium*, quia cereum sustentat, cur Acolythus non possit dici *Ceroferarius*, qui cereum defert? Sic vocatur ab Isidoro, Amalario, Rabano, & alijs. Accipit autem Acolythus in sua ordinatione *vrceolos vacuos, & ceroferarium cum cereo*, vt patet ex Concilio citato.

30 Officia Acolythi.

Nomẽ hoc vnde,

Dicitur etiam Ceroferarius.

Dico Sextò: Officium *Exorcistæ* est legere exorcismos super energumenos ad diabolum expellendum. Vnde in sua ordinatione accipit *librum exorcismorum*. Docet Concil. Carthaginense IV. cap. 7. Ex quo Concilio clarè patet esse *Ordinem Ecclesiasticum*: ait enim, *Exorcistam fieri ordinatione per Episcopum*. Nec obstat, quòd Clemens lib. 8. Constitut. Apostolicarum cap. 26. dicat, *Exorcista non fit ordinatione, sed Dei gratia per Christum, & Spiritus sancti aduentum*: quia loquitur de dono quodam gratis dato ad dæmones pellendos.

31 Officium Exorcistæ.

Dico Septimò, *Lectoris* Officium est legere in Ecclesia ex pulpito, quidquid legendum est ex vtroque testamento: nam etiam Euangelia legere consueuit; vt patet ex Cypriano epist. 33. Non tamen sub sacrificio, sed in alijs conuentibus. *Lectoratum* autẽ esse *Ordinem*, patet ex Cypriano epist. 24. & 33: & ex Concilio Carthaginensi cap. 8. In sua ordinatione accipit ab Episcopo *codicem ex quo lecturus est*; vt inquit Concilium loco citato.

Officium Lectoris.

Dico Octauò: Officium *Ostiariorum* est claudere & aperire fores Ecclesiæ, admittere fideles, repellere infideles & excommunicatos. Accipit ab Episcopo in sua ordinatione *claues Ecclesiæ*, sub certa verborum forma; vt docet Concil. Carthaginense can. 9. Vnde patet esse Ordinem Ecclesiasticum.

Officium Ostiarij.

CAPVT

CAPVT IV.

An singuli Ordines sint Sacramenta gratiam conferentia?

DVBIVM I.

Vtrùm Ordinatio Episcopi sit Sacramentum conferens gratiam?

32 Affirmatur. REspondeo: Quidquid aliqui olim senserint, certum est *Ordinationem Episcopi* esse propriè Sacramentum conferens gratiam. Ita tenet Altisiodorensis 4. parte Summæ, cap. *de Ordine*, Durandus, Scotus, Maior, Paludanus, in 4. dist. 24. Caietanus Opusc. 11. tom. 1. Pet. Soto lectione 4. *de Ordine*, qui rectè dicit id esse fide tenendũ. Idẽ tenent Canonistæ in Cap. *Cleros*, dist. 21. & Cap. *Perlectis*. dist. 25. Glossa in Procœmio 6. decretaliũ in verbo *Episcopus*. Nauarrus cap. 22. Enchiridij nu. 18. & passim recentiores.

Ex Script. Probatur Primò: Quia Scripturæ, quibus ostendimus *ordinationem* esse Sacramentum, non loquuntur de ordinatione nudi Sacerdotis, sed *Episcopi*; vt patet 1. ad Timoth. 4: & 2. ad Timot. 1. Agitur enim ibi de *impositione manuum*, qua Timotheus à Paulo erat ordinatus Episcopus; vt passim docent Patres. Pleraque etiam testimonia Patrũ agunt de *Episcoporum ordinatione*; vt Chrysostomi & Ambrosij suprà, & Leonis epist. 81. c. 1: ergo, nisi hæc ordinatio sit Sacramentũ, neque ex Scripturis, neque ex Patribus, nisi perpaucis, poterimus probare *ordinationem* esse Sacramentum.

Ordinatio Episcopalis imprimit characterem. Probatur Secundò: *Ordinatio Episcoporum* est ritus exterior imprimens characterem & conferens gratiam. Quòd imprimat characterem, Probatur: tum quia non potest repeti; cuius non potest reddi alia ratio, quàm quod relinquat effectum indelebilem, quem vocamus characterem: tum quia hæc ordinatio confert nouam potestatem, quæ nullo modo potest conuenire *Ordini Presbyterali*; scilicet potestatem Ordinandi. Nulla ergo est ratio, cur non det etiam nouum characterem, cùm character sit potestas spiritalis actiua vel passiua.

Ille character diuersus est à Sacerdotali Dices: Non conferre nouum characterem; sed solùm, extendere Presbyteralem. Respondeo: Vel *extendit, addendo aliquid reale*, & hoc satis est: Nam nõ requiritur ad hoc minor efficacia, quàm ad imprimendum nouum; ac proinde illa cæremonia, habens illam efficaciam, erit Sacramentũ. Vel *extendit solùm significatione*, nihil addendo; & hoc non sufficit: cùm enim detur noua potestas, non est ratio cur etiam non detur nouus character, in quo hæc potestas fundetur. Confirmatur; quia character Ordinis est potestas actiua, non physico modo, sed morali, veluti signum quoddam diuini pacti, de cooperando homini ad functiones sacramentales, quod signum debet esse quid reale: ergo imprimit realem characterem. Idem confirmari potest, quia ipsi admittunt, Diacono & Subdiacono imprimi diuersos characteres, eò quòd in illis cernantur diuersæ potestates: atqui maior est diuersitas inter potestatem propriam Presbyteri & Episcopi, quàm inter potestatem Diaconi & Subdiaconi; ergo etiam diuersi sunt characteres Episcopi & Presbyteri.

Hæc Ordinatio etiã dat gratiã. Quòd verò *Episcopalis Ordinatio* gratiam conferat, patet ex Scriptura, & Patribus suprà citatis; & ex eo quòd *Episcopus* duo eximia Sacramenta conferre debeat; scilicet Sacramentum Ordinis, & Confirmationis. Denique ex eo, quòd munus Episcopi sit difficillimum: debet enim gubernare Ecclesiam, præesse omnibus Presbyteris, eosque in omnibus rebus diuinis dirigere. Vnde si ad munus Diaconi & Subdiaconi requiritur noua gratia, eorumque Ordinatio est Sacramentum, vt volunt illi Doctores; multò magis ad munus Episcopi gratia requiretur, eiusque Ordinatio Sacramentum erit.

33 Non potest ordinari Episcopus, qui non est Presbyter. Dices: Si *Episcopi Ordinatio* est Sacramentum distinctum à Presbyteratu, ergo poterit aliquis ordinari *Episcopus*, qui non sit Presbyter: sicut potest quis ordinari Presbyter, qui nõ sit Diaconus; & Diaconus, qui non sit Subdiaconus.

Respondeo: Couarruias lib. 1. variarum resolutionum cap. 10. §. 16. cum quibusdam Canonistis, concedit totum. Verùm omnino neganda est consequentia; sequeretur enim, eum, qui non sit Presbyter, posse alium ordinare Presbyterũ; quod est contra rationem traductionis Ordinum, qui deriuãtur ab Ordine; sicut simile à simili, seu sicut potestas à potestate.

Dices: *Presbyteratum* in *Episcopatu* contineri eminenter, sicut *Diaconatus* in *Sacerdotio*; ac proinde non esse absurdum id, quod infertur.

Non sic Presbyteratus in episcopatu cõtinetur, sicut Diaconatus in Presbyteratu. Respõdeo: Hoc dici non posse: nã si sic *Presbyteratus* in *Episcopatu* cõtineretur, posset quis conferare Eucharistiam & offerre sacrificium, qui non esset ordinatus Presbyteri ordinatione; quod omnino est inauditum, & falsum. Nam sensus Ecclesię est, illam diuinissimam potestatem non dari, nisi per propriam & singularem ordinationem, qua eius ministerium significetur. Neq; simile est, quod adfertur in alijs Ordinibus: Nã Ordo Diaconatus & Subdiaconatus meritò eminenter continentur in Ordine Presbyteri; quia munus Presbyteri est longè excellentius, imò est finis ad quẽ munera inferiora ordinantur. In potestate autem quæ immediatè attingit finem, iure continentur potestates, quę circa media versantur, & quasi eminùs ad finem destinantur. Munus autem *Episcopi* proprium, non est excellentius munere Presbyteri, sed potiùs contrà: nihil enim sublimius cõsecratione Eucharistiæ. Vnde etiam munus Presbyteri non ordinatur ad functionem propriam *Episcopi*, nec in eo continetur. Vide Scotum dist. 24. art. 2.

DVBIVM II.

Vtrùm Episcopus *iure diuino sit maior, seu superior* Presbytero?

34 Nostri hæretici negant. HÆretici nostri negant, secuti in hoc Aërium, qui teste Epiphanio hęresi 75. docebat *Episcopos non esse Presbyteris maiores potestate Ordinis: neque rectè fieri in Ecclesia, quòd eis concedatur maior auctoritas seu iurisdictio.*

Episcopi sunt Presbyteris maiores potestate Ordinis. Sed fide tenendum est, *Episcopum esse iure diuino, Presbytero maiorem, saltem quoad Ordinis potestatem.* Definitur in Conc. Trid. sess. 23. c. 7. *Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores; vel non habere potestatem Confirmandi & Ordinandi; vel eam, quam habent, ijs esse cum Presbyteris communem, anathema sit.*

Ratio

Quomodo id intelligendum.

Ratio est manifesta: Quia Episcopi possunt ordinare Presbyteros, quod nudus Presbyter non potest; vt etiam expresè docet Hieronymus epist. 85 : ergo potestate sunt superiores. Patet consequentia; qui benedicit, maior est, quàm qui benedicitur. Hoc tamen non sic accipiendum est, quasi *Ordinatio Episcopi*, vel *potestas*, quæ per illam ordinationē confertur, sit excellentior, aut maior ordinatione vel potestate *Presbyteri* (etsi externa cæremonia sit augustior) hoc enim falsum est: nulla enim potest esse potestas, quæ maior sit, quàm potestas consecrandi Corpus & Sanguinem Domini, & absoluendi à peccatis, quæ est potestas Presbyteri: Sed quia *ordinatio & potestas Episcopi* includit ordinationem & potestatem Presbyteri; sicut totum includit partem. *Episcopatus* enim essentialiter constat duabus potestatibus veluti partibus, potestate Presbyteratus, & potestate illa propria Episcoporum, quæ in vltima ordinatione confertur. Vnde Presbyter est veluti *Dimidiatus Episcopus*, & accedente vltima ordinatione fit *perfectus Episcopus*.

Presbyter est dimidiatus Episcopus.

35 Sunt etiam illis iurisdictione maiores.

Dico Secundò: Meritò quoque *Episcopus* in Ecclesia est maior *Presbytero*, etiā iurisdictione. Est etiam fide tenendum; vt patet ex definitione Cōcilij allati, cùm ait: *Si quis dixerit Episcopos, non esse Presbyteris superiores, anathema sit.* Neque id Hieronymus vnquam negauit.

Actor. 20.

Probatur Primò: ex Scriptura. Actorum 20. v. 28. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Dicitur autem *Spiritus sanctus posuisse Episcopos*, vel quia reuelatione Spiritus sancti constituti sunt; vti Timotheus: Vel quia Episcoporum ordinatio institut a est à Deo; quomodo Reges dicuntur à Deo habere potestatem, ad Rom. 13. quod multò magis locum habet in *Episcopis*, quorum potestas est supernaturalis; ac proinde speciali modo instituta est à Spiritu sancto: Vel denique, quia auctoritate Apostolica constituti erant *Episcopi*, quæ auctoritas immediatè est à Spiritu sancto; ac proinde quod per eam fit, à Spiritu sancto fieri dicitur. Sic alibi in Actis; *Visum est Spiritui sancto, & nobis.* Nec obstat, quòd ijdem paulò antè vocentur *Presbyteri*, Actor. 20. v. 17. cùm dicitur, *Vocauit Presbyteros Ecclesiæ*; quia nomen *Presbyteri* tunc erat commune *Episcopo, & simplici Sacerdoti.*

1. Tim. 5.

Idem Probatur 1. ad Timotheum 5. vers. 19. *Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, vel tribus testibus.* Hîc videmus *Episcopum* esse *iudicem Presbyterorum*: idque tempore Pauli.

Dionys.

Probatur Secundò: Ex Patribus. Dionys. c. 5. describens Hierarchiam Ecclesiasticam, primo loco ponit *Pontifices*, secundo *Sacerdotes*, tertio *Ministros seu Diaconos.* Ignatius Epist. ad Philadelph.

Ignat.

Boni sunt Sacerdotes, melior autem est Pontifex, cui credita sunt sancta sanctorum. Ireneus lib. 3. cap. 3.

Irenæus.

dicit Episcopis esse commissas Ecclesias, tanquam Apostolorum successoribus. Sed

Difficultas est, Vtrùm Episcopi iure diuino habeant hanc iurisdictionem?

36 Hæc maior iurisdictio illis iure diuino debetur.

Respondeo & Dico Tertiò: Verius est Episcopis iure diuino deberi iurisdictionem maiorē, quàm Sacerdotibus; non tamen eam actu habere, nisi iure humano.

Prior pars est certa, & communis: & colligi potest ex testimonijs citatis.

Probatur Primò: Quia id quod in veteri testamento erant *Pontifex, minores Sacerdotes, & Leuitæ*, id in nouo Testamēto sunt *Episcopi, minores Sacerdotes, & Diaconi:* vt docet Hieron. ep. 85. ad Euagriū in fine: atqui in veteri testamēto, iure diuino, iurisdictio erat penes *Pontificem*, non autem penes *Sacerdotes:* vt patet Deuteronomij 17: ergo in nouo testamento debita est Episcopo. Secundò, Episcopi respondent Apostolis in Ecclesia; Sacerdotes autem 72. discipulis; vt passim docent Patres: ideò enim dicunt *Episcopos* successisse Apostolis, & Sacerdotes 72. discipulis. Atqui Apostoli iure diuino erāt maioris auctoritatis 72. discipulis: ergo *Episcopu* iure diuino debetur maior auctoritas, quàm Presbyteris. Tertiò: Quia in Concilijs soli *Episcopi* iudicant: atqui in his maximè exercetur iurisdictio, quia conduntur canones totam Ecclesiam concernentes: ergo

Sed actu esse solūm habent à Papa.

Secunda Pars Probatur: Quia Episcopi iurisdictionem suam habent à *Pontifice*: hic enim *Episcopos* constituit, eisque iurisdictionem dat vel aufert, restringit vel auget. Ratio est; quia cùm *Pontifex* iure diuino sit caput & superior omnium Christianorum, etiam *Episcoporum*; necessarium erat, vt iurisdictio quoque *Episcoporū* esset in ipsius potestate; eamque posset dare vel adimere, extendere vel contrahere, prout expediens futurum erat Ecclesiæ.

Dices: Id posse fieri subtractâ tantummodò materiâ, id est, subtractis subditis, non autem mutando quidquam circa ipsam *Episcopalem iurisdictionē*, quæ ex parte causæ efficientis est necessaria: sicut suprà dictum est de potestate absoluendi.

Respondeo: Esse disparem rationem: Quia *potestas absoluendi*, naturâ suâ est potestas iurisdictionis: vnde *Pontifex* solius materiæ subtractione reddit hanc potestatem inualidā seu otiosam. *Potestas* autem *quam Episcopus accipit* per suam ordinationem, non est potestas iurisdictionis, neque requirit iurisdictionem, vt exeat in actum; vnde non censetur illi dari, vel detrahi iurisdictio, quòd dumtaxat dentur vel detrahātur subditi: sed quia datur ipsa potestas iurisdictionis necessaria ex parte causæ efficientis.

Explicatur mens S. Hieronymi.

Ex dictis colligi potest, quomodo intelligendum sit, quod ait Hieronymus tum in epist. ad Euagrium, tum in Commentario ad Titum 1. Non enim negat *Episcopum est maiorem ordinatione*; nam hoc apertè dicit in ipsa epistola: *neque* etiam *iurisdictione* saltem collatâ per Ecclesiam: sed insinuat hanc iurisdictionem ijs conuenire potiùs ex consuetudine, quàm ordinatione Christi: quod in bonum sensum exponi potest. Nam quòd singuli Episcopi actu habeant maiorem iurisdictionem, quàm Presbyteri, id ex consuetudine est seu ex iure humano; vt iam antè diximus.

DVBIVM III.

Vtrùm Diaconatus & Subdiaconatus sint Sacramentum?

37 Negat Durandus.

DVrandus dist. 24. qu. 2. & Caietanus Opusculo 11. negant. Inclinat Victoria qu. 226. dicens hanc sententiam esse probabilissimam, nisi torrens Doctorum esset in contrarium.

Diaconatus est Sacramentum.

Respondeo & Dico Primò: Valdè probabile est *Diaconatum esse Sacramentum*. Primò, Quia est ferè cōmunis Doctorum sententia. Secundò, quia videtur

videtur imprimere characterem, & conferre gratiam: ergo est Sacramentum. Quòd characterem imprimat, Probatur: tum quia *Diaconatus* semel acceptus, non potest amitti, vel repeti: tum quia, nisi characterem imprimeret, esset tantummodò simplex iniunctio officij; vnde posset auferri, & *Diaconus* posset desinere esse *Diaconus*; sicut *Monachus* potest desinere esse *Monachus* per Pontificis dispensationem. Quòd autem gratiam conferat, Probatur: quia munus *Diaconi est* in absentia *Presbyteri & Episcopi* baptizare, & Eucharistiam administrare, & populo in rebus sacris præesse: vnde à Dionysio ponitur inter *Ordines Hierarchicos*, qui populo præsunt. Atqui officium baptizandi, & præsertim Eucharistiã administrandi requirit gratiam: ergo &c. Confirmatur; quia Diaconatus confertur etiam *manuum impositione, & cum oratione*, sicut Sacerdotium & Episcopatus; vt patet Act. 6.

1. Obiectio ex Cypriano.

Dices Primò: Cyprianus epist. 65. agens contra superbum Diaconum, ait: *Meminisse Diaconi debent, quoniam Apostolos, id est, Episcopos & Præpositos Dominus elegit: Diaconos autem post ascensum Domini in cœlos, Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui & Ecclesiæ ministros*: ergo Cyprianus vult Diaconos non esse à Domino institutos.

Respondeo: fortasse ita Cyprianus sentit. Quãuis dici posset, Cyprianum tantummodò velle Dominum non sic elegisse Diaconos, sicut elegit Episcopos in Apostolis; quia neminem Diaconum constituit aut consecrauit.

2. Obiectio ex Damaso.

Dices Secundò: Damasus epist. 4. dicit tantùm duos Ordines à Domino esse institutos, scil. *Apostolorum & 72. Discipulorum*. Respondeo: Damasũ videri loqui de *Ordinibus Sacerdotum*; duos enim dumtaxat Sacerdotũ ordines Dominus instituit, Episcoporum in Apostolis, in 72. discipulis Presbyterorum: idque contra *Chorepiscopos*, qui volebant videri tertiũ genus Sacerdotum, cùm solùm essent Presbyteri.

3. Obiectio ex libro Euangeliorum.

Dices Tertiò: Materia in *Diaconatu* est *liber Euangeliorum*: atqui Dominus non instituit, vt hic liber porrigeretur: quia neque tunc scriptus erat, neque Dominus præcepit scribi: ergo Dominus hanc materiam non instituit; ac proinde nec ipsam ordinationem. Respondeo, omissis varijs sententijs: Primariam materiam esse, *manus impositionem*, vt suprà dictum est: secundariam, *traditionem libri*, non necessariò *Euangeliorum*; sed vel *diuinæ Scripturæ, vel Ritualis*, ex quo diuina officia peragi in Ecclesia necessariò debebant; qui *liber* modò confertur.

38 *Subdiaconatus* est Sacramentum.

Dico Secundò: De *Subdiaconatu* est etiam satis probabile esse Sacramentum; minus tamen quàm de *Diaconatu*, cùm non detur *per manus impositionem*. Probatur Primò, quia est cõmunior sententia. Secundò, quia videtur imprimere characterẽ cùm non possit repeti; & conferre gratiam, quia munus *Subdiaconi* est ministrare Diacono in sacrificio; quod, vt dignè fiat, gratiam postulat: vnde etiam habet annexum votum continentiæ.

Cur olim Subdiaconatus non esset Ordo sacer.

Dices Primò: Magister dist. 24. dicit *Subdiaconos* ab Ecclesia introductos. Respondeo: Id facilè posse negari. Nam tempore Apostolorum hunc Ordinem fuisse, patet ex epistolis D. Ignatij ad Heronem & Antiochenos.

Dices Secundò: *Subdiaconatus* olim non censebatur inter *Ordines sacros*; sed tantùm cæpit censeri à temporibus Gregorij I. vt docet Innocentius III. Cap. *A multis*, De ætate & qualitate ordinandorum, & Cap. *Miramur*, De seruis non ordinandis. Respondeo: Non censebatur *Ordo sacer*, non eò quòd non esset Sacramentum; sed partim, quia vasa sacra tangere non poterant; vt patet ex Can. *Nullus*, dist. 24. & ex Concilio Laodiceno can. 21. partim, quia non vouebant continentiam; Etsi enim Siluester I. id ordinasset, tamen non videtur passim seruatum vsque ad tempora Gregorij I. Vide Capitulum *Miramur*, suprà citatum.

DVBIVM IV.

Vtrùm Minores Ordines sint Sacramenta?

39 Probabilis est opinio affirmans.

Respondeo: Etiam probabile esse *hos Ordines* esse Sacramenta. Primò, Quia est communior sententia Doctorum, quam sequitur Couarruuias lib. 1. Variarum, cap. 10. §. 10. Petrus Soto lect. 4. *de Ordine*, & multi recentiores; qui id probant ex Concilio Florent. vbi sic dicitur: *Sextum Sacramentũ est Ordinis, cuius materia est illud per cuius traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem: Diaconatus per libri Euangeliorum dationem: Subdiaconatus per calicis vacui cum patenâ vacuâ superpositâ traditionem: & similiter de alijs per rerum ad ministeria sua pertimentium assignationem*, quo modo loquendi insinuat Concilium *alios Ordines* esse Sacramentum, sicut *Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus*. Idem insinuat Conc. Trident. nam sess. 23. cap. 2. enumerat *septem Ordines*. Et mox cap. 3. dicit *Ordinem esse verè & propriè vnum ex septem Ecclesiæ Sacramentis*.

40 Negans tamen etiam est probabilis: & variè probatur.

Altera sententia, *hos Ordines* non esse Sacramenta, sed dumtaxat sacramentalia quædam; etiã est probabilis: quam tenet Durandus & Caietanus suprà. Dominicus Soto dist. 24. qu. 1. art. 4. Nauarrus cap. 22. numero 18. & alij quidam. Et potest Probari Primò, Quia hi Ordines possunt dari à Presbyteris præsertim ex commissione Papæ: de quo infrà num. 46: sicut videmus eos iure communi dari ab Abbatibus.

Secundò, Quia hi Ordines non habent annexũ votum castitatis, nec vllam precum obligationem, nec aliquod aliud vinculum; neque dedicant hominem diuino obsequio inseparabiliter: censet ergo Ecclesia hæc non esse Sacramenta. Confirmatur; Qui enim per Sacramentum, quod gratiam confert, & characterem indelebilem imprimit, diuino cultui mancipatus est, fieri nequit quin peccet, si statum sæcularem capessat, & cultum diuinum in perpetuum negligat: fit enim per hoc iniuria Sacramento, vti videtur.

Tertiò, Officia istorum Ordinum non videntur postulare gratiam, cùm non attingant res sacras: non enim videtur requiri gratia, vt conuenienter templum claudas, & infideles expellas, aut Scripturã extra sacrificium legas, aut vrceolos vel cereum in sacrificio gestes.

Ad munus Exorcistæ non requiritur gratia sanctificans.

Si dicas exorcistam requirere gratiam ad dæmones expellendos. Respondeo: Postulare quidem assistentiam diuinam, sicut etiam Exorcistæ veteris testamenti: non tamen gratiam sanctificantem. Vnde non requiritur aliquod Sacramentum, quo hæc potestas conferatur, sed dumtaxat preces Ecclesiæ, quibus assistentia diuina impetretur; sicut in aqua benedicta videtur. Adde in

constitu-

constitutionibus Apost. cap. 26. lib. 8. dici *Exorcistam non fieri ordinatione, sed per Christi gratiam & aduentum Spiritus sancti:* vnde videtur colligi, illo tempore nondum fuisse *Ordinem*, sed paulò pòst institutum; quando nimirum donum illud miraculorum, quo dæmones expellebantur, cessauit.

Quartò, Ordines minores possunt simul conferri, imò passim simul conferuntur, & interdum vbi talis est consuetudo possunt conferri cũ Subdiaconatu: atqui Ordines sacri, non nisi per temporum interualla. Cuius non videtur esse alia ratio, nisi quòd hi sint Sacramenta, illi minimè.

Quintò, Parum videtur credibile tot imprimi characteres reales & supernaturales, & toties cõferri gratiam ex opere operato, idque ad obeundas functiones, quæ passim à laicis fieri possunt. Si dicas characteres & gratiam dari, vt istæ functiones solemniter fiant. Respondeo, etiam à laicis fiunt cum omni solemnitate, vt passim videmus in Ecclesijs. Quod tamen Ecclesia non deberet permittere, si ad hoc potestas quædam supernaturalis, & gratia diuina esset necessaria. Deinde potestas & gratia quæ datur in Ordine, non datur ob solemnitatem actui Ordinis adiunctam, sed ob ipsam substantiam actus; nam solemnitas ab Ecclesia est instituta: ergo nõ datur character & gratia, vt actus horum ordinum solemniter fiant.

Sextò, Si isti ordines sint Sacramenta, ergo erit peccatum mortiferum sacrilegij suscipere illos in statu peccati mortiferi. Quod si ita est, cur Ecclesia non curat, vt suscepturi anteà confiteantur, vel saltem dolorem peccatorum suscipiant, vt in alijs Sacramentis?

41 Cur hi Ordines non possint repeti, etsi Sacramenta non sint.

Nec obstat, quòd isti Ordines non possint repeti, ac proinde videantur esse Sacramenta imprimentia characterẽ. Hęc enim ratio rectè concluderet, si constaret esse Sacramenta. Alioqui facilè responderi potest: nam *ordinatio Diaconissæ*, quam habet Clemens lib. 8. constitut. Apostolicarum cap. 19. repeti non potest, tamen non est Sacramentum. Pari modo consecratio calicis, altaris, templi, & similia, quamdiu manent integra, non repetuntur; tamen nihil reale imprimunt. Ratio est, quia omnis consecratio, etsi solùm sacramentalis sit, & non Sacramentum, de se est perpetua, nec desinit esse nisi per desitionem rei consecratæ. Ob hæc, & similia argumenta hæc sententia est satis probabilis.

CAPVT V.

De Suscipientibus, & de Conferentibus hoc Sacramentum?

DVBIVM I.

Quales debeant esse qui hoc Sacramentum suscipiunt?

42 Requiritur bona vita & fama.

REspondeo & Dico Primò: Ordinandi debent esse bonæ conscientiæ; ita vt non sint sibi conscij alicuius peccati mortiferi. Deinde debẽt esse bonæ famæ. Ratio est; quia Ordinatio est Sacramentum, non quidem institutum ad remissionem peccatorum, sed ad constituendum hominem Mediatorem inter Deum & plebem. Nam Sacerdotes debent Deo vota populi & sacrificia offerre, & populo diuinam doctrinam & Sacramenta ministrare, ad quæ & bona cõscientia apud Deum, & bona fama apud homines requiritur. Adde, commune esse omnibus Sacramentis, vt nõ possint suscipi in peccatis.

43 Cognitio necessaria ad executionem Ordinis suscipiẽdi.

Dico Secundò: Non requiritur ad singulos Ordines nisi ea cognitio, quæ necessaria est executioni & ministerio illius. Vnde, si quis ordinetur ad Sacerdotium, tantùm vt sacrificium offerat, quod est primarium Sacerdotis ministerium: non autem vt confessiones audiat & absoluat, quod est alterum eius munus, sed minùs principale, non requiritur vt plura sciat, quàm quæ ad illud ministerium necessaria sunt.

44 Sanctitas vitæ non confert Ordinem.

Dico Tertiò: Homo non consequitur dignitatem Sacerdotij vel alterius Ordinis per vitæ sanctitatem: alioquin Ioannes Bapt. & B. Virgo Sacerdotes fuissent. Et ratio est, quia potestas Ordinis non datur in propriam vtilitatem, sed in aliorum. Sanctitas autem vitæ & omne eius præmium est in propriam sancti vtilitatem.

Promouẽs indignos, peccat.

Dico Quartò: Grauiter is peccat qui promouet indignos ad Ordines, præsertim sacros: quia est infidelis dispensator. Contra hos autem, & eos qui indignè promouentur, vel contra Canones promouentur, grauissimas pœnas constituit Xistus V.

45 Sacrum officium in mortali obiens, qualiter peccet.

Dico Quintò: Mortaliter, iuxta D. Thomam hîc q. 36. ar. 5. is peccat, qui in peccato mortali existens, aliquod sacrum officium obit. Verùm Notandum est: Probabilius esse non peccare mortaliter Ordinatum, si Epistolam aut Euangelium cantet, aut alicuius Minoris Ordinis ministerium peragat in peccato mortali, modò id cum debita reuerentia faciat. Sed tantùm, quando Sacramentum aliquod in peccato mortali administrat. Ita Domin. Soto hic. Et ratio est, quia illa ministeria in se nullam habent consecrationem, aut singularem sanctitatem; sicut habent Sacramenta, in quibus gratia Spiritus sancti, & Sanguis Christi contineri censetur. Cantare enim Euangelium non est actio sancta, nisi quatenus vel procedit à bona intentione, & hac ratione non polluitur à peccatore, sed potiùs peccator per illã actionem ad gratiam præparatur: vel quatenus est signum & explicatio rerum sacrarum; & sic etiam non polluitur, quia sanctitas illa est extrinseca isti functioni: vel denique quatenus ex institutione diuina est officium sacri Ordinis. Dupliciter autem potest quis Euangelium legere aut cantare: Primò, simpliciter & non ex officio; & sic non censetur pollui. Secundò, ex officio, v. g. quatenus illud est munus & actio Ordinis sacri; & sic sanctitatẽ trahit ex ipso Ordine, & proinde censetur pollui, si extra gratiam fiat: tamen illa sanctitas non est tanta, vt hæc contaminatio censeatur peccatum mortale. Vide dicta suprà qu. 64. art. 6. num. 9.

DVBIVM II.

Vtrùm solus Episcopus Sacramentum Ordinis conferat?

46 Solus Episcopus ex officio.

REspondeo: Ad solum Episcopum pertinet conferre omnes Ordines. Ratio est, quia ipse solus est sacrorum Princeps, cuius est inferiores Ecclesiæ & sacrorum ministros instituere & consecrare:

secrare: sicut in Republica solius Principis est omnes inferiores ministros constituere.

Sacerdos ex commissione Papæ.

Notandum tamen Primò: Simplici Sacerdoti auctoritate Pontificis, posse committi collationē Ordinum Minorum: nam hanc modo habēt Abbates, si Presbyteri sint, & benedicti: vt patet ex Cap. *Cùm contingat*, de ætate & qualitate Ordinandorum, & ex Concilio Trid. sess. 23. c. 10. Idem valdè probabile est de Subdiaconatu: nam Abbas cuiusdā monasterij Cistercienſis in Germaniā habet priuilegium conferendi Subdiaconatus Ordinem, concessum & confirmatum à multis Summis Pontificibus, vt refert Nauar. Consilio 13. lib. 5. tit. *de Priuilegijs*. Franciscus Victoria q. 235. dicit se vidisse Bullam Pontificis, qua cuidam Abbati Ordinis Cistercienſis hoc priuilegium concedebatur. De Diaconatu non extat exemplum certum, & Doctores communiter negant præter Durandum & Caietanum.

Abbas ex iure.

Notandum Secundò: Abbates non posse conferre primam tonsuram, vel Ordines minores, nisi suis subditis regularibus; vt expressè statuit Conc. Trident. sess. 23. c. 10. vbi etiam omnibus priuilegijs & consuetudinibus derogat.

Archidiaconus tradit materiam.

Notandum Tertiò: Quando Archidiaconus in quibusdam Ordinibus porrigit materiā ordinandis (quod facere potest in Minoribus & Subdiaconatu) non censeri ipsum conferre ordinē; quia non suo nomine porrigit, sed veluti manus Episcopi, Episcopo interim formam proferente. Hoc tamen fieri non potest in Sacerdotio & Diaconatu.

Episcopus hæreticus vel præcisus.

Notandum Quartò: Episcopum, etsi hæreticus sit, vel ab Ecclesia præcisus, posse hoc Sacramentum conferre. De quo vide suprà qu. 64. art. 6. dub. 3. & art. 9.

CAPVT VI.

De impedimentis Ordinum.

DVBIVM I.

Vtrùm sexus femineus Ordinis susceptionem impediat?

47 Cur feminę sint omnino incapaces Ordinum.

REspondeo Affirmatiuè: Adeò vt si femina ordinetur, præsertim Ordine sacro, nihil efficiatur. Nō enim tam est irregularis, quàm prorsus incapax huius Sacramēti, vnde etiam nullum extat exemplum. Ratio primaria est institutio Christi. Congruentiæ sunt variæ: Prima, Quia Ordines adferunt quandam præeminentiam supra alios: feminarum autem est, subesse, Gen. 3. v. 16. *Sub potestate viri eris.* Secunda, Quia Ordinibus annexum est officium docendi: femina iubetur *tacere in Ecclesia, & discere in silentio, cū omni subiectione.* 1. ad Timoth. 2. v. 12. Tertia, Sexus femineus multas alias habet imperfectiones, ob quas non decet illam ordinari.

Quæ Diaconissa vel Presbytera.

Nec obstat, quòd Clemens suprà meminit *Diaconissarum*, & Gregorius lib. 4. Dialog. c. 11. *Presbyterarum*, quod habetur Can. *Presbyter*, 32. dist. Quia illæ *Diaconissæ* nihil eorum poterant, quæ Presbyteri vel Diaconi; sed tantùm custodiebant ianuas, & Sacerdoti ministrabāt in baptismo mulierum, idque ob decorem, vt ait Clemens c. 28. Vnde illarum ordinatio erat sacramentalis quędā cæremonia, ab Apostolis instituta, quæ parum durauit. *Presbytera* autē ibi vocatur vxor *Presbyteri*, quam ante sacrum Ordinem duxerat, quæ cum illo simul continentiam seruabat. Aliquando sic vocatur vidua senior; vt docet Gratianus ibidem ex Concilio Laodiceno suprà, Canone sequenti.

DVBIVM II.

Vtrùm pueri, & carentes vsu rationis, sint Ordinum capaces?

48 Affirmatur.

REspondeo Affirmatiuè. Est communis Doctorum, præterquam Durandi, qui id negat. Sed confirmatur ex Baptismo & Confirmatione, quæ ante vsum rationis validè conferuntur. Ea enim Sacramenta, quę pro materia vel forma non habent actum suscipientis, vt sunt omnia præter Pœnitentiam & Matrimonium, possunt dari ratione carentibus. Neque ad hoc requiritur intentio parentum, vt contra Durandum ostendimus suprà quæst. 68. art. 10. in Dubio: nam Baptismus etiam inuitis parentibus infanti collatus, est validus. In adulto tamen requiritur positiuus consensus; vt dictum est eadem quæst. 68. art. 7. contra Caietanum.

Ante vsum rationis Ordinatus non tenetur voto castitatis.

Notandum tamen, puerum, qui ante vsum rationis ordinatus est, non teneri ad votum castitatis, sed posse liberè matrimonium contrahere. Nā nemo tenetur ad consilia, nisi se sponte ad ea obligarit. Secùs est de Christiana religione, etsi inuitis parentibus sit baptizatus: hanc enim tenebatur suscipere, & nulla ei in hoc fit iniuria, sed dumtaxat parentibus, quæ prolem ab Ecclesiæ potestate non eximit. Si tamen nolit seruare castitatem, suspendendus est ab Ordinum executione. Idem dico de eo qui metu cadente in constantem virum, ordinatus est: cuius exemplum habuimus Romæ anno 1583. sub Gregorio XIII. in quodam Religioso professo, & Sacerdotio initiato, cum quo ob metum illum, cùm de eo legitimè probatum esset, dispensatum fuit, super votis Religionis & Sacerdotio, vt posset vxorem ducere.

Similiter qui per metum ordinatus.

Quænam autem ætas ad singulos Ordines requiratur, vide Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 4. de Reformatione & sequentibus. Capite enim 4. ad Tonsuram requirit Tridentinum vt quis antèa Confirmationis Sacramentum susceperit, & sciat legere & scribere. Capite 11. ad Minores Ordines requirit saltem intelligentiam linguæ Latinæ, ætatem autem certam non præscribit. Capite 12. ad Subdiaconatū requirit annum vigesimum secundum inchoatum. Ad Diaconatum requirit vigesimum tertium inchoatum. Ad Sacerdotium vigesimum quintum inchoatum. Ante hęc tempora suscipere Ordines est peccatum mortale: & in Maioribus incurritur suspensio ab executione; vt patet in Extrauagante Pij II. Alias graues pœnas addidit Xistus V. in sua constitutione contra Clericos malè promotos.

49 Quæ ætas ad singulos Ordines requisita.

Vtrùm verò serui, homicidæ, defectuosi & illegitimi ad Ordines promoueri possint; agit hīc D. Thomas quæst. 39. art. 3. 4. 5. & 6. Nos verò de his satis diximus in materia de Irregularitate.

50 Quinam præterea ad Ordines sint inepti.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

CAPVT I.

De Matrimonio secundùm se considerato, quatenus est officium naturæ.

DVBIVM I.

Quid sit Matrimonium?

1 Origo nominis *Matrimonij.*

ORigo huius nominis ab Auctoribus variè deducitur, vt videre est apud Couar. in epitome 4. Decretal. p. 2. c. 1. in princ. Augustinus lib. 19. contra Faustũ c. 26. deducit matrimoniũ, ab eo quòd mulier nubere debeat, vt mater fiat. Aulus Gellius lib. 18. cap. 6. Noctium Atticarum, à nomine matris statim obtinendo. Alij verò quòd in liberorũ procreatione maior matris, quàm patris ratio habeatur: nam mater est certior; vnde est lex recepta, *Partum sequi ventrem.* Alij denique matrimonium deducunt quasi *matris munium* vel *munimẽ*: quia ipsa primùm infantem fouet & munit: pater autem adulto posteà prouidet: à qua paterna prouisione dicitur *Patrimoniũ*. Vocatur etiam Matrimonium *Nuptiæ*, quę dicuntur à *nubendo*, id est, velãdo; quòd puella antequã viro tradatur, debeat caput obnubere seu velare; vt habetur Can. *Nec illud*, 30. q. 5. ex Ambrosio, idque in signũ pudoris. Sic Rebecca Gen. 25. viso Isaaco operuit se pallio. Idem significat Apostolus 1. Corint. 11. vbi vult mulierem velare caput: quamuis hoc etiam fiat in signum obedientiæ respectu viri. His præmissis:

2 Definitio Matrimonij.

Respondeo & Dico: *Matrimonium est coniunctio maritalis viri & mulieris, perpetuam vitæ consuetudinẽ retinens.* Ita definitur à Theologis, Canonistis, & Iurisperitis, vt videre est dist. 27. 4. Sententiarum. Et Capitulo *Illud*, de Præsumptionibus, & lege 1. dig. *de Ritu nuptiarum.* Vbi

Notandum est, In matrimonio esse tria. Primũ est, consensus interior. Secundum est, contractus exterior. Tertium est, ipsum vinculum, quod ex contractu nascitur. Hoc loco *Matrimonium* nõ accipitur pro contractu, sed pro vinculo quod nascitur ex contractu. Vnde dicitur, *Matrimonium est coniunctio*, id est, vinculum, & habitudo mutua inter virum & mulierẽ; quæ habitudo non est propriè relatio rationis, sed morale quiddã, sicut iura & obligationes quæ ex contractibus oriuntur. Consistit enim hæc coniunctio seu habitudo in duobus, scilicet in mutuo iure, & in mutua obligatione: nam maritus obligatus est vxori, ac proinde ipsa ius & potestatem habet in corpus mariti, (obligatio enim respicit ius seu potestatem in altero) & vicissim vxor obligata est viro, ac proinde vir in illam ius & potestatem habet.

Explicatur Definitio.

Additur, *Maritalis*, id est, à qua alter dicitur *maritus*, altera *vxor*. Per quod excluduntur aliæ obligationes & coniunctiones, quæ possunt esse inter virum & feminã; vt est, *coniunctio socialis, fraterna, filialis.* Ordinatur autem *coniunctio maritalis* principaliter ad prolem suscipiendam & educãdam, qui est primarius matrimonij finis. Aliæ coniunctiones ad alios fines referuntur.

Dicitur autem *Viri & Mulieris*; quia matrimoniũ est coniunctio *vnius viri, & vnius mulieris.* Vnde, si Patres antiqui habuerint plures vxores, plura haud dubiè erant matrimonia.

Perpetuam vitæ consuetudinem retinens: hac parte significatur obligatio ad perpetuò cõiuiendũ, nisi ob aliquam iustam causam superuenientẽ contingat separari. Hic est secundarius matrimonij finis.

Clariùs sic definiri potest: *Matrimonium est vinculum insolubile, ex mutuo translationis corporum contractu inter virum & feminam, ad prolem suscipiendam & educandam, ortum.* Clarior Matrimonij definitio.

DVBIVM II.

An Matrimonium sit iuris naturæ: eiusque vsus sit licitus?

OLim quidam hæretici senserunt matrimonium esse illicitũ: vt Saturninus apud Irenæum lib. 1. contra hæreses cap. 22. & Marcion apud Hieronymum lib. 1. contra Iouinianum, & Tatianus discipulus S. Iustini Martyris apud Irenæum l. 1. c. 30. Fuerunt etiam Adamiani, qui dicebant, si Adam non peccasset, non futurum fuisse matrimonium, vt refert Epiphanius hæresi 52. In eodem errore fuerunt quidam Apostolici apud S. Bernardum serm. 68. in Cantica. Et Albigenses apud D. Antoninum p. 4. tit. 11. c. 2. §. 5. 3 Hæretici impugnantes matrimonium.

Respondeo & Dico Primò: Matrimonium est iuris naturæ. Vt autem hæc propositio melius intelligatur: Notandum est, Dupliciter esse aliquid iuris naturæ. Primò, Quia ratio naturalis illud euidenter dictat: vt sunt prima principia legis naturæ, & conclusiones ex his euidenter deductæ: vt nemini iniuriam esse faciendam, non furandum, non mœchandum. Secundò, Dicitur aliquid esse iuris naturæ, quia ratio naturalis illud dictat; non tamen ita euidenter, sed potissimùm apud sapientes. Et hoc modo matrimonium est legis naturæ; quia ratio naturalis dictat vt vir vnus cum vna muliere insolubili vinculo iungatur. Nunc 4 Matrimonium est iuris naturæ.

Probatur conclusio: Primò: Nam ratio naturalis dictat homini, vt mas & femina simul habitẽt, non solùm ad suscipiendam prolem, sed etiam ad educandam & promouendam ad perfectum statũ hominis: atqui ad hoc necessarium est vinculum matrimoniale: ergo &c. Secundò: Natura etiam inclinatur ad mutua obsequia quæ vir & femina inter se præstant: quædam enim sunt officia in familia, quæ tantùm à feminis obeuntur, alia à maribus: ergo ratio naturalis dictat matrimonium. Tertiò: Si non esset matrimonium, non esset certitudo liberorum, vnde sequeretur maxima confusio: nam nemo suas proles agnosceret; quò fieret, vt pater cum filia, mater cum filio contra ius naturæ concumberet: ergo &c. Probatur tribus rationibus.

Ex quibus

Ex quibus rectè infertur fornicationem & concubinatum esse contra ius naturæ: quia impeditur præcipuus matrimonij finis, qui est, conueniens educatio prolis.

5 Vsus eius est licitus.

Dico Secundò: Fide tenendum est licitum esse matrimonij vsum. Sequitur ex priore cõclusione.

Probatur contra prædictos hæreticos. Deus in statu innocentiæ creauit vtrumque sexum, ijsque benedixit, dicens: *Crescite & multiplicamini:* quod fieri nõ potest nisi per sexus vsum. Dominus quoque nuptijs interfuit, suaq; præsentia & miraculo comprobauit. Prætereà Apostolus 1. ad Tim. 5. v. 14. expressè dicit; *Volo iuniores nubere, filios procreare, domus curam habere.* Et 1. ad Cor. 7. v. 3. *Vxori vir debitum reddat, & vxor viro.* Denique, nisi vsus matrimonij licitus esset, mundus deberet perire, quia sine eius vsu conseruari nequit.

Et sæpè meritorius.

Hinc sequitur etiam posse hunc vsum esse meritorium, nempe si fiat, non causâ voluptatis, sed spiritali fine, scil. vt proles suscipiatur & ad Dei honorẽ educetur, vt coniugi debitum iustitiæ postulãte reddatur, vt à peccato auertatur, & similia.

6 Quæ immundities in copula carnali.

Dices Primò: Copula carnalis in Scriptura censetur adferre immunditiem & coinquinationẽ; vt patet 1. Regum 21. v. 4. & 5. vbi petit Sacerdos Achimelech à Dauide: *Si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus?* & Apocal. 14. v. 4. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati.*

Respondeo: Immundities illa non est mentis, sed corporis; neque est peccatũ, sed pœna peccati, consistens potissimùm in rebellione membrorum, & in motu concupiscentiæ coniuncto, quæ tamen ipsum actum non faciunt malum.

Dices Secundò: Canone *Connubia* 32. q. 2. dicitur, *in actu coniugali non adesse Spiritum S.* Quod cõfirmatur, quia Siricius Papa, epist. ad Himerium Terraconens. Episc. coniugatis applicat illa verba Apostoli, *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.*

Respondeo: Capitulum illud *Connubia*, non esse Canonem aliquem Ecclesiæ, sed sententiã quandam decerptã ex Origene, qui tantummodò vult dicere, Spiritum S. non adesse operi coniugali ad actum externũ efficiendum; hic enim fit sola virtute naturali: vult enim Origenes ostendere, non omnia Sanctorum opera à Spiritu S. proficisci, inter quę sunt ea opera ad quę natura per se sufficit. Hinc tamen non sequitur, quin Spiritus S. adsit in hoc opere, quatenus est actus iustitiæ, vel charitatis, vel religionis, vel alterius virtutis: voluntas enim non potest harum virtutum fines intendere sine auxilio Spiritus sancti, quamuis etiam tunc actus exterior propriè & immediatè nõ procedat à Spiritu sancto, sed à naturali virtute; nam solus actus interior est ex auxilio Spiritus sancti, exterior verò naturaliter sequitur, posito interiore, sine alio auxilio. Ad confirmationẽ: non loquitur ibi Pontifex de legitimo coniugio, sed de sacrilego, nempe sacerdotum & monachorum. Qui autem per talem coniunctionem *in carne sunt*, Deo placere non possunt.

7 Si fiat copula ob delectationem, &c.

Petes: An actus ille sit licitus si fiat ob delectationem intra limites matrimonij. Item si fiat ad vitandam fornicationem vel pollutionem?

Respondeo: Si fiat præcisè ob delectationem, est peccatũ veniale; quia non est actus rationi consentaneus. Homo autem tenetur secundùm rectã rationem operari. Si autem fiat ad vitandam fornicationem, vel pollutionem, non est peccatum. Quod colligitur ex Apostolo 1. ad Corint. 7. v. 5. vbi sic ait: *Iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestrã.* Et Confirmatur Primò: quia velle fugere peccatum per remedia licita, est licitum: atqui is qui vtitur actu coniugali ne incidat in peccatũ fornicationis vel pollutionis, vtitur remedio licito ad vitandum peccatum: ergo. Confirmatur Secundò: quia matrimonium est etiam institutum in remedium cõcupiscentiæ: ergo licet eo vti ad concupiscentiæ medelam.

DVBIVM III.

Vtrùm Matrimonium sit præceptum?

8 Matrimonium non est præceptum lege positiua.

REspondeo Primò: Genere humano satis iam propagato, certum est matrimoniũ non esse præceptum. Est contra quosdam hæreticos, & maximè contra Lutherum, qui docuit *Matrimonij vsum omnibus esse necessarium, non minùs quàm cibum & potum:* vnde sequitur *omnibus esse præceptum.*

Probatur: Quia neque lege positiua præceptũ est: verba enim illa, *Crescite & multiplicamini*, Gen. 1. & 9. quibus maximè aduersarij nituntur, si vim præcepti habent, non pertinent nisi ad illud tempus mundi nascentis, quando erat necessarium ad generis humani propagationem, vt omnes Catholici docent: alibi verò nullum est vestigium talis præcepti. Confirmatur: Quia in veteri Testamẽto multi seruarunt virginitatem; vt Melchisedech, Elias, Ieremias, Elisęus, filij Prophetarũ, Ioannes Baptista, B. Virgo, alijque multi, teste Ignatio ad Philadelphios, & Hieronymus epist. ad Eustochiũ, *De custodia Virginitatis.*

Neque lege naturali præceptũ est. Primò: Quia iure naturæ nemo tenetur ad matrimoniũ, nisi vel quia id necessariũ propagationi humanæ, vt initio mundi, quæ necessitas iam olim cessauit: vel quia id necessarium est propriæ personæ; vt si quis continere non posset: sed neque hæc necessitas locum habet, quia certissimum est, & fide tenendum, hominem posse à Deo gratiam, quæ ad cõtinendum sit necessaria, impetrare. Secundò: Quia passim in nouo Testamento cõmendatur virginitas, & coniugij abstinentia, ad eamque hortatur Dominus Matth. 19. v. 11. *Non omnes capiunt verbũ hoc. Sunt Eunuchi &c. qui potest capere capiat.* Et Apost. 1. ad Corinth. 7. Item Apocal. 14. & alibi. Neque lege naturæ.

Hinc patet, quàm absurda sit sententia Caluini, quam docet in Comment. c. 19. Matthæi, scilicet *Eos omnes diuino præcepto coniugium inire debere, nisi impij esse velint, quibus nõ est diuinitus reuelatum, quòd donum continentiæ habeant.* Vide Maldonatum in illum locum. Absurda Caluini sententia.

9 Ne quidem in principio mundi fuit tale præceptũ positiuum.

Vtrùm autem in principio mundi fuerit datum præceptum coniugij, dubium est: multi enim Doctores affirmãt ex illis verbis Gen. 1. & 9. *Crescite & multiplicamini*, quæ repetuntur cap. 9. idque vel singulis pro illo tempore, vel certè cætui humani generis.

Dico Secundò: Verius est, nullum vnquã latum præceptum positiuum coniugij ineundi.

Probatur, Quia illis verbis, *Crescite & multiplicamini*, de quibus solis est difficultas, non significatur præceptum matrimonij, sed solùm benedictio, qua confertur insignis fæcunditas ad generãdum, vt docet Michaël Medina lib. 4. de Continentia, controuersia 2. Oleaster, Vatablus, & Pererius in hunc locum. Quod

Expenditur locus Geneſis, *Creſcite*, &c.

Confirmatur Primò: Nam his verbis nõ apertè ſignificatur præceptum (non enim eſt in poteſtate hominum *creſcere*, præſertim plurimũ & fæcundè *multiplicari, & replere terram*; ſed eſt effectus, qui ſingulari Dei beneficio ex opere matrimonij ſequitur:) aptiſſimè autem ſignificatur conferri beneficium fæcunditatis, per quod fit, vt *multiplicentur, terramq́ue repleant*. Confirmatur Secundò: Nam paulò antè ſimili modo verſu 22. piſcibus & auibus dixit, *Creſcite & multiplicamini*; vbi non poteſt ſignificari præceptum, ſed ſolùm benedictio. Confirmatur Tertiò: Sicut dixit primis hominibus, *Creſcite & multiplicamini*; ita continenter addens, dixit, *Subijcite terram, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & vniuerſis animãtibus terræ*: quibus verbis certum eſt, non dari vllum mandatum, ſed ſolùm tradi dominium terrę & animantium, ſeu ius ea vindicãdi & poſſidendi: ergo &c. Confirmatur Quartò: Ex verbo *Benedictionis: Maſculum*, inquit, *& fœminam creauit eos, benedixitq́ue eis dicens*; *Creſcite & multiplicamini*; quo modo loquendi apertè Scriptura indicat eſſe ſolùm benedictionem. Denique nihil opus erat præcepto poſitiuo: nam ſatis intelligebant homines ſe iure naturali obligari, donec mundus inciperet compleri.

10 Obiectio ex Cypriano & Hieronymo.

Dices Primò: Cyprianus lib. *de Diſciplina & habitu Virginum*, verſus finem, ait; *Prima ſententia creſcere & generare præcepit: Secunda continentiam ſuaſit.* Hieronymus contra Heluidium pag. 4. poſt principium: *Quamdiu lex illa permanſit, Creſcite & multiplicamini*; *&, Maledicta ſterilis quæ non parit ſemen in Iſraël, omnes nubebant & nubebantur*: ergo erat præceptum.

Soluitur,

Reſpõdeo; Illos Patres fortaſſis ſic loqui, quòd illis verbis inſinuata ſit naturalis obligatio: hoc ipſo enim quo dabatur fæcunditas, inſinuabatur eos debere illa vti in illis initijs. Illa autẽ verba, *Maledicta ſterilis* &c. nõ habentur in Scriptura: ſed ſolùm dicitur Exodi 23. *Non erit infœcunda, nec ſterilis in terra tua*: vbi ſignificatur benedictio, non præceptum; vt patet ex adiunctis.

11 Quid, ſi mundus exhauriretur?

Dices Secundò: Ergo ſaltem, ſi mundus aliqua calamitate exhauriretur, Matrimonium eſſet præceptum.

Reſpondeo: Nõ eſt improbabile tunc fore præceptũ: ſicut ſi alicuius nuptiæ eſſent neceſſariæ ad Reipublicæ pacem, is teneretur contrahere: ergo multò magis ſi eſſẽt neceſſariæ ad generis humani incolumitatem. Ita ſentit maior pars Doctorum. Fortaſſe tamen verius eſt, non fore in præcepto, præſertim hoc tempore legis Euangelicæ: nã Dominus abſolutè conſuluit cælibatũ, neque vllum caſum excepit. Incolumitas autẽ humani generis non pertinet ad ſingulos homines, ſed ad prouidentiam diuinam. Vnde credendum potiùs eſſet, ſi talis caſus incideret, Deum velle mundo finem imponere.

DVBIVM IV.

Vtrùm Polygamia, qua plures vxores ſucceſsiuè habentur, ſit permiſſa?

12 Triplex eſt Polygamia.

NOtandum eſt: Polygamiam eſſe triplicem. Prima eſt, qua vir vnus habet plures vxores ſucceſsiuè, vel vna mulier plures viros ſucceſsiuè. Secunda, qua vnus vir habet plures vxores ſimul viuas. Tertia, qua vna mulier habet plures viros ſimul. Hic loquimur de prima. Montaniſtæ olim damnabant ſecundas nuptias inſtar fornicationis, vt docet Auguſt. lib. *de Hæreſibus, ad Quod-vult-Deũ, hæreſi* 26. quem errorem defendit Tertullianus lib. *de Monogamia*. Idem tenebant Nouatiani, vt patet ex Concilio Nicæno can. 8.

Reſpondeo: Fide tenendũ eſt hanc Polygamiã eſſe permiſſam; ſic vt licitè poſt mortẽ prioris coniugis, vel prioris matrimonij ſolutionem quoad vinculum, poſsit aliud coniugium iniri.

Polygamia licita eſt qua vir vnus plures habet vxores ſucceſsiuè.

Probatur Primò: Ex Scriptura 1. ad Cor. 7. v. 39. *Si dormierit vir eius, liberata eſt; cui vult nubat: tantùm in Domino.* Non dicit Apoſtolus *vir primus*, aut *ſecũdus*, aut *tertius*, ſed *vir eius*, vt ſignificet ſemper conceſſum nubere mortuo priore; vt optimè notauit D. Auguſt. lib. *de Bono viduitatis* c. 12. Deinde 1. ad Timoth. 5. hortatur Apoſtolus *Viduas iuniores vt nubant*, ob incontinentiæ periculum.

Probatur Secundò: Ex Concilijs. In Conc. Nicæno can. 8. Nouatianis ad Eccleſiam redire volentibus præſcribitur, vt profiteantur *ſe cõmunicaturos cum ijs, qui ſecundas nuptias contraxerunt.* Concilium Florentinum in inſtructione Armenorum, *Declaramus*, inquit, *nõ ſolùm ſecundas nuptias, ſed etiã tertias, & quartas, & vlteriores licitè contrahi poſſe.*

Prob. Tertiò: Ex Patribus, de quibus dubitari non poteſt, præter Hieronymũ qui *ſecundis nuptijs* videtur fuiſſe iniquior. hic epiſt. 11. quæ eſt ad Ageruchiam: *Quid ergo damnamus ſecũda matrimonia? minimè: ſed prima laudamus.* Et Apologia pro libris contra Iouinianum. *Non damnamus*, inquit, *bigamos & trigamos, nec, ſi dici poteſt, octigamos.* Vide etiam D. Auguſtinum lib. *de Bono viduitatis.* Et Ambroſius lib. *de Viduis.*

13 Obiectio ex Concil.

Dices Primò: Conc. Neocæſarienſe celebratũ tempore Silueſtri 1. can. 7. vetat *ne Clerici interſint conuiuio ſecundarum nuptiarũ, quia præcipitur ſecundis nuptijs tribuere pœnitentiam.* Et Conc. Laodicenum ſub eodẽ Siluestro can. 1. dicit, *Ijs qui cerebrò vxores ducũt, vel ſæpiùs nubũt, conſtitutũ eſſe tẽpus pœnitentiæ.*

Soluitur,

Reſpondeo: Illa Concilia iuxta rigorem antiquum *cenſuiſſe aliquã pœnitentiã bigamis iniungendã*, priuſquam ad communionem admitterentur, eò quòd *ſecundæ nuptiæ* viderentur eſſe ſignum incontinentiæ, nec præberent tale exemplum quale decebat Chriſtianos; non tamẽ iudicabant ipſas eſſe peccatum: vt colligitur ex can. 1. Concilij Laodiceni, vbi *hæ nuptiæ vocantur legitimæ.*

Cur ſecundæ nuptiæ non benedicantur.

Dices Secundò: Cur ergo *non benedicuntur?*

Reſpondeo: Quia primę ſunt benedictę. Benedictio autem ſemel data alicui perſonę non debet repeti, quia nõ perit; vt ait Vrbanus III. Cap. *Capellanum*, & Cap. *Vir autem*, de Secundis nuptijs. De quo vide Nauar. c. 22. n. 83.

DVBIVM V.

Vtrùm Polygamia pluriũ virorum, ſit permiſſa?

14 Polygamia plurium virorum eſt contra ius naturæ, nec vnquã permiſſa.

REſpondeo: Polygamia, qua vna mulier habeat ſimul plures viros, eſt contra ius naturæ primarium, vnde nunquã fuit permiſſa. Eſt certa, & communis omnium. Vide D. Auguſt. lib. *de Bono coniugali* c. 17. vbi dicit nullum extare huius coniugij exemplum.

Probatur Primò: Quia tale coniugium pugnat cũ primario & principali fine Matrimonij, qui eſt ſuſceptio & educatio prolis. Si enim mulier plures habeat viros, nulla proles ſuſcipi poteſt, vt experientia docet in meretricibus: neque etiam educari poteſt, quia parentes non agnoſcent ſuas proles, ac proinde eas negligent.

Probatur

Probatur Secundò: Quia tale coniugiũ pugnat etiam cum finibus secundarijs; quorum primus est *societas domestica*, quæ nullo modo constare potest: nam plura erunt capita in vna familia, quæ sæpè contraria imperabunt. Confirmatur: Quia vnus seruus non potest seruire duobus dominis, quamuis vnus dominus possit habere plures seruos: ergo vna mulier non potest subesse multis viris, quamuis vnus vir possit aliquo modo regere duas vxores. Secundus finis secundarius est, *remedium concupiscentiæ*, qui finis impediretur: nam vxor alteri sæpè non poterit reddere debitum altero nolente. Tertius finis est, vt *sit Sacramentum*, id est, symbolum Christi & Ecclesiæ; qui finis etiam tollitur, nam vnus est Christus, non plures.

DVBIVM VI.

Vtrùm Polygamia plurium vxorum, sit permissa?

15 1. Sententia Lutheri.

TRes sunt sententiæ. Prima est Lutheri & Anabaptistarum hanc Polygamiam iure diuino esse permissam, etiam in noua lege. Huic sententiæ videtur multum fauere Caietanus in cap. 10. Marci, vbi ait, *Legem de vnitate vxoris in canonicis libris nullibi esse scriptam.* Et in c. 19. Matth. idem confirmat. Fatetur tamen *lege Ecclesiæ prohibitam esse, cui sit parendum*; in quo multum differt ab istis hæreticis.

2. Durandi & Abul.

Secunda est, Eam nunc quidem iure diuino prohibitam esse, lege tamen veteri olim non fuisse prohibitam, nec contra ius naturæ. Ita Durandus dist. 33. quæst. 1. & Abulensis in cap. 19. Matth. quæst. 30. & aliquot sequentibus.

3. Communis.

Tertia est communis. Pro qua

Polygamia plurium vxorum simul, est contra ius naturæ secundarium.

Dico Primò: Polygamia plurium vxorum simul est contra ius naturæ secundarium. Est communis sententia dist. 33. Probatur; quia etsi non pugnet cum primario fine matrimonij, qui est susceptio prolis: tamen secundarijs finibus aliquo modo aduersatur. Primò enim turbatur vita socialis in tali matrimonio: nam domus non potest rectè à duabus vxoribus administrari, & essent inter illas crebrò vel semper discordiæ; sicut patet exemplo earum, quę sanctæ fuerunt: vt inter Saram & Agar, Genesis 16. inter Liam & Rachelẽ, Genes. 30. inter Annam & Phenennam, 1. Reg. 1. neque poterit vir eas tanquam ancillas compescere, quia non sunt *seruæ*, *sed sociæ*; ideò enim Eua ex latere formata est. Secundò impeditur etiam alter finis, qui est remedium concupiscentię: quia non potest vnus vir commodè pluribus vxoribus debitum reddere. Denique significatio etiam Sacramenti tollitur. Nam vna Ecclesia Christo iuncta est, non duæ.

His adde: Si multitudo vxorum non esset contra ius naturæ, Deus illam initio instituisset, cùm maximè videbatur necessaria ad celerem humani generis propagationẽ: atqui non instituit, vt patet Matth. 19. Vnde primus qui duas vxores habuit, non fuit vir aliquis pius, sed impius, scilicet Lamech; vt docet Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum: *Primus*, inquit, *Lamech sanguinarius & homicida, vnam carnem in duas diuisit vxores. Fratricidium & bigamiam eadem cataclysmi deleuit pœna.*

16 Est etiam contra ius diuinum.

Dico Secundò: Hæc Polygamia etiam est contra ius diuinum Scripturis expressum, præsertim in noua lege.

Probatur Primò: Quia Matth. 19. v. 4. Dominus reuocat Matrimonium ad primæuam Dei institutionẽ, quę non admittebat nisi vnam vxorem; eamq; præcipit deinceps seruari: *Nõ legistis*, inquit, *quia qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos? & dixit, Propter hoc dimittet homo patrem & matrẽ, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo: sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo nõ separet.* His verbis significatur vnã vni inseparabiliter adhærere debere. Primò, cùm dicitur; *Masculum & feminam fecit eos*, id est, *vnum & vnam*, non *vnum & duas*. Secundò, cùm ait; *Adhærebit vxori suæ*, non *vxoribus*. Tertiò, *Erunt duo in carne vna*, non *tres* vel *quatuor*. Quartò, *Iam nõ sunt duo, sed vna caro*, id est, *sunt tanquã vnus homo*. Nam femina est veluti corpus, vir vti spiritus. Adde, quòd Dominus ibidem ait, ideò repudium esse illicitum, quia *ab initio non fuit sic*, id est, quia non est consentaneum primæ institutioni: apertè insinuans matrimonium in noua lege seruandum iuxta formam primęuæ institutionis.

Explicatur verba Christi, Matth. 19.

Probatur Secundò: Qui, dimissa priore vxore, aliã duxerit, mœchatur; vt apertè habetur Matth. 19. & Lucę 16. ergo etiam mœchatur, qui retenta priore aliã duxerit. Consequentia probatur: Nam ideò ille mœchatur, qui dimissa priore aliã ducit, quòd prior vxor, etsi coram hominibus nõ ampliùs videatur esse vxor, cùm sit dimissa, tamen coram Deo verè manet vxor, & cum ea alteram habere nõ potest: atqui ea quę remanet in domo, cui alia superinducitur, non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus manet vxor: ergo potiori iure censetur adulter, si cum illa aliam habuerit. 17 Lucæ 16.

Nec obstat, quòd Marci 10. non dicatur simpliciter *mœchatur*, sed *mœchatur super eam*; quasi velit significare non esse absolutè adulterum, sed solùm secũdùm quid, scilicet respectu vxoris dimissę, vt Caietanus præpostera subtilitate exponit: quia illud *super eam*, non est particula diminuens, quasi non sit verum adulterium quod ille cõmittit super eam: nam Matth. 19. & Lucę 16. absolutè dicitur quòd *mœchatur*, nec additur *super eam*. Significat autem hęc particula, hoc adulteriũ esse contra vxorem dimissam, seu in eius iniuriam: omne enim adulterium, ideò est adulterium, quòd fiat in iniuriã alicuius coniugis. Quamuis enim prior dimissa sit, quòd in iniuriam mariti adulterium commiserit, tamen si maritus aliam ducat, etiam committit adulterium, & quidem *super*, id est, *contra vxorem dimissam*. Vnde sequitur, priorem non ita esse dimissam, vt possit altera duci: &, si altera ducatur, non esse verum matrimonium, sed adulteriũ in prioris matrimonij iniuriã. Vide D. Augustinum lib. 1. *de Adulterinis coniugijs* cap. 11.

Quid sit *Mœchatur super eam*, Marci 10.

Probatur Tertiò: Apostolus docet mulierem non posse habere plures viros, esseque *adulteram*, si viuente priore marito, alteri nupserit: ad Rom. 7. & 1. ad Cor. 7. Atqui in ratione cõiugij pares sunt in noua lege vir & mulier, vt idem Apostolus docet 1. ad Cor. 7. v. 3. cùm ait, *Vxori vir debitum reddat, & vxor viro.* Et, *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Ergo vir non potest etiam simul habere plures vxores. Rom. 7. 1. Corin. 7.

Probatur Quartò: Ex Cõc. Trid. sess. 24. can. 2. *Si quis dixerit, licere Christianis habere simul plures vxores, & hoc nulla lege diuina esse prohibitum, anathema sit.* Vide plura apud Gratianũ 24. q. 3. & Cap. *Gaudemus*, de Diuortijs. Tridentinum.

18 Nec per Ecclesiam, nec legem Ciuilem permitti potest hæc Polygamia.

Ex dictis sequitur Primò: Ecclesiam super hac Polygamia nullo modo posse dispẽsare, cum iure naturali & diuino sit prohibita. Secundò patet grauiter errasse Valentinianum seniorem, qui primus inter Christianos Polygamiam inducere conatus est, eamque lege lata sanciuit, vt docet Socrates lib. 4. cap. 27. vel 31. Vide Couarruuiam.

DVBIVM VII.

Vtrùm ante Christum concessa fuerit plurium vxorum Polygamia?

19 Euthymius negat.

EVthymius in c. 8. Ioannis negat: vnde existimat Patriarchas nõ habuisse plures vxores, sed vnã dumtaxat legitimam, reliquas autem omnes fuisse concubinas. Quod probat: quia sic eas Scriptura passim appellat. Et confirmat Ioannis 8. vbi dicunt Iudæi, *Nos ex fornicatione non sumus*, id est, vt ipse interpretatur, *non sumus ex Agar concubina, sed ex Sara, legitima vxore.* Alij dicunt eam concessam fuisse Iudæis tantùm; vt Scotus dist. 33. art. 2. Alij omnibus posteris Abrahæ; vt Sotus. Alij omnibus absolutè; vt multi recentiores.

Scotus. Sotus. Recentiores.

20 Patriarchæ habuerunt plures legitimas vxores.

Dico Primò: Certissimũ est, Patriarchas olim habuisse plures legitimas vxores. Est communis sententia Doctorum, & Patrũ. Probatur Primò: Quia si non fuissent legitimę, vixissent ipsi in perpetuo adulterio; quod nefas est de viris sanctissimis vel suspicari. Secundò, Quia Scriptura semper vocat Liam & Rachelem *vxores Iacob*, nunquam verò *concubinas*: ergo saltem duas veras vxores habuit. Tertiò, Quia Scriptura eas, quas aliquando vocat *concubinas*, alibi vocat *vxores*: ergo erant legitimæ vxores. Antecedens patet Gen. 25. vbi Agar & Cetura vocantur *concubinæ*: eodem tamen capite Cetura vocatur *vxor*. Et cap. 16. Agar similiter *vxor* vocatur. Iudicum 19. vxor vnica & legitima cuiusdã Leuitæ, nunc vocatur *vxor*, nunc *concubina*. Causa huius diuersæ appellationis erat, quòd apud Iudæos essent duo genera vxorum; vt colligitur Gen. 25. Quædam enim ducebantur non solùm ad suscipiendam prolem, sed etiam ad gubernandam familiam, vt essent tanquam Dominæ in familia. Hæ propriè dicebantur *vxores* & *matres familiæ*: harum soli filij succedebant in hæreditatem. Aliæ ducebantur solùm prolis causâ: hæ dicebantur *concubinæ*: non gubernabant familiam, earumque liberi non succedebant in hæreditatem, sed tantùm accipiebant aliqua munera. Idem mos fuit apud Ethnicos, vt colligitur ex Gellio lib. 18. *Noctium Atticarum* cap. 6.

Duo genera vxorum apud Iudæos.

21 Hæc Polygamia olim à Deo permissa.

Dico Secundò: Hanc Polygamiam illis fuisse permissam diuina dispensatione. Ita expresè Innocentius III. Cap. *Gaudemus*, de Diuortijs, vbi ait, *Sine diuina dispensatione nunquam licitum fuisse habere simul plures vxores*: quem sequuntur Doctores Scholastici & Canonistæ. Insinuat Chrysost. homil. 56. in Genes. vbi dicit *consuetudinem Polygamiæ prauam fuisse, ideoque à Christo esse abolitam: Patribus tamen fuisse licitam, quòd à Deo illis esset permissa*. Ratio est: quia cùm sit contra ius naturæ, saltem secundarium, nemo potuit in eo dispensare, nisi auctor & institutor naturæ.

Soluuntur obiectiones.

Dices Primò: Dispensatio seu concessio Dei non tollit incommoda, quæ Polygamiam naturaliter sequuntur, ob quæ ipsa est contra ius naturæ: ergo posita quauis dispensatione adhuc manebit contra ius naturæ.

Respondeo, Etsi dispensatio non tollat incommoda illa, quæ naturaliter sequuntur; tamen facit ne ob illa incommoda Matrimonium cum secunda vel tertia vxore sit irritũ. Sicut in principio mundi dispensauit Deus, vt Matrimonium constaret inter fratrem & sororem; tamen hæc dispensatio non sustulit primum gradum, qui iure naturæ aliàs matrimonium irritũ redderet. Sunt enim quædam, quæ secundùm se & solitariè considerata, talia sunt vt ob illa matrimonium irritũ censeri debeat si contrahatur, nisi is qui est institutor & auctor naturæ & Matrimonij, sua auctoritate concedat esse ratum: posita autem hac concessione non est amplius contra ius naturæ, aut rectam rationem, plures vxores ducere: nam incommoda quæ ex Polygamia sequuntur, bono copiosæ prolis compensari possunt. Quid hic operetur diuina dispensatio.

Dices Secundò: Si incommoda Polygamiæ poterant compensari copiosa sobole: ergo Matrimonium secundum non debebat irritum censeri propter illa, ac proinde non opus erat dispensatione diuina.

Respondeo Negando Consequentiam: Quia non est cuiusuis, quouis modo multam sobolem procurare, sed solùm modo sibi proportionato; nempe *Vnus vir per vnam vxorem*; nec amor posteritatis naturalis ad aliud inclinat: quare opus est dispensatione diuina, vt alio modo, scilicet per plures vxores, quærere possis posteritatem. Sicut, etsi Matrimonium Religiosæ professæ esset necessarium ad pacem regni, & illud incommodum, quod ipsa pateretur, dum ab illa sancta quiete abstraheretur, abundè regni bono compensaretur, tamen opus esset dispensatione, vt sit validum, vel licitum.

Dices Tertiò: Ergo saltem statim post Diluuium Polygamia sine dispensatione fuit licita, quia tunc erat necessaria ad generis humani propagationem, quam illi tunc procurare tenebantur; alioquin nimis lentè propagatum fuisset ob vitæ breuitatem & corporum imbecillitatem. Post Diluuium fuit necessaria hæc Dei dispensatio ad hanc Polygamiam.

Respondeo, Non esse improbabile pro eo tempore dispensationem non fuisse necessariam. Contrarium tamen est probabilius, & ferè communis sententia: quia non pertinebat ad homines illius sęculi curare vt celeriùs propagaretur genus humanum, quàm modo consentaneo & singulis proportionato commodè fieri posset. Sed hoc ad diuinam prouidentiam pertinebat, quę naturam instituit, & gubernat, qui ante diluuium, cùm homines diutissimè viuerent, essentque valetudine firmissima, non permisit Polygamiam; sed post Diluuium ob vitæ breuitatem, & imbecillitatem corporis muliebris meritò id cõcessit. Vnus enim ante Diluuium tot poterat habere liberos ex vna vxore, quot octo vel nouem viri ex duabus vel tribus.

Dico Tertiò: Hæc dispensatio non ad solos Iudæos, sed etiam ad Gentiles videtur pertinuisse. Probatur Primò: Nam Esau plures vxores habuit, vt patet Genes. 26. & 28. nec tamen idcirco à Scriptura reprehenditur. Et Ismaëlitæ vsque in hodiernum diem, tanquã à maioribus acceptũ seruant hunc morem. Secundò: quia D. August. lib. 16. *de Ciuit.* cap. 38. ait, *Eo tempore, quo Iacob accepit plures vxores, nulla lex, habere plures vxores multiplicandæ posteritatis causâ, prohibebat*: ergo erat tunc generalis permissio. Et lib. 22. contra Faustũ cap. 47. 22 Non solis Iudæis hæc dispẽsatio concessa, sed etiam Gentilibus.

cap. 47. ait, *Morem ducendi plures vxores, receptum fuisse in illis terris, vbi Iacob peregrinabatur, nec vlla lege tunc id fuisse prohibitum:* atqui Iacob tunc erat apud Gentiles, nempe apud Laban idololatram in Mesopotamia. Vnde cessat quæstio, quã quidã ponunt, *An singulu facta sit hæc dispensatio?* Satis enim constat communiter factam fuisse generali quadam concessione, & diuina inspiratione insinuatam primis Patribus post Diluuium; & fortassis soli Noë, à quo posteri intellexerunt id esse licitum; & ab horum exemplo alijs idem licitum esse iudicatum & frequentatum.

Hæc dispẽsatio generatim facta.

Dices Apost. 1. ad Corinth. 7. v. 4. ait, *Virum non habere potestatem sui corporis, sed mulierem:* ergo, si mulier non consentiebat, non poterat vir alteri mulieri potestatem sui corporis, per nouum Matrimonium tradere.

Respondeo Primò: Etsi mulier habeat potestatem in corpus mariti, Deus tamen habet maiorem: vnde quamuis ipsa nõ consentiat in Polygamiam, sufficit Deum consentire.

Respondeo Secundò: Apostolum ibi non agere de *potestate ducendi alteram*, sed *negandi debitum*; scilicet, virum non ita habere sui corporis potestatem, vt vxori debitum negare possit.

Petes; Quando cessauit hęc dispensatio? Respondeo: Certum est sublatam fuisse per totum mundum Polygamiam, quando Dominus Matrimonium ad primęuam institutionem reuocauit. Vnde Gentiles, si conuertantur, tenentur posteriorem dimittere, & solam primam retinere; eò quòd cum cęteris non fuerit verum coniugium: vt expressè docet Innocentius III. Cap. *Gaudemus* de Diuortijs.

23 Hęc dispẽsatio per Christum omnino est reuocata.

CAPVT II.

De Matrimonio generatim considerato, vt est Sacramentum.

DVBIVM I.

Vtrùm Matrimonium inter fideles tempore legũ Euangelicæ sit Sacramentum gratiam conferens?

24 Negant nostri hæretici.

HÆretici huius seculi pænè omnes negant esse Sacramentum, putantes esse solùm contractum Politicum, nec habere gratiæ promissionem. Dico *Pænè omnes*. quia Zuinglius dicitur docuisse *Matrimonium esse pulcherrimum Sacramentum*. Inter Catholicos solus Durandus cum paucis Canonistis videtur dubitasse. Nam dist. 26. qu. 3. docet Matrimonium non esse vniuocè Sacramentum cum cæteris, nec gratiam conferre.

Dubitat Durandus.

Est de fide.

Respondeo: Fide tenendum est Matrimonium inter fideles in noua Lege esse propriè Sacramentum gratiam conferens. Definitur in Concilio Trident. sess. 24. can. 1. Notandum est: Etsi hæc veritas non possit ex Scripturis probari, non tamen idcircò posse vllo modo de illa ambigi; cùm multa alia credere firmiter teneamur, quæ ex Scripturis non probantur: inter quę est illud fundamentum omnium quæ ex Scripturis credimus, nempe, *quænam sit vera Scriptura, & quæ eius vera interpretatio*; hoc enim sola traditione credimus. Sufficere enim Christiano debet Ecclesiæ Catholicæ traditio, *quæ est columna & firmamentum veritatis*, 1. ad Timoth. 3. Nihilominus vtrumq; ex varijs Scripturæ locis suaderi: potest nos tria adducemus.

Primus locus est ad Ephes. 5. v. 31. vbi Apost. ait: *Propter hoc relinquet homo patrẽ & matrẽ suã & adhærebit vxori suæ. & erunt duo in carne vna. Sacramentũ hoc magnũ est. ego autẽ dico in Christo & in Ecclesia.* Sensus est, nẽpe: *Quòd homo relinquat patrẽ & matrem, vt vxori adhæreat, est magnum Sacramentum seu Mysterium; quod ego in Christum & Ecclesiam interpretor, quia coniugium Christi & Ecclesiæ significat.* Nunc subsumo: Atqui coniugium Christi cum Ecclesia est per gratiam & charitatem: ergo necessarium est, vt Matrimonium coniunctam habeat gratię sanctificationem; alioquì non poterit aptè Christi & Ecclesiæ connubium repræsentare. Vide Adamum Sasbout in explicatione huius loci.

25 1. Probatur ex Scripturis.

Ad Eph. 5.

Ex hoc testimonio Apostoli duo colligimus. Primum est, Matrimonium Christianorum esse *magnum Sacramentum* seu Mysterium, quia Christi & Ecclesiæ connubium significat. Vnde euidenter sequitur, Matrimonium à Deo esse institutum in signum coniunctionis Christi & Ecclesiæ: non enim naturaliter id significare potest, cùm illa cõiunctio sit omnino supernaturalis, sicut etiã *Verbi incarnatio*, per quam extitit Christus.

Hinc colligitur Matrimonium esse Sacramentum.

Dices: Apostolus Matrimonium non vocat *Mysterium*, sed Christi & Ecclesiæ coniunctionem vocat Mysterium: ac proinde ratio Mysterij non est tribuenda *Matrimonio*, sed *vnioni Christi & Ecclesiæ*. Quod Confirmatur Primò: quia nullum est supernaturale Mysterium, quòd vir & femina coniungantur, cùm ratio naturalis hoc dictet. Confirmatur Secundò: quia Apostolus apertè dicit, *Sacramentum hoc magnum est in Christo & in Ecclesia*. Confirmatur Tertiò: D. Augustinus lib. 1. *de Nuptijs & concupiscentia* cap. 21. dicit *Magnum Sacramentum in Christo & Ecclesia constitui: in viro autem & vxore esse minimum Sacramentum*. Et Anselmus in hunc locum: *Ne quis istam magnitudinem in singulis hominibus vxorem habentibus intelligeret, addit Apostolus; Ego autem dico in Christo & Ecclesia*, id est, ego allegoricè interpretor hęc verba Geneseos de coniugio Christi & Ecclesiæ.

Obiectio, quòd ratio Mysterij nõ tribuatur matrimonio, sed cõiunctioni Christi & Ecclesię.

Respondeo: Certissimum est Apostolum rationem *Mysterij* tribuere *Matrimonio*, non autem *vnioni Christi & Ecclesiæ*. Probatur Primò: Cùm enim dicit, *Sacramentum hoc magnum est*, pronomen (*hoc*) debet referri ad id quod proximè præcessit; nam demonstrat id, de quo agebatur: atqui proximè præcesit, *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*: ergo vult dicere, Hoc videlicet quòd relinquet homo patrem & matrem &c. vt adhęreat vxori suę, esse magnum Mysterium. Secundò: quia Apostolus non dicit *hoc magnum Sacramentũ esse in Christo & Ecclesia*, quasi illis insit tanquam subiecto, sed esse *in Christum & Ecclesiam*, vt Græca expressè habẽt: nempè quia *hoc Mysterium* tendit *in Christum & Ecclesiam* veluti in terminum; sicut signum respicit signatum: ergo ratio *Mysterij* seu *Sacramenti* inest *Matrimonio* tanquam subiecto, & respicit *Christi Ecclesiæque coniunctionem*, tanquam terminum sacrę significationis. Tertiò: Quia Apostolus hortatur coniuges ad mutuam dilectionem ex eo, quòd ipsorum *Matrimonium*

Expẽditur mens Apostoli ad Eph. 5.

magnum Mysterium includat, cùm significet connubium Christi & Ecclesiæ, quod mutua dilectione constat. Quòd si ipsa ratio *Mysterij* non esset *in Matrimonio*, sed solùm *in coniunctione Christi & Ecclesiæ*, totum argumentum Apostoli esset friuolum, nec quidquam faceret ad propositum. Quartò: Quia omnes Patres ita hunc locum explicant, vt rationem *Mysterij* tribuant *Matrimonio* respectu vnionis Christi & Ecclesiæ. Vide Hieronymum in hunc locum, & Gregorium Nazianzenum, cuius verba adducit Hieronymus. Commentarius Ambrosij in hunc locum, *Mysterij Sacramentum grande in vnitate viri & feminæ esse significat*. Chrysostomus homil. 20. in epist. Ad Ephesios pulchrè explicat, quàtum sit *Sacramentum relinquere patrem & matrẽ, vt vxori anteà ignotæ adhæreatur*. Hunc sequuntur Theophylactus & Oecumenius. Diuus Leo epist. 92. cap. 4. *Societas nuptiarum ita ab initio constituta est, vt præter sexuum coniunctionem, haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum*. D. Augustin. lib. 1. *de Nuptijs & concupiscentia* cap. 10. *Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis*. & aliàs sæpè vocat cõiugium *Sacramentũ*. Neque dissentit Anselmus; nam dicit locum Geneseos allegoricè intelligi de Christi & Ecclesiæ vnione: vnde sequitur, *Matrimonium* esse signum huius coniunctionis: nam sensus allegoricus est de re, quę per sensum literalem & historicum significatur. Dicit autem Anselmus *Magnitudinem huius Sacramenti non constitui in singulis hominibus vxorem habentibus, sed in Christo & Ecclesia*; quia res Mysticè significata per *Matrimonium* (hæc enim ipsa etiam dicitur *Sacramentũ*, & ratione huius *Matrimonium* dicitur *Sacramentum* seu *Mysterium*) non constituitur in singulis hominibus, sed in Christo & Ecclesia. Non negat tamen Anselmus *magnitudinem signi Mystici reperiri in singulis hominibus vxorem habentibus*: nam singulorum Matrimonium est *magnum signum*, quia rei magnæ signum. Sic quoque intelligendus Augustinus cap. 21. *De Nuptijs & Concupiscentia*: Res enim, quæ per matrimonium in viro & femina significatur, est quid minimum respectu rei, quæ in Christo & Ecclesia significatur: nam in viro & femina per Matrimonium significatur coniunctio & amor mutuus, quì certè minimum quid est respectu cõiunctionis Christi & Ecclesiæ.

Est cõmunis explicatio Patrum.

Ex his patet responsio ad Secundam & Tertiã Confirmationem. Ad Primam, Respondeo: Ratio naturalis nõ dictat Matrimonium esse signum coniunctionis Christi & Ecclesiæ, sed doctrina fidei hoc tradit. Sic hominem aqua perfundi est actio naturalis; sed quod hæc actio significet animæ ablutionem, non est naturale, sed diuinum institutum.

Soluitur obiectio.

Dices: Esto concedamus Apostolum rationem *Mysterij* tribuere *Matrimonio*; hinc tamen non sequitur *Matrimonium Christianorum esse Mysterium seu Sacramentum*: quia videtur tantùm loqui de *Matrimonio Adami & Euæ*: nam adfert verba, quæ Adam dixit.

Agit hic Apostolus de Matrimonio Christianorum.

Respondeo: Perspicuum est Apostolum non loqui potissimùm *de coniugio Adami & Euæ*, sed *de coniugio Christianorum*. Primò: quia in verbis Geneseos agitur de Matrimonio futuro, *Relinquet homo patrem & matrem*. Secundò: Adam & Eua non habuit *patrem & matrem*, quos relinqueret. Tertiò: quia Apostolus ex hoc loco hortatur fideles ad suas vxores diligendas: ergo potissimùm intendit agere de *coniugio fidelium*. vnde non ait, *Sacramentum hoc magnum fuit*, sed, *est in Christo & Ecclesia*. Ecclesia enim propriè per Christum incepit.

Secundum quod colligitur ex verbis illis ad Ephesios 5. est, Matrimonium conferre gratiam: quia cùm Matrimonium ex diuina institutione debeat repræsentare vnionem Christi & Ecclesiæ, quæ fit per mutuam dilectionẽ supernaturalem; neq; possit hanc vnionẽ cõuenienter repræsentare vt est contractus ciuilis promissione gratiæ destitutus, necessarium est ad hanc vnionem aptè significandam, vt gratiam conferat, ac proinde vt sit verum Sacramentum, id est, externum symbolum efficax sanctificationis.

Collige 1. per Matrimonium dari gratiam.

Dices: Ante Christi aduentum *Matrimonium fidelium* erat *Mysterium vnionis Christi & Ecclesiæ*, & tamen non conferebat gratiam: ergo hinc non rectè colligimus conferre gratiam.

Respondeo: Ante Christum, matrimonium non repræsentabat hanc vnionem, nisi imperfectè & remotè, vt docet D. Thomas quæst. 42. art. 2. Cuius signum est, tum quòd potuerit dissolui dato libello repudij; tum quòd admiserit Polygamiam: quæ duo sunt contra rationem huius Mysterij. Simili modo, etsi matrimonium secundùm primam institutionem consideratum, fuerit *Mysterium huius vnionis*, tamen imperfectum & inchoatum fuit; eò quòd res repræsentata nondum existeret: Christus enim necdum carnem assumpserat, vt sponsus esse posset; necdum Ecclesiam suã quæ esset eius sponsa, instituerat: vnde illud matrimonium non debebat gratiam conferre.

Matrimonium antè Christum remotè repræsentabat vnionẽ Christi & Ecclesiæ.

Alius locus est 1. ad Thessal. 4. v. 4. vbi Apostolus hortatur coiunges, vt abstineant à fornicatione, *Vt sciat vnusquisque possidere vas suum in sanctificatione*, nempe eà, quam per cõiugium accepit.

Alia loca Scripturæ pro hoc Sacramento.

Tertius locus est 1. ad Timoth. 2. v. 15. vbi dicitur, quòd *Mulier saluabitur per filiorum generationem*, id est, in statu Matrimonij. Sed hic locus minùs vrget.

Probatur Secundò: Ex Concilijs, & Decretis Pontificum. Concilium Florentinũ *in instructione Armenorum*, consentientibus Græcis, dicit *Matrimoniũ esse propriè dictum nouæ legis Sacramentum, gratiam conferens*. Quod etiamnum tenet Ecclesia Græca, vt patet ex censura Ieremiæ Patriarchæ Constantinopolitani, quã ante 18. circiter annos fecit contra confessionem Augustanam, vbi dicit, *Matrimoniũ esse diuinum Sacramentum, vnum ex illis septẽ quæ Christus & Apostoli Ecclesiæ tradiderunt*: & probat ex loco allato ad Ephes. 5. Conc. Trid. sess. 24. can. 1. *Si quis dixerit, Matrimoniũ nõ esse verè & propriè vnum ex septem legis Euangelicæ Sacramentis à Christo Domino institutum, neque gratiam conferre, anathema sit*. Antiquiora Concilia non habemus, quæ id apertè definiant, eò quòd olim non fuerint hæreses, quæ id præcisè negarẽt. Habemus tamen varia testimonia ex decretis Pontificum, è quibus hæc veritas colligitur. Siricius Papa epist. 1. cap. 4. dicit *Sacrilegium committi, si alter coniugum viuente coniuge ad secundas nuptias transeat*. vnde sequitur *Matrimonium* esse rem sacram, & continere in se sanctificationem, nec esse nudum signum. Innocentius I. epist. 1. *Statuimus*, inquit, *fide Catholica suffragante, illud esse coniugium, quod primitùs erat diuina gratia fundatũ*. Lucius III. ante annos 400. in Concilio Veronensi anathema dicit eis, *qui de Sacramento*

26

2. Probatur ex Cõcilijs, & Decretis Pontificũ.

Florent.

Trident.

Siricius.

Innoc. I.

Lucius 3.

Sacramento corporis Domini, Baptismo, Matrimonio, aliisque Ecclesiæ Sacramentis aliter sentirent, quàm Ecclesiæ Romanæ fides doceret; vt habetur Capitulo *Ad abolendam*, de Hæreticis. Vnde patet Lucium cum Concilio voluisse, *Matrimonium ita esse Sacramentum, sicut Baptismum & Eucharistiam.*

27 3. Probatur ex Patribus

Ambros.

Probatur Tertiò: Ex Patribus, præter suprà citatos. Ambrosius lib. 1. *de Abraham* cap. 7. dicit, *Eum, qui polluit alienum torum, Sacramenti cœlestis amittere consortium.* vbi *Coniugium* vocat *Sacramentum cœleste*, cuius consortiũ dicitur amittere, quia gratiam amittit. Cyrillus lib. 2. in Ioannem cap. 22. inter cætera dicit *Dominum sanctificasse coniugiũ sua præsentia, eique gratiam præparasse, vt aditus hominum in hanc vitam benediceretur.* Vbi Cyrillus videtur etiam innuere *Matrimoniũ tunc fuisse euectum in Sacramentum.* Quamuis fortè verius sit id fuisse factum Matth. 19. quando Polygamiâ & repudio abolito, Matrimonium ad primæuam institutionem reduxit. D. Augustinus sæpè docet *Matrimonium non esse Sacramentum, nisi in Ecclesia.* Lib. *de fide & operibus* cap. 7, *In ciuitate Domini, in monte sancto eius, nuptiarum non solum vinculum, sed etiam Sacramentum, ita commendatur, vt non liceat viro vxorem suam alteri tradere.* Lib. *de Bono coniugali* cap. 18, *In nostrarum nuptijs plus valet Sacramenti sanctitas, quàm vteri fœcunditas.* Et cap. 24, *Bonum nuptiarum per omnes gentes in causa generandi est, & in fide castitatis Quòd autem ad populum Dei pertinet etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est, etiam repudio intercedente, alteri nubere, dum vir eius viuit.* Quòd autem nomen *Sacramenti* propriè accipiat Augustinus, patet Primò, quia distinguit Matrimonia infidelium à fidelium Matrimonijs; quòd fidelium sint *Sacramenta*, infidelium minimè: cùm tamen largo modo etiam hæc dicantur *Sacramenta*, vt patet ex Cap. *Gaudemus*. Secundò: quia ex eo, quòd sit *Sacramentũ*, colligit esse insolubile. Quod argumentum non valeret, nisi propriè acciperet *Sacramentum.* Tertiò: quia lib. 1. *de Nuptijs & concupiscentia* cap. 10. comparat *Sacramentum Matrimonij* cum Baptismo, & dicit etiam illud manere in coniugibus separatis, sicut baptismus manet in Apostatis; quod intellige ratione vinculi coniugalis, non ratione alicuius characteris.

Cyrill.

Augusti.

28 4. Probatur Ratione.

Probatur Quartò: Ratione. Prima est: Matrimonium Christianorum est vnius cum vna tantùm, & penitus insolubile: vt patet Marci 10. Matth. 19. Atqui huius non potest esse alia causa, quàm quod sit *Sacramentum coniunctionis Christi & Ecclesiæ*, vt sæpè docet D. Augustinus. vide cap. 7. 18. 24. *de Bono coniugali.* Atqui huius vnionis non est perfectè repræsentatiuum, nisi gratiam conferat: ergo est signum rei sacræ gratiam conferens, ac proindè *Sacramentum.*

Secunda est: Matrimonium Christianorum inijcit vinculum insolubile cum vna vxore: atqui ad tale vinculũ tolerandũ necessaria est gratia: ergo gratiam confert: Deus enim in necessarijs non deest: vnde rem adeò difficilẽ sine auxilio gratiæ nõ instituisset. Cõfirmatur; quia alioqui lex noua esset durior & intolerabilior lege veteri, quæ repudium & polygamiam permittebat: quæ duo remedia per nouam legem sunt sublata: oportuit ergo hæc gratiâ compensari.

Quàm necessaria sit coniugatis gratia.

Tertia est: Ex fine Matrimonij, qui triplex est: Propagatio Ecclesiæ, Euitatio fornicationis, & Vita socialis in mutua dilectione: sed ad hos fines requiritur gratia: ergo &c. Minor Probatur. Nã Primò parentes non possunt rectè educare liberos in fide & Dei timore, tamquã Ecclesiæ membra, ad quod tamen ratione sui Matrimonij tenentur, sine auxilio gratiæ: ergo Deus ad hoc ritè præstandum, dat eis gratiam in contractu, sicut in ordinatione dat gratiam ad Ordinũ officia. Deinde, ad fornicationem euitandam coniugium sine gratia non sufficit; partim quia concupiscentia per vsum coniugij plus accenditur, quàm reprimitur; partim quia coniugati sæpè vel ob morbum vel absentiam coniugis coguntur abstinere. Denique, *vxor debet diligere virum, eique obedire tanquam Christo; & vir debet diligere vxorem, vt Christus Ecclesiam*, iuxta Apostolum ad Ephes. 5. quod sine gratia fieri nequit.

Quarta est: Matrimonium in Ecclesia semper habitum est inter res sacras, & tempore sacrificij consuetum celebrari, adhibitis precationibus & benedictione Sacerdotis: vt patet ex Euaristo Papa epist. 1. Decretalium, Concilio Carthag. IV. cap. 13. & ex Ambrosio epistola 70 quæ est ad Vigilium: ergo non est solùm contractus ciuilis, sed quoddam Sacramentum. Vide Petrum Soto lect. 1. de Matrimonio.

29 Obiectiones soluuntur.

Obijcitur Primò: Sacramentũ efficit id, quod significat: atqui Matrimonium non efficit vnionẽ Christi cum Ecclesia, quam tamen significat: ergo non est Sacramentum.

Quomodo Matrimonium efficiat, quod significat.

Respondeo: Non est necesse omne significatum Sacramenti esse ipsius effectum. Eucharistia enim significat sacrificium Crucis & Mortem Domini, non tamen efficit: Baptismus quoque significat Mortem Christi, iuxta Apostolum, non tamen efficit. Sufficit igitur, vt Matrimonium significet aliquem effectum supernaturalem quem efficiat. Est autem is duplex: Primus, insolubilis coniunctio coniugum; quam neque significat, neque efficit merè naturaliter, sed ex Christi institutione: non enim ratio naturalis dictat debere hanc coniunctionem esse adeò insolubilem, vt nullo casu possit dirimi. Quod colligitur ex Augustino *De Bono coniugali* c. 7. Secundus effectus eius est, coniunctio supernaturalis animorum: hanc efficit conferendo gratiam, & naturalem coniugum amorem diuina charitate informando; nempe, vt vxor iungatur viro, sicut Ecclesia Christo; & contrà.

Obijcitur Secundò: Potest fieri pactum de cõtrahendo Matrimonio, interueniente pretio: atqui pro Sacramentis non potest dari vel accipi pretium: ergo non est Sacramentum. Ob hanc rationem quidam Canonistę, scilicet Ostiensis, Gaufredus, & Bernardus, quos citat & sequitur Durandus, sentiunt Matrimonium non conferre gratiam. His Durandus addit Magistrum in 4. dist. 2. vbi Magister ait, *Sacramentum coniugij tantùm esse institutum in remedium, alia verò vt etiam gratiam adiutricem præbeant.*

Quomodo pro Matrimonio possit dari pretium.

Respondeo: Istos Canonistas falli, & communem Canonistarum sententiam illis aduersari; vt docet Nauarrus cap. 22. Enchiridij num. 20. Ratio illorum nihil vrget: non enim datur pretium pro ipso Sacramento, sed pro obligatione ad onera Matrimonij, quæ ille contractus adfert: sicuti Parocho non datur pretium Sacramentorum quæ administrat, sed pro obligatione ad onera pastoralia. Adde, si ratio illorum aliquid concluderet, seque-

sequeretur Matrimonium ne sacramentale quidē esse, sed esse rem omnino profanam: nam ne pro sacramentalibus quidem pecunia dari potest; vt pro benedictione calicis, aquæ, nuptiarum, & similium. Ad Confirmationem: Respondeo Magistrum ibi passim reijci, vt notatur in margine ibidem. D. Thomas tamen in expositione literæ Magistri conatur illum commodè interpretari, scilicet, Magistrum intelligendum esse de fine principali.

DVBIVM II.

Vtrùm Matrimonium ante Christi aduentum, vel etiam modò, inter Infideles contractū, sit Sacramentum?

30 Quidam asserunt matrimonium Iudæorum ante Christum fuisse sacramentum.

QVidam existimant apud Iudæos *Matrimoniū fuisse verum Sacramentum gratiam conferens; & à Christo non tam fuisse institutum in Sacramentum, quàm confirmatum.* Ita sensit Henricus Rex Angliæ, vel potiùs Roffensis *in defensione assertionis septimæ, de Sacramentis*. Alphonsus Castro verbo *Nuptiæ*, hæresi 3. Petrus Soto lectione 2. *de Matrimonio*, & Albertus Pigius controuersia 10. Ex qua sententia sequitur, etiam modò inter infideles esse Sacramentum.

Negatur.

Respondeo, & Dico Primò: Certum est, Matrimonium ante Christum non fuisse Sacramentum propriè dictum, gratiam conferens. Probatur Primò: Ex Concilio Trident. sess. 24. can. 1. vbi definit sub anathemate, *Matrimonium esse Sacramentum legis Euangelicæ, & esse à Christo institutū:* quod stare non potest cum altera sententia. & cap. 1. *Cùm* inquit, *Matrimonium in lege Euangelica veteribus connubijs gratiâ præstet, meritò inter nouæ legis Sacramenta annumeratur:* vnde apertè sequitur vetera connubia gratiam non contulisse. Idem docet Concil. Florentinum, vt mirum sit illos auctores ita sentire potuisse. Secundò: Si fuisset verum Sacramentum, debuisset esse institutum in statu innocentiæ, nempe quando Deus benedixit coniugio Adami & Euæ. Sed hoc non rectè dicitur: nam ille status non egebat peccati remedio, cùm nullum esset peccatum, nulla concupiscentia, nulla difficultas boni, nullum periculum mali. Tertiò: In veteri lege concessa erat Polygamia, & repudium, quorum vtrumque pugnat cum ratione Sacramenti. Denique, accedit communis sententia Doctorum, qui docent in statu innocentiæ Matrimonium fuisse institutum in officium naturæ; post lapsum, institutum in remedium concupiscentiæ; in noua lege cuectum in Sacramentum.

31 Matrimonium infideliū nunquam fuit sacramentum.

Dico Secundò, *Matrimonium infidelium nunquam fuit Sacramentum.* Probatur Primò, Ex Augustino, qui multis locis docet *tantummodò in Ecclesia Matrimonium habere Sacramenti sanctitatem, & idcircò in ea esse penitus insolubile*. Secundò, Ex Innocentio III. Cap. *Quanto*, de Diuortijs, vbi dicit *Matrimonia infidelium esse quidem Matrimonia legitima, sed non esse rata, quod Sacramenti firmitate careant*. Vide Couarruuiam in epitome 4. parte 2. cap. 1. §. vnico. nu. 4. Ratio est, quia *Baptismus est ianua Sacramentorum*, vt rectè Concilium Florent. Vnde quādo idem Innocentius Cap. *Gaudemus*, dicit *Sacramentum coniugij apud fideles & infideles extare*, accipit nomē *Sacramēti* amplè pro quouis signo sacro.

Sed contrà Obijcitur Primò: Genes. 1. Deus benedixit coniugio primorum parentum: atqui hæc benedictio non hæsit in corpore, sed transijt in animam, ac proinde gratiam cōtulit: ergo etiā in alijs cōiugijs collata semper fuit, cùm hæc benedictio ad omnia coniugia pertineat. Et Confirmatur Primò; quia non solū in noua lege, sed omni tempore parentes eguerunt gratia ad ritè suas proles instituendas. Confirmatur Secundò; quia statim post peccatum fuit Matrimonium institutū in remedium concupiscentiæ: atqui non fuisset remedium sine auxilio gratiæ, ergo gratiam contulit.

Quid operata sit Dei benedictio in cōiugio Adæ & Euæ.

Respondeo, Illa benedictio præstabat tantùm fœcunditatem corporibus, non autem gratiæ auxilium mentibus: vt expressè docet D. August. lib. 13. Confess. cap. 24. idque probat ex eo, quòd etiam piscibus & auibus Dominus benedixerit. Ad primam confirmationem: Neganda est Consequentia: nam ad multa alia ritè peragenda in veteri lege opus habebant gratiâ, hæc tamen non conferebatur per aliquod Sacramentum; sed impetrabatur deuotione orantis, & benè operantis. Sacerdotes enim ad ritè sacrificandum, Deumque placandum gratiâ egebant, quæ tamen in eorum ordinatione non dabatur: hoc enim est priuilegiū legis Euangelicæ. Ad secundam Confirmationē: Matrimonium non propriè dicitur *institutum esse in remedium post lapsum*, quasi Deus nouam aliquā ordinationem de hoc fecerit, sed naturaliter cessit in remediū cōcupiscentię: sic intellige Doctores. Cùm enim actus coniugalis naturaliter esset licitus, obortâ concupiscentiâ factū est, vt ei obedire nō cederet homini in damnationē. Accedit, quòd tum plures permissæ fuerint vxores, & libellus repudij, vt sic quoque cupiditati carnali possent mederi. In noua lege hoc remedium debebat esse perfectius, & minuere ardores concupiscentiæ, præsertim repudio & Polygamia iam vetitis.

Quomodo post lapsū matrimonium sit institutum in remediū concupiscentiæ.

Obijcitur Secundò: Apostolus ad Ephes. 5. de coniugio Adami & Euæ dixit, *Sacramentum hoc Magnum est:* ergo erat *Sacramentum*. Confirmatur ex Leone epist. 92. cap. 4. vbi dicit, *Societas nuptiarum ita est ab initio instituta, vt præter sexuum cōiunctionem haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum:* ergo ab initio fuit Sacramentum.

Respondeo: Apostolus loquitur de *coniugio fidelium*, cui applicat verba Geneseos. Deinde, etsi loqueretur de omni *coniugio* secundùm primam institutionem spectato, nihil aliud sequeretur, quā fuisse *Sacramentum* largo modo, sicut Manna, sicut aqua manans è petra, sicut aspectus serpentis, &c. Ad D. Leonem: Respondeo, nomen *Sacramenti* laxè sumi.

DVBIVM III.

Vtrùm Matrimonia Infidelium fiant Sacramenta, quando baptizantur?

QVidam existimant fieri Sacramenta hoc ipso, quo baptisma suscipiunt, sine alio consensu vel contractu. Ita Couarru. 2. parte. cap. 1. §. vnico. vbi dicit *Matrimonium infidelium non esse Sacramētum actu, sed habitu*, nempe quia per baptisma fit actu Sacramentum. Probat suam sententiā ex D. Thoma dist. 39. qu. 1. art. 2. Alij volunt necessarium esse nouum contractum, & hunc fieri *Sacramentum*. 32

Respondeo:

Matrimonium non fit Sacramentum præcisè per Baptismum.

Respondeo: Verius esse, *neutro modo Matrimonium Infidelium posse fieri Sacramentum.* Non priori modo: nam baptismus non potest efficere, vt id quod non erat *Sacramentum* cùm existeret, fiat Sacramentum postquam desijt esse; nam ratio Sacramenti non potest pendere ab euentu futuro. Fieri quidem potest, vt id quod præterijt, & fuit Sacramentum cùm existeret, incipiat habere effectũ postquam desijt, accedente aliqua noua dispositione ipsi subiecto; vt patet in baptismo fictè suscepto; quia effectus Sacramenti est extrinsecus Sacramento: tamen fieri nequit, vt id, quod iam præterijt, nec erat Sacramentum cùm existeret, fiat posteà Sacramentum ratione alicuius dispositionis, quæ subiecto superuenit: nam ratio Sacramenti est intrinseca rei sensibili. Quando ergo res desijt habere esse sensibile, non potest retinere esse sacramentale, multoque minus illud de nouo

Neq; per nouum cõtractum.

accipere. Neque etiam secundo modo: quia ille contractus, qui post baptismum inter illos coniuges initur, non est verus contractus Matrimonij, sed solùm rati-habitio contractus præteriti. Ratio est; quia vir non habet corporis sui potestatem, sed eam iam olim in vxorem suã transtulit; similiter nec vxor: ergo non possunt vltro citroque potestatem sui corporis efficaciter transferre, ac proinde non est contractus Matrimonij; sicut qui aliquid donauit, vendidit, & permutauit, secuta traditione, non potest illud rursus donare, vendere, aut permutare, quia non est Dominus illius rei. Hinc sequitur, non esse verum contractum, ac proinde nec Sacramentum: quia ratio Sacramenti huius supponit rationem veri & efficacis contractus.

Obiectio.

Dices: Matrimonium infidelium per baptismũ vtriusque coniugis fit omnino insolubile, cùm anteà causâ fidei solui posset: ergo incipit esse Sacramentum. Patet consequentia: quia D. Augustinus passim assignat hanc causam insolubilitatis, vt suprà dictum est.

Solutio.

Respondeo: Distinguendo consequens: Si enim per Matrimonium intelligas *contractum*, & velis hunc fieri Sacramentum, neganda est consequentia. hic enim transijt, nec potest incipere esse Sacramentum, cùm non existat. Si autem loquaris de *vinculo coniugali*, quod est effectus contractus præteriti, concedo hoc vinculum quodammodò incipere esse Sacramentum per baptismum; nam incipit esse vinculũ coniugale fidelium seu membrorum Christi, & sic incipit repræsentare vnionem Christi & Ecclesiæ, ratione cuius repræsentationis fit magis insolubile, quàm anteà.

DVBIVM IV.

Vtrùm Matrimonium fidelis cum infideli, cessante lege Ecclesiastica qua irritatur, sit Sacramentum?

33 Assertione. gans probatur.

Dominicus Soto dist. 26. qu. 2. art. 3. in fine, putat esse Sacramentum, saltem ex parte fidelis.

Sed verius est, neutra ex parte esse Sacramentum. Ratio est, quia ad essentiam exterioris contractus Matrimonij non sufficiunt signa vnius partis consensus expressiua; sed necessariò requiruntur signa vtriusq; partis, ex quibus signis contractus exterior constat: ergo contractus non potest esse Sacramentum, nisi vtraq; pars contrahens sit capax Sacramenti. Quare cùm infidelis non sit capax, neutra ex parte erit Sacramentum; sicut neutra ex parte est contractus, quando altera pars est incapax contractus. Confirmatur: quia contractus Matrimonij est vnum Sacramentum, essentialiter existens in duobus, duos coniungens, & sanctificans: ergo vterq; debet esse capax Sacramẽti.

DVBIVM V.

Vtrùm Matrimonium, quod non est complexu coniugali consummatum, sit Sacramentum?

34 Asseruit VViclef. Iulianus, Gratianus.

WIclef teste Waldensi tom. 2. cap. 130. docuit *Matrimonium non esse firmum ante copulam, & proinde ante non esse Sacramentum.* Idem olim tenuit Iulianus Pelagianus, vt patet ex Augustino lib. 5. contra Iulianum cap. 9. Idem videtur sentire Gratianus can. *Institutum.* & can. *Hic quippe*, 27. qu. 2. pro qua adfert Canonem *Non est dubium*, & Canonem *Cùm Societas.*

Negatur.

Respondeo: Certum est ad substantiam Matrimonij, siue vt est contractus ciuilis, siue vt est Sacramentum, copulam non esse necessariam.

Probatur Primò: Quia inter Adamũ & Euã fuit verum matrimonium in Paradiso: patet Genes. 1. & 2. vbi passim vocatur *vxor*, idque ante complexum. Similiter inter *Beatam Virginem & Ioseph*um; vt patet Matth. 1. vbi ipsa dicitur *coniux Ioseph*i, & *Ioseph eius vir.* Vide D. August. lib. 5. contra Iulianum cap. 9. vbi ex professo hunc errorem refutat. Probatur Secundò: Quia communis sententia Patrum est, pactione coniugali fieri matrimonia, non virginitatis defloratione. Vide Ambrosium *de institutione Virginis* cap. 6. Augustinum lib. 1. *de Nuptijs* cap. 11. Chrysostomum, & alios apud Gratianum, 27. quæst. 2. Probatur Tertiò: Ratione. Quia matrimonium consistit in contractu quodam inter virum & feminam, quo sibi vicissim faciunt corporum potestatem ad sobolem generandam; quem contractum Christus ad Sacramenti dignitatem euexit: atqui in omnibus contractibus videmus vsum rei non pertinere ad substantiam contractus; est enim vera emptio domus & equi, etsi emptor illis nunquam vtatur: atqui complexus maritalis est vsus rei per Matrimonium in potestatem alterius translatæ: ergo

Quid vinculum, quidque vsus matrimonij.

&c. Vnde *vinculum Matrimonij* est *ius & potestas moralis ad complexum, & veluti habitus*; *ipse* autem *complexus* est *vsus huius iuris & veluti operatio, seu actus secundus.* Quare sicut vsus iuris non est de ipsius iuris substantia, & operatio non est de substantia habitus; ita nec complexus est de substãtia Matrimonij. Hinc patet, quomodo hęc copula pertineat ad Matrimonij perfectionem; scilicet, vt operatio ad perfectionem habitus; & sicut vsus iuris ad perfectionem iuris; videlicet, tamquam finis ob quẽ principaliter Matrimonium contrahitur. Vtrùm etiam alio modo, infrà dicetur.

Dices Primò: Canone *Non est dubium*, dicitur; *Non est dubium illam mulierem non pertinere ad Matrimonium, cum qua commixtio sexus non docetur fuisse.*

35 Obiectiones Gratiani, qui in citationibus corrigitur.

Respondeo: Iste Canon nusquam reperitur in Augustino, quem Gratianus citat; sed malè videtur transcriptus ex Leone epist. 92. cap. 4. vbi dicitur, *Non est dubium illam mulierem non pertinere ad matrimo-*

matrimonium, cum qua docetur nuptiale non fuisse mysterium: loquitur autem Leo de concubina.

Dices Secundò: Canon *Cùm societas. Cùm*, inquit, *Societas nuptiarum ita ab initio sit instituta, vt præter commixtionem sexuum non habeant in se Christi & Ecclesiæ coniunctionis Sacramentum, non est dubium illam mulierem non pertinere ad coniugium.*

Respondeo: Gratianum non rectè hunc Canonem citare. Contrarium enim verum est: illud enim (*non*) tolli debet, vt patet ex epistola Leonis loco citato: sic enim legendũ; *Vt præter commixtionem sexuum, habeant in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum*, vt rectè Couarr. 2. p. cap. 7. §. 4. n. 20. Ex hoc loco Gratiani deceptus quoque videtur Innocentius III. Cap. *Debitum*, de Bigamis non ordinandis: vbi dicit, *Coniugium illud, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud coniugium designandum, quod inter Christum & Ecclesiam per Incarnationis mysterium est contractum.* Nam reuerà coniugium Christianorum, etiam ante copulam, significat Christi & Ecclesiæ connubium, quod supponit coniunctionem Verbi & carnis, quæ per vnionem hypostaticam facta est: non enim poterat Christus esse sponsus Ecclesiæ, nisi assumpta carne fieret illi similis: debent enim coniuges esse *duo in carne vna.*

36 Dices Tertiò: Matrimonium efficit, *Vt duo sint in carne vna*, & hoc Apostolus dicit esse magnum Mysterium: atqui *non sunt duo in carne vna* ante copulam: ergo ante copulam non est Sacramentum.

Esse duos in carne vna, fit per Matrimonium etiã ante copulam.

Respondeo Negando Minorem: Nam *esse duos in carne vna*, non est, *duos commisceri reipsa*, sed est *duos haberi tanquam vnam carnem, & vnam personam*; quod fit etiam ante copulam: nam alter habet potestatem corporis alterius perinde ac si esset suũ. Sic fictione Iuris testator & hæres, procurator & dominus censentur *vna persona.*

Dices Quartò: Matrimonium interdum contrahitur per ipsam copulam maritali affectu tentatam, præsertim ante Concilium Tridentinum, & etiam post, vbi illius decretũ de Reformatione matrimonij non est promulgatum: ergo tunc saltem copula pertinet ad essentiam matrimonij.

Quo casu, & quomodo copula pertineat ad substantiam Matrimonij.

Respondeo: Admitto in eo casu copulam pertinere ad substantiam illius Matrimonij; non quidem quatenus est copula carnalis, sed quatenus est signum exprimens consensum præsentem in Matrimonium: quomodo nutus, & alia signa consensum insinuantia, pertinent ad rationem huius cõtractus. Nam de substantia huius contractus est, vt fiat per aliqua signa consensûs expressiua, qualiacumque demum illa sint: hoc enim nihil refert. Notandum autem, in hoc casu, per ipsum cõplexum carnalem gratiam conferri, sicut confertur per verba, quando verbis contrahitur. Neque hoc mirum videri debet: quia, cùm sit res quædam naturalis à Deo instituta, quæ etiam meritoriè fieri possit, non est censenda inepta, vt fiat instrumentum gratiæ conferendæ, modò alioqui contrahentes sint dispositi. Ita tenet communis sententia Doctorum.

DVBIVM VI.

Vtrùm Matrimonium sine benedictione Sacerdotali contractum, sit Sacramentum?

37 MElchior Canus lib. 8. de locis cap. 5. multis rationibus docet, probabilius videri, illud dumtaxat Matrimonium esse Sacramentũ, quod sacerdotali benedictione fuerit consecratum: formam enim Matrimonij, vt Sacramentum est, esse illa verba Sacerdotis, *Ego vos coniũgo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*: Materiam autem huius Sacramenti esse *verba coniugum consensûs expressiua.* Alia matrimonia, quibus benedictio Sacerdotis non accesserit, esse quidem veros contractus, non tamẽ esse vera Sacramenta, quòd forma sacramentalis desit. Idem omnino videtur sentire Concilium Colonienſe celebratum anno 1536. cap. *de Sacramento Matrimonij.* §. *Elementum.* & §. *Hunc Canonem.* & §. *de Ministro*, vbi etiam expressè ait, *Clandestina matrimonia non esse Sacramenta.*

Canus Negat.

Concil. Coloniẽſ.

Respondeo, & Dico Primò: Certum est Matrimonium contractum absque benedictione Sacerdotis inter Christianos esse verum Sacramentum. Est communis sententia Doctorum.

Communis sententia est esse Sacramentũ.

Probatur Primò: Ex Concilio Florentino, vbi cùm Concilium dixisset, *Septimum Sacramentum est Sacramentum Matrimonij*, mox subijcit, *Causa efficiens Matrimonij est regulariter mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Vnde infero: Si consensus mutuus efficit Matrimonium, non ergo benedictio Sacerdotis. Vbi Notandum: Quando Cõcilium dicit *Mutuum consensum per verba de præsenti expressum esse causam efficientem Matrimonij*, tunc loqui *de vinculo Matrimonij*, quod per Sacramentum efficitur; huius enim vinculi *causa efficiens est hic consensus per verba expressus*: nam respectu contractus, *consensus ille per verba expressus potius est causa formalis, quàm efficiens.* Vnde sequitur Primò, Benedictionem Sacerdotis nihil efficere ad vinculũ; ac proinde esse merè extrinsecam huic Sacramento. Secundò, sequitur non esse alium ministrũ, quàm ipsos contrahentes: hi enim soli per mutuũ consensum verbis expressum efficiunt vinculum Matrimonij, vt docet Concilium. Ratio est: nam ea est natura contractuum, vt ipsi contrahentes suo consensu se ligent, nec egeant ab alio obligari. Secùs est in alijs Sacramentis; nemo enim se regenerat, aut absoluit, aut consecrat, aut ordinat, aut vngit.

Concil. Florentin.

Ministri huius Sacramenti non sunt alij, quàm ipsi contrahentes.

Probatur Secundò: Ex Concilio Tridentino sess. 24. in principio, vbi apertè insinuat Christum nihil addidisse primę institutioni matrimonij, præter gratiam: vnde infert, *Matrimonium in lege Euangelica veteribus coniugijs, per Christum, gratiã præstare, ideoque esse legis nouæ Sacramentum.* Idem Concilium cap. 1. *de Reformatione Matrimonij*, docet *Matrimonia clandestina, quamdiu ab Ecclesia non fuerunt irrita, non solùm fuisse legitima, sed etiam rata*: atqui *Matrimonia* non dicuntur *rata*, nisi ratione Sacramenti, vt patet ex Cap. *Quanto*, De Diuortijs, vbi dicitur Matrimonium infidelium posse dissolui altero ad fidem conuerso, quia non fuit *ratum*; nempe quòd Sacramenti sanctitas defuerit. Vide Couar. 2. parte c. 1. §. vnico, n. 4. vbi optimè distinguit ex Iure *Matrimonium legitimum, ratum, & consummatũ.*

Concil. Trident.

Probatur Tertiò: Si illa benedictio est necessaria, cur Ecclesia non curauit eam olim clandestinis matrimonijs adhiberi? Cur nunquam explicuit eam esse necessariam, ad homines à clandestinis matrimonijs auertendos? Sanè vel ignorauit esse necessariam, & proinde ignorauit id quod est necessarium ad substantiam Sacramenti, quod dictu nefas est; vel si sciuit, cur rem tanti momenti nunquam explicuit?

Ratio efficax huius sententiæ.

Petos:

38 Variæ sententiæ de materia & forma matrimonij.

Petes: Si verba Sacerdotis nō sint forma huius Sacramenti, quænam igitur est alia forma vel materia, cùm non videatur alia commodè posse assignari?

Respondeo: Etsi hîc sint variæ opiniones Doctorum, omnes tamen conueniunt formā non esse *benedictionem Sacerdotis.*

Quidam igitur dicunt consensum expressum personarum idonearum esse materiam: verba autem vel signa, quibus exprimitur hic consensus, esse formam. Ita Nauar. c. 22. n. 20. Sed hæc sententia non videtur vera: Vel enim per consensum expressum intelligit nudum consensum, vt distinguitur à verbis vel signis externis; & sic nō potest esse materia, quia non est sensibilis: Vel intelligit consensum, vt includit verba, quibus exprimitur; & sic est quidē sensibilis, sed nihil relinquitur quod possit esse forma: ipsa enim materia includet formam Sacramenti; nam post consensum expressum nihil amplius supereſt. Adde, consensum potiùs debere habere rationem formæ, quàm signa externa, quibus exprimitur.

Alij dicunt coniugum verba sibi vicissim esse materiam & formam. Ita Sotus dist. 26. q. 2. a. 1. & multi alij. Sed hi confundunt materiam & formam, cùm rectè possint distingui.

Vera sententia.

Respondeo & Dico Secundò: Corpora contrahentium esse materiam: verba, quibus contrahunt, esse formam. Ita Couar. 2. parte in Epitome 4. Decretal. c. 1. §. vnico, n. 8. & Adrianus qu. 1. *de Matrimonio.* Eandem insinuat Palud. dist. 26. q. 4. Probatur: quia in reliquis contractibus res, de qua contrahitur, siue quæ per contractum datur & accipitur, est materia: verba autem contrahentium, quibus exprimitur consensus, sunt forma contractus: Vt, materia contractus emptionis & venditionis, est domus, ager, pannus; materia mutui est res habens functionem: verba autem, quibus hæ res transferuntur, dicuntur forma cōtractus. Ergo pari modo, cùm per contractum matrimonij vir & mulier transferant corpora sua vltrò citroque in alterius potestatem, ipsa corpora erunt materia contractus; verba autem, quibus exprimunt suum consensum, & transferunt ea, erunt forma; ac proinde erunt materia & forma Sacramenti: nō enim quærenda est alia materia & forma contractus, & alia huius Sacramenti, cùm ipse cōtractus sit euectus in Sacramentum; vt colligitur ex Concilio Trident. sess. 24. in principio. Notandum tamen, ad formam huius Sacramenti etiam pertinere omnem solemnitatem necessariam ad substantiā contractus, qualis est *præsentia Parochi, & duorum testium*; sicut ad formam aliorum contractuum similes solemnitates, præsertim in foro externo pertinere censentur.

Quomodo præsentia Parochi spectet ad formam sacramenti.

39 1. Obiectio Cani.

Contra hanc doctrinam multa obijcit Canus. Præcipua sunt: Primò: Sacramenta sunt cæremoniæ sacræ, actusque religionis: sed matrimoium contractum sine Ministro nihil habet sacri aut religiosi: ergo &c.

Soluitur.

Respondeo Negando Minorem: Nam verba coniugum, quatenus ex Christi institutione rem sacram significant & efficiunt (scilicet vnionem non solùm corporum, sed etiam animorum) verè sacra sunt: sicut ablutio in Baptismo est res sacra quatenus à Christo est instituta ad significandam & efficiendam animæ ablutionem, etsi alioqui per se sit res naturalis. Adde, etiā ex sententia Cani, verba coniugum debere esse sacra, & habere supernaturalem significationem & effectum: nam ipse vult ea esse materiam Sacramenti: atqui in Sacramentis non solùm forma, sed etiam materia significationem & effectum supernaturalem habere debet.

2 Obiectio.

Obijcit Secundò: Actuum sacramentalium non potest ratione naturali vlla reddi causa: atqui contractûs matrimonij potest reddi causa iudicio naturali: ergo &c.

Soluitur.

Respondeo: Potest quidem naturale iudicium adferre aliquam causam matrimonij, vt est contractus ciuilis; ideò enim isti contrahunt, vt alter alterius habeat potestatem ad liberorum procreationem, quod etiam apud Ethnicos locum habet: non tamen potest eius reddi ratio vt est Sacramentum: nam rationem Sacramenti non potest lumen naturale ingenij humani in eo cognoscere. Vnde etsi aliquem finem huius Sacramenti possit ratio naturalis cognoscere, non tamen omnem, neque proprium Sacramenti, qui est vinculum omnino insolubile, coniunctio animorum per charitatem, & repræsentatio coniunctionis Christi & Ecclesiæ. Simile esset, si Eucharistia daretur Fidelibus ea quantitate, qua posset alere corpus: posset enim tunc Ethnicus reddere aliquam rationem, quare huic detur Eucharistia, nempe vt corpus alatur; sed non omnem, neque adæquatam.

3 Obiectio.

Obijcit Tertiò: Guilielmus Parisiensis lib. *de Sacramentis*, Tractatu *de Matrimonio*, cap. 9. dicit *Matrimonium non habere vim Sacramentalem, nisi sacerdotali ministerio fuerit consecratum*. Idem habent Patres Concilij Colonienſis, & quidam Canonistæ, quos suprà citauimus. Et confirmatur ex D. Thoma lib. 4. *contra Gentes* cap. 78. vbi dicit, *Matrimoniū esse Sacramentum, quia per Ministros Ecclesiæ dispensatur, & quædam benedictio datur nubentibus.*

Soluitur.

Respondeo: Decipi Guilielmum Parisiensem, & istos Colonienses, tum vt patet ex suprà dictis: tum quia insinuat iste Guilielmus necessariam esse eam benedictionem, & eas preces quę tempore sacrificij coniugatis adhibentur, quas omnino constat extrinsecas esse matrimonio, quod iam ante contractum est & benedictū per Sacerdotem, his verbis, *Ego vos coniungo* &c. in quibus verbis Canus ponit formā. Ad confirmationē è D. Thoma: Respondeo; Eum tantùm velle probare à signo, *Matrimonium esse Sacramentum*; nempe quia causa matrimonij ad Ecclesiæ Ministros pertinet, & Ecclesiæ benedictione ornatur. Adde, quòd D. Thomas vbique contrarium expresè doceat: vnde ex vno loco obscuro non debet hoc colligi.

Mens D. Thomæ.

4 Obiectio.

Obijcit Quartò: Euaristus epist. 1. Decretaliū explicans quomodo coniugia contrahi debeant, dicit *Matrimonia aliter præsumpta*, scilicet *sine benedictione Sacerdotum, non coniugia, sed adulteria & fornicationes censeri debere.*

Soluitur.

Respondeo: Euaristus non dicit, *Talia coniugia non esse Sacramenta*, quod vult Canus: sed, *ne coniugia quidem esse censenda, quin potiùs fornicationes & adulteria*: quod necessariò est intelligendū de foro externo, vbi præsumitur defuisse legitimus cōsensus, quando illa omnia absunt, quæ ibi requirit: alioqui certum est clandestina matrimonia, qualia ibi improbantur, semper fuisse vera coniugia, non adulteria, aut fornicationes; vt patet ex Concilio Trid. suprà citato, donec Cōcilium illa irritaret.

Denique objicit Canus multos Canones Pontificum & Conciliorũ. Sed hi nihil aliud habent, quàm in matrimonio adhiberi debete benedictionem sacerdotalem; quod omnes docent: nusquam autẽ insinuatur matrimoniũ sine hac benedictione non esse Sacramentum, aut verum matrimonium.

DVBIVM VII.

Vtrùm Matrimonium contractum per Procuratores inter absentes sit Sacramentum?

40 Caietanus negat. Caietanus Tom.1. Opus.12. quæst.1. *De Matrimonio*, docet matrimonium per Procuratores, vel per litteras contractum, non esse Sacramentum, donec per præsentes coniuges, saltem tacitè, ratificetur.

Affirmatur. Sed dicendum est: Multò probabilius & verius esse huiusmodi matrimonium esse verum Sacramentum. Est communis ferè sententia Doctorum. Probatur ratione, ex Concil. Trident. suprà allata: Sacramentum enim Matrimonij nihil habet supra contractum ciuilẽ, quàm gratiam; Dominus enim ipsum contractum in Sacramentum euexit: atqui hic contractus per Procuratores est verum matrimonium, quatenus matrimonium est contractus ciuilis, vt fatetur Caietanus, & definitur Cap. vltimo, in *6. de Procuratoribus*: ergo est verum Sacramentum.

1. Obiectio Caietani. Dices Primò: Ex Caietano; Nullum aliud Sacramentum potest susci pi per Procuratores: ergo nec Sacramentum Matrimonij.

Soluitur. Respondeo esse disparem rationem: quia nullum aliud Sacramentum consistit in contractu ciuili; hoc autem consistit in ipso contractu, cuius est ea natura vt & per litteras & per Procuratores fieri possit; sic vt obligentur, nõ ipsi Procuratores qui alieno nomine agunt, sed illi pro quibus agũt, quosve repræsentant. Aliorum Sacramentorum actiones per alios exercitæ vel susceptæ non habent vim, nisi in eos quorum sunt; vnde non possumus per alium baptizari aut confirmari &c.

2 Obiectio. Dices Secundò: Hinc sequeretur posse hominẽ recipere gratiam, dum dormit: vt, si adolescens dormiat, dum eius Procurator contrahit cũ puella. Similiter quòd possit peccare mortiferè, dum dormit; nempe si tunc non sit in statu gratiæ.

Soluitur. Respondeo: Hæc non esse absurda. Potest enim conferri gratia puero carenti vsu rationis, & adulto si ante legitimè dispositus baptizetur insomnis vel in amentia. Et confirmatur: Nam talis cõtractus est causa, cur in dormiente nascatur obligatio: quidni etiam possit esse causa, vt detur ei simul gratia, qua huic obligationi debitè satisfaciat? Vnde debent se sponsi ad gratiam disponere, quando probabiliter putant suos Procuratores conuenturos.

DVBIVM VIII.

Qualis est ista gratia, quæ per Sacramentum Matrimonij confertur?

41 Est hæc gratia quæ duplex. Respondeo: Primò conferri gratiam habitualem seu augmentũ gratiæ ex opere operato: vnde etiam potest ex attrito facere contritum, & conferre primam gratiam, quando quis bona fide existimabat se esse in gratia; sicut dictum est de alijs Sacramentis, quæ dicuntur Sacramenta viuorum. Ratio est; quia quod per se est efficax gratiæ, semper eam confert, si ex parte subiecti non sit impedimentum; ipsumque subiectum sit legitimè dispositum: Attritio autem, prudẽter existimata contritio, est sufficiens dispositio in omnibus Sacramentis (excepta Eucharistia) vt suprà dictum est.

Secundò: Datur auxilium speciale ad mutuam dilectionem Christianam seu spiritalem.

Tertiò: Datur auxilium ad remedium concupiscentię, nempe vt honestè matrimonio vtantur, sese mutuo sint contenti, & non quærant illicitas extra matrimonium voluptates.

Quartò: Datur auxiliũ ad prolem in fide Christi & timore Dei educandam. Vnde sæpè monendi sunt coniuges, vt gratiam, quam in hoc Sacramento acceperunt, excitent.

CAPVT III.

De Sponsalibus.

DVBIVM I.

Quid sint Sponsalia?

42 *Sponsalia*, vnde dicta. NOtandum est: *Sponsalia* dici à *spondendo*; idq; vel quia olim veteres per stipulationẽ, quæ & *sponsio* dicitur, futuras sibi vxores sponderent, vt vult Couar. 1. p. c. 1. vel quia vir & mulier sibi mutuo spondent matrimonium, aut parentes illorum nomine. Hinc mulier dicitur *Sponsa*, quasi à parẽte, vel à se alteri promissa; & vir dicitut *Sponsus*, quia se ipse promisit, vel (vt quidam volunt) quia ipsi fit promissio. Cùm autem in ipso matrimonij contractu etiam fiat quædam promissio, nempe futuræ copulæ (saltem implicita:) factum est, vt coniuges, qui matrimonium contraxerunt, ante consummationem à parentibus *Sponsi* vocentur; post consummationem, *coniuges*, *maritus & vxor*; & matrimonij consummatio *Nuptiæ*. Vide Hieronymum in cap. 1. Matth. & Gregorium homil. 16. in Euangelia. Citantur 27. quæst. 2. Can. *Coniuges*. His positis:

Quid *Sponsalia*. Respondeo: *Sponsalia*, strictè accepta, *esse futurarum nuptiarum repromissionem*. Vide Couar. 1. p. epitomes c. 1. Dico, *Futurarum nuptiarum*, id est, futuri contractus matrimonij; *Nuptiæ* enim hic accipiuntur pro ipso matrimonij contractu, qui promittitur in sponsalibus. Dico, *Repromissio*, id est, reciproca seu mutua promissio: nam antequã accedat alterius promissio, nõ cẽsentur esse *sponsalia*. Vnde si Petrus promittat Catharinæ matrimonium, & ipsa acceptans promissionem cupiat deliberare, nascitur quidem in Petro obligatio simplicis promissionis, sed nondum sunt *sponsalia*, donec Catharina consentiat; quę si diutius expectet, Petrus à sua obligatione liberatur, quia non aliter intendit se obligare.

DVBIVM II.

Quænam requirantur ad sponsalia?

43 Requiritur ætas septẽnij expleti. Respondeo & Dico Primò: Requiri ætatem septennij expletã in vtroque. Patet ex Cap. *Litteras*, & Cap. *Accessit*, de Desponsatione impuberum: vbi etiam expressè dicitur, septenniũ debere esse expletum. Ratio, cur Iura hæc statuerint, est, quia rarò ante hoc tempus est sufficiens iudicium seu prudentia ad huiusmodi obligationem. Vide D. Thomam q. 43. art. 2.

Petes;

Prudentia non supplet hic ætatem.

Petes: Quid si prudentia ætatem compenset & suppleat, eruntne valida sponsalia ante septenniũ completum?

Respondeo: Multi putant esse valida. Ita D. Thomas loco citato. Siluester verbo *Sponsalia*, q. 2. Nauar. c. 22. n. 29. Couar. 1. parte c. 2. n 1. Hæc sententia est probabilis. Verius tamen omnino videtur, non valere sponsalia, si vel altera pars, vel vtraque septennium non impleuerit. Ita Panormitanus in Capit. *Iuuenis*, de Sponsalibus. Angelus verbo *Sponsalia*, n. 5. & alij quidam. Ratio est; quia Iura expresè requirunt septennium completum, & in aliquot casibus decernunt non fuisse sponsalia, eò quòd ante illud tempus cõtractus esset initus; vt patet ex Cap. *Litteræ*, & Cap. *Acceßit*. Nusquam autem excipiunt Iura illum casum, in quo prudentia ætatem suppleat, quod faciunt in matrimonio. Si dicas, illa Capitula intelligenda esse, in foro externo censeri non esse sponsalia ante illud tempus, eò quòd præsumatur defuisse prudentia sufficiens, si septennium non sit completum. Respondeo: Hoc non rectè dici: si enim septennium fuisset expletum, nulla fuisset ambiguitas de sponsaliũ valore, aut de sufficienti prudentia, nisi moraliter euidens fuisset prudentiam defuisse: atqui prudentia & vsus rationis hõ aduenit ita repentè: ergo paulò antè completum septennium non potest Ius præsumere defuisse prudentiam.

Eadem sententia confirmatur: nam pari modo Iure antiquo ad professionem annus pubertatis completus, id est, decimus quartus completus in viro, & duodecimus in femina requirebatur; & modò post Conc. Trid. requiritur in vtrisque decimus sextus completus: neque possumus hoc ita interpretari, vt aliquando prudentia ætatem compenset: ergo nec hîc in sponsalibus.

44 Cur malitia potiùs suppleat ætatem in matrimonio, quam in sponsalibus prudẽtia.

Dices Primò: Ius in matrimonio requirit annos pubertatis completos, & tamen excipit casum in quo malitia supplet ætatem: ergo idem censendũ erit de spõsalibus, cùm in eâdẽ materiâ versentur.

Respondeo Negando Consequentiam: Tum quia Ius in matrimonio facit expressam exceptionem, in sponsalibus non facit: tum quia est dispar ratio. Nam ad contrahendum matrimonium duo requiruntur, scilicet iudiciũ sufficiens, & aptitudo proqinqua ad vsum matrimonij; quod secundum, etsi Iure naturæ non sit necessarium, cùm sufficiat potentia remota; tamen meritò Ius positiuum id requirit: & quia rarò ante annos pubertatis in viro & in femina hoc secundũ reperitur, constituit Ius vt ante hoc tempus matrimonium non sit validum: excipit tamen vnum casum, in quo malitia supplet ætatem, nempe quando certùm est ante id tempus esse aptos ad procreationem: quod interdum aliquo euentu potest cõstare: esset enim graue incommodum, si nunquam in tali casu matrimonium esset validum. Ad sponsalia autem contrahenda solùm requiritur iudiciũ rationis; quod quia ferè circa septennium elucere incipit, constituit Ius septennium cõpletum vtrique parti. Neque fuit hîc facienda hæc exceptio, *Nisi prudentia ætatẽ suppleat*: tum quia neque in matrimonio hęc facta fuit, sed alia, nempe de aptitudine ad actum coniugalem: tum quia, si talis exceptio fieret in sponsalibus, frustrà cõstitueretur septennium cõpletum; nam quotiescumque liceret contrahere completo septennio, liceret etiam ante completũ: qui enim cõpleto septennio habet rationis vsum, moraliter etiam eum habet ante completum, idq; facilè constare potest. Vnde quando Iure positiuo cõstituitur certum tempus ob iudicij maturitatẽ, nunquam potest illud tempus præueniri, quamuis summa sit maturitas; vt patet in votis tum personalibus, tum realibus, in professione, & in contractibus minoris: nam vota illa & cõtractus possunt irritari, & professio absolutè est irrita.

Dices Secundò: Cap. *Iuuenis*, de Sponsalibus, insinuatur *ex sponsalibus cum puella quadã contractis, quæ nondum septennium expleuerat, ortum fuisse impedimentum publicæ honestatis*: ergo fuerunt vera sponsalia. Capi Iuuenis

Respondeo: Non ideò censetur ibi ortum impedimentum, quòd nuda sponsalia essent cõtracta, sed quòd iuuenis tentasset eã cognoscere maritali affectu, vt indicat Pontifex: vnde nõ censuit Pontifex honestum, vt postea cum consobrina puellæ contraheret, præsertim cùm inter plebem puella diceretur ipsius coniux.

Dico Secundò: Requiri etiam liberum consensum contrahentium. Ratio est, quia nemo potest alium ad matrimoniũ obligare; sed quisque solùm seipsum: ergo multò minùs potest alius alium obligare, vt cum certa persona contrahat. Matrimonia etiam debent esse libera, cùm ad statum totius vitæ pertineant, sicut & religio. Hinc sequitur, quando parentes loco suarum proliũ contrahunt, sponsalia non esse valida, nisi ipsæ proles postea in ætate legitima liberè consentiant. 45 Requiritur etam liber consensus contrahentium.

Dico Tertiò: Hunc cõsensum debere esse signis externis expressum. Probatur: quia omnis cõtractus debet fieri signis externis, vt consensus mutuus vicissim innotescat. Si tamen diuina virtute alter alterius animum intueretur, possent fieri sponsalia sine vllo signo externo. Isq; signis externis expressus.

Dico Quartò: Præter hæc nihil requiritur ad sponsalia, nisi vt personę sint legitimæ, seu habiles ad matrimonium suo tempore contrahendum. Denique personarũ habilitas.

DVBIVM III.

Vtrùm sponsalia contracta per Procuratores sint valida? Item, *An clandestina sponsalia, quæ nullo teste fiunt, sint valida?*

REspondeo & Dico Primò: Spõsalia per Procuratores contracta, sunt valida. Ratio est: quia ad rationem contractuum iure naturæ non requiritur, nisi consensus partium vltro citroque expressus: quæ expressio, sicut verbis coram, ita litteris & internuntijs inter absentes fieri potest. 46 Sponsalia per procuratorẽ sunt valida.

Dico Secundò: Si misso Procuratore dominus reuocet consensum, idque Procuratori non innotescat ante contractũ initum, non erunt quidem sponsalia, tenebitur tamen dominus seruare id quod ipsius nomine per Procuratorem actum est. Probatur: quia Ius gentium est, pacta per Procuratores inita constringere. Si procurator ignoret mutatũ domini cõsensum.

Dico Tertiò: Si Procurator intellexit mutatã esse domini sui voluntatem, dominus pactis non tenetur. Ratio est, quia omnis potestas illi ablata fuit, nec potuit ipsius nomine agere. Si sciat.

Dico Quartò: Clandestina sponsalia, quæ nullo teste fiunt, sunt valida, semperque valida fuere. Nam Concil. Trident. quod solum obstare posse videtur, tantummodò clandestina matrimonia irritat; Sponsalia clandestina sunt valida.

nia irritat; sponsalibus in vigore Iuris antiqui relictis.

DVBIVM IV.

Quomodo contractus sponsalium obliget? Et, An Ecclesia possit cogere eum, qui sponsalia contraxit, vt promissum impleat?

47 Sponsalia obligãt sub mortali.

REspondeo & Dico Primò: Cõtractus sponsalium obligat sub peccato mortifero ad sui impletionem: non tamen ad solutionem pœnæ, si qua contractui fuit apposita. Est certa.

Prior pars patet; Quia omnis contractus iustus vltro citroque initus, id est, vtrique parti onerosus, in re graui obligat sub peccato mortifero: est enim veluti lex quædam iustitiæ, quàm sibi vterque imponit sub onere alterius.

Non obligant ad pœnam.

Altera pars patet; Quia Iure vetitum est, ne sponsalium contractui pœna apponatur: imò Ius irritat pœnæ soluendæ obligationem, idque ob matrimonij libertatem; vt patet Capit. *Gemma*, de Sponsalibus.

Obligant vt perdatur arrha.

Permittit tamen Ius tradi arrhas, cum pacto vt perdantur ab eo, qui sine iusta causa resilierit; vt patet L. vltima. Codice de Sponsalibus. Ratio diuersitatis est; tum quia nõ tam facilè datur arrha, quàm promittitur pœna: tum quia arrha iam tradita est; vnde si resilias, nihil amittis, nisi quod iam tradideras, quod non multũ videtur adimere libertatis matrimonio. Aduerte tamen, si arrha non sit tradita, sed promissa solùm, si resilias, non debes soluere; vt docet Couarr. 2. parte de Sponsalibus cap. 3. §. 7. nu. 8. & sequentibus.

Si arrha nõ sit tradita.

48 Ecclesia potest cogere vt sponsalia impleãtur.

Dico Secundò: Ecclesia absolutè potest cogere eũ, qui sponsalia contraxit, vt promissum impleat; cùm ille ex iustitia ad hoc obligetur. Quod intellige, nisi ille perfectiora meditetur. Plerumque tamen id non expedit; vt patet Cap. *Requisiuit*, de Sponsalibus, vbi Lucius III. dicit, eum qui iurauit cõtrahere cum aliqua, debere potiùs moneri, quàm compelli; quia matrimonia coacta non solent habere bonos exitus; vt ibidem ait. Confessor tamen debet huiusmodi denegare absolutionem, eò quòd sit in malo statu. Quòd si nõ sit notabile periculum futuro matrimonio, expediet adhibere coactionem aliquam, etiam vsque ad excommunicationem. Vide Couar. 1. p. c. 4. n. 4. & 5.

DVBIVM V.

Quibus modis sponsalia dissoluantur?

49 2 Dissoluũtur vtriusque partis consensu.

REspondeo: Multis modis sponsalia posse dissolui. Primò: Vtriusque partis consensu, quãuis vtrimque sint iurata. Patet Cap. 2. *de Sponsalibus*. Ratio est: nam *ijsdẽ causis res dissoluitur, quibus contrahitur*: intellige, *si per se solubilis sit*. Patet hoc in alijs contractibus. Nec Obstat iuramentũ, quia est conditionatum, nempe in fauorem partis, cui fauori pars potest cedere. Vna tamẽ est hîc exceptio, quãdo vterque vel alter impubes cõtraxit: tunc enim ante pubertatem non possunt ea dissoluere, etsi vtriusque consensus adsit. Patet Cap. *De illis*, priore, *de Despensatione impuberum*, idque Iura statuerunt ad occurrendum puerorum leuitati & inconstantiæ.

50 Secũdò: soluũtur spõsalia, Religionis ingressu. Patet, quia matrimonium ratum sic dissoluitur, vt habemus Cap. *Ex publico*, de Conuersione coniugatorum: ergo multo magis sponsalia. 2. Religionis ingressu.

Dices: Cap. *Commissum*, de Sponsalibus, habetur, eum qui sponsalia iurauit, & postea ad Religionẽ vult trãsire, tutiùs facturum si primùm contrahat matrimonium, & tunc Religionem ingrediatur; sic enim vtrique obligationi satisfacturum.

Respondeo: Talem tutiùs facturum opinione vulgi, cui alioquin videbitur violare iuramẽtum; non rei veritate: nam verè nõ tenetur contrahere. Ratio est; quia status perfectionis in sponsalibus semper censetur tacitè exceptus. Nec refert, quòd iuramento confirmata sint; quia iuramentum intelligitur iuxta naturam promissionis, super quam cadit. Si igitur promissio sponsalium habet hanc tacitam exceptionem, iuramentum cõfirmat eam dumtaxat cum hac exceptione. Adde, quòd iniuriam quandam puellæ faceret, qui eam duceret animo mox deserendi.

Non est expectanda professio.

Petes Primò: An ad dissolutionem sponsalium in hoc casu sit expectanda professio, sicut in matrimonio rato?

Respondeo: Non esse expectandam: nam hoc ipso, quo sponsus ingreditur Religionem, renuntiat sponsalibus; similiter hoc ipso, quo Ordinem sacrum recipit: grauissimũ enim esset, si puella teneretur posteà nubere illi, qui cappã gestauit; hoc enim illi esset in sæculo ignominiosum.

An votum castitatis dirimat sponsalia?

Petes Secundò: An votum castitatis perpetuæ in sæculo seruandæ dirimat sponsalia?

Respondeo: Certum est votũ castitatis perpetuæ ante sponsalia emissum dirimere sponsalia sequentia. Patet Cap. *Rursus*, ex Cælestino III. titulo *Qui Clerici vel vouentes*. Ratio est, quia prior promissio est seruãda. Imò sponsalia illa sequẽtia post votũ sunt irrita, quia sine peccato seruari nequeũt.

De voto autẽ post sponsalia emisso, duplex est sententia. Prior est, nõ licere tale votum emittere; & si emittatur, sponsalia per hoc non dirimi. Ita Nauar. c. 22. n. 25. & Palud. dist. 27. q. 1. a. 3. Altera est, absolutè licitum esse emittere huiusmodi votũ castitatis, & sponsalia antecedentia per illud dirimi, siue emittatur susceptione Ordinis sacri, siue in nudo cælibatu. Ita Dom. Soto dist. 27. q. 2. art. 5. Richardus eâdem dist. art. 10. qu. 4. in fine; quæ sententia est verior. Ratio est; quia status perfectioris vitæ semper censetur exceptus.

51 3. Si superueniat affinitas.

Tertiò: Dissoluũtur sponsalia propter affinitatẽ superuenientem inter sponsum & sponsam: Cap. *Ex litteris*, & Cap. *Veniens*, titulo *De eo qui cognouit consanguineam vxoris*: vt si sponsus cognosceret sororem sponsæ: neque enim posset cum sponsa contrahere, quia esset illi affinis in primo gradu: neque cum eius sorore, propter impedimentum publicæ honestatis, quod ex sponsalibus ortum est.

4. Si superueniat fornicatio.

Quartò: Sponsalia dissolui possunt ex superueniente fornicatione alterius partis, volente parte innocente. Patet Cap. *Quemadmodum*, de Iure iurando. Nec refert, quòd fortasse sponsa per vim corrupta sit, vt notat Glossa in illud Capitulum, & passim Doctores. Quia non tenetur sponsus bigamiæ vitium contrahere nondum præstito consensu coniugali; quod vitiũ incurreret, si eam duceret. Vide Couar. 1. p. c. 5. n. 2. Sub fornicatione etiam intelligitur hæresis & apostasia: vt patet Cap. *Non solum*. 28. qu. 1.

Quid si præcesserit fornicatio.

Dices: Quid si fornicatio præcesserit sponsalia, & in contractu fuerit ignorata?

Respondeo:

Respondeo: In hoc casu verius esse fornicationem puellæ, si à viro ignorata fuerit, dirimere sponsalia: viri autem fornicationem nõ dirimere. Ratio est, quia fornicatio in fœmina est res infamis, & veluti ingens vitium in mercibus, quod emptorem meritò facit inuitum. In viro fornicatio non censetur infamis, etsi coram Deo sit culpa mortalis. Vnde, si præcedat, non dirimit sponsalia; sed solùm, si sequatur. Nec obstat Capitulum *Quemadmodum*, vbi Innocentius ait, *Si quis iurauit aliquam ducere in vxorem, non potest ei obijcere præcedentem fornicationem:* quia loquitur in casu, quando fornicatio puellę erat cognita, vel facilè cognosci poterat à viro ante contractum.

52 5. Si alteruter longè abierit. Quintò, Possunt dissolui ob alterius in longinquam regionem discessum parte nõ monita: Patet Cap. *De illis*, de Sponsalibus, vbi dicitur, *Mulieribus relictis ad alia vota licitum esse transire, si sponsus discesserit in remotas terras.*

Notandum: Ius ciuile statuere, si sponsus discesserit extra Prouinciã, vt sponsa expectet triennium. Patet lege 2. Cod. *de Repudijs*. Si autem intra Prouinciã, expectet biennium; lege 2. Cod. *de Sponsalibus:* quam legem quidam existimant obligare in conscientia. Ita Hostiensis & Ioannes Andreas in dictum Capitulum *De illis*, & Siluester verbo *Sponsalia* quæst. 10. Sed verius est non obligare, vt docet Panormitanus, Cardinalis, & alij. Vide Couar. 1. parte cap. 5. nu. 7. & Dominicum Sotum dist. 27. qu. 2. art. 5. Probatur, Tum quia Cap. *De illis*, loquitur absolutè sine temporis præscriptione; tum quia sponsus videtur sponsalibus renuntiasse, dum non monitâ sponsâ longè abit. Quòd si ex causa iusta illi discedendum sit, Iudicis Ecclesiastici erit tempus præscribere, quo si non redierit, contrahere cum alio sponsæ liceat.

53 6. Si matrimonium cum alio contrahat. Sextò, Dirimuntur sponsalia, quando is, qui cum aliqua contraxit sponsalia, postea contrahit matrimoniũ cum alia per verba de præsenti: matrimonium enim superueniens dirimit sponsalia antecedentia. Capitulo *Si inter virum*, & Capitulo *Sicut*, de Sponsalibus.

An priora sponsalia dirimãtur per secũda? Petes, An priora sponsalia dirimantur per secunda.

Respondeo: Non dirimi, quãuis secunda essent iurata, & prima simplicia. Ratio est: quia secunda sunt illicita; nam prioribus fit iniuria, vnde iuramentum non obligat.

Aduerte tamen Primò: Si accesserit consummatio ex affectu maritali cum secunda, transibunt illa sponsalia in matrimonium. Ratio est: quia hoc opus cum his circumstantijs est sufficiens signum expressiuum consensus maritalis de præsenti, vt infrà dicemus: sicque dirimentur priora sponsalia, non per secunda sponsalia, sed per matrimonium: quod intellige ante decretum Cõcilij Tridentini.

Aduerte Secundò: Si impetrauit vsuram corporis cum secunda, probabilius est dissolui priora sponsalia, modò ipsa nihil de prioribus sciuerit, etsi Couarruuias & quidam alij contra sentiant. Ratio est: quia sub promissione matrimonij damnum intulit secundę, quod non potest aliter compensari nisi matrimonio, nec ipsa tenetur aliam compensationẽ admittere. Confirmatur à simili: quia qui promisit alicui mille, & deinde contingit inferre alteri damnum æstimatum mille, si vtrique nequit satisfacere, tenetur saltem damnum compẽsare, omissa impletione promissorum: ergo similiter hîc. Est enim obligatio illa superueniens ex delicto seu damno illato multò maior, quàm obligatio sponsalium, quę solùm est ex promissione seu stipulatione; quia vtrobique fit promissio: vnde illa censetur excepta in contractu sponsaliũ. Dirimuntur itaque hoc casu sponsalia priora, non per sponsalia secunda, sed per damnum illatum secundæ, seu per obligationem damni sarciendi.

Dixi, *Modò illa nihil sciuerit de prioribus sponsalibus:* nam si sciuit ipsum alteri obligatum, sibimet imputet quod vsuram corporis permiserit.

Septimò, Dissoluuntur, quando contracta sunt ante pubertatem alterius vel vtriusque, & alter iã impleta pubertate, vult rescindere, quamuis sine causa: tunc enim priuilegio Iuris dissoluuntur, idque non tantùm in foro exteriori, sed etiam in foro conscientiæ. Patet Cap. *De illis*, de Desponsatione impuberũ. Quod intellige, nisi essent iurata ab impubere: tunc enim ratione iuramenti non posset ea postea rescindere; vt rectè Couarr. 1. p. c. 5. §. vnico nu. 4. Si tamen impubes cum pubere contraxit, puber non potest resilire, sed solus impubes. Vnde claudicat hic cõtractus, sicut contractus Maioris cum Minore, seu cum Pupillo sine auctoritate Tutoris, qui datur vsque ad annum pubertatis: vel sine auctoritate Curatoris, qui datur vsque ad annũ 25. Potest enim Minor dissoluere cõtractum, non autem Maior. Vide Couarr. suprà num. 5.

54 7. Si cõtracta sponsalia ante pubertatem.

Octauò, Dissoluuntur sponsalia in omni euentu, seu casu superueniente, qui meritò alterũ contrahẽtium reddat inuitum. Ita Nauar. c. 22. n. 27. Ratio est; quia omne tale incommodum censetur in illo contractu tacita contrahentium mente exceptum. Talia multa exprimuntur in Iure: vt lepra, vel cancer, vel similis morbus incurabilis alteri superueniẽs, inimicitię inter familias exortę, paupertas superueniens, crudelitas sponsi, mores praui. Neque tãtùm possunt dirimi sponsalia, dum hæc post contractum incidunt; sed etiam dum antecedunt, & in contractu fuerunt ignorata: vt rectè docet Sotus dist. 27. q. 2. a. 5. Nam eadem est ratio; cùm meritò æquè reddant inuitam partem.

55 8. Si quid superueniat quod partem reddat inuitam.

DVBIVM VI.

Vtrùm sponsalia sine Iudicis auctoritate possint dissolui?

56 Dico Primò: Si altera pars Religionem ingrediatur, vel matrimonium cum alio contrahat, ipso facto sponsalia sunt dissoluta.

Dico Secundò, In alijs casibus, vbi non dissoluuntur ipso facto, si quidẽ sint occulta sponsalia, non opus est Iudicis auctoritate vt soluantur.

Dico Tertiò: Si sint publica sponsalia, sicut esse debent, & causa quoque dissoluendi sit publica, nõ est etiam necesse Iudicis auctoritatem adhibere.

Dico Quartò: Si sponsalia sint publica, & causa sit occulta, nec possit probari apud Iudicem, non est etiam opus Iudicis auctoritate; vt si sponsa sit occultè fornicata: hîc tamen prudenter cauendum est scandalum.

Dico Quintò: Si causa probari potest, sed inde sequeretur grauis infamia, vt in casu fornicationis, non est etiã auctoritas Iudicis interponenda.

Dico Sextò: In alijs casibus opus est Iudicis auctoritate.

DVBIVM VII.

Quomodo sponsalia transeant in Matrimonium?

57 REspondeo: Sponsalia transire in matrimonium per omnia signa externa exprimentia consensum de præsenti. Debet tamen reuerà in vtroque esse talis consensus, saltem virtualis, alioquin nulla signa externa sufficient; quamuis ex ipsis in foro externo poterit præsumi esse matrimonium.

1. Per verba de præsenti.

Signa autem ista sunt varia. Primum: *Verba de præsenti*; de quibus nullum est dubium.

58 2. Per copulam affectu maritali tentatam.

Secundò: *Copula affectu maritali post sponsalia tentata*; vt patet ex Capitulo, *Is qui fidem*, de Sponsalibus, estq; cómunis sententia Doctorũ. Ratio est, quia contractis sponsalibus copula superueniens per se est sufficiens signum expressiuum consensus in matrimonium; idque ex naturali rei conditione, non ex Iure statuto vel præsumptione. Non enim Ius facere potest vt aliquod signum sit expressiuum aut non expressiuum consensus, sed hoc pendet ex conditione naturali signorum. Hic tamen

An hoc locum habeat post Concilium Trid.

Notandum est Primò: Hoc signum non esse sufficiens, nisi vtraque pars liberè se aptet ad hunc complexum. Si enim sponsa importunitate quodammodò cogatur, non satis declarauit consensum maritalem, sed potiùs videbitur complexus fornicarius.

Notandum Secundò: Hæc, & sequentia, intelligenda esse secundùm Ius antiquum, vel vbi decretum Concilij Tridentini non est promulgatum: nam vbi hoc decretum semel promulgatum est, ibi non possunt vllo modo sponsalia per copulam carnalem in matrimonium transire: eò quòd ad matrimonij contractum requiratur præsentia Parochi & duorum testium. Vnum tamen casum excipio, nempe quando matrimonium fuit contractum coram Parocho & testibus, sed suberat occultum impedimentum ex defectu ætatis, eò quòd altera pars non peruenisset ad pubertatem: tunc enim, sublato impedimento per accessum legitimæ ætatis, sponsalia illa per copulam transeunt in matrimonium. Vbi enim semel Parochus & testes adfuerunt matrimonio præsumpto, non necesse est amplius adesse, vt declarauit Pius V.

59 3. Per conatum ad copulam.

Tertium signũ est *Conatus ad copulam*: per hunc enim sponsalia transeunt in matrimonium, quidquid aliqui senserint, inter quos Nauarrus & Sotus. Probatur: Quia conatus ad copulam, quando fit vtriusque pleno consensu, non minus est signum expressiuum consensus in matrimonium, & affectûs maritalis, quàm copula consummata: quod enim hic non consummetur, non ex illorum voluntate pendet, sed ex aliquo naturali impedimento. Itaque hic defectus cùm sit omnino præter illorum voluntatem, non impedit, quin ille conatus sit sufficiens signum consensus: vnde facit, vt etiam sponsalia contracta per verba de futuro, in matrimonium transeant. Dices: Capitulo vltimo *de Sponsalibus*, dicitur conatum non sufficere, nisi adsit copula. Respondeo: Hoc intelligi debet de conatu, qui fit inuita & repugnante sponsa: hic enim non sufficit; vt sponsalia transeant in matrimonium; quia non exprimit consensum.

Quartum signum: *Etiam oscula & tactus* aliquando sufficiunt, vt sponsalia, quæ per verba de præsenti cõtracta sunt inter impuberes, transeant in matrimonium; nempe si postquam ad pubertatem venerint, simul habitent, & talia vicissim permittant qualia inter solos coniuges solent. Ita Siluester, *Matrimonium* 2. quæst. 16. Probatur ex Capitulo vnico *de Desponsatione impuberum* in 6. vbi dicitur, *Matrimonium contractum per verba de præsenti inter impuberes, solùm habere vim sponsalium; tamen lapsu temporis vsque ad pubertatem conualescere per copulam, aut per aliquem alium modum*. Vbi per *aliquem alium modum* videtur hunc modum complecti, vt explicat Glossa: nam hic modus satis explicat eos cõtinuare affectum maritalem, quem ab initio cùm contraherent, habuerunt. 60 4. Per oscula & tactus.

Aduerte tamen hoc signum non sufficere, vt sponsalia, facta per verba de futuro, in matrimonium transeant: nam in his non significant perseuerantiam affectus maritalis, qui nunquam fuit, sed potiùs perseuerantiam affectus futuri matrimonij. Si tamen reuerà sponsi, qui contraxerunt per verba de futuro, oscula & tactus inter se permittant affectu maritali, reuerà illorum sponsalia transibunt in matrimonium; quãuis ex hoc nudo signo in foro externo contrarium iudicabitur, eò quòd hoc signum per se non sufficienter exprimat consensum maritalem in huiusmodi sponsis. Vide Siluestrum suprà.

Quintum Signum: *Solemnis traductio sponsæ in domum sponsi* est etiam sufficiens, vt sponsalia in Matrimonium transeant. Vide Couar. 1. parte. cap. 4 §. 2. & colligitur ex lege *Mulierem*, ff *de Ritu nuptiarum*. Ratio est, quia hæc traductio est signũ expressiuum affectus maritalis. 61 5. Per traductionem Sponsæ.

An & per subarrhationem per annulum?

Subarrhatio per annulum non est per se sufficiens ad hunc effectum, nisi alia signa accesserint; etsi Couarruuias contrarium insinuet. Ratio est, quia inter sponsos de futuro, sæpè solet interuenire, vt dent annulum alter alteri; vnde per se nõ significat affectum maritalem.

CAPVT IV.

De Consensu necessario ad Matrimonium?

DVBIVM I.

Qualis Consensus sit necessarius ad Matrimonium?

62 REspondeo: Ad Matrimonium Necessarius est consensus liber, de præsenti, aliquo signo externo expressus. Prior pars patet ex Cap. *Cùm locum*. & Cap. *Tuæ fraternitati*, de Sponsalibus. & Cap. *Sufficiat*. & Cap. *Si quippe*. 27. qu. 2. Ratio est, tum quia Matrimonium impedit Christi consilia, seu statum perfectionis, quæ, sicuti nemo cogi potest vt complectatur, ita neque vt se ad ea reddat inhabilem: tum quia coactio repugnat Matrimonij bonis; non enim seruabitur fides & amor coniugalis. Consensus debet esse liber.

Dices; Potest quis rapi in seruitutem inuitus: ergo similiter poterit inuitus iungi matrimonio.

Respondeo: Esse disparem rationem: seruitus enim est pœna, quæ propter peccatum infligi potest; sta-

test; status autē Matrimonij nō est pœna, sed iure naturali est status liber. Præterea, seruitus naturâ suâ non est insolubilis, sicut Matrimonium; nec requirit amorem inter seruum & Dominum, vti matrimonium inter coniuges.

Hinc sequitur, neminem qui vsu rationis careat, posse matrimonium contrahere, quia non habet liberum consensum.

Et exterius expressus.

Altera pars, scilicet *Hunc consensum debere esse expressum:* Patet, tum quia Matrimonium est Sacramentum, quod in signo externo consistit: tum quia est contractus inter homines, qui humano more sine signo externo fieri nequit; aliter enim mutui consensus non innotescunt.

DVBIVM II.

Vtrùm nullo modo sine Consensu possit fieri Matrimonium?

63 Non potest id fieri humana auctoritate.

REspondeo, & Dico Primò: Nulla humana auctoritate fieri potest matrimonium sine consensu, siue vt est Sacramentum, siue vt est vinculū. Ratio est; quia Ecclesia non habet absolutū ius & dominium in hominum corpora, præsertim ad actum Matrimonij: cuius signum est, quòd Ecclesia non possit coniugia separare quoad vinculum, etsi coniuges velint: ergo multò minùs poterit ea coniungere, si ipsi nolint.

Fieri id potest auctoritate diuina.

Dico Secundò: Per absolutam Dei potentiam fieri potest vinculum coniugale sine consensu coniugum. Ratio est; quia Deus potest tui corporis potestatem dare alteri, non minùs quam tu ipse; ac proinde non minùs eris obligatus alteri ad officium Matrimonij, quàm si ipse consensisses. Hìc tamen nullus erit contractus, de cuius ratione est consensus contrahentium. Potest tamē esse contractus Matrimonij per diuinam potentiā sine signo externo, si mutui consensus vltro citroque contrahentibus per reuelationem innotescant: nam signa externa non requiruntur in contractibus, nisi vt consensus vicissim innotescant, etsi Sotus contrarium tenere videatur dist. 27. quæst. 1. art. 3.

DVBIVM III.

Vtrùm in matrimonio duo illi consensus debeāt simul concurrere?

64 Consensus non debent simul actu existere.

REspondeo, & Dico Primò: Non est necesse, vt duo illi consensus simul actu existentes concurrant. Vt patet in Matrimonio contracto per literas vel procuratores. Idem cernitur in alijs contractibus. Satis enim est, vt se vicissim determinent; quod fieri potest, etiamsi alterius consensus diu præcesserit, alterius posteà sequatur, modò tamen prior nullo modo sit reuocatus aut obliuioni traditus. Ratio est: quia is, qui prior consensit, etiamsi nunc actu non consentiat, nec de eo cogitet, censetur tamen virtute in eodem consensu persistere, quamdiu tacitè vel expressè non reuocauit.

Si pars cōsensum simulauit.

Dico Secundò: Si sponso consentiente, sponsa non consentit; vel contrà; idque vel quia voluit deliberare, vel certè, quia etsi exterius simulauerit se consentire, interius tamen consensum inhibuit, potest posteà consentire & contractum perficere, etiamsi sponsus nouū consensum non præstet; modò tamen dum ipse consentiret, nullum intercesserit impedimentum. Sequitur ex dictis: quia sponsus censetur in suo consensu, qui legitimus erat, perseuerare. Nec refert, quòd aliquot menses, aut etiam vnus vel alter annus interuenerint; vt rectè Sotus dist. 27. qu. 1. art. 3.

Si suberat impedimentum.

Dico Tertiò: Si suberat impedimentum, quando sponsus consensit, accedente posteà consensu sponsæ non efficitur matrimonium, etiamsi fortè impedimentum tunc sit sublatum. Ratio est; quia sponsi consensus non cadebat in materiam legitimam: vt, si sponsæ prior maritus alibi erat superstes; sponsa enim tunc non erat apta isti coniugio: quare consensus sponsi prior non potest cōcurrere ad contractum, sed alius de nouo præstari debet. Vide Sotum suprà.

DVBIVM IV.

Quod sit obiectum consensus necessarij ad contractum matrimonij, in quod oporteat consentire?

65 Consensus hic fertur in mutuam obligationem.

REspondeo & Dico Primò: Obiectum, in quod formaliter sponsi consentiunt, non esse ipsam copulam coniugalem, sed mutuam corporum potestatem & veluti dominium. Patet ex Cap. *Sufficiat*, & sequenti, 27. quæst. 2. Ratio est; quia essentia matrimonij consistit in mutua obligatione & potestate, vt suprà dictum, non in ipsa copula: ergo consensus efficiens matrimonij, non est formaliter in copulà. Confirmatur ex alijs cōtractibus: nam in domus venditione non est necesse venditorem expressè consentire, vt emptor domo vtatur, sed solùm vt potestatem seu dominium domus habeat.

Non se copulam, nisi implicite.

Dico Secundò: Implicitè tamen seu virtute, consentit in copulam: nempe, vt si coniux petat debitum, teneatur reddere. Ratio est; quia, qui tradit dominiū rei, implicitè concedit vsum. Hinc sequitur non posse aliquid apponi in contractu, quod huic vsui repugnet; vt docent communiter Doctores, excepto Paludano dist. 30. qui putat esse Matrimonium etiamsi dicatur, *Ego te accipio in vxorem, absque tamen debiti reddendi obligatione*; vel, *si sis parata mecum viuere in perpetua continentia.* Ratio ipsius est Primò: quia Matrimonio iā peracto cōiuges possunt se obligare, sic vt alter alteri debitum reddere non teneatur: ergo etiam ante matrimonium contractum, vel in ipso matrimonij contractu. Secundò: quia sufficit, vt consentiant in finem secundarium, scilicet in fidem & domesticam consuetudinem. Sed contrarium est tenendum; & colligitur ex Apostolo 1. ad Cor. 7. *Mulier*, inquit, *sui corporis potestatem non habet, sed vir: & contrà.* Vnde sequitur ad rationem matrimonij requiri mutuam corporis potestatem.

Sententia Paludani.

Ad primam rationem Paludani: Respondeo, Matrimonio iam contracto, possunt coniuges se obligare ad non petendum vel non reddendum debitum; nam possunt se mutuo priuare vsu matrimonij per alium contractum; in ipso tamen matrimonij contractu hoc fieri nequit: quia matrimonium est contractus inducens obligationem ad reddendum debitum: nam confert alteri absolutum ius & potestatem in corpus alterius. Obligare autem se ad reddendum debitum ea lege, vt alter non possit petere, nō est verè se obligare,

Soluuntur obiectiones Palaudani.

neque est alteri verum & morale ius petendi dare. Patet exemplo: qui enim vendit domum, saltem implicitè debet consentire, vt emptor ea vtatur si velit, alioqui non est vera venditio: & qui dat mutuum, debet consentire vt mutuatarius eo possit vti, alioqui non est mutuum; tamen post contractum possunt alio contractu conuenire, vt vti non liceat. Vide Couarr. 2. parte §. 1. nu. 5.

Ad Secundam rationem: Finis secundarius nõ sufficit ad rationem matrimonij, sed requiritur finis primarius.

DVBIVM V.

Vtrùm conditio posita in contractu vitiet consensum?

66 Quibus modis aliquid in contractu ponatur.

NOtandum Primò: In contractu interdum aliquid poni *tanquam causam*, interdum *vt demonstrationem*, interdum *tanquam modum seu finẽ*, denique interdum *tanquam conditionem*.

Causa non suspendit consensum, sed solùm explicat consensûs motiuum: vt, *Contraho tecum, quia es nobilis, quia dives es &c.*

Demonstratio non suspendit, sed solùm demonstrat aliquam qualitatem: vt *Contraho tecum, quæ es dives, quæ es nobilis, filia talis.*

Modus limitat quidem aliquo modo consensum, non tamen suspendit: vt, *Contraho tecum ea lege, vt sustentes matrem, tantam inferas dotem &c.*

67 Variæ conditiones in contractibus.

Conditio si de futuro sit, suspendit consensum: vt, *Contraho tecum, si sufficientem dotem dederit pater.* Si autem sit de præsenti, vel de præterito, non suspendit.

Notandum Secundò: In contractibus varias posse apponi conditiones. Aliæ enim sunt necessariæ; idque vel ex natura rei: vt, *Contraho tecum, si sol orietur cras.* Vel ex suppositione: *Contraho tecum, si Antichristus veniet.*

Aliæ sunt impossibiles, idque vel ex natura rei: vt, *Contraho tecum, si luna cœlo exciderit.* Vel ex statu contrahentis: vt si pauperculæ dicas, *Contraho tecum si milionem aureorum numeraueris.*

Aliæ sunt contingentes. Quarum quædam sunt contra substantiam Matrimonij: huiusmodi sunt, quæ sunt vel *contra bonum prolis*; vt, *Contraho tecum si sterilitatem procuraueris; si partum abiges.* Vel *contra fidem:* vt *Si te adulterandam tradideris*, quidquid dicat Angelus, contra quem agit Couarruuias n. 3. Vel *contra insolubilitatem*, seu contra rationem Sacramenti; vt, *Contraho tecum vsque ad mortem parentum.*

Aliæ verò non sunt contra substantiam. Quarum quædam sunt turpes, quædam honestę. Vide plura apud Couar. 2. parte cap. 3. §. 1. nu. 1. 2. 3. His positis.

68 Cõditione necessaria nõ suspendit nec vitiat consensum.

Respondeo, & Dico Primò: Conditiones necessariæ non vitiant consensum, etiamsi sint de futuro. Ratio est; quia æquiualent præsenti. Perinde enim est dicere, *Contraho tecum si sol orietur cras*, & *Contraho tecum si est certum & determinatum quod orietur:* atqui præsens conditio non suspendit contractum: ergo &c.

Notandum: Glossam in Cap. *Per tuas*, de Conditionibus appositis, existimare Matrimonium suspendi donec conditio impleatur. Sed contrarium est verius, vti ratio allata probat. Si tamen contrahens expresè intenderet modificare suum consensum ad tempus futurum, neq; anteà vellet contractum esse validum, tunc ratione intentionis suspenderetur: sed hoc est præter naturam talis conditionis. Eadem est ratio conditionis, quæ ex suppositione est necessaria, idque ob certitudinem diuinæ reuelationis, propter quam censetur esse præsens.

69 Impossibilis an, & quando vitiet.

Dico Secundò: Conditio impossibilis vitiat consensum, nisi ioco sit addita. Probatur; quia hęc cõditio significat potiùs dissensum, quàm cõsensum; vt patet ex modo communi loquendi, & ex cæteris contractibus. Dixi, *nisi ioco, si addita*, propter Cap. vltimũ, de Conditionibus appositis, & communem Doctorum sententiam, qui docent *conditiones impossibiles non vitiare consensum aut contractum*, eò quòd *habeantur pro non adiectis*: hoc enim non potest aliter rectè intelligi, quàm *tunc haberi pro non adiectis*, quando ex circumstantijs præsumitur esse ioco additas. Vide Cauarr. 2. parte cap. 3. §. 2.

70 Conditio, quę est cõtra substantiam, vitiat

Dico Tertiò: Conditiones, quæ sunt contra substantiam, seu contra bona Matrimonij, vitiant consensum. Patet Cap. vltimo, de Conditionibus appositis. Ratio est: quia cùm Matrimonium essentialiter includat obligationem ad tria suprà dicta, scilicet ad reddendum debitum in ordine ad concipiendam prolem, ad seruandam fidem, & insolubilem coniunctionẽ, substantia ipsius euertitur, si quis obligetur ad aliquid quod his repugnet. Sicut si quis profiteatur Religionem ea lege, vt non teneatur obedire Prælato, vel vt possit vti vxore, vel retinere proprium, irrita est professio; quia continet conditionem, quæ est contra substantiam Religionis.

Si habeat animum nõ reddendi debitum,

Dices Primò: Quid si quis in contractu haberet animum non reddendi debitum, vel non seruandi fidem, estne irritus contractus?

Respondeo: Si intendat se obligare ad ea, quæ sunt matrimonij, valet matrimonium, quamuis animus ea præstandi desit. Ratio est; quia essentia vinculi Matrimonialis cõsistit in obligatione ad tria suprà dicta, nõ autem in proposito ea præstãdi: sicut votũ, quod quis vouet sine animo explendi, validum est, modo verè intendat vouere seque obligare. Quòd si interius non consentiat in obligationem, etsi verba exterius proferat, irritum est siue votum, siue Matrimonium: pendent enim contractus ex consensu.

Dices Secundò: Quid si conditio illa contra substantiã seu bona matrimonij adiecta, sit de præsenti.

Conditio de præsenti nõ vitiat.

Respondeo, Tunc non vitiabit matrimonium, vt rectè Couarr. 2. parte, cap. 3. §. 1. nu. 12. modò non obliget se ad aliquid futurum, quod sit contra Matrimonij bonum: vt si dicat, *Contraho tecum, si procuraſti tibi sterilitatem, si es adultera*, validum est Matrimonium, si conditio insit.

71 Turpis, vel honesta, si sit de futuro suspẽdit matrimonium.

Dico Quartò: Conditio turpis, quæ non est contra substantiam, si sit de futuro, suspendit matrimonium: vt, *Contraho tecum, si mecum furari volueris.* Probatur: Quia, si seriò addatur, indicat non adesse consensum, nisi ipsa posita: ergo suspendit. Si autem sit de præsenti, non suspendit, sed est Matrimonium, si insit. Non est, si non insit. Nec obstat, quòd Cap. *Finali* dicitur, *conditionem turpem censeri pro non adiecta:* Hoc enim intelligendum est, si aliunde constet non esse seriò additam; sicut dictum est de conditione impossibili. Quod si seriò

si seriò sit addita, ante impletam conditionem nõ erit coram Deo Matrimonium, quidquid tandem præsumatur aut iudicetur in foro externo.

Dico Quintò: Conditio honesta de futuro suspendit Matrimonium. Patet ex Cap. *Super eo*, de Conditionibus appositis. De præsenti non suspendit. Sed est

DVBIVM VI.

Vtrùm iste consensus per verba de præsenti, cum conditione de futuro, faciat Matrimonium simul ac ponitur conditio: An verò requiratur nouus consensus expressus de præsenti?

72 D. Thomas requirit nouum cõsensum.

PLerique Doctores docent requiri nouum cõsensum. Ita D. Tho. hîc. qu. 47. ar. 5. Ioannes Maior dist. 27. qu. 4. Victoria Relectione *de Matrimonio*. Sotus dist. 29. q. 2. art. 1. Couar. 2. parte cap. 3. nu. 5. in principio.

Canonistæ negant.

Verùm communis sententia Canonistarum est in contrarium; vt idem Couarruuias testatur; quã etiam tenet Nauarr. cap. 22. num. 63. Siluester *Matrimoniũ* 3. §. 6. Paludanus dist. 29. q. 4. a. 4. Gabriel dist. 28. in fine.

73 Sententia Auctoris.

Respondeo: Si contrahentes exprimant, vel saltem intendant, vt contractus firmus sit posita conditione sine alio consensu, probabile est esse matrimonium statim posita conditione. Tenent Auctores secundæ sententiæ. Ratio est: nam in cæteris contractibus sub conditione initis, videmus eos statim conditione posita esse validos: ergo idem censendum de contractu matrimonij: neque enim est vlla ratio, cur illi validi sint, hic non sit.

1 Obiectio, quòd sacramentũ non possit pendere ex cõditione futura.

Dices Primò: Hic contractus est Sacramentũ: at Sacramentum non potest esse pendens; vt patet in alijs Sacramentis: non enim Baptismus incipit esse Sacramentum ex aliqua conditione futura; sed statim, dum fit, est, vel non est Sacramentum. Confirmatur: quia si contractus incipit esse Sacramentum posita conditione, incipit tunc esse Sacramentum, quando non ampliùs est; quod est absurdum.

Soluitur, & negatur.

Respondeo: Ratio Sacramenti debet sequi naturam rei, in qua ponitur. Quare, cùm hoc Sacramentum ponatur in contractu, debet sequi naturam contractus. Dominus enim nihil mutauit circa contractum Matrimonij, sed solùm constituit vt omnis talis contractus legitimus inter fideles initus, esset Sacramentum, vt suprà dictum est ex Concilio Tridentino. Vnde, si posteà conditione posita contractus Matrimonij efficitur validus (sicuti videmus in alijs cõtractibus) oportet etiam tunc sit Sacramentum: alioqui dabitur contractus coniugij inter fideles, qui non sit Sacramentum. Vnde nego Sacramentum non posse esse vllo modo pendens ex cõditione futura, quãdo illa conditio est veluti pars & complementũ illius signi sacramẽtalis. Simile est in Sacramento Confessionis, quod pendens est in ratione Sacramenti, donec absolutio accedat, quæ interdum post multos dies accedere potest: quâ positâ confessio primùm habet rationem Sacramenti, estque causa gratiæ. Simile quoq; esset si Deus instituisset Sacramentum Baptismi, vt conferret gratiam postridie, idque sub aliqua conditione futura; videlicet si homo tunc ratũ haberet quod antè susceperat. Tunc enim Baptismus non esset Sacramentum absolutè, nisi posita illa prædicta conditione; sed tantisper esset Sacramentum pendens & conditionatum: posita tamen illa conditione, sine alia actione fieret signum absolutum & causa absoluta. Multò autem faciliùs id fieri potest in cõtractibus, qui sicut possunt esse causa sub conditione, ita etiam possunt esse signa sub conditione, vt manifestum est si contractus ad obligationem quam efficit, comparetur. Quòd si id fieri potest respectu obligationis, cur non etiam respectu gratiæ? Fateor tamen, id, quod omnino completũ est, non posse esse pendens, sed necessariò tunc habere rationem Sacramenti, dum aliquid eius est, vel nunquam: fieri enim nequit, vt postquam nihil eius est, incipiat esse Sacramentum, vt suprà dictum est. Ad confirmationem suprà positam:

A simili.

Respondeo Negando Consequentiam: Contractus enim ille adhuc aliquo modo est, cùm incipit existere conditio; nam conditio est pars contractus, pertinens ad eius substantiam: conditio enim impleta, si iungatur verbis contractûs, significat præsentem consensum.

74 1. Obiectio soluitur.

Dices Secundò, Capitulo *Per tuas*, de Conditionibus appositis, Pontifex talem contractum matrimonij sub conditione initum vocat sponsalia: ergo non est Matrimonium.

Respondeo: Vocat sponsalia ante impletam conditionem, non autem post impletam.

3 Obiectio.

Dices Tertiò, Capitulo *Super eo.* eodem titulo, Vrbanus dicit, eos qui contraxerunt sub conditione, *Si pater consenserit*, non esse cogendos ad contrahendum Matrimonium, nisi posita conditione: ergo sentit nondum esse Matrimonium. Et confirmatur. Nam ibidem dicit *eundem consensum non esse habendum de præsenti, qui licet per verba de præsenti euidenter exprimatur, in alieno tamen arbitrio nondum habito ponitur.*

Soluitur.

Respondeo: Fateor non esse Matrimonium ante positam conditionem, imò nec vim sponsalium habere absolutè loquendo; & ideò non est quis cogendus: impleta autem conditione cogendus est, vt stet contractui. Vide Glossam in illa duo Capitula. Ad Confirmationem: Etsi ille consensus non censeatur consensus de præsenti ante positam conditionem, eâ tamen positâ censetur esse de præsenti, vt rectè notat Glossa: existentia enim illius conditionis iuncta verbis contractus, significat præsentem consensum in Matrimonium: sicut enim consensus potest significari verbis, ita etiam significari potest aliquo signo externo ad id instituto ex conuentione contrahentium.

4 Obiectio.

Dices Quartò: Si quis contraxisset hoc modo cum vna: *Accipio te ex hoc tempore in meam vxorem, si pater consenserit*; & posteà ante consensum patris contrahat absolutè cum alia, validum erit Matrimonium cum secunda; & accedente conditione prioris contractus, nihil fiet cum prima: ergo prior contractus non habebat vim matrimonij.

Soluitur.

Respondeo: Hinc rectè inferri non habuisse vim Matrimonij absoluti ante conditionem impletam, imò ne sponsalium quidem de futuro; quia ex tali contractu cum priore, non esset ortũ impedimentum publicæ honestatis; quod tamen vera sponsalia pariunt: vnde posteà cum illius sorore posset contrahere. Aduerte tamen eatenus hunc contractũ habere vim sponsalium, quatenus

accedente

accedente copula affectu maritali, etiam ante cõpletam conditionem, transiret in matrimonium: vt apertè colligitur ex duobus Capitulis citatis.

75 Contrahés cum cõsanguinea si Papa dispensauerit.

Petes: Si quis contrahens cum consanguinea in quarto gradu, dicat: Contraho tecum ex nunc si Papa dispensauerit: vtrùm postea conditione posita sit factum matrimonium, sine nouo consensu?

Respondeo: Probabilius videri esse matrimonium, modò expressè inter illos conuenerit, vt posita conditione censeantur absolutè consensisse de præsenti. Hanc sententiam docent plerique Iurisperiti citati à Couarruuia p. 2. c. 3. num. 8. in principio. Addit autem Couarruuias esse hanc sententiam necessariò consequentem ex opinione Canonistarum. Et probari potest ratione suprà facta ex alijs contractibus.

Dices Primò: Istæ personæ sunt inhabiles ad contrahendum matrimonium; ac proinde earum consensus non cadit in debitam materiam.

Respondeo: Etsi illæ personæ sint inhabiles ad contrahendum absolutè, non tamen sunt inhabiles ad contrahendum conditionatè: sicuti filiusfamilias etsi sit inhabilis ad donandum absolutè, non tamen est inhabilis ad donandum sub conditione, v. g. si parens consenserit: quo consensu posito donatio est valida sine noua actione. Ergo pari modo hic. Eadem est ratio in votis conditionatis, etiamsi sint contra Iura: vt si Religiosus voueat longam aliquam peregrinationem contra regulam; tamẽ sub conditione, si Papa vel superior consenserit.

Dices Secundò: Conditio quam illi adiungunt est contra Ius: nam non est in potestate contrahentium, & censeri debet impossibilis. Ob hanc rationem, quidam putant ne quidem sponsalia nasci ex tali contractu, aduentu conditionis. Ita Siluester Verbo *Matrimonium*. 3. q. 9. & Dominicus Soto dist. 29. q. 2. art. 1.

Respondeo: Conditio tunc non censetur impossibilis, quando Princeps solet eam concedere. Vnde cũ Papa soloat dispensare in 3. & 4. gradu, censetur hæc conditio possibilis.

Adde tamen: Etsi hęc sententia videatur probabilior & verior, tamen in praxi sequendum est id quod est securius; præsertim quando sine difficultate fieri potest. Vnde qui sub talibus conditionibus contraxissent, omnino inducendi sunt, vt posita conditione rursum contrahant.

DVBIVM VII.

Vtrùm consensus metu extortus sufficiat ad Matrimonium?

76 REspondeo, Non sufficere; sed huiusmodi metum irritum reddere Matrimonium, si sit metus cadens in virum constantem, & ad extorquendum consensum iniquè incussus. Patet Capitulo, *Cum locum.* & Cap. *Consultationi*, de Sponsalibus.

Tria requisita vt metus cadens in cõstantem virum, reddat irritũ matrimoniũ.

Notandum est Primò: Metum cadentem in constantem virum, esse metum grauis mali, qui prudentẽ virũ meritò permoueat, v. g. ad matrimoniũ, tanquã ad minus malum. Talis est Primò: Metus mortis vel mutilationis. Secũdò: seruitutis, verberum atrocium, longi exilij, longi carceris. Tertiò: amissionis status honorifici, iniquæi infamiæ Iuris, amissionis omniũ bonorum vel maioris partis, excommunicationis iniustæ & difficilis sublatu. Quartò: Omnis metus, qui respectiuè grauis meritò censeri queat; quod prudens arbitrabitur. Quod enim est grauis metus puellę, vel adolescenti, vel seni, non est grauis viro robusto & animoso. Vide Couarruuiã 2. parte cap. 3. §. 4. & Nauarrum cap. 22. nu. 51.

Notandum Secundò: Hunc metum debere esse incussum ad consensum eliciendũ. Si enim aliunde proueniat, non irritat Matrimonium: vt si metu mortis ex tempestate concepto contrahas cum concubina, vel emittas votum Religionis, firmum est.

Notandum Tertiò: Hunc metum debere esse incussum iniquè, saltem respectu huius finis. Nam si iustè incutiatur, non irritat Matrimonium: vt si quis per excommunicationem cogatur contrahere Matrimonium, vel quia sponsalia iurauit, vel propter copulam sub promissione matrimonij obtentam. Item si lex sit, vt qui virginem vitiauit, illam ducat, potest compelli etiã sub pœna mortis. Nec obstat, quod ait Couarruuias 2. parte. cap. 3. §. 5. nu. 7. metum irritare Matrimonium, etsi is, qui cogitur, metus causam dederit: quia fieri potest, vt quis causam dederit, & tamen iniustè cogatur; quia non cogitur ab eo cuius est compellere: vt si parens inuentum adolescentem cum filia, cogat contrahere (habetur casus iste in Cap. *Veniens*) alioqui minitans accusationem. Quamuis enim possit eum accusare absolutè, non tamen potest minari accusationem eo fine vt consensum extorqueat: vnde hic metus est iniustè incussus respectu huius finis. Et sic intellige Cap. *Veniens*, 2. de Sponsalibus.

DVBIVM VIII.

Vtrùm Matrimonium graui metu contractum, sit irritum Iure diuino naturali, an solùm Ecclesiastico?

77 Sententia Scoti. QVidam putant matrimonium graui metu contractum, esse irritum Iure diuino naturali. Ita Scotus dist. 29. ar. 2. Couarruuias 2. parte. cap. 3. §. 5. nu. 6. & insinuat Nauarrus cap. 22. nu. 51. Ratio est; quia talis consensus metu extortus non est liber: matrimonium autem liberũ consensum postulat. Ex quo fundamento Nauarrus censet, etiam Matrimonium, quod leui metu contractum est, esse irritum coram Deo, si metus iste contractui verè causam dederit; quod tamen in foro externo non præsumitur.

Cõmunior sententia. Sed communior sententia est, solùm Iure Ecclesiastico irritum esse huiusmodi matrimonium. Ita Durandus dist. 29. qu. 2. Palud. ibidem q. 1. art. 2. Maior ibidem qu. 1. Sotus ibid. q. 1. ar. 3. & alij.

Matrimonium metu contractũ non est irritum defectu libertatis. Respondeo & Dico Primò: Matrimonium ex graui metu contractum non est irritum præcisè defectu libertatis. Probatur: quia contractus ex metu graui absolutè est liber; nam per opus ex tali metu profectum possumus mereri & peccare: ergo non deest libertas Iure naturæ necessaria. Confir. ex Matrimonio contracto metu mortis in tempestate, vel instante prælio; vbi non est maior libertas, quàm si metus ad id esset incussus; æquè enim inuitè facit.

Dico

78 Nec est irritum ob iniuriam.

Dico Secundò: Verius & probabilius est talem contractum non esse irritum Iure naturæ ob iniuriam, sed solùm esse irritandum.

Non esse irritum: Probatur Primò, quia contractus pendent ex intentione cõtrahentium: sed contrahens hîc intendit verè se obligare alteri, qui iniuriam intulit: ergo se obligat. Dices; Alter non est capax iuris ex mea obligatione, eò quòd iniuriam intulit. Respondeo: Hoc verum non esse: nam possum me obligare ei, qui maximis me iniurijs affecit. Etsi enim ipse mihi vicissim ratione iniuriæ obligetur, nihil tamen refert quin possim me ipsi quoque obligare: nam mea obligatio non oritur ex actione iniuriosa ipsius in me, neque per actionem illam ius acquirit in me, sed per meũ voluntarium consensum verbis expressum.

Probatur Secundò: Matrimonium, leui metu per iniuriam extortum, est validum, iuxta communem sententiam: ergo ratione iniuriæ matrimonia metu extorta, Iure naturæ non sunt irrita. Patet consequentia, quia Ius naturæ non distinguit inter magnas & summas iniurias, quòd attinet ad vim irritandi. Si enim non irritat Matrimonium contractum metu amissionis tertiæ partis bonorum, cur irritet contractum metu amissionis dimidiæ partis? Præsertim cum is qui tertiã partem metuit amittere, possit maiorem iniuriam pati, quàm alter; idque, vel quia tertia illa pars huius est maior, quàm dimidia alterius; vel quia pluris tertiam partem æstimat, quàm alter dimidiam; vel deniq; quia ab amico hanc iniuriam patitur, alter ab inimico.

Sed est iure naturæ irritandum.

Altera Pars: quòd nimirum talis contractus Iure naturæ possit irritari seu rescindi, si solubilis sit: Probatur, nam qui iniuriam intulit, tenetur alterum restituere in integrum, & ponere in ea libertate, in qua fuit ante illatam iniuriam; qua restitutione facta, nihil ampliùs ei debebitur, si alter velit. Et quia hanc restitutionem alter potest exigere, idcircò si nolit is qui iniuriam intulit, eam præstare, potest vti compensatione rescisso contractu; eò quòd alter iniustè ei fuerit causa damni.

79 Est tamen irritum iure Ecclesiastico, & ciuili.

Dico Tertiò: Matrimonium contractum metu graui ad id immisso, est irritum Iure Ecclesiastico & Ciuili: quod tamen Ius magis more receptum est, quàm scripto sancitum; vt Canones citati indicant. Probatur: Quia, cùm certum sit tale matrimoniũ esse irritum, & probauerimus non esse irritum Iure naturali, sequitur esse irritũ Iure positiuo; non diuino, cùm hoc nusquam extet; sed humano. Patet Cap. *Cùm locum.* & Cap. *Consultationi*: quibus tamen locis non videtur condi nouum decretum, sed solùm dicitur *Tale Matrimonium esse irritum*; & insinuatur hoc Ius vsu & more in Ecclesia antè fuisse receptum, tanquam rationi naturali valdè consentaneum. Cùm enim matrimonium naturâ suâ sit insolubile, fit vt semel cõtractum, siue iure, siue iniuria, non possit dissolui, sicut possunt alij contractus. Vnde meritò Ecclesia, vt huic tanto incommodo occurreret, statuit talẽ contractũ ab initio esse irritum, & personas ad sic contrahendũ inhabiles. Simili modo irritauit etiam vota, quæ simili metu fiunt; vt patet Cap. *Periatum*, De iis quæ vi metusve causa fiunt: sicut enim potuit statuere ætatem vouendi, ita & modum. In cæteris contractibus hæc irritatio nõ erat necessaria, cùm voluntate contrahentiũ solui possint.

Ex dictis infertur Primò: Metum reuerentialem dirimere matrimonium: vt si puella ob magnam reuerentiam patris, cui nullam ob causam audet contradicere, consentiat. Ratio est: quia censetur metus grauis; vt rectè Nauarrus cap. 22. Enchiridij nu. 51. & Commentario 2. *de Regularibus* nu. vltimo. & Henriches lib. 1. de matrimonio cap. 9. Quod confirmatur: quia impedit professionẽ Religionis, vt docet Glosa in Cap. *Præsens.* 20. qu. 3. estque communis sententia Canonistarum, vt docet Cauarru. 2. parte cap. 3. §. 6. Cur non etiam dirimat Matrimonium? cùm ad Matrimonium non minor libertas requiratur, quã ad professionem, vt idem Couarruuias docet. Vnde non est facienda distinctio inter Matrimonium & professionem quoad metum reuerentialem, vt facit Glossa, & multi Canonistæ, contra quos agit Couarruuias suprà.

80 Metus reuerentialis dirimit matrimonium.

Infertur Secundò: Sponsalia metu graui contracta esse vel irrita, vel certè à parte quæ iniuriã passa est, posse irritari, nisi iuramento sint confirmata: tunc enim iuramentũ est seruandum. Quod est contra Sotum dist. 29. qu. 1. ar. 3. qui putat huiusmodi iuramentum promissorium non obligare: *Tum quia alias*, inquit, *non satis prospectum esset libertati matrimonij; tum quia promissio non obligat, ac proinde neque iuramentum firmans promissionem.*

81 Metus grauis dirimit sponsalia.

Sed nostram sententiam, tanquam certam, docet Couarr. cap. 3. §. 5. nu. 4. Eaque probatur: Nam omne iuramentum de re licita & honesta, est obligatorium; illudq; solum non obligat, quod non est de actu virtutis: ergo tenetur illud seruare; quamuis non propter obligationem qua obstrictus est parti, tamen propter obligationem qua obstrictus est Deo. Iurauit enim se illam ducturum, si ipsa velit, & se ex parte sua non defuturum. Confirmatur; Si iuraui latroni soluturum me 100. quamuis ipsi non obliger, tamen teneor ratione iuramenti, cùm iuramentum sit de actu virtutis.

Nisi sint iurata.

Ad Primum Soti argumentum: Etsi promissio illa sit nulla, neque per se obliget; tamen quia honesta est, in tali casu necessariò est seruanda propter vinculum iuramenti.

Ad Secundum: Potest ille petere absolutionem iuramenti ab Episcopo, & tunc ad nihil tenebitur.

82 Si metus cessauerit.

Infertur Tertiò: Si cessante metu contrahas matrimoniũ, eò quòd existimes te per sponsalia metu contracta esse obligatum, erit validum matrimonium: nam metus iam cessauit. Et quamuis contractus ille fundetur in errore, non tamen error ille dirimit Matrimonium, cùm non sit error circa personam, vel personæ conditionem.

DVBIVM IX.

Vtrùm Matrimonium, quod diximus esse irritum, eò quòd sit metu graui contractum, accedente copula cum affectu Maritali, confirmetur?

83 Si male putet præcedentem consensum fuisse validum.

REspondeo, & Dico Primò: Certum est, si ideo quis attentet copulam, quòd putet præcedentem consensum fuisse validum, nõ esse Matrimonium. Ratio est; quia prior consensus, in quo fundatur iste complexus, nullam vim habuit; & per copulã non intendit de nouo contrahere, sed solùm

sed solùm matrimonium, quod falsò putat esse validum, consummare.

Si copula sit coacta.

Dico Secundò: Si ipsa copula etiá esset coacta; vt, si quis coactus contrahere, statim cogeretur consummare, non esset Matrimoniũ, quamuis ille intenderet Matrimoniũ consummare. Est ferè cõmuis sententia DD. Contrarium tenet Paludanus dist. 29. qu. 1. art. 4. Dominicus Soto dubitat. Sed probatur: Quia, si consensus expressus per verba de præsenti, non facit Matrimonium, dum est coactus metu graui, neque copula coacta Matrimoniũ facit: magis enim videtur consentire, qui expresse consentit, quàm qui implicitè.

Nec obstat, quòd hîc non videatur esse metus cadens in constantẽ virum, qui nullo metu potest impelli in peccatum, ac proinde non videatur matrimoniũ impediri: nã reuerà hîc adest metus absolutè grauis, quo præsente Ecclesia irritat cõtractũ matrimonij. Deinde etsi nõ sit vocandus *metus cadens in constantẽ virum* respectu illius copulę, quatenus est illicita; rectè tamen sic vocatur respectu eiusdem, quatenus est expressiua consensus maritalis: nam secundùm rectam rationem propter talem metum consentit in matrimonium; quamuis non rectè consentiat in copulam carnalem.

Hæc copula dupliciter consideratur.

84 Quæ leges Ecclesiæ in mortis periculo obligent.

Dices: Ecclesię leges non obligant in periculo mortis: ergo, cùm lex irritans matrimonium metu contractum sit Ecclesiastica, cessabit eius vis in periculo mortis, ac proinde erit matrimonium.

Respondeo: Illæ leges cessant in tali periculo, quibus aliquid præcipitur vel vetatur; vt lex ieiunij, lex audiendi sacri. Secùs est de legibus irritantibus, hæ enim non cessant ob periculum: vt lex illa, qua irritatur Matrimonium in 3. vel 4. gradu, non cessat ob mortis periculum; vnde non possum contrahere cum consanguinea ad mortem euitandam.

Quid faciet coactus ad copulam.

Petes: Quid faciet ergo, qui morte proposita cogitur contrahere, & mox consummare?

Respondeo: Vel moriendum esse illi: vel certè liberè consentiendum, id est, non ex metu; scilicet ita, vt si esset extra periculum, omnino vellet illam ducere.

DVBIVM X.

Vtrùm requiratur consensus parentum, vt matrimonium validè contrahatur?

85 Affirmat Erasmus.

Erasmus in quodam colloquio putat requiri consensum parentũ vt matrimonium sit validum. Sequuntur ferè heretici huius temporis.

Contrariũ est de fide.

Respondeo, & Dico Primò: Fide tenendum est consensum parentum non esse necessarium, vt matrimonium quoad substantiam sit validum. Est definitum in Concilio Trident. sess. 24. cap. 1. in principio. Probatur Primò: Exemplis Scripturę. Genes. 26. Esau inuitis parentibus vxores duxit, quas Scriptura semper vxores vocat. Iacob etiam sine consensu parentum vxores duxit, Gen. 36. Probatur Secundò: Ratione. Quia status vitæ, perpetuum vinculum continens, iure naturæ non potest pendere, nisi à consensu eorum qui illum capessunt. Illorum enim est consentire, quorum est onera illius tolerare. Et Confirmatur: Quia consensus parentum non videtur ob aliam causam posse requiri, quàm vt maturiùs & prudentiùs ineatur: atqui Matrimonium etiam imprudenter contractum valet.

Aduerte tamen: Ecclesiam huiusmodi matrimonia posse irrita reddere, si id iudicaret expedire, sicut matrimonia sine Parocho & testibus contracta irritauit.

Dico Secundò: Plerumque tamen parentum consensus est necessarius, vt licitè & honestè à liberis matrimonium contrahatur. Ratio est: quia liberi iudicio sunt immaturo, ac proinde omnis ratio postulat, vt in re tanta vtantur consilio & directione parentum. Intellige, si animum ad matrimonium habeant. Vide Ambrosium lib. 1. *de Abraham* cap. vltimo. Argumenta hæreticorum hoc tantùm probant, non autem matrimonia esse inualida. Sed

86 Hic cõsensus requiritur, vt licitè & honestè contrahatur.

Notandum est: Plerumque non esse peccatum mortiferum, quamuis consilium parentum non sequantur: nisi fortè parentis voluntas graui ratione nitatur, & proles non habeant iustam aliquâ rationem dissentiendi; vt fit plerumque in coniugijs Principum. Vide Nauar. c. 14. n. 15.

Sine eo cõtrahentes plerumque non peccãt mortaliter.

Aduerte tamen: Si filius vel filia contraheret inuito parente, nõ idcircò posse priuari legitima, vel dote; vt docet Couar. 2. parte cap. 3. §. 8. vbi etiam addit quasdam Hispaniæ leges, quæ id permittebant, Iure canonico censeri reuocatas. Statuit enim hoc Ius neminem graui metu posse cõpelli, alioquin irritum esse matrimonium: atqui metus amittendæ dotis, vel legitimæ, est metus grauis: ergo. Non est tamen improbabile, in aliquo casu posse illas leges habere locum, non quidem ad compellendum vt contrahas cum certa persona, sed vt non contrahas cum indigna. Vide Sotum dist. 29. qu. 1. art. 4.

Nec priuandi legitima vel dote.

CAPVT V.

De bonis matrimonij, & speciatim de insolubilitate ratione Sacramenti.

87 Quæ bona matrimonij quidque operentur.

NOtandum est: Esse tria matrimonij bona, quibus ipsum cohonestetur, & expetendum reddatur: scilicet, *Fidem*, *Prolem* & *Sacramentum*: vt docet D. Augustinus tum alibi, tum lib. 1. *de Nuptijs* cap. 11. & 17. Et Concilium Florentinum in instructione Armenorum. *Sacramentum* spectatur in cõtractu, & in vinculo insolubili, quatenus repræsentat Christi & Ecclesiæ coniunctionem. *Fides* autem in vsu matrimonij. *Proles* in fructu. Vnde *Sacramentum* pertinet quasi ad habitum matrimonij; *Fides* ad actum; *Proles* ad effectum, qui per actum producitur.

Dicuntur autem *hæc bona excusare Matrimoniũ*: quia si ipsum vinculũ coniugale per se spectemus cum oneribus & incommodis, quæ secum adfert, nemini secundùm rectam rationẽ esset expetendum. His autem *Bonis*, ac ornamentis cohonestatum, redditur dignum, quod secundùm rectã rationem possit expeti.

DVBIVM I.

Vtrùm matrimonium consummatum in veteri lege fuerit solubile per libellum repudij?

88 Multi negant,

MVlti censent Matrimonium consummatũ non potuisse solui quoad vinculum per libellum repudij. Ita Bonauentura, Richardus & Domini-

Dominicus Soto dist. 33. Couar. 2. p. cap. 7. §. 4. num. 4. Liranus in cap. 24. Deuteron. c. & 19. Matthæi. Alphonsus Castro lib. 2. De potestate legis pœnalis cap. 11.

Affirmatur. Sed contrariũ est verius. Tenet Scotus dist. 33. quæst. 3. & benè probat. Durandus ibidem q. 3. Palud. ibidem qu. 1. art. 2. Ioannes Maior ibid. qu. 2. Abulensis in cap. 19. Matthæi qu. 49. & 50. Caietanus in eumdem locum, & Maldonatus ibidem. Petrus Soto lect. 13. de Matrimonio, Bellarminus & alij.

Lex libelli Repudij. Probatur Primò: Nam Deutero. 24. v. 1. præcipitur lex faciendi repudij: *Si acceperit homo vxorem, & non inuenerit gratiam ante oculos eius ob aliquam fœditatem, scribet libellum repudij, & dabit in manus illius, & dimittet eam de domo sua, &c.* quibus verbis significatur non solùm permitti, tanquam minus malum ad euitandum maius, sicut permittuntur vsuræ & meretrices; sed licitum esse ob causam, & dissolui: vbi enim est solùm permissio, non opus est lege, sed sufficit dissimulatio. Confirmatur: Quia ibidem significatur *Repudiatam posse impunè alteri nubere:* ergo solutum erat vinculũ prioris Matrimonij. Patet Consequentia: Quia nisi fuisset solutum, secundæ nuptiæ fuissent adulterium: vnde lex permisisset continua & assidua adulteria, cùm tamen iubeat adulteras lapidari.

Probatur Secundò: Si vinculum non potuisset solui libello repudij, iniquissima fuisset feminarũ conditio: nam plurimæ debuissent perpetuò manere cælibes, idque absque sua culpa (non enim potest vna mulier eodem tempore plures viros habere:) viri autem nihil incommodi accepissent, etsi suo vitio illas repudiassent: nam poterant plures vxores habere. Vnde hæc concessio repudij contra naturalem æquitatem fuisset.

Probatur Tertiò: Leuitici 21. prohibetur Sacerdoti, ne ducat viduam, vel repudiatam, vel meretricem, sed solùm virginem: ergo alijs licebat ducere repudiatam, sicut licebat ducere viduam & meretricem: ergo vinculum prioris matrimonij erat solutum.

Probatur Quartò: Repudiata à priore marito, non poterat post repudiũ factũ à secundo marito, vel post eius mortem, redire ad priorem; vt patet Deuter. 24. Atqui, si vinculũ cum priore marito non fuisset solutũ, non debuisset prohiberi redire, sed laudabile fuisset vt priori reconciliaretur; sicuti fit in noua lege, & ratio naturalis dictat.

Probatur Quintò: Non minùs facile fuit Deo dispẽsare in repudio, atque in polygamia, cùm supremam in omniũ corpora & animas habeat potestatem: vnde sicut habenti vxorem, potuit dare potestatem corporis sui, ita vt eam posset etiam in secundam vxorem cõferre, manente nihilominùs priore vinculo; ita potuit prius vinculum dissoluere, reddita vtrique sui corporis, quam vterque in alterum transtulerat, potestate.

89 1. Obiectio ex Malachiæ 2. Sed cõtrà: Objcitur Primò: Malachię 2. v. 16. dicitur, *Qui vxorem dimiserit, iniquitas operiet vestimentum ipsius:* ergo non licebat dimittere. Respondeo, Solùm dicitur peccare eum, qui ex odio vel sine causa legitima vxorẽ dimittit, vt multi tunc temporis faciebant: videntes enim mulieres alienigenas vxoribus suis pulchriores, repudiabant suas, quæ erant Iudeę, & accipiebant alienigenas: hoc reprehendit Propheta.

Dices Secundò: Matt. 19. v. 8. Dicit Christus *Moysem permisisse libellum repudij ob duritiem cordis ipsorum:* ergo solũ erat dissimulatio cũ impunitate. 2. Obiectio ex Matth. 19. v. 8.

Respondeo: *Duritiam cordis* fuisse causam, cur libellus repudij permitteretur; permissus tamen fuit ex auctoritate & dispensatione: sicut interdum bonus Princeps ob rebelle subditorum ingenium mitigat legum rigorem. Adde hanc permissionem repudij non caruisse mysterio; significabat enim repudiandam Synagogam, & Ecclesiam ex Gentibus in sponsam Christo esse coaptãdam. Vnde Dominus Genes. 21. præcepit Abrahæ *vt repudiaret Agar.*

Dices Tertiò: D. Augustinus lib. *De bono coniugali* c. 18. sic ait: *Itaque sicut duobus pluribusve seruire, sic à viro viuo transire in alterius connubium, nec tunc licuit, nec nunc licet, nec vnquam licebit:* ergo vinculum non fuit solutum. 3. Obiectio ex D. Augustino.

Respondeo: Augustinus non loquitur de *Vxore repudiata*; hæc enim *non transit à viro suo*, cùm desierit habere virum: sed loquitur de *non repudiata*. Colligitur ex ratione coniuncta: nam dicit, *non licet apostatare à Deo, & transire ad cultũ aliorum Deorum:* hoc enim idcircò non licet, quia Deus nos à suo cultu non repellit.

DVBIVM II.

Vtrùm Gentibus fuerit tunc temporis permissum repudium?

90 Repudium Gentium. Respondeo: Valdè credibile est Gẽtibus fuisse permissum repudiũ, præsertim ex quo tempore id Iudæis permissum fuit. Iudæis autem fortasse id cæptum concedi, quando Deus præcepit Abrahæ repudiũ Agar, Gen. 21. Videtur hic vsus inter Gentes fuisse satis frequens, vt patet ex historia Esther c. 1. vbi Assuerus Rex Persarum atque Medorum repudiauit Reginam Vasthi. Apud Romanos vsque ad annum quingẽtesimum vigesimum vrbis cõditæ nullum interceßit repudium inter virũ & vxorẽ, teste Valerio Maximo lib. 2. de Viris Illustribus. Primus autem fuit Spurius Carbilius qui vxorẽ sterilitatis causâ repudiauit; qui tamen ideò reprehensione non caruit, vt idem Valerius ait. Aristoteles 7. Polyticorum docet indecnes esse vt vir vxorem etiam sterilem dimittat. Quod signum est, id esse aliquo modo contra naturę legem, neque sine dispensatione Dei licitum. Repudium Romanorum.

Petes: Quæ fuerint olim causæ repudij?

91 Causæ repudij. Respondeo: Quidam Rabbini putant solum adulterium fuisse causam iustam repudij. Sed contrà: Quamuis apud alias gentes adulterium vxoris fuerit legitima causa; tamen apud Iudæos non videtur fuisse hæc causa vsitata. Nam si adulteriũ mulieris erat publicum, ipsa lapidabatur, vt præcipitur Leuitici 20. v. 10. Si autẽ occultum erat, sed viro suspectum, cogebatur bibere aquas Zelotypiæ, Numerorum 5. Alij dicunt causam fuisse sterilitatem, veneficium, lepram, & mores incorrigibiles: quæ sententia videtur vera.

DVBIVM III.

Vtrùm adhuc apud Iudæos & Gentiles repudium sit permissum?

92 Negatur. Respondeo: Neque apud Iudæos, neque apud Gentiles nunc permissum esse repudium: & si fiat, non solui vinculum Matrimonij. Ratio est;

quia hæc dispensatio, sicut & Polygamiæ, per legem Euangelicam est sublata, quando Dominus Matth. 19. matrimonia reuocauit ad primæuam institutionem, iuxta quam vnus vni inseparabiliter adhærere debet. Hinc Iudæus, vel Gentilis habens plures vxores, si ad fidem conuersus fuerit, compellitur, cæteris dimissis, dumtaxat primã retinere, etsi fortè illam repudiasset, modò ipsa simul conuerti velit: vt definit Innocentius III. Cap. *Gaudemus*, De diuortijs.

DVBIVM IV.

Vtrùm in noua lege Matrimonium Infidelium possit dissolui, si alter conuertatur ad fidem, altero nolente conuerti?

93 Ius dissoluendi hoc matrimonium est à Christo.

REspondeo: Matrimonium Infidelium in eo casu posse dissolui, quamuis sit consummatum. Probatur Primò: 1. ad Cor. 7. v. 15. *Si infidelis discedit, discedat; non enim seruituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi:* vbi omnes Interpretes id docent. Probatur Secundò: Ex Cap. *Quanto*, & Cap. *Gaudemus*, de Diuortijs, & Cap. *Si infidelis* 28. quæst. 2.

Vbi notandum: Hoc ipso quo alter conuersus est ad fidem, si altera nolit conuerti, habet conuersus à Christo ius dissoluendi matrimonium, vt patet ex verbis Apostoli, cùm ait; *Nam cæteris ego dico, non Dominus: Si quis frater vxorem habet infidelẽ, & hæc cum illo habitare consentit, non dimittat illam.* Non ergo Dominus præcipit, *vt non dimittatur*, ac proinde Dominus *permittit vt dimittatur.* Idem patet ex Augustino lib. 1. *de Adulterinis coniugijs* c. 13. vbi in fine sic ait: *Non enim propter vinculum cum talibus coniugale seruandum, sed vt acquirantur Christo, recedi ab infidelibus coniugibus Apostolus vetat.* Vbi nota, illud; *Vinculum coniugale.*

Dissoluitur vinculum.

Hinc colligitur nõ esse verũ, quod docet Sotus d. 39. q. vnica, a. 4. & D. Tho. in Addit. q. 59. a. 5. *Si vir infidelis cõsentit habitare cum vxore fideli sine iniuria fidei, posse quidem dimitti quoad torum & cohabitationem, non tamen quoad vinculum.* nam Apostolus loquitur de *solutione vinculi*, vt explicat Augustinus loco citato. Hortatur tamen Apostolus, *Vt fidelis non dimittat infidelem, si consentit cohabitare sine iniuria fidei*, nempe quia spes est eius conuertendi. Similiter suadet, *vt vxor fidelis nõ dimittat virum infidelẽ*; tum quia spes est conuersionis eius, tum quia alioquì *filij ipsorum immundi essent*, id est, instruerẽtur in infidelitate; nam in repudio sequerentur patrem. Theodoretus tamen pũtat esse præceptum Apostolicũ. Sed verius est esse solùm consilium, vt Augustinus insinuat: quia non vult Apostolus eos priuare iure, quod Dominus concesit, sed monet vt in casu prædicto non vtantur.

94 Soluuntur obiectiones ex Matth. 19.

Dices Primò: Matth. 19. v. 6. Christus ait, *Quod Deus coniunxit, homo non separet*: ergo, cum matrimonia infidelium legitima, à Deo iuncta censeantur, non possunt dirimi.

Respondeo: Non dirimi ab homine, sed à Deo, cuius interpres est Apostolus: id enim Dominus in fauorem fidei concesit.

Dices Secundò: Dominus ibidẽ solũ permittit vxorem dimitti causa fornicationis: ergo non ob infidelitatẽ. Confirmatur: quia non potest dimitti ob hæresim vel apostasiam, sic vt vinculum soluatur: ergo neque potest dimitti, quia non vult conuerti.

Respondeo: Dominum ibi loqui de matrimonio pari, id est, quod inter eos, qui paris sunt conditionis seu religionis, constat; quale est matrimonium inter coniuges fideles, & inter coniuges infideles: vt docet D. August. lib. 1. *de Adulterinis cõiugijs* c. 13. quod etiam satis insinuat Apostolus 1. ad Cor. 7. v. 10. 12. 13. Ad cõfirmationem: Respondeo, esse disparem rationem: nam matrimoniũ contractum à Christianis, est Sacramentũ; ac proinde omnino insolubile post consummationẽm; vnde ob hæresim vel apostasiam solui nequit: matrimonium verò infidelium non est Sacramentũ; quare non habet tantam firmitatem.

Aduerte: In Hispania vbi Conc. Toletanũ IV. id vetuit, & Romæ vbi idem decretum est receptum, non posse manere coniugem fidelem cum coniuge infideli, etiamsi iste sine iniuria fidei cõsentiat habitare. In Indijs tamen & alijs locis vbi hoc decretum non est receptum, licitum est vti consilio Apostoli, & simul habitare sine iniuria fidei. 95 Mos Hispaniæ.

Petes: Cui assignandi sint liberi in tali diuortio? Cuinam assignandę proles in tali diuortio.

Respondeo: Si habeant vsum rationis, relinquendi sunt suo arbitrio. Si verò careant vsu rationis, assignandi sunt cõuerso, idque in fauorem fidei, vt patet ex Concilio Toletano IV.

DVBIVM V.

Quando hoc Matrimonium soluatur?

96 Soluitur per nouum matrimonium vel professionem.

REspondeo: Hoc matrimonium tunc solui, quando fidelis cõtrahit cum alio, relicto infideli: vel quando in probata religione profitetur; professio enim in hac causa æquiualet matrimonio, vt vsus Ecclesiæ docet. Non tamen soluitur, si infidelis cõtrahat ante fidelem. Et ratio est; quia infidelis non habet ius contrahendi cũ alio; tenetur enim conuerti & manere cum priori cõiuge. Quòd si non cõuertatur, iniuriam irrogat priori matrimonio, præbens iniustè causam eius dissoluendi. Postquã tamen fidelis cùm alio cõtraxerit, iam solutum est matrimonium prius; & sic etiam infidelis licitè potest contrahere; quod est contra Dom. Soto dist. 39. art. 4. q. vnica. Ratio est; quia Ecclesia nõ potest prohibere infideli ne cõtrahat, cùm eius legibus non sit subiectus: neque iure diuino prohibetur, cùm vinculũ prioris matrimonij per secundas nuptias fidelis, sit solutum.

97 Non soluitur per sacros Ordines.

Quòd si fidelis nec cõtrahat secundò, nec religionem approbatam profiteatur, sed sacris Ordinibus initietur; non potest infidelis matrimonium inire, etiamsi conuertatur postcà. Ratio est, quia vinculum prius non est solutum. Sed neque potest ad priorem coniugem redire; quia hic legitimè sacris Ordinibus est initiatus. Vnde sibi imputare debet quòd cogatur manere cælebs. Ita Sotus suprà, & alij.

Ratio autem cur non æquè tale matrimonium soluatur per Ordines sacros, quàm per professionẽ in Religione approbata, est; quia susceptio Ordinum non est mors ciuilis, sicut professio Religionis: neque ita matrimonium pugnat cum statu Sacerdotali, sicut cum monachatu. Nam vsus matrimonij est contra essentiam religiosæ professionis, non est autem contra essentiam status Sacerdotalis.

DVBIVM

DVBIVM VI.

Vtrùm matrimonium fidelium nondum consummatum, aliquando solui possit?

98 Sententia affirmans est de fide.

REspondeo & Dico Primò: Matrimonium fidelium nondum consummatũ solui potest per professionem alterius coniugis in Religione approbata, quamuis alter repugnet. Est fide tenẽdum. Patet ex Concil. Trid. sess. 24. can. 6. *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius coniugum nõ dirimi, anathema sit.* Est contra hæreticos huius temporis, & Erasmum, qui in Paraphrasi cap. 7. 1. ad Corinth. contrarium insinuat.

Canones.

Probatur Primò: Ex multis Canonibus antiquis. Cap. *Ex publico.* Cap. *Ex parte tua*, Alexandri III. Et Cap. *Verum*, Innocentij III. *de Conuersione coniugatorum.* & Cap. *Desponsatam* 27. q. 2. Eusebij, quibus locis id apertissimè definitur.

Exempla Sanctorũ.

Probatur Secundò: Exemplis Sanctorum, qui ante matrimonij consummationem coniuges seu sponsos suos reliquerunt, statum Religionis amplectentes. Sic fecit Thecla hortatu B. Pauli, teste Epiphanio hæresi 78. Sic Macharius teste Hieronymo in eius vita. Sic Alexius teste Simeone Metaphraste. Sic duo milites prope Treuiros, lectâ vitâ B. Antonij, relictis sponsis suis ingressi sunt monasterium, teste D. Augustino lib. 8. Confess. cap. 6. Sic plures alij.

Ratio congruentiæ.

Congruẽtia esse potest Primò: Quia sicut vinculum matrimonij consummati, eò quòd sit carnale, soluitur per mortem naturalem; ita par erat, vt vinculum matrimonij rati, necdũ consummati, cùm sit spiritale, vtpote solo consensu nascens, solui possit per mortem ciuilẽ; atqui professio Religionis est mors ciuilis; nam per illam amisit homo omnia iura ciuilia. Ita Durandus dist. 27. q. 2. Secundò: Nam rationi consentaneum est, vt liceat ad statum perfectionis transire, quando id sine vlla alterius iniuria fieri potest: atqui in matrimonio rato, necdum consummato, id fieri potest sine cuiusquam iniuria: ergo &c.

99 Soluuntur obiectiones.

Dices Primò: Hoc matrimonium est verum Sacramentũ, significans Christi & Ecclesiæ vnionem: ergo est omnino insolubile. Patet consequẽtia: quia D. Augustinus passim hanc rationem insolubilitatis adferre solet.

Duo requisita vt matrimonium sit omnino insolubile.

Respondeo: Quãdo matrimonium dicitur esse omnino insolubile, eò quòd sit Sacramentum, intelligendum est de matrimonio consummato; hoc enim, dum Sacramentum est, nullo casu solui potest, nisi per mortem naturalem; vt infrà. Itaque vt omnimodò sit insolubile, duo requiruntur. Primum, Vt sit *Consummatum.* Secundum, Vt sit *Sacramentum.* Quòd si non sit consummatũ, potest solui per statum perfectionis, & fortassis etiã alio modo. Si autem non sit Sacramentũ, potest solui causa Religionis, quamuis sit consummatum.

Dices Secundò: Coniux post contractum non habet ampliùs sui corporis potestatem: ergo non potest illud alio transferre contra coniugis voluntatem.

Respondeo: Per contractum traditur potestas corporis vltrò citroque, saluo iure diuinitus concesso, vel saltẽ dispensatione Apostolica; quo post initum coniugium, ante consummationem, potest vterque statum perfectionis eligere.

DVBIVM VII.

Quo Iure matrimonium ratum soluatur per professionem?

100 Soluitur Iure Ecclesiastico.

REspondeo: Omissis sentẽtijs, probabilius videri non solui Iure naturali, vel Iure diuino positiuo, sed Apostolico seu Ecclesiastico. Ita Michaël Medina lib. 4. *De continentia sacrorum hominũ* c. 41. & 43. & alijs locis eiusdem Operis.

Probatur Primò: Quia si Iure naturali, vel diuino id fieret, etiam solueretur hoc matrimonium professione Religionis nõ approbatæ: quod tamẽ falsum esse patet tum ex vsu Ecclesiæ, tum ex cõmuni Doctorum sententia. Maior probatur: quia Religio approbata, & non approbata nõ differunt Iure diuino, vel naturali: ergo quod Iure diuino vel naturali operatur Religio approbata, etiam operatur non approbata.

Probatur Secundò: Professio Religionis soluit matrimoniũ ratum, quatenus est professio solemnis; vt omnes fatentur: atqui solemnitas professionis est ex constitutione Ecclesiæ; vt patet ex Bonifacio VIII. Capitulo vnico *De voto & voti redditione*, n. 6. & ex constitutione Gregorij XIII. quæ incipit, *Ascendẽte Domino*: ergo, quòd professio soluat matrimonium, est ex constitutione Ecclesiæ.

Olim etiã soluebatur matrimonium per professionẽ Religionis non approbatæ.

Probatur Tertiò: Ius naturale & diuinum non possunt per Ecclesiam mutari: atqui Ius illud, quo professio Religionis irritat matrimoniũ, est mutatum per Ecclesiam: ergo nõ est Ius naturale vel diuinũ. Minor probatur; quia Ecclesia constituit, vt sola professio Religionis approbatæ matrimonium irritet, cùm tamẽ olim etiam professio Religionis non approbatæ irritarit. Nam approbatio illa primùm cæpit esse necessaria circa annum Domini millesimum ducentesimum decimum quintum, quando magnum Concilium Lateranense statuit, vt nulla Religio institueretur, nisi cum Sedis Apostolicæ approbatione; vt patet Capitulo *Nimia*, de Religiosis domibus: & tamen anteà professio soluebat matrimonium; vt patet ex Capitulo *Verum*, de Conuersione coniugatorum, & ex exemplis allatis.

Aduertendum autem, hoc Ius esse valdè antiquum, & videri ex Apostolica traditione descendere. Nam non inuenitur eius auctor. Nonnulla tamen in eo facta est variatio; vt dictum est.

DVBIVM VIII.

Vtrùm matrimonium ratũ possit in aliquo alio casu solui per Ecclesiæ dispensationem?

101 Posse, vetior sententia est.

REpondeo: Posse, modo legitima causa subsit, quidquid dicat Sotus, & multi alij.

Probatur Primo: Quia est communis sententia Canonistarum; vt docet Nauar. c. 22. n. 21. Idem tenet Caietanus Opusc. 28. Siluester V. *Diuortium* q. 4. & plerique Doctores hac tempestate: quamuis ante annos LX. communior sententia Theologorum fuerit contraria.

Probatur Secundò: Quia Pontifices sæpè ob causas grauissimas in eo dispensarunt; vt referunt Antoninus 3. parte tit. 1. c. 21. §. 3. de Martino V. & Eugenio IV. & Nauarrus suprà de Paulo III. & Pio IV. Non est autem credibile in re tanti momenti eos erasse: saltem nemo id nisi temerè dixerit.

Probatur Tertiò: Quia in alijs quibuſdam caſibus Iuris diuini Pontifices poſſunt diſpenſare, vt in iuramentis, & votis, etiam ſolemnibus; quæ tamen ſolemnia vota non minùs videntur hominem obligare, quàm matrimonium non conſummatum; cuius ſignum eſt, quòd huiuſmodi vota matrimonium ſoluant.

Probatur Quartò: Hæc poteſtas erat valdè expediens Eccleſię ad conſulendum ſaluti animarũ, & occurrendũ grauiſſimis ſcandalis, quę naſcerentur, ſi talia matrimonia nunquam ſolui poſſent.

DVBIVM IX.

Quantũ temporis conceſſum eſt coniugibus poſt contractum, vt poſſint ingredi Religionem?

102 Semper ante conſummationem licet ingredi religionem.

QVidam dicunt ſolùm duos menſes concedi. Sed dicendum eſt, eos ſemper poſſe ingredi Religionem, quamdiu matrimonium non eſt cõſummatum. Patet ex Cap. *Verum*, de Conuerſione cõiugatorum. & Cap. *Deſponſatam* 27.q.2. quibus locis nullũ tempus determinatur. Nec obſtat Capitulum *Ex publico*, de Conuerſione coniugatorũ: nam ſolùm iubet Pontifex, vt Epiſcopus, ad quem cauſa delata erat, compellat coniugem volentem intrare Religionem, vt intra duos menſes vel Religionem ingrediatur, vel debitum viro reddat; vnde illi duo menſes numerandi ſunt à tempore ſententię Iudicis, non à tempore contractus. Hinc rectè colligunt Doctores, coniugem deliberantem de ingreſſu, habere ius negandi debitum per duos menſes à contractu.

Quid ſi inuitam opprimat maritus?

Petes: Quid ſi maritus vi opprimat vxorẽ volentem ingredi Religionem, poteritne ingredi?

Reſpondeo: Valdè probabile eſt non poſſe. Ratio eſt; quia matrimonium iam eſt cõſummatum. Docet Couar. 2.p.c.7.§.4.n.15. Dices: Ergo priuatur ſuo iure ſine ſua culpa. Reſp. Id mirũ non eſſe, cùm in ſimilibus rebus id ſæpè accidat; vt in iure ad Ordines, ad beneficia, & ad matrimonium.

Aduerte tamen, contrarium quoque probabile eſſe; ſcilicet vxorem poſſe Religionem capeſſere: quod tenent multi recentiores. Tunc tamen maritus debet viuere cælebs; quia, cùm matrimonium fuerit conſummatum, non ſoluitur vinculum. Ita Henriches lib.1. *de Matrimonio*, c.8. qui citat multos recentiores, & antiquos Canoniſtas.

DVBIVM X.

Vtrùm matrimonium fidelium conſummatum poſſit aliquo modo ſolui quoad vinculum, ſic, vt vtrique liceat aliud inire?

103 Lutherus aſſerit.

LVtherus docuit poſſe ſolui ob quaſuis cauſas, ob quas alter alteri diſplicet; vel non ita cõmodum præbet; vt ob hæreſim, ob crebras rixas, ob diuturnã abſentiam, ob ſuaſionẽ peccati, &c. Vnde ipſius ſententiã facilius poſſunt ſolui matrimonia, quàm alij contractus, vt notauit Ruardus art.18. Caluinus, & alij volunt ſolui, ſaltem cauſa fornicationis. In quam ſententiã propendet Caietanus in cap.19. Matth. & Catarinus lib.5. contra Caietanum, decepti Paraphraſi Eraſmi, qui etiam huic ſententiæ fauet.

Aſſertio fidei eſt negans.

Sed fide tenendum eſt, hoc vinculum nullo caſu, præterquam morte, ſolui poſſe. Eſt definitum à Concilio Tridentino ſeſſ.24. can.6.& 7.

Probatur Primò: Ex Script. Marci 10.v.11. Dominus ſeorſim explicans Apoſtolis, quæ dixerat Phariſęis, ait: *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam & aliam duxerit, adulterium cõmittit ſuper eã; & ſi vxor dimiſerit virũ ſuũ, & alij nupſerit, mœchatur.* Et Lucę 16.v.18. *Omnis qui dimittit vxorẽ ſuã, & alterã ducit, mœchatur; & qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur.* His locis vniuersè pronuntiat Dominus, eſſe adulterũ, qui priore dimiſſa aliã duxerit: ergo non ſoluitur vinculũ prioris matrimonij per dimiſſionẽ. Vide D. Auguſt. lib.1. *de Adulterinis coniugijs* cap.9. vbi grauiter reprehendit eos qui has Scripturas tam euidentes non intelligunt vniuerſaliter. Marci 10. Lucæ 16.

Neque exceptio illa, quæ eſt apud Matth. c.5. & 19. (*niſi ob fornicationem*) pugnat cum his propoſitionibus Scripturæ tam vniuerſalibus: nã ſolùm reſpicit illam partẽ, *qui dimiſerit vxorẽ ſuam:* voluit enim Matthęus explicare cauſam, ob quam *liceret dimittere*, nõ verò ob quam *liceret aliam ducere*. Capite 5. ſic dicitur, *Omnis qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eã mœchari; & qui dimiſſam ducit, adulterat*; qui locus difficultatem non habet: *qui enim vxorem ſuam dimittit extra cauſam fornicationis, facit eam mœchari*; id eſt, eſt illi auctor vt adulterių committat cum alio viro, vnde eius adulterium ipſi imputatur. Si tamen ob cauſam fornicationis ipſam dimittat, iam non facit eam mœchari, ſed mœchantem dimittit, vt inquit Auguſtinus loco citato, nec adulterium eius ipſi imputatur. Capite vero 19. ſic dicitur: *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam (niſi ob fornicationem) & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimiſſam duxerit, mœchatur:* vbi hęc exceptio dupliciter poteſt exponi: Primò, Vt legatur per parentheſim, & ſenſus ſit, *quicumque dimiſerit vxorẽ ſuam (quod non licet niſi ob fornicationem) & aliam duxerit, mœchatur.* Vbi aduerte, ideò exceptionem poſitam eſſe, non poſt illa verba *& aliam duxerit*, ſed ante; vt intelligeremus, ne in hoc quidem caſu licere aliam ducere, quando licitè dimiſſa eſt; nam vir etiam tunc mœchatur, ſi aliã duxerit. Vide Hieronymum in hunc locum. Ita ferè exponunt recentiores. Secundò, Vt illa exceptio non intelligatur exceptiuè, ſed negatiuè; hoc ſenſu: *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam extra cauſam fornicationis, de qua modò non ago, mœchatur.* Ita D. Auguſt. lib.1. *de Adulterinis coniugijs* c.9. Ideò autẽ tunc Dominus nolebat cauſam fornicationis cõprehendi, quòd Phariſęi potuiſſent apud plebem eius orationem tam generalem calumniari. Vide plura apud Maldonatum in c.5.& 19. Matthæi. Explicantur quædã Scripturæ.

Idem probatur 1. ad Cor.7.v.10. *Iis qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, vxorẽ à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptã, aut viro ſuo recõciliari.* Loquitur Apoſtolus de muliere, quæ ob iuſtam cauſam diſceſſit: nam dat ei optionem vt redeat, vel vt non redeat; quod nullo modo poſſet, niſi ob iuſtã cauſam diuortiũ fuiſſet. Iubet tamen eam manere innuptã, ſi nolit reconciliari: vnde euidens eſt, vinculum nõ eſſe ſolutũ. Idem eodem capite. v. 39. *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius viuit.* Et ad Roman.7. v.3. *Viuente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro. Hæc verba*, inquit Auguſtinus lib.2. de Adulterinis coniugijs c.4. *toties repetita, vera ſunt, viua ſunt, ſana ſunt, plana ſunt.* 1. Corin. 7.

Probatur Secundò: Ex Concilijs. Vide Canonem 48. Apoſtolorum, vbi iubetur excommunicari qui dimiſſa vxore aliam duxerit: & Canonem 9. Conc. Elibertini. Vide etiam Concil. Mileuitanum c.17. *Placuit, vt ſecundùm Euangelicam & Apoſtolicam* Concilia.

postolicam disciplinam, neque dimissus ab vxore, neque dimissa à marito alteri coniungantur, sed ita maneant aut sibimet reconcilientur. Idem definitur in Concil. Foroiulien. c. 10. & ab Innocentio I. epist. 3. c. 6. Ab Innocentio III. Cap. *Gaudemus*, de Diuortijs. Denique à Cõcilio Florentino & Tridentino. Vt valdè mirum sit Catarinum & Caietanum hac de re dubitare potuisse.

105 Patres. Probatur Tertiò: Ex Patribus. Iustinus Martyr Apologia pro Christianis ad Antoninum Imperatorem, ponit inter dogmata Christianæ religionis, *Adulterum esse si quis dimissam ab alio duxerit.* Origenes Tract. 7. in Matthæum, dicit esse contra Scripturam, *Dimissam alterius ducere.* Ambrosius in cap. 16. Lucæ in illa verba, *Qui dimittit vxorem*, multa scribit in hanc sententiam. Similiter Hieronymus de obitu Fabiolæ. Item epistolâ ad Amandum, & in cap. 19. Matthæi. D. Augustinus libris duobus ad Polentium *de Adulterinis coniugijs*, qui erat in eo errore, ex professo id demonstrat, & in lib. *de Bono coniugali.* Deinde Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus & Oecumenius. Anselmus quoque & alij in cap. 5. vel 19. Matthæi, & in cap. 7. prioris ad Corinthios. Quibus adde Magistrũ cum Doctoribus dist. 35.

106 Triplex ratio. Probatur Quartò: Ratione. Prima ratio est: Si ob fornicationem posset solui vinculum matrimonij consummati, melior esset conditio mulieris fornicariæ, & ob suam fornicationem dimissę, quàm mulieris honestæ dimissæ sine sua culpa; quod est contra omnem æquitatem, & sapientissimam Christianæ legis dispositionem. Secunda ratio: Si vinculum sic posset solui, aperiretur aditus infinitis repudijs; nam coniuges sæpè fornicarentur vt matrimonium posset solui, & sic magnum commodum ex fornicatione reportarent: quod ne fieret, lex vetus non volebat fieri repudium ob fornicationem vxoris, sed fornicariam iubebat lapidari: multò ergo minùs id permitti debuit in lege noua. Sæpè etiam alter alteri calumniam fornicationis strueret, quando vellet separari. Has & similes occasiones oportuit per legem nouã vitari. Tertia ratio: Dominus Matth. 19. coniugium ad primæuam institutionem reuocauit, cui repugnat solutio vinculi. Vnde prorsus repugnat cum intentione Domini, dicere *illum excepisse fornicationẽ* quasi propter illam vinculum possit solui.

107 1. Obiectio ex Canone *Concubuisti.* Dices Primò: Canone *Contubuisti* 32. quæst. 7. dicitur, eum, qui cum vxoris sorore dormierit, neutram habere posse; ipsius tamen vxorem posse nubere, cui voluerit.

Respondeo: Iuxta Glossam, loquitur Pontifex de coniugio, quod parti innocẽti post mortẽ coniugis conceditur; quod tamen non conceditur ei, qui peccauit; quamuis vxori sit superstes. Eodem modo intelligẽdus est Canon qui incipit, *Quædam*, eâdem quæstione.

2. Obiectio ex Ambrosio. Dices Secundò: Ambrosius in cap. 7. prioris ad Corinth. ait Apostolum non dicere de viro, si dimiserit vxorem, maneat celebs, vel reconcilietur vxori, sicut de vxore dimissa dixerat: *Quia*, inquit, *viro licet aliam vxorem ducere, vxori non licet nubere alteri viro.*

Respondeo cum Magistro dist. 35. ex Gratiano 32. q. 7. illa verba fuisse ab aliquo falsario addita, vel certè parum interesse quid iste auctor senserit, cùm constet non esse Ambrosij opus; de cuius sententia satis cõstat tum ex Commentario in c. 16. Lucæ, vbi docet *Virum mœchari, si dimissa vxore aliã duxerit:* tum ex lib. 1. *de Abraham* cap. 4. vbi docet *Pari iure coniugibus concedi diuortiũ*; quod est aperte contra hanc sententiam.

DVBIVM XI.

Vtrùm possit aliquando fieri diuortium quoad torum, & cohabitationem, inter coniuges?

108 Respondeo & Dico Primò: Aliquando posse fieri diuortium quo ad torum & cohabitationem, idque vel ad tempus, vel in perpetuum, ob varias causas. Definitur in Concilio Tridentino sess. 24. can. 8.

Dico Secundò: Hoc diuortium fieri posse dupliciter. Primò: Vtriusque consensu: vt si vterque ingrediatur Religionem, vel certè si vxore Religionem ingrediente, vir ordinetur. Secundò: Sine consensu alterius: sic coniux innocens potest dimittere alterum ob eius crimen.

Crimen, ob quod hoc liceat, est multiplex. Dico Tertiò: Hoc crimen, ob quod diuortium fieri potest, est multiplex. Primum est, Fornicatio seu adulterium coniugis, Matthæi 5. & 19. Vbi Aduerte Primò: Sub *fornicatione* omnem illicitũ coitum contineri; vt patet Canone *Meretrices*, 32. q. 4. & Can. *Non solùm*, q. 7. eadem causa. Vnde ob Sodomiam fieri potest diuortium, vt communiter Doctores docẽt dist. 36. & Siluester V. *Diuortium*, q. 7. idque non solùm si coniux cum alio tale crimen commiserit, sed etiam si ipsam coniugem, tali modo, renitentem cognouerit. Vide Couar. 2. p. cap. 7. §. 5.

Aduerte Secundò: Caietanum in c. 19. Matth. putare, solùm permitti, vt vir vxorem fornicantẽ, non autem vt vxor virum fornicantem dimittat. Sed contraria sententia est omnino certa, & communis: patet ex Apost. 1. ad Cor. 7. v. 11. qui, sicut ait, *Vir vxorem non dimittat*, scilicet nisi ob iustam causam; sic etiam dicit, *Vxor à viro non discedat*, hoc est, virum non dimittat: non enim vxor solet virum expellere domo, sed ab eo recedere. Itẽ sicut dixit, *Vxor non habet potestatem sui corporis, sed vir*; ita etiam dicit, *Vir non habet potestatem sui corporis, sed vxor:* ergo in causa diuortij par est vtriusque potestas. Idem patet ex Can. 17. Conc. Mileuitani. Et ex D. August. lib. 1. de Adulterinis coniugijs c. 8. Et Innocentio III. Cap. *Gaudemus*, de Diuortijs.

In diuortio par est vtriusque coniugis potestas.

109 Secundum crimen ob quod dimitti potest, est hæresis, vel Apostasia, iuxta illud Apostoli ad Titum 3. v. 10. *Hæreticum hominẽ post vnam & secundã correptionem deuita.* Non potest tamen ob hæresim cõiugis fieri diuortium perpetuũ, nisi vel iudicio Ecclesiæ separentur, vel certè coniux sit hæreseos condemnatus, quæ condemnatio implicitè pœnã diuortij continet: Colligitur ex Cap. *De illa*, de Diuortijs, & Cap. *Mulier*, de Conuersione coniugatorum. Nec obstat Cap. *Quanto*, de Diuortijs, in fine, vbi insinuatur coniugẽ ab hæresi conuersum debere ab altero recipi: quia intelligi potest de eo, qui non fuit condemnatus hæreseos.

Tertium est: Si coniux conetur alterum pertinaciter in aliquod peccatũ pertrahere; iuxta illud, *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum & proyce abs te*, in quem locum vide Hieronymum.

Quartum est: Si alter alteri graue malum corporis machinetur: vt si vxor sit venefica, vel contrà: si maritus in vxorem sæuitiam exerceat.

Quintò: Recensentur multa alia crimina in lege *Consensu* Codice *de Repudijs*, ob quæ intercedente iudicio Ecclesiastico potest fieri diuortium.

Dices: Quomodo ergo Dominus excepit solam *Fornicationem*, ob quã licet vxores dimittere?

Differentia inter fornicationẽ, & alia crimina, quoad diuortium.

Respondeo: Quia *Fornicatio* opponitur fidei coniugali; vnde ipsa est propria causa diuortij. Deinde fornicatio talis est, vt si vel semel sit commissa, etsi mox pœniteat, tamen coniux perpetuò dimitti possit; quod in alijs non licet. Vnde etiam in hoc casu coniux innocens potest ingredi Religionem, sicut fecit Paulus simplex; vel initiari sacris, vel manere in cælibatu sæculari.

DVBIVM XII.

Vtrùm coniux innocens teneatur dimittere coniugem fornicantem?

110 Non tenetur absolutè.

REspondeo: Absolutè non teneri coniugem innocentem dimittere coniugem fornicantem. Nam Dominus id non iubet, sed solùm permittit. Ratio est, quia nemo tenetur se priuare re sua, vel suo iure, sine sua culpa.

Tenetur aliquando per accidens.

Fieri tamen potest vt per accidens teneatur innocens à se dimittere nocentem: Primò, Ratione scandali: nam nisi dimiserit, videbitur consentire eius flagitijs. Et iuxta hunc casum explicandi sunt Canones, *Virum teneri relinquere coniugem adulteram*. Secundò, Quando non est spes aliàs coniugẽ corrigendi, nisi per diuortium: tenetur enim eius correctionem optimo modo procurare. Si tamen maritus possit occurrere scandalo, non tenetur illam dimittere, maximè si illi esset magno incõmodo illâ carere, vel ratione rei domesticæ, vel ratione incontinentiæ suæ.

DVBIVM XIII.

Vtrùm facto diuortio, possit innocens sibi reconciliare dimissum?

111 Affirmatur.

REspondeo: Posse; maximè si dimissus se emẽdauerit: vt patet 1. Corinth. 7. vbi Apostolus mulierem, quæ ob iustam causam separata est à viro, iubet manere innuptam, vel viro suo reconciliari: permittit ergo reconciliationem. Ratio est: quia diuortium factum est ad instantiam partis innocentis, vt nimirum eius iuri satisfieret: quisque autem potest cedere iuri suo. Deinde, sententia Ecclesiæ non compellebat innocentem dimittere vxorem, sed permittebat & adiuuabat.

Innocens non tenetur ad reconciliationẽ.

Adde tamen: Partem innocentem non teneri ad reconciliationem, vt colligitur ex Apostolo, qui loquitur sub diuisione, id liberum relinquẽs. Ratio est, quia sententia Ecclesiæ concessit diuortium perpetuum: vnde, facto diuortio, potest innocens ingredi Religionẽ, vel initiari sacris Ordinibus, vel manere in cælibatu sæculari. Coniunx tamen qui dimissus est tenetur reconciliari si innocens velit: quia diuortium factum est in fauorem innocentis. Vnde non potest fieri Sacerdos, nec ingredi Religionem sine facultate vxoris innocentis, vel saltem nisi innocens significauerit se nunquam illi reconciliatum iri.

Potest innocens admittere nõ emendatũ.

Petes: Quid si coniunx dimissus non est emendatus, sed adhuc fornicetur, poteritne reconciliari?

Respondeo: Absolutè posse, si absit scandalũ. Sicut enim innocens non tenebatur illum dimittere, ita dimissum non tenetur perpetuò excludere, sed potest rursus recipere, etiamsi sit incorrigibilis; vt docet Abulensis in cap. 19. Matthæi quæst. 71.

DVBIVM XIV.

Vtrùm facto diuortio, si innocens fornicetur, teneatur coniugem dimissum sibi reconciliare?

112 Absolutè non tenetur.

REspondeo: Absolutè non teneri in foro conscientiæ, antequam à iudice compellatur: nam sententia perpetui diuortij iuridicè data est, vnde iuridicè est irritanda. Ex quadam tamen æquitate videtur teneri cùm dimisso reconciliari; quia iam per suum crimen ius diuortij amisit, & coniunx dimissus acquisiuit ius coniugem repetendi. Vnde, si id postulet à iudice, post sufficientem probationem, alter est compellendus redire ad coniugem dimissum.

DVBIVM XV.

Qaibus casibus fiat illicitum diuortium in causa fornicationis?

113 1. Si putet maritum esse mortuum.

REspondeo: Diuortium in causa fornicationis fieri illicitum in sex casibus. Primus est: Quando vxor putans maritum esse mortuum, alteri iuncta est; vt habetur Canone *Bellica*, 34. q. 2. Ratio est: quia tunc vxor non nisi materialiter fornicatur: quæ fornicatio non tam grauiter puniri debet.

2. Si vi oppressa.

Secundus est: Quando vi est oppressa ab aliquo; vt habetur Canone *Itane*, 32. quæst. 5. Tunc enim non verè fornicatur; nam non peccat. Si tamen fuerit solùm metu etiam graui compulsa, non excusatur: quia est verum adulterium. Patet ex Canone *Omnes causationes*, 32. qu. 7.

3. Si per fraudem decepta.

Tertius est: Quando per fraudem decepta est ab aliquo, putans eum esse suum maritum. Patet, quia non est fornicatio nisi materialiter: Can. *Si virgo*, 34. qu. 3.

4. Si vterque fornicatus.

Quartus est: Quando vterque coniunx est fornicatus. Nam paria delicta mutuâ compensatione soluuntur. Patet ex Cap. *Significasti*, de Diuortijs.

5. Si alter in adulterium consensit.

Quintus est: Quando alter consensit in adulterium alterius: vt patet Capitulo *Discretionem*, de eo qui cognouit consanguineã vxoris. Ad hoc tamen non sufficit vt vir vxorem domo expulerit, & eam alere noluerit, nisi id eo fine fecerit, vt adulterium committeret: vt patet Capitulo *Significasti*, & Cap. *Ex litteris*, de Diuortijs.

6. Si innocens sibi alterum reconciliauit.

Sextus est: Quando innocens reconciliauit sibi alterum: quod fit, vel expresè condonando, vel petendo reddendoque sponte debitum, postquam sciuit alterius flagitium: vt patet Canone *Si quis*, & Canone *Quod autem*, 32. q. 5. Si enim nesciat, vel coactè reddat debitum, non amittit ius diuortij.

DVBIVM XVI.

Quando studio maioris perfectionis fit diuortium, quidnam secundùm Iura obseruari debeat?

114 Si vxor Religionẽ ingrediatur.

REspondeo, & Dico Primò: Quando vxor ingreditur Religionem, necesse est virum similiter ingredi, vel suscipere sacros Ordines; vel certè

certè esse in ea ætate vt non sit periculum incontinentiæ, id est, circiter sexaginta annorum: vt patet ex Cap. *Cum his.* & Cap. *Ad Apostolicam*, De conuersione coniugatorum. Similiter si vir ingrediatur Religionem, vel sacros Ordines suscipiat, necesse est etiam vxorem ingredi Religionem; vel vt sit prouectæ ætatis. Hoc autem diuortium fieri non potest sine auctoritate Episcopi.

Si sine cõsensu coniugis profiteatur.

Dico Secundò: Si alter coniunx sine alterius consensu profiteatur, professio est irritãda, & reddendus est coniugi. Non potest autem talis liberè petere debitum: tenetur tamen reddere vxore petẽte. Mortua autẽ vxore tenetur seruare castitatẽ; non tamen tenetur ingredi Religionem; quia respectu Religionis votum fuit irritatum, nõ autem respectu castitatis, nisi quatenus vxori præiudicabat, videlicet quo ad redditionem debiti, non autem quo ad petionem.

Si vxor manet in sæculo.

Dico Tertiò: Si vir ingrediatur Religionem consentiente vxore, sed manente in sæculo, si quidem ipsa consensit, quia ignorabat Iura, putans se posse manere solutam in sæculo, professio viri est irritanda: vnde restituendus est coniugi, nisi coniux ante moriatur. Quòd si ipsa sciuit Ius, cogenda est etiam ingredi Religionem, nisi protestata fuerit cũ consentiret, se nolle fieri religiosam.

Si aliter consensum reuocet.

Dico Quartò: Si coniux coniugi facultatem dedit Religionis ingrediendæ, & eam reuocet ante professionem, peccat quidem si sine iusta causa id faciat, alter tamen non potest profiteri. Vide Dominicum Soto dist. 27. qu. 1. art. 4. & Nauarrum cap. 12. nu. 60.

CAPVT VI.

De fide & prole.

DVBIVM I.

Vtrùm Coniuges teneantur sibi mutuo debitum reddere?

115 Affirmatur.

REspondeo: Tenentur coniuges sibi mutuo debitum reddere, & quidem pari iure, idque sub peccato mortifero. Est certa: Apostolus 1. ad Corinth. 7. v. 3. *Vir*, inquit, *vxori debitum reddat: similiter & vxor viro*. Vbi nota verbum *Debitum*, quod obligationem iustitiæ insinuat. Confirmatur: Quia ita debetur, sicut domino debetur vsus rei suæ. Quare cùm sit in re graui, erit peccatum mortiferum contra iustitiam, si negetur.

Dico, *Pari iure*, quia etsi in administranda familia non sit par ius vtriusque, sed vir sit caput mulieris; in liberorum tamen procreatione est æquale: quia hîc vxor nõ est inferior, sed socia; vnde ex costa procreata est, non ex capite, vel pedibus. Confirmatur ex Apostolo, qui eodem modo loquitur de vxore atque de viro.

Negans debitum peccat.

Hinc sequitur semper peccare coniugẽ negantem, quoties alter petit tanquam debitum, nisi iusta negandi causa suppetat.

DVBIVM II.

Quænam sint causæ iustæ negandi debitum?

116 1. Periculũ grauis morbi.

REspondeo: Prima iusta causa negandi debitum, est periculum grauis morbi. Nam iure naturæ quisque sibi magis, quàm alteri consulere potest. Hinc Leproso, vel simili lue infecto non tenetur Coniux sanus cum periculo contagij debitum reddere; nempe si vel eius vitium in cõtractu ignorauit, vel si post contractum superuenit. Aduerte tamen, si non sit probabile contagij periculum (quod iudicio Medicorum cognoscitur) teneri coniugem reddere debitum. Sic intellige Capitulum *Quoniam*, de coniugio Leprosorum. Vide Caietanum verbo *Matrimonij peccata.*

2. Periculũ abortus.

Secunda Causa est, periculũ abortus: nam vinculum Matrimonij non adstringit contra matrimonij finem.

3. Sanctitas loci.

Tertia Causa est, Sanctitas loci. Aduerte tamen, si coniuges diu in loco sacro versari cogantur, vt interdũ fit tempore belli, non esse peccatũ ibidem vti matrimonio, nempe si humana fragilitas vrgeat, & alio loco commodo careant. Ita Richardus dist. 32. art. 3. q. 1. Siluester verbo *Cõsecratio* 2. §. 6. Alphonsus Castro lib. 1. de lege pænali cap. 7. documento 2. Sotus dist. 32. art. 3. Couar. 2. parte cap. 7. §. 2. nu. 3. Ratio est; quia tunc non polluitur Ecclesia, cùm non censeatur loco sacro fieri irreuentia, sicut neque dum sanguis licitè effunditur in necessaria sui defensione.

Quando locus sacer nõ polluatur per effusionem seminis vel sanguinis.

Solemnitas festi non sufficit ad negandum debitum, vt colligitur prioris ad Corinth. 7. v. 5. *Nolite fraudare inuicem, nisi ex consensu, vt vacetis orationi:* potest tamen precibus declinare. Petere autem tunc ordinariè est veniale.

Quarta Causa, Fornicatio coniugis, ob quam in perpetuum negari potest: vt suprà dictum est.

117 Menstrua.

Quinta Causa, Menstrua coniugis. Nota: esse duplex genus menstruorum. Quoddam enim est perpetuum, sicut fluxus sanguinis Hæmorrhoissę, quam Dominus tactu fimbriæ curauit Matthæi 9. v. 20. & hoc non impedit quò minùs coniuges possint petere & reddere debitum, vt communiter Doctores docent. Ratio est: Quia non debent perpetuò priuari suo iure ob aliquod incommodum, quod fortè proli eueniret: quamuis probabilius sit nullum incommodũ secuturum, eò quòd proles ex tali non videatur suscipienda. Eadem est ratio si vir patiatur fluxum seminis.

Fluxus perpetuus sanguinis in vxore.

Fluxus seminis in viro.

Aliud autem est Ordinarium, quod suis periodis recurrit, & feminis sanis solet singulis mensibus euenire. Si vxor tunc debitum petat, omniũ sententia peccat, non tamen mortaliter, vt docet valdè benè D. Antoninus 3. p. Summæ tit. 1. c. 20. §. 5. & Paludanus dist. 32. q. 1. Dominicus Soto eadem dist. ar. 2. & Caietanus in Summa, verbo *Matrimonij peccata.* Et ratio est: Quia non est tantum periculum proli, vt experientia docet, vt debeat censeri peccatum mortale. Et confirmatur: Quia leprosi vel infecti morbo gallico si copulentur, multo maius periculum est infectionis proli; & tamen isti coniuges non peccant mortaliter: *Satius enim est prolem sic esse, quàm non esse.* Vxor tamen, si non possit maritum precibus auertere, non peccat reddendo: imò tenetur reddere, vt ijdẽ Auctores docent. Ob eandem causam solùm peccat venialiter maritus, si debitum petat, sciens vxorem menstruis affectam.

Menstruata petens debitum, peccat venialiter.

Non peccat reddendo.

Maritus peccat venialiter petendo.

Dices: Leuitici 20. iubetur interfici mulier menstruata, & qui ad eam accesserit: ergo vterque peccat mortaliter; videlicet, tam reddens debitũ, quàm petens. Et confirmatur: quia Leuit. 18. accedere ad mulierem menstruam patientem, ponitur inter crimina ob quæ gentes illæ Chananeæ

internecione sint deletæ. Vnde videtur etiam esse contra legem naturæ. Quod confirmatur: quia D. Hieronymus in cap. 18. Ezech. dicit ex tali coniunctione nasci claudos & leprosos, & imbecilles: vnde sequitur grauem iniuriam inferri proli. Ob has rationes Scotus dist. 32. putat esse peccatum mortale in menstruis non solùm petere, sed etiam reddere debitum. Sed quod diximus tenendum est, iuxta communem Doctorum sententiam. Vnde

Legaliter erat mortale accedere ad menstruatam.

Respondeo: Legem illam partim fuisse cæremonialem, partim naturalem. Quatenus erat cæremonialis, habebat adiunctam pœnam mortis: sicut & multa alia cæremonialia, quæ tamen Iure naturæ non erant illicita, sicut colligere ligna die Sabbati, retinere fermentatum diebus azymorum, comedere sanguinem. Et hoc modo illo tempore obligabat ad mortale peccatum. Ceterum hæc obligatio in lege noua cessauit, & tamen remansit obligatio naturalis: nam accedere ad menstruatam, indecentiam quandam continet, & proli nonnihil est periculosum. Sed hæc res non est tanti vt inducat peccatum mortale. Nam illa indecentia est parui momenti, & ordinariè non est periculum proli: nam plures nascerentur cum talibus defectibus, quod tamen non videmus & quãuis esset aliquod periculum proli, non tamen ideò esset periculum peccati mortalis, vt iam dictum est, & rectè docet D. Antoninus suprà. Hinc patet responsio ad testimonium Hieronymi.

Naturaliter verò solùm veniale.

Ad Primam Confirmationẽ: Respondeo, præcipua peccata, ob quæ, gentes illæ deletæ sunt, fuisse incestus, adulteria, Sodomiam, bestialitatẽ & idololatriam, qua semen humanũ offerebant idolo. Accedere autem ad menstruatam erat minimum. Ponitur tamen cum illis magnis peccatis, quia tantùm ibi agitur de peccatis carnalibus. Et veniale peccatum adiunctum alijs mortalibus, sæpè est causa punitionis temporalis.

118 Paupertas non excusat.

Paupertas autem, & liberorum multitudo, nõ est sufficiens causa negandi debitum, quidquid dicat Sotus. Ita Siluester verbo *Debitum coniugale*, §. 10. Nauar. cap. 16. nu. 24. & alij. Quia quod ex iustitia debetur, non potest negari ob incommodum, quod proli ex paupertate obueniet.

DVBIVM III.

Vtrùm coniux occultè fornicatus possit petere debitum coniugale?

119 Affirmatur.

REspondeo: Verius est, posse petere tanquam debitum: quod est contra Nauarrum. Ita Caietanus tomo 1. tractatu 29. & Sotus dist. 36. ar. 3. Ratio est, quia per fornicationem non statim ipso facto priuatus est suo iure; sed per coniugem vel iudicem est priuandus: neque verò tenetur sese aperire. Confirmatur exemplo filij, qui commisit crimen in parentem, ob quod potest exhæredari; qui tamen non est exhæres, nisi actu priuetur.

Nõ potest tamen extorquere.

Adde tamen, Non posse maritum tunc per vim debitum extorquere: nam vxor habet ius negandi, etsi ignoret. Vnde si vis ei inferatur, fiet illi iniuria.

DVBIVM IIII.

Vtrùm Maritus possit petere & reddere, dum dubitat de Matrimonij firmitate?

120

REspondeo, & Dico Primò: Si sit quodammodò certus, matrimonium fuisse inualidũ, nec petere potest, nec reddere, etsi aliquam suspicionem in contrarium habeat: quia non habet probabilem rationem qua iudicet hanc suam esse vxorem.

Si quasi certus de inualiditate.

Dico Secundò: Si sit moraliter certus Matrimonium fuisse validum, etsi habeat leues coniecturas in contrarium, non solùm potest reddere, sed etiam petere. Nam leues coniecturæ non faciunt dubium, sed scrupulum. Scrupulus enim est apprehensio inclinans ad iudicandum esse illicitũ ex leuibus coniecturis. Hæc duo dicta habentur Capitulo *Inquisitioni*, de sententia excommunicationis.

Si scrupulũ habeas.

Si bona fide contraxisti, & postea dubites, pete & redde.

Dico Tertiò: Qui bona fide contraxit, si dubium de firmitate matrimonij posteà ei inciderit, tenetur diligentiã inquirendæ veritati adhibere; per quam, si nihil certi inuenerit, manetque adhuc dubius, potest petere & reddere. Ita Sotus lib. 4. de Iustitia qu. 5. art. 4. contra Adrianum. & dist. 37. art. 5. Est communior sententia. Ratio est; quia in dubio, nemo priuandus est suo iure quod possidet; nam *Melior est conditio possidentis*: iuxta regulam Iuris in 6.

Dices: Capitulo *Dominus*, De secundis nuptijs, Lucius III. ait, Eum, qui adhuc dubitat de morte prioris coniugis, non posse debitum petere; teneri tamen postulanti reddere. Et Capitulo *Inquisitioni*, Innocentius III. dicit, *Cùm conscientia pulsat animum ex probabili credulitate, & discreta, quamuis non euidenti, debitum reddere quidem posse, sed petere non debere; ne in alterutrum vel contra legem coniugij, vel contra iudicium conscientiæ committat offensam.*

Respondeo: Omissis varijs sententijs, Lucium III. loqui de eo, qui mala fide contraxit; scilicet nondum habita certitudine coniugis demortuæ, quod etiam testatur Panormitanus: nos verò loquimur de eo, qui bona fide contraxit, cui posteà dubitatio incidit. Innocentius agit quidem de eo, qui bona fide contraxit, sed qui, postquam incidit dubitatio, non præstitit debitam diligentiam in inquirenda veritate; vt Sotus notauit.

121 Si cõtraxisti cum dubio, cõiugi bonæ fidei redde, non pete.

Dico Quartò: Qui contraxit cum dubio, debet coniugi bona fide postulanti reddere debitum; sed non potest petere. Est communis sententia Doctorum, præter Sotum, qui putat in hoc euentu nec petere posse, nec reddere. Sed nostra sententia colligitur ex D. Tho. *in Additionibus*, qu. 55. art. 9. in fine. Bonauenturã dist. 36. in expositione literæ. Ioanne Medina Codice *de Restitutione* qu. 17. Nauarr. cap. 22. nu. 54. & Commentario in Cap. *Si quis*, de Pœnitentia, dist. 7. Couarruuiã 2. parte cap. 7. §. 2. nu. 8. Hi namque auctores loquuntur generatim, & comprehendunt etiam eum qui mala fide contraxit.

Probatur Primò: Ex cap. *Dominus*, de Secundis nuptijs, vbi id expressè habetur. Neque verum est, Pontificem loqui in foro externo, vt Adrianus exposuit: nam quærebatur an tales nuptiæ essent licitæ, & an earum vsus licitus esset? Respondet Pontifex *debere reddere debitum, non petere.* Neque etiam Soti expositio satisfacit, qui vult Capitulum intelligi de eo, qui bona fide contraxit: nam expressè agitur de eo, qui mala fide contraxit, nempe cũ dubio de morte prioris coniugis. Deinde si ageretur de eo, qui bona fide contraxit, falsum esset quod ibi dicitur; nempe, *Non posse petere debitum.*

Probatur

Probatur Secundò: Quod enim teneatur reddere debitum, patet: quia dum quis dubitat an aliquid sit faciendum, & ex altera parte etiam dubitat an non sit maius peccatum hoc omittere, tenetur ad id quod videtur minus malum: vt patet Capitulo *Nerui*, dist. 13. ex Gregorio. Atqui in hoc casu in negando debito est periculum iniuriæ in coniugem, in reddendo est solum periculum fornicationis: minus autem malum est fornicatio, quàm illa iniuria.

Probatur Tertiò: Alter coniux, qui nihil dubitat, habet ius petendi; nam bona fide contraxit, & in ea permanet: ergo alter non potest petenti negare, nisi ipsi constet non esse verum coniugium. Confirmatur: quia ille possidet bona fide ius corporis alterius: ergo alter, nisi constet se nõ esse alterius coniugem, non potest se illi subtrahere: sicut patet exemplo aliarum rerum dominio subiectarum.

Dices: Nemo acquirit ius per malam fidem.

Respondeo: Id verum esse: & propterea coniugem, qui mala fide contraxit, non posse petere debitum; reddere tamen posse & debere: quia reddere non est iuris ipsius, sed alterius qui est in bona fide; nam ob ius, quod alter habet in ipsum, tenetur reddere.

122 Quid, si vterque dubitet?

Ex his etiam patet, quid dicendum, si vterque dubitet. Si enim bona fide contraxerint, & postea dubium obueniat, debent adhibere omnem diligentiam, vt veritatem cognoscant. Quòd si tunc adhuc manserit dubium, possunt reddere & petere. Si mala fide contraxerint, nec petere possunt, nec reddere, donec iusta ratione possint dubium deponere; quod non fiet, nisi aliquo modo moraliter constet de veritate.

DVBIVM V.

An Coniux, qui continentiam vouit, possit petere & reddere?

123 Si vouit absque cõsensu vxoris.

DIco Primò: Si vir sine consensu vxoris continentiam vouerit, tenetur quidem reddere debitum vxori petenti, sed non potest sponte petere. Habetur expresè Capitulo *Quidam*, de Conuersione coniugatorum. Ratio est; quia tenetur seruare votum, quantum in se est; id est, quantum potest sine iniuria & onere coniugis: vnde sponte petere non potest. Si tamen aliquo signo aduerteret vxorem id desiderare, posset petere: quia votum ipsius, in quod illa non consensit, non debet illi esse onerosum.

Si vouit absque cõsensu viri.

Dico Secundò: Si vxor continentiam vouit absque viri consensu, tenetur similiter reddere, sed non potest petere. Ita Capitulo *Placuit*, de Conuersione Coniugatorum. Ratio est eadem.

Nota tamen, Non esse improbabile, coniuges posse irritare hoc votum quoad debiti non petendi obligationem; vt dictum est tractatu de voto: qua sententia in aliquo casu posset quis vti.

Si vouit ex consensu alterius.

Dico Tertiò: Si coniux ex consensu alterius continentiam vouit, non potest petere debitum. Reddere tamẽ debet expresè postulanti, nisi ipse suo consensu renuntiauerit iuri petendi.

Prior pars patet: Quia per hoc quod vir consentit, vt coniux voueat continentiam, non idcirco renuntiat iuri petendi. Vnde, nisi interueniat hæc renuntiatio, non est magna distinctio inter eum, qui vouet cum consensu alterius, & qui sine consensu: nisi quòd is, qui cum consensu vouit, non teneatur reddere nisi coniux expresè petat, alter verò etiam ad indicium teneatur.

Altera Pars Probatur: quia cùm vir renuntiat iuri petendi, potest vxor quæ vouit, recusare debitum; eò quòd ille ius petendi amplius non habeat; ac proinde tenetur recusare. Tenetur enim vxor votum suum seruare quantum potest.

Si vterque vouit communi consensu.

Dico Quartò: Si vterque communi consensu vouit, neuter potest vel petere vel etiam reddere. Ratio est: quia vterque tunc iuri petendi censetur renuntiasse. Vide D. Augustinum epist. 199. ad Edibiam. Si tamen constaret eos non renuntiasse iuri petendi, vterque teneretur petenti reddere, neque reddendo peccaret; quamuis is qui peteret, peccaret. Ratio est, quia per hoc, quod maritus vouit Deo continentiam, non fuit vxor soluta obligatione, qua ipsi erat adstricta; & contrà: vt patet in debito pecuniario.

124 Si vouit castitatem ante matrimonium.

Dico Quintò: Qui ante matrimonium vouit continentiam, non solùm peccat contrahendo, sed etiam quoties sponte petit debitum. Non tamen tenetur ante consummationem ingredi Religionem, vt votum suum seruet.

Prior Pars Probatur: nam qui contrahit, habet animum non seruandi castitatem, quam tamen iste vouit. Petendo quoque debitum re ipsa non seruat, cùm tamen possit & teneatur.

Alteram Partem tenet Sotus dist. 38. quæst. 2. art. 1. Et ante illum Angelus verbo *Matrimonium* 3. Impedimento 5. Etsi plerique contrarium teneant. Ratio est, quia status Religionis est status omnino liber, ad quem nemo qui in eum non cõsensit, est obligandus: atqui hic nullo modo in hunc statum consensit, sed tantummodò in continentiã seruandã in sæculo: sufficit igitur vt seruet votũ suũ, prout potest in statu in quo nunc est. Vnde tenetur hortari coniugem ad continentiã: quod si non persuadet, potest ei petenti debitum reddere. Quamuis non possit liberè petere absque dispensatione, quam dispensationem concedit Episcopus.

Si ante matrimonium vouit ingredi religionem.

Dico Sextò: Qui vouit ingressum Religionis, peccat quidem contrahendo & consummando, eò quòd ante consummationem, causâ voti teneretur, & posset Religionem ingredi; consummato tamen Matrimonio potest non solùm reddere, sed etiam petere debitum. Ratio est: quia consummato matrimonio ingressus Religionis est illi factus impossibilis. Reddere autem & petere debitum non est contra ipsius votum. Hinc patet quantum interfit inter eum, qui vouit continentiam, & qui vouit ingressum Religionis.

Si contrahat cum eo quem scit habere votum.

Dico Septimò: Si alter coniux, scilicet vxor, sciuit votum continentiæ viri, & nihilominùs cum eo contraxit, peccauit contrahendo; quia cõsensit in voti ipsius violationem. Similiter peccat quoties petit debitum: quia cùm mala fide contraxerit, non potest licitè petere. Tenetur tamen marito petenti debitum reddere, quia corporis sui potestatem non habet. Pari modo vir non potest petere, propter votum. Tenetur tamen vxori petenti reddere debitum, quia corporis sui potestatem non habet.

DVBIVM

DVBIVM VI.

Vtrùm coniuges teneantur simul cohabitare, & se mutuo adiuuare in familia administranda?

125 Tenentur. REspondeo: Coniuges ad hoc teneri. Patet ex Cap. *Litteras*, de Restitutione spoliatorum, & Cap. 1. de Sponsalibus & matrimonijs. Ratio petitur ex natura matrimonij, quod est vinculum indissolubilem vitæ societatem retinens: & etiam ex finibus matrimonij, qui sunt, proles, vitatio fornicationis, & mutuum auxilium; qui fines sine cohabitatione obtineri nequeunt.

Etsi vir sit insoluta. Petes: An vir ob dotem nõ solutam possit diffugere cohabitationem vxoris?

Respondeo: Couarruuias 2. p. de Sponsalibus c. 7. adfert aliquos Iurisperitos, qui sentiunt posse. Sed hæc opinio non est probabilis: nam cohabitatio est Iuris naturæ & diuini. Dominus enim ait, vxorem non esse dimittendam nisi in causa fornicationis. Vnde propter dotem non solutam, non potest reijci, sed debet compelli à iudice vt eam soluat.

DVBIVM VII.

Vtrùm vxor teneatur sequi virum?

126 Casus, quibus non tenetur sequi. REspondeo: Vxorem teneri sequi virum: vt patet Capitulo *Vnaquæque* 13. qu. 2. Ratio est, quia est viro subdita.

Excipiuntur tamen aliquot casus. Primus: Si vxori ex sequela esset periculum corporis, vel animæ. Secundus: Si vir factus sit vagabundus post matrimonium. Secùs verò si anteà vagabundus erat, idque ipsa sciebat; tunc enim tenetur sequi. Tertius: Si pactum præcessit de non mutando domicilio, nisi fortè superueniret vrgens necessitas. Vide Courr. 2. p. c. 7. in principio.

DVBIVM VIII.

Vtrùm ea quæ vxor lucratur, sint in potestate viri, an vxoris?

127 RAtio dubitandi est, Quia Panormitanus in Cap. *Litteras*, de restitutione Spoliatorum, docet omnia quæ vxor lucratur, esse viri, eò quòd ipse curam familiæ gerat, & vxor teneatur laborare pro familia. Tamen D. Thomas 22. qu. 32. ar. 8. & alij Theologi concedunt mulierem posse disponere de ijs quæ lucratur.

Respondeo cum Nauarro c. 17. num. 154. ea quæ vxor lucratur esse in potestate viri, nec ipsam posse de ijs liberè disponere, quando non dedit sufficientem dotem ad se & liberos alendos: tunc enim tenetur laborare pro familia. Quando autẽ dedit sufficientem dotem, non tenetur laborare, vnde potest disponere de ijs quæ lucratur.

DVBIVM IX.

Vtrùm maritus posset vxorem verberare?

128 Vir non est dominus vxoris. REspondeo Primò ex Panormitano in Cap. *Cùm contingat*, De foro competenti, virum non habere potestatem ordinariam in vxorem, sicut dominus habet in seruum, neque etiam proprie sicut pater in filiam; vt patet Genes. 2. vbi vxor datur in sociam.

Est superior potẽs eam corrigere. Respondeo Secundò: Iuxta Panormitanum in Cap. *Quemadmodum*, de Iureiurando, posse illam verberare moderatè in causa graui. Ratio est: quia est superior, & potest ei imperare; & ipsa in causa graui tenetur ei obedire, etiam sub peccato mortali, Genes. 2. *Sub potestate viri eris*: ergo potest eam conuenienti modo ad hoc cogere. Nam potestas imperandi non potest benè exerceri sine potestate cogendi. Videndum tamen est vt id discretè fiat, nec facilè consulendum.

DVBIVM X.

De Prole.

129 HOc loco dicendum foret de prole legitima & illegitima. Sed hac de re, quantum satis est Theologo, diximus in Tractatu de Irregularitate.

Dicendum etiam esset de iure & debito liberorum erga parentes, & parentum erga liberos, tum quo ad educationem, tum quo ad hæreditatem. Sed hoc pertinet ad materiam de Iustitia & Iure. Vide Couarruuiam 2. par. cap. 8. Pleraque autem ad forum externum pertinent.

CAPVT VII.

De impedimentis Matrimonij.

DVBIVM I.

Quotuplicia sint Matrimonij impedimenta?

130 Alia *Dirimentia*, alia *Impedientia*. REspondeo: Duplicia esse Matrimonij impedimenta. Quædam dicuntur *Dirimentia*, non quod Matrimonium iam contractum possit dirimi, sed quia illud irritum reddunt si antecedant, sic vt non possit validè contrahi. Alia dicuntur *Impedientia*, quæ contractum quidem non irritũ, sed illicitum reddunt.

Dirimentia sunt duodecim, his versibus comprehensa:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas;
Si sis affinis, si forte coire nequibis.
Hæc iungenda vetant matrimonia, facta retractãt.

Numerus dirimentiũ & eius ratio. Ratio huius numeri sic explicatur. Ad Matrimonium duo requiruntur, scilicet legitimus consensus signis expressus, & legitimæ personæ contrahentes. Ex parte consensus sunt tria impedimenta: *error personæ, error conditionis, & vis illata.* Ex parte contrahentium sumuntur reliqua nouẽ; quorum quædam reddunt contrahentem absolutè inhabilem, quædam tantummodò respectu certæ personæ. Quæ absolutè inhabilem reddunt, vel sunt naturalia, vt *impotentia copulæ*, quæ dicitur *frigiditas*, *vel maleficium*: vel sunt voluntaria, vt *votum solemne Religionis*, *Ordo sacer*, *& ligamen cum alio coniuge.* Quæ verò inhabilem reddunt tãtummodò respectu certæ personæ, sunt triplicia: scilicet, *Certum quoddam crimen*; *nimia disiunctio*, vt, *per cultus disparitatem*; *& nimia coniunctio*, nempe *per cognationem affinitatis*, *& publicam honestatem.*

Præter

Nouum impedimẽtum dirimens ex Concil. Triden.

Præter hæc impedimenta Iuris antiqui, est nouum quoddam inductum à Concil. Trident. scilicet *Contractus clandestinus*, hoc est, *sine Parocho & duobus testibus*; quod olim solùm erat impediens, non dirimens; de quo infrà c. 13.

DVBIVM II.

Quomodo Ecclesia potuerit impedimenta Matrimonij statuere; cùm sit Sacramentum, in quo nihil ipsa mutare potest?

131 REspondeo, & Dico Primò: Fide tenendum est, Ecclesiam posse impedimenta dirimentia constituere. Definitũ est in Concil. Trid. sess. 24. can. 3. & 4. vbi dicitur anathema ijs, qui negant Ecclesiam posse matrimonij impedimenta constituere.

Potest id ex ratione Materiæ, & ratione formæ.

Dico Secundò: Ecclesiam id potuisse duplici ratione; nempe, quia contractus matrimonij, quatenus est contractus ciuilis, duplici modo Ecclesiæ subest; scilicet ratione materiæ, & ratione formæ.

Probatur hoc ex alijs contractibus, qui pari modo subsunt humanę potestati: ergo sicut in alijs contractibus possunt præscribi certæ formulæ & solemnitates, sine quibus si fiant, irriti censeantur; ita etiam in matrimonio: & sicut possunt res ipsæ decerni inhabiles, vt in hos vel illos transferantur; ita etiam personæ decerni possunt inhabiles, vt cum his vel illis contrahant.

Confirmatur Primò: Quia id fieri potest in cõtractu venditionis, siue quo quis sese alteri in perpetuam seruitutem tradit; cur non etiam in contractu matrimonij, vbi quis corpus suum tradit in alterius potestatem?

Confirmatur Secundò: nam inter Ethnicos fuerũt leges matrimonij ab Imperatoribus Ethnicis latæ; vt patet ff. *De Ritu nuptiarum* & Codice *Ad legem Iuliam*, de Adulterijs; quod signum est contractum matrimonij subesse legibus humanæ dispositionis, sicut alios contractus.

Nec obstat, quòd Matrimonium sit Sacramentum; quia Dominus nihil in eo mutauit, vt est cõtractus ciuilis, sed reliquit in sua natura, adiunctâ dignitate Sacramenti, & gratię efficaciâ: vnde nõ determinauit inter quas personas hic contractus deberet censeri legitimus vel illegitimus, quâ formâ, quibusque solemnitatibus esset cõtrahendus; sed hoc reliquit iuri naturali & humano. Vide Couar. 2. parte, cap. 6. §. 10. nu. 33. & 34.

DVBIVM III.

Vtrùm potestas ciuilis possit matrimonio impedimentum dirimens constituere?

132 Non potest id Christianorum Princeps.

REspondeo, & Dico Primò: Secluso omni iure Ecclesiastico posset ciuilis potestas huiusmodi impedimenta fancire. Verùm quia Ecclesia hoc ius sibi assumpsit, tanquam necessarium ad regimen spiritale, nempe eò quòd Matrimoniũ per Christum factum sit res spiritualis, vtpote Sacramentum; ideò apud Christianos potestas ciuilis hîc nihil potest statuere. Quare, si Princeps sæcularis prohiberet aliquod matrimoniũ inter eos, quibus nullum est Canonicum impedimentum, vetatio illa nullam vim haberet.

Dico Secundò: Principem Ethnicorum, seu non Christianorum, siue is Ethnicus sit, siue Christianus, posse constituere impedimenta, quæ matrimonium dirimant. Ratio est: tum quia potestas Ecclesiastica, quæ sibi hoc ius seruare potuit apud Christianos, non extendit se ad Ethnicos, 1. ad Corinth. 5: tum quia matrimonium apud Ethnicos non est Sacramentum, aut res spiritualis, sed nudus contractus ciuilis, ac proinde ciuili potestati subiectus.

Potest id non Christianorum Princeps.

DVBIVM IV.

Quis possit in Matrimonij impedimentis dispensare?

133 Papa potest absolutè.

REspondeo, & Dico Primò: Pontifex in omni impedimento matrimonij, quod Iure positiuo humano introductũ est, validè dispensare potest. Ratio est; quia in ipso est plenitudo potestatis Ecclesiasticæ. Vnde quidquid per potestatem Ecclesiasticam potuit constitui, potest etiam Pontificis potestate in totum vel in partem abrogari.

Episcopus non potest nisi in casibus quibusdam.

Dico Secundò: Episcopus ordinariè non potest in impedimentis dirimentibus dispẽsare: quia non potest quemquam à lege superioris eximere, nisi Iure vel consuetudine id ei sit cõcessum. Probabile tamen est posse in certo euentu, nempe his quatuor conditionibus concurrentibus. Primò: Si Matrimonium publicè & bona fide, saltem alterius partis, contractum sit. Secundò: Si impedimentum est occultum. Tertiò: Si separatio futura esset scandalo. Quartò: Si ad Pontificem, vel ad eius legatum, qui potestatem habeat, non pateat accessus, ob paupertatem vel alia incommoda. Verbi gratia: Petrus bona fide contraxit cum Catharina in facie Ecclesiæ, tamen ante cõtractum, cognouit sororẽ Catharinæ, vnde factus est affinis Catharinæ in primo gradu, quæ affinitas est impedimentum dirimens. Vnde quando contraxit cum ea, matrimonium fuit nullum: sed ipse in contractu nescius esse impedimentum, & solùm id post aliquot annos susceptis iam liberis intellexit, vnde etiam videt matrimonium fuisse inualidum. Sed propter paupertatem, vel aliam causam legitimam non potest accedere Pontificẽ. Neque etiam potest fieri separatio à coniuge, quia nasceretur magnum scandalum, vel saltem ingens illorum & prolium infamia. Dico in hoc euentu Episcopum posse dispensare in hoc impedimento. Ita Nauarrus cap. 22. num. 82. Siluester verbo *Dispensatio* n. 15. Angelus eodem verbo n. 5. Bartholomæus Fumus eodem verbo nu. 19. Alphonsus Viualdo *de Matrimonio* num. 248. Ratio est: quia in tali casu per quandam ἐπιεικείαν censetur Pontifex tacito consensu Episcopo dare potestatem: non enim credibile est, suam Sanctitatem velle illas animas peccatis illaqueari, vel scandalũ nasci, vel infamiam incurri, præsertim quando bona fide, saltem alterius partis, contractus est celebratus.

DVBIVM V.

Quid faciendum est, si matrimonium cum impedimento contractum fuerit?

REspondeo, & Dico Primò: Si hoc impedimentum fuerit vtrique, vel alteri in contractu, 134

Si impedimentum vni soli sit cognitum, opus est nouo contractu.

tractu ignoratum, eo cessante per dispensationē, vel alio modo, non satis est sic perseuerare vt priùs, vel affectu maritali coniugem cognoscere; sed opus est nouo contractu. Ratio est; quia per illum consensum continuatum, seu per illam perseuerantiam, & per illum affectum maritalē, non intendunt coniuges de nouo contrahere, sed solùm in precedenti perseuerare: atqui præcedens coniugiū nullū erat: ergo nō sufficit sic permanere, sed necesse est vt intēdant de nouo cōtrahere. Hoc autem fiet, si alter, qui nouit impedimentum interueniſſe, alteri aperiat, eumq; inducat vt rursus contrahere velit: vel si id commodè fieri non potest, satis erit illum inducere, vt ad sui solatiū, & ad testandum coniugalem affectum, rursus velit contrahere, perinde ac si iam primùm coniugium iniretur. Non enim est necesse, vt impedimentum in specie significetur; vt vult Scotus dist. 35. Neque etiā vt significetur in genere; vt vult Nauar. cap. 22. nu. 45. Vide Caietanum tom. 1. Opusculo 12. & Sotum dist. 28. art. 2.

Notabile consilium.

Ratio est; Quia, etsi alter nesciat Matrimoniū hactenus fuisse inualidum, imò etsi omnino putet fuisse validum, si tamen de nouo intendat contrahere quantum in se est, erit validus contractus, quamuis ex illo errore ad hoc fuerit inductus. Sic si quis contrahat Matrimonium, eò quòd putet sponsalia, quæ fecerat, non potuisse dissolui, quæ tamen reuerà dissolui poterant: vel si profiteatur in Religione, eò quòd putet votum simplex ingrediendi Religionem non potuisse irritari, vel dispensari, validè contraxit vel vouit.

Si impedimentum vtrique cognitum.

Dico Secundò: Si impedimentum sciatur ab vtroq; coniuge, sufficit virtualis consensus, qualis est copula maritali affectu tentata.

CAPVT VIII.

De errore personæ, & conditionis seruilis.

DVBIVM I.

Vtrùm error personæ matrimonium dirimat?

135 REspondeo, & Dico Primò: Error personæ matrimonium irritum reddit, siue sit *Error Antecedens, siue Concomitans.*

Error duplex.

Notandum Primò: Errorem in proposito esse duplicem; alius enim dicitur *Antecedens*, qui est causa actus: vt si nesciens hanc esse seruam, contrahas cū ea, id nullo modo facturus, si scires. Alius dicitur *Concomitans*: vt cùm aliquis facit quippiam cum ignorantia rei, quod tamen esset facturus etiamsi sciret: hic error non est causa rei.

Error hic quadruplicitèr fit.

Notandum Secundò: Quadrupliciter hominem posse decipi in proposito. Primò, Circa personam: vt si putes hanc esse Rachelem, cùm tamen sit Lia. Secundò, Circa conditionem seruilem: vt si putes esse personam liberam, quæ tamen est serua. Tertiò, Circa qualitatem: vt si putes esse nobilem, sanam &c. quæ non est. Quartò, Circa fortunam: vt si putes esse diuitem, quæ nō est. Nunc

Error Personæ irritat.

Probatur Propositio: Error personæ tollit cōsensum Matrimonij cum hac persona: ergo irritum reddit contractum. Antecedens probatur: quia non consentit, nisi in eam personam, quā animo concepit: ergo non consentit in hanc, cùm hanc animo non conceperit. Vnde sequitur hoc impedimentum esse iuris naturæ.

Quòd etiam *Error Concomitans* dirimat, Probatur; quia ille, qui cum hoc errore consentit, reipsà non intendit consentire in hanc, sed in eam quam animo conceptam habet. Ergo non contrahit cum hac. Nec refert, quòd sic animo sit affectus, vt vellet consentire, si illam cognosceret; quia reipsa non consentit: Matrimonium autem nascitur ex consensu, qui reipsa est, non ex eo, qui esset facta aliqua hypothesi.

Dico Secundò: Error qualitatis & fortunæ nō dirimit: quia iste error non est circa rei substantiam, sed circa quid extrinsecum. Vnde iste verè intendit consentire in personam, quę præsens est, cui putat inesse aliquas qualitates; vt nobilitatem, virginitatem, &c. Ergo, quamuis illæ qualitates non insint, firmus tamen erit contractus. Quod patet ex alijs contractibus, emptione, venditione, locatione, & similibus. 136 Error qualitatis, vel fortunæ, nō irritat.

DVBIVM II.

Vtrùm error conditionis seruilis dirimat coniugium?

REspondeo: Error cōditionis seruilis dirimit matrimonium, siue sit antecedens siue concomitans: modò tamen is, qui contrahit cum illo errore, sit liber. Patet hoc ex Capitulo *Ad nostrā*, de Coniugio seruorum. & Capitulo *Si quis liber*, 29. quæst. 2. 137 Si liber cō-trahat cum serua.

Speciatim Probatur de *errore Concomitante*: quia qui sic contrahit, verè ignoranter contrahit, ac proinde non efficitur Matrimonium. Nam in Capitulo *Ad nostrā*, absolutè dicitur *Non esse matrimonium, quando liber ignoranter contrahit cum serua.* Idem patet ex multis Canonibus 29. qu. 2. qui requirunt cognitionem conditionis seruilis.

Neque satis est, quod liber ita sit dispositus, vt vellet contrahere, quamuis sciret sponsæ conditionem; quia non idcircò reipsa vult, vt suprà dictum est. Si tamē exprimeret se consentire quamuis sponsa esset serua, vel si sic saltem consentiret interiùs dum contrahit, esset verum Matrimoniū.

Si seruus cum serua.

Notandum hic Primò: Si seruus contrahat cum serua, quamuis ignoret eius conditionem, validum erit matrimonium: quia par est vtriusque conditio. 138

Si liber dubitet de seruitute sponsæ.

Notandum Secundò: Si liber dubitet de seruitute sponsæ, vel contrà: & nihilominùs contrahat: validum erit matrimonium: quia non censetur ignoranter contraxisse.

Si liber cō-tracto matrimonio, sciat esse seruam.

Notandum Tertiò: Si liber qui contraxit cum serua ignoranter, postea cognoscat eius conditionem, & nihilominùs accedat ad eam affectu maritali, validatur matrimonium, saluo decreto Concilij Tridentini, quod requirit Parochi & testium præsentiam. Ratio est: quia tali coniunctione censetur de nouo velle contrahere, cùm sciat matrimonium hactenus non fuisse validum.

Si dubitet.

Petes: Quando aliquis dubitat de seruitute alterius contracto iam matrimonio, Vtrùm fiat validum matrimonium si accedat ad coniugem?

Si exigat debitum.

Respondeo Primò: Certum est effici validum matrimonium, si accedat affectu maritali exigens debitum.

debitum. Nam cùm dubitet de firmitate, censetur tali petitione, quantum in se est, velle contrahere.

Si debitum reddat.

Respondeo Secundò: Si verò solùm reddat debitum affectu maritali, vel si solùm reddat affectu fornicario, vel solùm ne fraudet coniugem in isto matrimonio, nō fiet validum matrimonium. Fiet autem validum matrimonium, si ita reddat debitum, vt velit contrahere. Ita Siluester V. *Matrimonium* 8. q 3. Et videtur posse intelligi ex Cap. *Inquisitioni*, De sententia excommunicationis.

DVBIVM III.

Vtrùm serui possint cōtrahere inuitis dominis?

139 Affirmatur.

Respondeo: Seruos posse contrahere inuitis dominis. Patet Cap. 1. De coniugio seruorum, vbi id expressè habetur. Et Can. *Omnibus* 29. q. 2. Ratio est: quia contrahere matrimonium est iuris naturę: nam quisque à natura ius habet contrahendi matrimonij, & conseruandi naturam humanam: seruitus autem iure gentium introducta est, quod ius non debet euertere ius naturale. Adde, quòd carere matrimonio, pertinet ad statum perfectionis, ad quē nemo inuitus cōpelli potest.

Seruus cōtrahens cū libera, fit quatuor casibus liber.

Petes Primò: An seruus contrahens cum libera efficiatur liber?

Respondeo: Non fieri liberum, nisi in quibusdā casibus. Primò, Si dominus tradat ipsum vxori liberæ ignoranti eius seruitutem, nec illi eam indicet; tunc enim fit liber: si tamen ipsa sciat eius seruitutē, ipse non efficitur liber. Secundò, Si domino sciente, nec contradicente, seruus contrahat cum libera, quam dominus scit ignaram esse eius conditionis seruilis. Tertiò, Si dominus seruo dotem cōstituat ad matrimonium ineundum, efficitur ipse liber, etiamsi cōtrahat cum libera sciente eius conditionem seruilem: Vide Couar. 2. p. de Sponsalibus cap. 3. §. 7.

Quid si liber in his casibus ignoret alterius seruitutem?

Petes Secundò: An matrimoniū in istis casibus sit validum, si liber ignoret alterius seruitutem?

Respondeo: Validum esse matrimonium. Ita docet Glossa in Cap. finale, De coniugio seruorū. Panormit. & alij DD. ibidem. Siluester V. *Matrimonium* 8. q. 2. n. 5. Soto dist 35. a. 2. Et ratio est: quia seruus ille in eo instanti in quo cōtrahit, iam est liber ex dispositione Iuris; ac proinde non ampliùs subest impedimentū. Dices: Contractus est causa cur fiat liber: ergo prior est cōtractus, quàm habilitas contrahendi in seruo; & consequenter contractus erit nullus. Respondeo: Contractus est prior libertate in genere causæ efficientis; sed in genere causæ materialis libertas est prior matrimonio: sicut in rebus naturalibus illustratio aëris in genere causæ efficientis prior est de pulsione tenebrarum; sed in ordine causæ materialis prior est depulsio tenebrarum, quàm illustratio aëris.

140 Seruū coniugatum dominus ne vendat in alienam prouinciā.

Petes Tertiò: An dominus possit seruū, qui cōtraxit matrimoniū, vendere in alienā prouinciā?

Respondeo: Communis sententia Doctorū est, quando consensu domini factum est matrimoniū, seruum non posse in longinquas oras distrahi, quò vxor commodè sequi non possit. Si autē sine consensu domini factum sit, quidam dicunt dominum posse illū vendere in quæuis loca. Ita Nauar. c. 22. n. 32. Sed hoc non videtur absolutè verū: Nā est contra charitatem virum ab vxore diuellere. Ita D. Thom. q. 52. a. 2. ad 4. vbi dicit cogendum dominum ne ita diuendat seruum. Et D. Antoninus 3. p. tit. 1. c. 3. Soto d. 35. a. 1. In vno tamen casu sententia Nauarri teneri potest: nempe, si dominus esset in maxima aliqua necessitate constitutus, cui non posset aliter occurrere, nisi ita vendendo seruum. Et tunc vxor tenetur eum sequi.

Excipit casum.

Petes Quartò: An hoc impedimentum seruilis conditionis sit Iuris naturæ, an Ecclesiastici?

141 Impedimentum seruilis conditionis est solùm iuris Ecclesiastici.

Respondeo: Hoc impedimentum non esse Iuris naturę, sicut est error personę; sed Ecclesiastici. Ita communiter DD. D. Thomas d. 36. a. 1. q. 2. Soto d. 35. a. 2. Quòd non sit Iuris naturæ, patet: nā iste verè cōsentit in hanc personam, neque aliā animo gerit, sed solùm fallitur in accidentaria qualitate, sicut is qui putat esse nobilem, virginē, &c. Meritò tamen Ecclesia tale impedimentum induxit in fauorem eius qui liber est: quia per tale matrimoniū grauiter deciperetur. Nam serua non potest liberè reddere debitum suo coniugi, cùm sit obstricta obsequijs domini.

CAPVT IX.

De impedimento voti, & Ordinis sacri.

DVBIVM I.

An votum dirimat matrimonium?

142 Votū aliud *solemne*, aliud *simplex*.

NOtandum est: Votū aliud esse *Simplex*, aliud *Solemne*. *Solemne* dicitur, quod nuncupatur in susceptione Ordinis sacri, vel in Religionis per Sedem Apostolicam approbatæ professione. Ita expressè habemus Capitulo *Quod votum*, de Voto in 6. *Simplex* autem est, omne aliud votum, quod non est solemne.

143 Votū simplex non irritat matrimoniū.

Dico Primò: *Votum simplex* impedit quidē matrimonium contrahendū, cùm sine graui peccato non possit contrahi; non tamen dirimit, si contrahatur: quod intellige secundùm Iuris communis dispositionē. Nam ex priuilegio Summi Pontificis fieri potest, vt votū simplex emissum in aliqua Religione secundùm certam formam, dirimat matrimonium; vt patet ex Constitut. Greg. XIII. quæ incipit, *Ascendente Domino.*

144 Solemne irritat.

Dico Secundò: Votum solemne in Religione approbata tacitè vel expressè emissū, dirimit matrimonium. Hæc propositio est fide tenenda.

Dixi: *In Religione approbata*: quia si quis profiteatur in Religione non approbata per Sedem Apostolicam, non erit impedimentum dirimens, vt in tertio ordine S. Francisci, vel S. Dominici: neque enim tale votum est propriè dictum solemne; vt patet ex Capitulo *Quod votum.*

Dixi, *Tacitè vel expressè emissum*: quia vtroque modo fieri potest professio, etiam post Concilium Tridentinum; vt patet ex responsis Cardinalium. Expressè quidē fit, dum certa formula recitatur. Implicitè verò, si quis exacto anno professionis gestet habitum professorum, & gerat se in officijs vt professum. Nunc

145 Concilia. Chalcedonense.

Probatur propositio Primò: Ex Concilijs. Concilium Chalcedonense can. 16. dicit virginē, quæ se Deo consecrauit, similiter & Monachum, non posse nuptialia iura cōtrahere: quòd si hoc inuenti fuerint perpetrare, excommunicentur. Vbi indicat tales nuptias esse illicitas. Quod patet primò, quia dicit non posse eos nuptialia iura contrahere. Quibus verbis significatur non tantùm hoc esse peccatum, nam de hoc nemo vnquam dubitauit, sed

uit; sed nõ posse inter eos ius matrimonij consitare. Secundò, quia iubet eos excommunicari; nempe, quia in peccato manent donec separentur. Tertiò, quia Concilium Triburiense can. 23. allegat hunc Canonem, vt probet non esse verum matrimoniũ, quod post votũ solemne contrahitur. Concilium Toletanũ IV. ante annos 930. can. 51. iubet Monachos, qui vxores acceperunt, reduci in monasterium, & pœnitentiæ deputari. Concil. Turonicũ can. 16. iubet Monachum, qui vxorem duxerit, etiam auxilio iudicis sæcularis ab ea separari. Idẽ sanxit Concil. Foroiuliense de sacris Virginibus. Denique Concilium Tridentinum sess. 24. can. 9. *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus cõstitutos, vel Regulares castitatem regulariter professos, posse validè matrimonium contrahere; contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto; anathema sit.*

Triburiense.
Toletanum IV.
Turonicum.
Foroiuliẽse.
Tridentinum.

146 Pontifices. Siricius. Innocentius I. Gregor. I.

Probatur Secundò: Ex Pontificibus. Siricius Papa epist. 1. c. 6. iubet Monachos & Virgines sacras, si matrimonium contraxerint, excommunicari, & perpetuò in carceribus pœnitentiã agere. Innocentius I. epist. 2. c. 12. dicit eam, quę velum sacrum accepit, & posteà nupsit, non posse admitti ad pœnitentiam, nisi separetur. Gregorius I. lib. 1. Epistolarum, epist. 40. dicit Monachos, qui vxores duxerunt, separandos esse à coniugibus, & ad monasteria reducendos. Posteriorum Pontificũ decreta vide in Tit. *Qui Clerici vel vouentes.* & Cap. *Meminimus.* & Cap. *Insinuate.* & Clementina *De cõsanguinitate & affinitate*, vbi excõmunicantur Clerici, Monachi, & Monachæ nuptias contrahentes.

147 Patres. Cyprian. Basilius. Ambros.

Probatur Tertiò: Ex Patribus. Cyprianus lib. 1. epist. 11. vocat matrimonium sacrarum virginũ, *incestam coniunctionẽ*; & vocat illas *adulteras Christi*: sentit ergo non esse matrimonium. Basilius lib. de Virginitate paulò pòst medium, dicit virginẽ sacram, quæ Deo virginitatem professa est, per nullam legem dici posse vxorem eius, cui se, deserto sponso Christo, libidine incitata çoniunxit. Ambrosius lib. ad Virginem lapsam: *Quæ se spopondit Christo, & sacrum velamen accepit, iam nupsit; & si voluerit nubere communi lege coniugij, adulterium perpetrat.* Idem docent alij Patres.

DVBIVM II.

Vtrùm votum solemne Castitatis hanc vim dirimendi matrimonij habeat Iure diuino, an dumtaxat Ecclesiastico?

148 Quidam adscribunt Iuri diuino.

MVlti existimant habere Iure diuino. Diuus Thomas q. 55. a. 2. Bonauentura, Richardus, Durandus, Dom. Soto dist. 38. Fundamentum ipsorum est: Quia votum solemne est traditio sui in potestatem Christi, quam traditionem Christus per Ecclesiam acceptat. Quò fit, vt ille non ampliùs habeat sui corporis potestatem, sicut nec is qui se coniugi tradidit per matrimonium. Vnde inferunt Pontificem in solemni voto non posse dispensare.

Verius est id esse ex Iure Ecclesiæ.

Sed longè verius est, votum solemne hanc vim habere ex sola Ecclesiæ constitutione. Est communis sententia Canonistarum teste Panormitano in Capitulum *Rursus*, Qui Clerici vel vouentes. Scoti dist. 36. & 38. Paludani dist. 38. qu. 1. art. 2. & qu. 4. Caietani 2. 2. quæst. 88. art. 7. & multorum hoc tempore.

149 Quid, & vnde *solẽnitas voti* continentia.

Probatur Primò: Quia solemnitas voti sola Ecclesiæ institutione inuenta est; vt ait Bonifacius VIII. Capitulo *Quod votum*. & Greg. XIII. in constit. *Ascendente Domino*. Atqui solemnitas voti continentię in hoc cõsistit, quod homo se ita Deo consecret & tradat per illud, vt nullo modo ad matrimonij statum sit habilis: ergo si solemnitas est ex sola Ecclesiæ constitutione, etiam vis dirimendi matrimonij, quę est in illo voto, ex Ecclesiæ constitutione erit.

Probatur Secundò: Quia non ideò votum solemne dirimit, quòd sit traditio sui, vt ipsi volunt: nam etiam votũ simplex castitatis est traditio sui, præsertim dum acceptatur à Prælato: non enim est promissio de futuro, sed donatio de præsenti, quę hîc non differt à traditione. Promittere enim castitatem, est ex hoc tempore omne commerciũ carnale repudiare, suumque corpus Christo consecrare. Vnde ijsdem verbis votum simplex fit, quibus solemne.

150 Non ex eo dirimit, quòd sit traditio sui.

Probatur Tertiò: Quia votum solemne, quod emittunt ordinandi, est etiam traditio sui; & tamẽ non dirimit Iure diuino matrimonium, vt ipsi fatentur, sed tantùm Ecclesiastico: vnde concedunt Pontificem in eo posse dispensare: ergo fundamẽtum ipsorum destruitur: nempe votum solemne ideircò iure diuino matrimonium dirimere, quòd sit traditio sui. Respondet Dom. Sotus Pontificẽ ideò posse dispensare in voto solemni sacrorum Ordinum, quòd hoc votum non sit Iure diuino annexum Ordini sacro, sed solum Ecclesiæ præcepto: Votum autem solemne castitatis Regularium, sit iure diuino statui Regularium annexum. Sed hinc solùm sequitur, Pontificem posse dispensare, vt aliquis sit Sacerdos, qui castitatem nõ voueat; non autem, vt possit esse Religiosus sine hoc voto: non autem sequitur, Pontificem non posse dispensare in voto istius hominis, quo Religiosus est, (etsi tunc Religiosus esse desinat) sicut potest dispensare in voto Sacerdotis. Si enim in hoc potest, cur non etiam in illo? cum vtrumque sit votũ solemne, vtrumq; sit traditio sui, vtrumque ab Ecclesia sit acceptatum.

An Papa in voto solẽni Religionis possit dispensare.

Nec obstat Capit. *Cùm ad monasterium*, de statu Monachorum, vbi dicitur, *Custodia castitatis adeò est annexa regulæ monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex posit licentiam indulgere*: hoc enim intelligendum est de eo, qui manet Monachus, retinetq; monachalem statum. Fieri enim nequit, vt talis nõ teneatur ad castitatem. Mirum est Sotum hoc Capitulum pro se adducere, cùm idem ibidem dicatur de abdicatione proprietatis: & tamen ipse sepè docet, Monachum si fiat Episcopus, vel è monasterio ob sua delicta expellatur, non teneri ampliùs seruare paupertatem. Vide illum lib. 10. de Iustitia, quæst. 5. art. 7.

151

Denique fieri potest Pontificis cõstitutione, vt etiam votum simplex matrimonium dirimat. Patet ex Constit. Gregorij XIII. *Ascendente Domino*. Vnde sequitur etiam votum solemne ex eâdem constitutione vim dirimendi matrimonij habere.

DVBIVM III.

Vtrùm Ordo sacer sit impedimentũ dirimens?

152 Dirimere, est de fide.

REspondeo: Ordo sacer est impedimentum dirimens matrimonium, idque certa fide tenendum: nam expressè definitur in Concilio Trident, sess. 24. can. 9. Probatur ex decreto Calixti I. circa

circa annũ Domini 220. habetur Can. *Presbyteris*, dist. 27. *Presbyteris*, inquit, *Diaconibus, & Subdiaconibus, & Monachis concubinas habere, seu matrimonia contrahere, penitus interdicimus: contracta quoque matrimonia ab huiusmodi personis, disiungi; & personas ad pœnitentiam redigi iuxta sacrorum Canonum definitionem indicimus.* Et ex Concilio Toletano 2. can. 1. circa annum 534. *Cauendum est hu*, scilicet Presbyteris, Diaconibus & Subdiaconibus, *ne quando suæ sponsionis immemores, ad terrenas nuptias vltrà recurrant. Quod si fortè fecerint, vt sacrilegij rei ab Ecclesia habeantur extranei.* Hieron. lib. 1. contra Iouinianũ: *Certè confiteris non posse esse Episcopũ, qui in Episcopatu liberos suciat. Alioquin si inuentus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.*

153 Cur debeat dirimere.

Hinc patet, iam inde ab initio Ecclesiæ hoc impedimentum fuisse; idque meritissimò: quia sacer Ordo requirit animum valdè purum, cælestẽ, & quasi Angelicum; ob sublimitatem tanti ministerij; vt inter cæteros docet Chrysostomus tum alibi, tum lib. 3. *de Sacerdotio.* Matrimonium autẽ deprimit illum ad voluptates carnales & brutales, variasque sollicitudines, & terrenas cupiditates: quæ omnia maximè repugnant animi puritati & tranquillitati.

DVBIVM IV.

Vtrùm Ordo sacer dirimat matrimonium ratione sui, an solùm ratione voti solemnis adiuncti?

154 A principio Ecclesiæ continentia annexa est Ordini sacro, etiam apud Græcos.

SVppono continentiam annexam fuisse Ordini sacro iam inde ab exordio Ecclesiæ; vt patet ex epist. ad Titum c. 1. v. 8. *Oportet Episcopum esse continentem*, nempe ab vxorijs amplexibus, vt inquit Hieronymus in hunc locum. Et ex Concilio Carthag. II. can. 2. *Omnibus placet vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam ab vxoribus se abstineant: vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Idem in Ecclesia Græca per aliquot annorum centurias seruatum est, vt patet ex Hieronymo lib. contra Vigilantium, *Quid*, inquit, *facient Orientis Ecclesiæ, quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ? quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes; aut si vxores habuerint mariti esse desistunt:* quò ad vsum scilicet. Idem docet Epiphanius hæresi 59. & colligitur ex Concilio Nicæno can. 3. vbi prohibet Episcopo, Presbytero, & Diacono ne domi mulierem vllam habeant præter matrem, sororẽ, amitam. Vide plura apud Bellarminum & Gregorium à Valentia. His positis:

155 Ordo irritat matrimonium non solùm ratione voti, sed etiã ratione sui.

Respondeo: Ordinem sacrum esse impedimentum dirimens, non solùm ratione voti annexi, sed etiam ratione sui; quatenus ipsi Ordini lex Ecclesiastica irritans annexa est. Probatur Primò: Ex Concilio Tridentino sess. 24. can. 9. vbi insinuatur matrimonium à Clerico Ordinis sacri cõtractum esse inualidum ob legem Ecclesiasticam; scilicet quæ annexa est ipsi Ordini: à Monacho autem cõtractum esse inualidum propter votum. Vult igitur illud esse inualidum, etiam ob aliam causam, quàm ob votum; quia ipsi Ordini Ecclesia talem legem imposuit. Secundò: Si quis in ordinatione nollet vouere, & accepto Ordine matrimonium contraheret, contractus esset irritus: ergo ipsi Ordini talis lex irritans annexa est. Tertiò: Idem colligitur ex decreto Callisti I. & ex aliis Canonibus, qui non faciunt mentionem voti, sed solùm Ordinis.

DVBIVM V.

Vtrùm hoc impedimentum sit Iuris diuini, an Ecclesiastici?

156 Est Iuris tantùm Ecclesiastici.

QVidam existimãt esse Iuris diuini. Ita Ioannes Maior dist. 24. qu. 2. & Iudocus Clichtouæus lib. *de Continentia sacerdotali*, cap. 4. & sequentibus, & quidam alij.

Sed non videtur dubitandũ, quin hoc impedimentum Iure dumtaxat Ecclesiastico sit introductum; vt communior sententia Doctorum habet. Probatur: Si esset Iuris diuini, id esset, vel ratione voti, vel ratione Ordinis.

Non *ratione Ordinis*: nam nusquam habemus diuinum præceptum, quo ordinati prohibeantur ducere vxores. Confirmatur: quia Ecclesia Romana iam à multis sæculis permisit Sacerdotibus Græcis vsum vxorum, quas ante Ordinem sacrum duxerant: vt patet Capitulo *Cùm olim*, de Clerico coniugato. Concilium quoque Ancyranum c. 10. dicit Diaconos permissu Episcopi posse vxores ducere, etiam post ordinationem. Et Gregorius I. lib. 1. epist. 42. permittit Subdiaconis, vt vtantur vxoribus, quas iam anteà duxerant: quamuis ibidem prohibeat eos in posterum ordinari, nisi continentiam voueant. Denique Concil. Trident. satis insinuat tantummodò lege Ecclesiastica tale matrimonium irritum esse.

Sed, neque *ratione voti* hoc impedimentum est Iuris diuini: quia votum Ordini sacro est annexũ ex Ecclesiæ constitutione. Solemnitas quoque voti, qua matrimonium dirimitur, Iure Ecclesiastico est introducta. Hinc sequitur Pontificem in hoc impedimento posse dispensare: quod sæpissimè fecit.

CAPVT X.

De impedimento cognationis, affinitatis, & iustitiæ publicæ honestatis.

157 Cognatio triplex.

NOtandum est: Cognationem esse triplicem: *Carnalem*, quæ *consanguinitas* dicitur: *Spiritalem*, quæ oritur ex Baptismo & Confirmatione: & *Legalem*, quæ oritur adoptione.

DVBIVM I.

Quid sit consanguinitas: & quomodo suis gradibus distinguatur?

158 Quid consanguinitas,

DIco Primò: *Consanguinitas*, est propinquitas sanguinis personarum ab eodem stipite descendentium; vel earum, quarum altera descendit ab altera.

Quid linea & quotuplex,

Dico Secundò: Consanguinitas distinguitur per lineas, & linea per gradus. *Linea*, est *ordinata series personarum sanguine iunctarum*: vt filius, pater, auus, proauus. Estque triplex: *Ascendentium, Descendentium, & Collateralium.* Ascendentium & Descendentium linea, dicitur *linea recta*; Collateralium *transuersa.*

Regula lineæ rectæ.

Vt autem intelligatur, quo gradu inter se distent secundùm hasce lineas, notandę sunt tres regulæ. Prima regula sit pro linea recta: *Quot sunt*

personæ in linea recta, totidem sunt gradus vno dempto: exempli gratia, cùm in linea data filius, pater, auus sint tres personæ, filius est auo in secundo gradu consanguineus, & viciſſim auus nepoti: ſingulæ enim personæ tanquam puncta concipiendæ sunt, inter quæ dictæ sint lineæ seu interualla, tanquam ſinguli gradus: v. g. primum punctum sit pater, ſecundum filius, tertium nepos: linea ducta inter primum & ſecundum, erit primus gradus: inter ſecundum & tertium, ſecundus gradus: inter tertiũ & quartum, tertius gradus. Vnde patet filium à patre tantùm vno gradu diſtare, ab auo duobus, à proauo tribus, ab abauo quatuor, à tritauo quinque. In hac regula conſentiunt Iuriſperiti cum Canoniſtis: in ſequentibus diſſentiunt.

158 Duæ regulæ *linea tranſuerſa*

Secunda & tertia regula ſit pro linea tranſuerſa. Secunda eſt: *Inter personas, quæ æqualiter diſtant à communi ſtipite, quo gradu quælibet earum diſtat ab eo, eodẽ quoque inter ſe ipſæ diſtant.* Hinc duo fratres ſunt in primo gradu, quia tantummodò vno gradu vterque eorum diſtat à cõmuni parente. Duo fratrueles ſunt in ſecũdo gradu, quia tantùm duobus gradibus diſtant à communi parente. Horum filij ſunt in tertio gradu, quia tribus gradibus abſunt à communi principio.

Tertia regula: *Quando personæ diſtant inæqualiter à communi parente, quo gradu ab illo diſtat is, qui remotior eſt, eodem quoque ipſi inter ſeſe diſtant:* vt Ioſeph & Iſmaël ſunt in tertio gradu conſanguinitatis; quia Ioſeph tribus gradibus diſtat à communi principio, ſcilicet ab Abraham patre Iſmaëlis. Ratio huius regulæ eſt; quia cùm conſanguinitas naſcatur ex conuenientia in ſanguine communis principij, fieri nequit vt inter ſe ſint viciniores, quàm ſecundùm diſtantiam communis principij, in quo primùm ſanguine coniunguntur.

Computatio Iuriſperitorum diuerſa eſtà Canonica.

Aliter de his ſentiunt Iuriſperiti: nam ipſorum ſententia, duo fratres ſunt in ſecundo gradu: duo fratrueles in quarto: duo pronepotes in ſexto. Conſiderant enim ipſi quot gradibus quiſque diſtet à communi principio; iiſque coniunctis affirmant totidem quoque inter ſe diſtare. Exempli gratia: Quia vterque pronepos diſtat à communi ſtipite tribus gradibus, idcircò volunt duos pronepotes inter ſe diſtare ſex gradibus; nam bis tria ſunt ſex: pronepotem verò ab altero nepote quinque gradibus, quia pronepos à proauo diſtat tribus, nepos verò ab eadem perſonâ diſtat duobus; duo autem & tria ſunt quinque. Vide Couarr. 2.parte, cap.6. §.6.

Aduerte tamen: Canonicam ſupputationem eſſe ſeruãdam in cauſa matrimonij in vtroque foro; vt notat Couarruuias loco citato: Legalẽ verò, in hæreditatibus & ſucceſſionibus. In alijs cõtractibus vtraque in ſuo foro ſeruanda.

DVBIVM II.

Quinam gradus Iure naturæ dirimant matrimonium?

160 Gradus in Leuitico vetiti.

HÆretici noſtri putant omnes gradus, qui habentur Leuitici 18. ita eſſe prohibitos, vt nullà in illos cadat diſpenſatio; ac proinde prohibitos eſſe Iure naturæ: alios verò non eſſe vllo modo prohibitos.

Prohibentur autem Leuitici 18. dumtaxat primus, & ſecundus gradus conſanguinitatis. In *linea recta*, matrimonium patris cum filia, & nepte: matris cum filio & nepote. In *tranſuerſa*, fratris cum ſorore, & nepotis cum amita, & matertera. Patrui verò & auunculi matrimonium cum nepte ex fratre vel ſorore, non vetatur.

Quòd verò ad *affinitatem* attinet: In *linea recta* vetatur coniugium priuigni cum nouerca, & patris cum priuigna eiuſque filia, & ſoceri cum nuru. In *tranſuerſa* vetatur coniugium cum vxore fratris, & cum ſorore vxoris viuente vxore, & cum vxore patrui. His poſitis:

161 Nõ omnes gradus vetiti in Leuitico irritant Iure naturæ matrimonium.

Reſpondeo & Dico Primò: Nõ omnes gradus, prohibiti in Leuitico, ſunt ita vetiti Iure naturæ, vt matrimonium irritum faciant.

Probatur Primò: Geneſ. 29. Iacob accepit ſororem vxoris ſuæ adhuc viuentis, ſcilicet Rachelem viuente Lia, quod prohibetur in Leuitico; nam eſt affinis in primo gradu. Neque dici poteſt id factum diſpenſatione diuina: nam ſatis conſtat fuiſſe conſuetudinem loci, vt duæ ſorores poſſent vni viro nubere. Cùm enim Laban decepiſſet Iacob obtrusâ Liâ pro Rachele, etiam Rachelem obtulit pro obſequio ſeptennij, & Iacob ſtatim conſenſit.

Secundò: Exodi 6. Amran pater Moyſis accepit Iochabed patruelem ſuam ſeu patruam, id eſt, patris ſui ſororem, vt vox Hebræa inſinuat, & colligi poteſt ex c. 26. Numerorum v. 59. Atqui hoc coniugium etiam prohibetur in Leuitico.

Tertiò: Coniugium patrui cum nepte non prohibetur in Leuitico, & tamen eſt in eodem gradu, in quo amita cum nepote, ſcilicet in ſecũdo: ergo iſte gradus Iure naturæ non eſt prohibitus. Quod confirmatur; quia Abraham duxit neptem ſuam, ſcilicet Saram filiam Aram; ſimiliter & Nachor duxit neptem ſuam Melcham filiam eiuſdem Aram: ergo non eſt contra Ius naturæ.

Quartò: Deut. 25. præcipitur, ſi quis moriatur ſine liberis, vt frater eius ducat vxorem relictam, vt ex illa ſemen ſuo fratri ſuſcitet: ergo matrimonium cum vxore fratris non eſt irritum Iuræ naturæ. Dices: Leuitici 18. prohibetur tale matrimonium, quomodo ergo Deuteron. 25. præcipitur? Reſpondeo: In Leuitico prohibetur nudè acceptum, eò quòd per ſe indecens ſit niſi per aliquam circumſtantiam honeſtetur. In Deuteronomio præcipitur ſolùm in certo euentu, nempe dum frater ſine liberis obijt, idque ne eius familia prorſus intereat.

Eſt indecẽs contrahere in his gradibus.

Quintò Probatur ex Cap. *Gaudemus*, de diuortijs, vbi Innocentius III. definit *infidelium conuerſorum matrimonia, quæ in ſecundo vel tertio gradu ante conuerſionem ſunt contracta, non eſſe dirimenda:* tale eſt inter amitam & nepotem, & inter vxorem patrui & nepotem patrui, quæ vetantur in Leuitico.

Hinc patet non omnes illos gradus Iure naturę matrimonium irritare. De Iure diuino poſitiuo non eſt dubitatio, cùm hoc ius pertineat ad legem veterem, quod vniuerſum per legem nouã eſt abrogatum. Aduertendum tamen: Coniunctionem in his gradibus continere quamdam indecentiam, niſi iuſta aliqua ratio illam cohoneſtet: quia conſanguineis & affinibus debentur maior quædam reuerentia, & verecundiæ ſignã, quàm alijs: cui reuerentiæ & verecundiæ non ſatis congruit actus coniugalis; vt rectè D. Auguſt. lib. 15. de Ciuitate cap. 16. & colligi poteſt ex ipſa Scriptura.

162 Dico Secundò: In linea recta irritum eſt matrimoniũ Iure naturę in primo & ſecundo gradu, quamuis

1,& 2. gradus *lineæ rectæ* Iure naturæ irritat matrimoniũ.

quamuis nõ sit intrinsecè malum sicut mendaciũ. In vlterioribus gradibus eiusdem lineæ probabilius etiam est eodem Iure irritum esse.

Prior pars est cõmunis sententia. Probatur de primo & secundo gradu: quia talis coniunctio repugnat vsui matrimonij: nam reuerentia naturalis non permittit vt filius discooperiat turpitudinem matris, aut filia patris. Cuius signum est, quòd vix vlla natio tam sit barbara, quin ab huiusmodi coniunctione abhorreat. Vnde Romani non permittebant, vt filius vna cum patre eodem balneo lauaretur, teste Valerio Maximo. Et Aristoteles de historia Animalium lib. 9. cap. 47. scribit camelos & equos non posse compelli, vt matribus misceantur.

Hæc coniunctio non est intrinsecè mala.

Aduerte tamen: non esse intrinsecè malum, vt videtur sentire Caietanus 2.2.q.154. art. 9. Nam per dispensationem diuinam, certo euentu, posset esse honestum: vt si genus humanum interiret, præter patrem & filiam: quomodo quidam excusant filias Loth, Genesis cap. 19. v. 32.

Probatur Secundò: Lege finali ff. *de Ritu nuptiarum*, vbi dicitur, *Incestum iure gentium committit, qui ex gradu ascendentium vel descendentium vxorem duxerit*. Et confirmatur: quia nepotes & neptes sunt veluti filij & filię; aui & auiæ sunt veluti patres & matres. Vnde similis est irreuerentia cum illis nuptias inire.

Tertius aut quartus gradus *lineæ rectæ* etiam Iure naturæ irritat matrimoniũ.

Altera Pars est contra Dom. Sotum, qui putat tertium & quartum gradum in linea recta non esse Iure naturę prohibitum. Sed communior sententia Doctorum nobiscum tenet. Probatur ex lege citata, vbi nullus gradus ascendentium & descendentium excipitur. Censet ergo eodem iure esse prohibitos. Et ratio est: Quia etsiin linea trãsuersa censeatur consanguinitas decursu generationum minui, tandemque euanescere; non tamen ita fit in linea recta: nam in hac semper alter respectu alterius habet rationem principij & parentis, alter rationem filij & effectus. Principio autem & parenti summa debetur reuerentia; imò eò maior, quò principium est altius & vniuersalius. Quare Adamo, si inter homines versaretur, summa deberetur. Vnde Henoch, ex quo Noë & omnes homines post diluuium, cùm venerit in fine mundi, nõn poterit inire connubium: nam omnes sunt eius filiæ.

Henoch non poterit contrahere, & cur.

1. Obiectio.

Dices Primò: Maior est propinquitas sanguinis inter Petrum & neptem ex fratre, quàm inter Petrum & eius tritauiam: sed matrimonium inter Petrum & illam neptem non esset iure naturæ irritum: ergo neque cum illa tritauia.

Soluitur.

Respondeo: Esse quidem maiorem propinquitatem, si gradus numeremus, non autem absolutè: nam gradus illi sunt diuersi generis, vnde nõ possunt inter se propriè comparari. Absolutè enim maior est propinquitas seu coniunctio inter Petrũ & eius tritauiam, quàm inter Petrum & eius sororem: illi enim habent se vt causa & effectus, hi verò vt duo effectus eiusdem causæ.

2, Obiectio.

Dices Secundò: In Leuitico non prohibentur nisi duo gradus lineæ rectæ, & Ecclesia solùm quatuor prohibet; quod signum est, vlteriores non esse prohibitos.

Soluitur.

Respondeo: In Leuitico expressè quidem vlteriorum graduum non fit mentio, quia censentur eádem lege prohiberi, qua primus & secundus; nam omnes sunt parentes & filij. Ecclesia etiam vlteriorum non meminit, quia nunquam potest incidere casus, vt tritauus, qui est in quinto gradu, possit aut velit inire matrimonium cum trinepte.

Dico Tertiò: In linea transuersa irritum est matrimonium Iure naturæ in primo gradu, scilicet inter fratrem & sororem: in cæteris non est irritum. 163 Primus gradus *lineæ transuersæ* irritat Iure naturæ.

Prior Pars est contra Caietanum suprà. Et probatur Primò: Genes. 20. Abraham, cum peregrinus esset in Geraris, dixit Saram esse sororem suã, nempe vt Geraritæ nescirẽt esse eius coniugẽ: ergo tunc temporis apud Ethnicos cõmunis sensus erat inter fratrem & sororem matrimonium non posse constare. Nec obstat, quòd Abraham ibidem rogatus à Rege, quomodo dixisset sororem esse, cùm esset vxor; responderit, *Verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in vxorem*: quia *soror* ibi vocatur *consanguinea*, scilicet *neptis ex fratre*; vt docet Iosephus lib. 1. Antiquitatum cap. 12. vel 14. Hieronymus lib. contra Heluidium, & in quęstionibus Hebraicis. D. Augustinus lib. 22. contra Faustum c. 35. vbi etiam ait, Scripturam testari, consanguineos & consanguineas fuisse antiquitus appellatos *fratres & sorores*. Sic & consanguinei Domini vocabantur *fratres Domini*. Sic Isaac in simili casu Rebeccam vocabat *suam sororem*, quæ tamen erat neptis ex patruele, Gen. 26. Simili modo Abraham potuit Saram appellare *sororem*, etiamsi esset neptis ex fratre. Dicit, *filia patris mei*; scilicet *filia Thare*, non immediatè, sed mediante *Aram* fratre Abrahami, qui iam obierat. Vnde Auus erat illi loco patris. Abraham vocat vxorem suam sororem.

Probatur Secundò: Ex D. Augustino lib. 22. contra Faustum c. 35. vbi ait: *Ex vtroque, vel altero parente natos necti coniugio non licebat*, scilicet temporibus Abrahæ. & lib. 15. de Ciuit. cap. 16. inter cætera ait, *Consuetudinem & sensum humanum etiam inter Ethnicos fraterna connubia abhorrere, quamuis peruersis legibus concessa fuerint*.

Probatur Tertio: Quia Ecclesia nunquam legitur in hoc gradu dispensasse, nec vllus Sanctorũ contraxisse. Quòd autem vitio generis humani fratres & sorores contraxerint, factum fuit Deo dispensante ob absolutam necessitatem.

Obiectio.

Dices: Thamar cùm à fratre vim pateretur, dixit fratri, *Loquere ad Regem, & non negabit me tibi*, 2. Reg. 13. ergo putabat tale connubium fieri posse.

Soluitur.

Respondeo: Illam vel fuisse ignaram legis diuinæ; vel hoc æstu vim auertere voluisse. Certissimum enim est tale matrimoniũ fieri non potuisse, non solùm ob legem naturæ, sed etiam ob legem diuinam positiuam tunc obligantem, & grauissimâ pœnâ munitam.

DVBIVM III.

Quinam gradus consanguinitatis absolutè dirimant matrimonium, siue Iure naturæ, siue Ecclesiastico?

REspondeo: Omnes consanguinitatis gradus vsque ad quartum gradum inclusiuè absolutè dirimunt matrimonium. Patet hoc ex Concilio Magno Lateranensi cap. 50. *Prohibitio copulæ coniugalis quartum gradum consanguinitatis & affinitatis de cætero non excedat: quoniam in vlterioribus gradibus iã non potest absque graui dispendio huiusmodi* 164 Omnes dirimunt vsque ad quartum inclusiuè.

prohibitio generaliter obseruari. Vbi aduerte: Olim prohibita fuisse coniugia vsque ad septimum gradum; vt patet ex multis Canonibus 35. quæst. 2. Sed Concilium ob grauissimas causas reduxit ad quartum. Post quartum enim, ob vitæ breuitatẽ, sæpè non cognoscuntur consanguinei. Vnde fiebat, vt sæpè in gradibus prohibitis, vel ex negligentia, vel ex ignorantia, contraheretur. Hinc scandala & lites.

Papa dispensat in *linea recta* non *transuersa*.

Ex dictis sequitur Pontificẽ in linea recta consanguinitatis non posse dispensare. In linea transuersa posse; præterquam in primo gradu. Hæc de consanguinitate.

DVBIVM IV.

Quid sit Affinitas?

165 Quid Affinitas.

Respondeo: *Affinitatem* propriè *esse propinquitatem ex copula carnali prouenientem*. Adde, *vel ex iure propinquo ad copulam*.

Dico, *Ex copula carnali:* quia generatim ex omni copula, etiam fornicaria nascitur. *Copulam* voco actum consummatum, qui per se talis est, vt ex eo possit sequi generatio. Vnde ex copula sterilium nascitur affinitas, non tamen ex copula frigidorũ.

Addo, *Vel ex iure propinquo ad copulam:* nam ex matrimonio rato, non consummato, nascitur etiã vera affinitas; vt dicitur declarasse Pius V. Anteà tamen à plerisque Doctoribus non vocabatur *affinitas*, sed *impedimentum iustitiæ publicæ honestatis*. Rectiùs tamen vocatur *affinitas*; tum quia passim apud omnes censetur *affinitas* contrahi per ipsum matrimonij contractum; nam statim post contractum, nominibus *affinitatis* se mutuo compellant vir & consanguinei vxoris, vxor & consanguinei viri: tum quia per ipsum contractũ vir & mulier fiunt vna caro, quasi in habitu; atqui ratione cõiunctionis in vnam carnem nascitur *affinitas*: tum quia non minùs dirimit Matrimonium, quàm si copula accessisset: *tum denique*, quia Concilium Trident. sess. 24. restringit *impedimentum iustitiæ publicæ honestatis* ad primum gradum; hoc autem impedimentum se extendit vsque ad quartum.

Affinitas non caret parentelâ.

Notandum Primò: Quosdam addere huic definitioni, *Omni carens parentelâ*. Sed hæc particula non est necessaria, imò potiùs obscurat definitionem: potest enim *affinitas* superuenire consanguinitati; vt si frater committat incestũ cum sorore, erit affinis alteri sorori, & matri, & cæteris vsque ad quartum gradum.

166 Regula ad cognoscendos gradus *affinitatis*.

Notandum Secundò: Ad cognoscendos gradus affinitatis: Contrahi affinitatem inter virum & consanguineos vxoris, vel mulieris cognitæ carnaliter; & contrà, inter vxorem & consanguineos viri, idque in eo gradu quo erant consanguinei: v. g. si Petrus cognouit Catharinam, consanguinei Catharinæ in primo gradu, fiunt Petro affines in primo gradu; & consanguinei Catharinæ in secundo, fiunt Petro affines in secundo gradu, & vicissim.

Affinitas iam non parit *affinitatem*.

Notandum Tertiò: Olim si defuncto coniuge alter inibat secundas nuptias, nascebatur secundũ genus affinitatis, scilicet inter consanguineos defuncti, & alterum coniugem cum quo superstes contrahebat. Si tertiò contrahebat, nascebatur tertium genus affinitatis. Verùm hic modus cõtrahendi affinitatem sublatus est per Concilium Magnum Lateranense cap. 51. Vnde modo affinitas non parit affinitatem; id est, persona, quæ mihi est affinis, non potest mihi alios affines accersere.

DVBIVM V.

Quoto gradu dirimit affinitas Matrimonium?

167 *Affinitas* ex coniugio dirimit vsque ad quartum gradum.

Dico Primò: Affinitas, quæ ex actu coniugali, vel ex matrimonio rato nascitur, est impedimentum dirimens vsque ad 4. gradum, siue in linea recta, siue in transuersa. De priore, quæ est ex actu coniugali probatur ex Capitulo *Non debet*, de Consanguinitate & affinitate, quod acceptum est ex Concilio Lateranensi cap. 50. Itẽ 35. qu. 3. sunt multi Canones hac de re. Altera pars, scilicet de Matrimonio rato non consummato, probatur ex Capitulo *Si quis desponsauerit*, & quatuor sequentibus 27. qu. 2.

168 *Affinitas* ex fornicatione dirimit tantũ vsque ad secundum gradum.

Dico Secundò: Affinitas, quæ ex fornicatione nascitur, dirimit matrimonium post Concil. Trident. tantummodò vsque ad secundum gradum inclusiuè. Patet ex Concil. sess. 24. cap. 4. Sed quia Concilium solùm dicit, *Matrimonium non dirimi vltra secundum gradum per talem affinitatem*, dubium esse poterat, vtrùm saltem impediretur. Vnde Pius V. explicuit *in 3. & 4. gradu per hanc affinitatem matrimonium non impediri*; vt docet Nauarrus cap. 22. nu. 43.

Nec vltra impedit debiti petitionem.

His adde: Etsi vir cognoscat consanguineam vxoris in 3. vel 4. gradu, non impediri petitionem debiti, vt respondit facultas Salmanticensis & Complutensis, teste Viualdo; & colligi vtcũque potest ex Concilio Trident. suprà, vbi Concilium *ex fornicatione noluit nasci impedimentum vltra secundum gradum ad contrahendum*. Vnde sequitur, neque etiam nasci impedimentum ad petendum debitũ. Quando enim affinitas non repugnat matrimonio contrahendo, non potest etiam eius vsui repugnare, si matrimonio superueniat.

169 Quale nascitur impedimentum, si nesciam esse consanguineã.

Petes; Quid si Petrus cognoscat consanguineã Catharinæ in 1. vel 2. gradu, penitus ignorans esse eius consanguineam, nasciturne impedimentũ respectu Catharinæ?

Respondeo: Nasci indubiè ad contrahendum cum Catharina matrimonium: non tamen ad petendum debitum si iam erat eius vxor, vt docet Castro lib. 2. de Potestate legis pœnalis cap. 14. Paludanus dist. 34. qu. 1. Victoria qu. 288. Sotus dist. 36. art. 2. Ratio est; quia in hoc casu nõ posse petere debitum, est pœna incestûs: Nemo enim priuari potest iure in re quam possidet, nisi ob culpam: atqui hîc non est culpa incestus, sed solùm fornicationis vel adulterij. Impedimentum autem ad contrahendum potest nasci etiam sine culpa; quare cùm hîc orta sit affinitas, non potest contrahere. Confirmatur à simili: Si vir in necessitate baptizat filium vxoris suæ, non prohibetur petere debitum: tamen si esset concubina, non posset contrahere matrimonium cum illa, ob spiritalem cognationem.

DVBIVM VI.

Quinam gradus affinitatis Iure naturæ efficiant Matrimonium irritum?

170 Dico Primò: In primo gradu affinitatis lineæ rectæ valdè probabile est Matrimoniũ esse

Primus gradus *lineæ rectæ* irritat iure naturæ.

esse irritum Iure naturæ. Vbi nota: In hoc primo gradu affinitatis, esse hos; vitricum & priuignam, nouercam & priuignum, socerum & nurũ, socrum & generum.

Probatur Primò: Prioris ad Corinthios 5. v. 1. *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornitatio, qualis nec inter gentes; ita vt vxorem patris sui quis habeat.* Vbi Apostolus insinuat esse contra legem naturæ.

Probatur Secundò: Leuitici 28. talia matrimonia puniuntur pœnâ mortis, sicut patris cum filia, matris cum filio, aui cum nepte, fratris cum sorore, quæ suprà diximus esse Iure naturę irrita: cætera leuioribus pœnis puniuntur.

Probatur Tertiò: Quia nunquam auditum est Ecclesiam in his gradibus lineæ rectæ dispensasse. Neque in lege veteri vlla exempla Sanctorum existunt.

171 In *linea transuersa* primus nõ irritat iure naturæ.

Dico Secundò: In primo gradu affinitatis lineæ transuersę non est irritum Iure naturę matrimonium, multoque minus in secundo & tertio. Vbi aduerte: In primo gradu lineæ transuersæ, esse v. g. Petrum, & vxoris eius sororem; item vxorem Petri, & fratrem Petri.

Probatur Primò: Deuteron. 25. præcipitur, vt frater ducat vxorem fratris sui defuncti sine liberis. Genesis 38. Iudas dedit Thamar duos filios suos successiuè maritos. Genesis 29. Iacob accepit duas sorores.

Dispensarunt in eo Pontifices.

Probatur Secundò: Quia sæpè à Pontificibus est dispensatum. Alexander VI. cum Emanuele Rege Portugalliæ dispensauit, vt duas sorores filias Regum Catholicorum successiuè haberet. Iulius II. cum Henrico VIII. vt Catharinam filiam Ferdinandi vxorem fratris Arcturi sine liberis defuncti. Innocentius III. dispensauit cũ Liuonibus, vt manerent cum vxoribus fratrum, quas in infidelitate acceperant; vt patet Capitulo finali, *de Diuortijs.*

Nec obstat, Quòd Matthæi 14. v. 4. Ioannes dicebat Herodi, *Non licet tibi habere vxorem fratris tui:* nam frater viuebat, vt refert Hieronymus in hunc locum; vna autem nõ potest simul esse vxor duorum. Deinde, etsi fuisset mortuus frater, non tamen licuisset propter legem veterem Leuitici 18. Nam frater reliquerat semen ex Herodiade, puellam saltatricem; vt testatur Chrysostomus homil. 49. in Matth. Solùm autem poterat frater accipere vxorem fratris defuncti, quando ille absque liberis defunctus erat.

DVBIVM VII.

Vtrùm cognatio spiritalis, quæ nascitur ex baptismo, vel confirmatione, sit impedimentum dirimens, & inter quos?

172 Hæc cognatio est restricta per Trid.

REspondeo: Hęc cognatio est impedimentum dirimens inter baptizantem, confirmantẽ, & suscipientem ex vna parte, & baptizatum, confirmatum, eiusque patrem & matrem ex altera parte: non autem inter alios. Patet hoc ex Concilio Trident. sess. 24. cap. 2. *de Reformatione matrimonij,* vbi cognatio spiritalis restringitur ad *paternitatem* & *compaternitatem*. *Confraternitas* omnino tollitur, qualis est inter baptizatum, & filios baptizantis vel suscipientis. *Paternitas* verò & *compaternitas* ex parte tollitur, scilicet inter baptizantis vel suscipientis coniugẽ, aut concubinam ex vna parte, & baptizatum eiusque consanguineos ex altera parte. Vide multos Canones hac de re 30. qu. 1. & in tit. *de Cognatione spiritali.* Ratio horũ omnium est: quia sicut decuit, vt cognatio carnalis ob reuerentiam consanguineis debitam, & ad amicitias propagandas dirimeret matrimonium: ita etiam decuit, vt cognatio spiritualis dirimeret matrimonium; cùm illæ causæ hic quoque locum habeant.

Petes: vtrùm hoc impedimentum contrahatur ex baptismo minùs celebri in extrema necessitate collato?

173 Oritur etiã hęc cognatio ex baptismo minùs celebri in extrema necessitate collato.

Respondeo: Hoc impedimentum omnino contrahi ex tali baptismo, non solùm inter baptizantem & baptizatum, sed etiam inter leuantem & baptizatum, eiusque parentes: quod est contra Sotum. Ratio est: quia hoc impedimentum dirimens nascitur ob Sacramentum, non ob eius solemnitatem. Nam ratione Sacramenti non solùm baptizans, sed etiam leuans fit parens spiritualis infantis.

Aduerte: In hoc impedimento quod ortum est ex baptismo dato in extrema necessitate, iuxta Sotum, posse Episcopum dispensare ad matrimoniũ contrahendum, quando non esset facillimus ad Vrbem transitus.

DVBIVM VIII.

Quandonam à Patrinis contrahatur hæc affinitas?

174 REspondeo: Hanc affinitatem non contrahi à Patrinis dum portant infantem, vel etiam dum tenent in Catechismo: sed, cùm tenent eum quando actu baptizatur; vel cum leuant eum de sacro fonte, iuxta communiorem sententiam. Nec refert an respondeant nomine infantis, an non. Quod est contra Hostiensem.

Petes Primò: Quot possint esse Patrini?

Duo solùm sint Patrini

Respondeo: Ad summum duo, iuxta Tridentinum suprà. v. g. vnus & vna. Vnde maritus & vxor possunt eandem prolem suscipere. Neque Episcopus potest dispensare vt loco vnius viri & vnius mulieris, duo viri suscipiant, vel duæ mulieres; vt respondit Congregatio Cardinalium. Vide quæ diximus q. 67. a. 7. & 8. de Baptismo.

Petes Secundò: An ista cognatio possit contrahi per Procuratores?

Quidam negant hãc cognationem contrahi per procuratorem.

Respondent plerique non posse contrahi. Vnde quando Princeps aliquis per procuratorẽ suscipit infantem, Principẽ non contrahere cognationem, sed procuratorem ipsius, qui tangit vel leuat. Ita Couarruuias 2. p. de Sponsalibus cap. 6. §. 4. n. 6. Siluester V. Matrimonium. 8. quæst. 7. §. 14. Soto dist. 24. quæst. 1. art. 2.

Verius affirmatur.

Contrarium tamen est tenendum cum Panormitano in Cap. *Veniens,* de Cognatione spirituali: quia Congregatio Cardinalium instituta ad explicandum Concilium Tridentinum, respondit eum qui leuat, aut tenet procuratoris nomine, nullam contrahere cognationem spiritualẽ. Quod sanè multo magis rationi est consentaneum: quia procurator non agit suo, sed Principis nomine. Vnde Princeps censetur leuare, sicut in contrahendis sponsalibus & matrimonio fieri videmus.

DVBIVM IX.

Vtrùm cognatio legalis sit impedimentum dirimens, & quousque?

175 Quid Legalis cognatio.

NOtandum est: *Cognationem legalem* esse vinculum, quod nascitur ex adoptione. *Adoptio* autē *est assumptio legitima personæ extraneæ in filium vel filiam*. Iure enim Gentium concessum est, vt qui liberos non habent, possint in sterilitatis solatium, aliquos in liberos assumere. Quod posteà etiam concessum est ijs qui liberos habent. Castratis & frigidis non conceditur: quia quos natura fecit Matrimonio ineptos, noluit Ius facere parētes. Feminæ quoque non conceditur, nisi interdum ex priuilegio. Neq; etiam illi, qui ætate non superat adoptandum, saltem annis 18.

Quid *Adoptare*, & quorum.

Adoptio perfecta & imperfecta.

Adoptio generatim est duplex. Quædam est *imperfecta*, dicitúrque tantùm *Adoptio*. Hæc fit auctoritate Magistratûs. Non transfert adoptatum in potestatem adoptantis, nec facit succedere ab intestato. Altera est *perfecta*, & vocatur *Arrogatio*, fitque rescripto Principis; transfert quoque Arrogatum in potestatem Arrogantis, facitque Arrogatum succedere ab intestato, ita vt Arrogator nō possit eum priuare legitima. Vide Siluestrum verbo *Adoptio*. & *Instituta de Adoptionibus*. tit. 11. & ff. eodem titulo. His notatis:

176 *Adoptio* dirimit in *linea recta* vsque ad 4. gradum.

Respondeo: Cognationem legalem dirimere Matrimonium. Primò quidem in *linea recta* vsque ad 4. gradum descendentium; id est, inter adoptātem & adoptatam, eiusque adoptatæ posteros, vsque ad 4. gradum, non tamen ascendentium. Tenet Palud. dist. 42. q. 1. conclusione 6. Siluester *Matrimonium*, 8. §. 8. Nauar. cap. 22. nu. 45. & alij.

Probabile est, quòd solum vsq; 2. gradum.

Aduerte tamen: Probabile esse post Concilium Trident. hoc impedimentum solùm dirimere vsque ad 2. gradum inclusiuè, sicut cognatio spiritalis. Ita quidam Doctores Salmanticenses, & Henriches lib. 2. *de Matrimonio* c. 12. Quod Confirmatur; Quia si cognatio spiritalis, quæ maius est vinculum & insolubilius, dirimit solùm vsque ad 2. gradum; cur non idem dici queat de cognatione legali, quæ similis est cognationi spiritali? præsertim cùm non habeamus Canonem, quo cōtrarium exprimatur?

Inter quos dirimit in linea transuersa.

Secundò verò, Dirimit in *Linea transuersa* matrimonium inter filios naturales adoptantis, & eū qui perfectè est adoptatus; id est, arrogatum.

Tertiò autem, Hæc cognatio per modum cuiusdam affinitatis dirimit inter adoptatum & coniugem adoptantis, quæ illi est veluti nouerca: & inter adoptantem & coniugē adoptati, quę illi est instar nurus.

177 Impedimentum hoc in quibusdam est perpetuū, in quibusdam temporale.

Notandum est Primò: In linea recta hoc impedimentum esse perpetuum, quamuis moriatur alter, vel filius emancipetur, vel adoptio dissoluatur. Perpetuum quoque est inter coniugem adoptantis & adoptatum, inter coniugem adoptati & adoptantem, vt expresè habemus lege *Adoptiuus*. ff. de Ritu nuptiarum. Verùm inter filios naturales adoptantis & adoptatum est impedimētum temporale; nempe quamdiu filij naturales sunt sub patria potestate, vel certè quamdiu ipse adoptatus sub ea est. Vnde si filij naturales emancipentur, vel emancipetur adoptatus, vel si adoptans moriatur, possunt inter se contrahere; vt colligitur Capitulo vnico *De cognatione legali*: vbi Nicolaus I. sic ait; *Si qua per adoptionem mihi soror esse cœperit, quamdiu durat adoptio, inter me & ipsam nuptiæ consistere non possunt*: intellige nisi alter emancipetur; vt patet ex Capitulo *Per adoptionem*, 30. quæst. 3.

Notandum Secundò: Etsi isti gradus non exprimantur Iure Canonico; tamen Iure Ciuili habētur expressi, quod ferè hac in parte à Canonico est receptum: vt patet Capitulo *Diligere*, 30. q. 3. & etiam ferè receptum est Ecclesię consuetudine.

Non est impedimētum inter adoptatum, & filiam illegitimā adoptantis.

Petes: Vtrùm inter adoptatum & filiam illegitimā adoptantis censeatur esse hoc impedimentum durante adoptione?

Respondeo: Non censeri esse impedimentum. Ratio est; quia illegitima non est in patria potestate. Ita Innocentius IV. Hostiensis, & alij, quos refert & sequitur Fumus V. *Matrimonium*, §. 18. estque sententia communis teste Nauarro cap. 22. nu. 44. Pari modo, nullum est impedimentum inter duos adoptiuos; vt docet idem Fumus n. 19.

Neque inter duos adoptiuos.

DVBIVM X.

Vtrùm impedimentum iustitiæ publicæ honestatis matrimonium dirimat?

178

REspondeo: Impedimentum iustitiæ publicæ honestatis dirimit matrimoniū: vt patet ex varijs Canonibus. Impedimentū autem hoc secūdùm quosdā nascitur tripliciter. Quod ad Primū,

1. Nascitur ex sponsalibus.

Notandū est Primò: Sicut ex copula carnali, & ex matrimonio rato nascitur affinitas inter virū & consanguineos vxoris, inter vxorem & consanguineos viri: ita ex contractu sponsalium inter sponsum & consanguineos sponsæ nascitur quiddam simile affinitati, veluti quædam affinitatis inchoatio, quam vocant *iustitiam publicæ honestatis*, vel *publicam honestatem*: postulat enim honestas, vt non iungaris matrimonio cum sorore tuæ sponsę.

Debent ea esse validā.

Notandum Secundò: Etsi olim hoc impedimentum nasceretur ex sponsalibus inualidis, & dirimeret vsque ad 4. gradum inclusiuè: post Cōcilium tamen Tridentinū solùm nascitur ex sponsalibus de futuro validis, & tantùm in 1. gradu dirimit. Statuit itaque Concilium sess. 24. cap. 3. vt si contraxeris sponsalia cum aliqua, nunquam possis cum eius sorore, matre, vel filia contrahere, etiamsi sponsa tua moriatur; nec ipsa cum patre, fratre, vel filio tuo possit contrahere: possit tamen cum tuo nepote qui est in 2. gradu, ad quem hoc impedimentum iam non extenditur.

Solùm extenditur ad 1. gradum.

Si ea sint irrita defectu consensus.

Quidam, inter quos Couarru. 2. parte, cap. 6. §. 2. putant hoc impedimentum etiam nasci ex sponsalibus irritis, quæ tantùm defectu consensus interioris irrita sunt, & in foro externo præsumuntur valida. Sed verius videtur non nasci: nam huiusmodi sponsalia reuerà sunt inualida quamuis in foro externo valida præsumantur. Concilium autem non vult illud nasci ex sponsalibus inualidis, quacumq; ratione inualida sint; vt patet ex verbis Concilij.

Si sint cōditionata.

Ex conditionatis sponsalibus ante conditionē impletā nō nascitur hoc impedimentū. Completa tamen conditione nascitur, quia sponsalia sunt valida. Patet ex Capitulo vnico *de Sponsalibus*.

2. Nascitur ex matrimonio clandestino.

Quod ad secūdum: nascitur id ex matrimonio clandestino post Concilium Tridentinum contracto. Ratio est: quia etsi ille contractus non habeat vim matrimonij ob decretum Concilij, videtur tamen

tamen habere vim sponsalium, vt dicuntur declarasse Cardinales qui interpretando Concilio præsunt. Contrarium tamen non est improbabile, si verba Concilij expendantur, quamdiu illæ declarationes non sunt authenticè emissæ in lucem.

3. Nascitur ex matrimonio præsumpto.

Quo ad tertium: Nascitur id ex matrimonio præsumpto in facie Ecclesiæ contracto. Ita Couar. cap. 6. §. 2. nu. 2. & Nauarrus cap. 22. nu. 57. vbi dicit Pium V. id declarasse. Vnde quod idem Nauarrus numero sequenti ait hoc impedimentũ non nasci ex matrimonijs contractis inter consanguineos & affines intra gradum prohibitum, aut cum initiato sacris, aut cum Religioso, quia sunt inualida; vel verum non est, cùm repugnet ei quod ante dixit: vel debet intelligi de huiusmodi matrimonijs clandestinè contractis; vt infrà insinuat.

CAPVT XI.

De impedimento Criminis, Disparitatis cultus, Violentiæ, & Ligaminis.

DVBIVM I.

Vtrùm sit aliquod crimen, quod irritet Matrimonium?

179 Primum crimen.

REspondeo: Esse quædam crimina, quæ matrimonium irritant, idque in tribus casibus. Primus est: Si vxor tua, cum alio conspiret in tuã mortem, vt possint simul contrahere, & ex illorũ machinatione mors sequatur; tunc enim inter eos nullo modo potest constare matrimonium, quamuis non intercesserit adulterium. Idem dicendũ, si maritus in mortem vxoris conspiret cum alia. Patet Capitulo *Laudabilem*, de Conuersione Infidelium. Hoc impedimentum statuit Ecclesia ad tollendas occasiones occidendi coniuges.

Crimẽ hoc debet fieri vtriusque consensu.

Duo autẽ hic sunt notanda. Alterum est, occisionem debere fieri vtriusque conspiratione. Si enim alterius tantùm machinatione fiat, altero nesciente, non irritat matrimonium; vt patet ex Capitulo citato, nisi interuenerit adulterium, vt statim dicetur. Neque sufficit, si alter post factum ratum habeat; quia rati-habitio illa non est causa actus. Sufficit tamen consilium & iussio: quia hęc concurrunt ad opus. Alterum est, vt occisio fiat animo contrahendi: si enim alio fine fiat, non impedit; vt rectè Glossa in Capit. *Super hoc*, De eo qui duxit; quam sequuntur communiter Doctores contra Caietanum verbo *Matrimonij impedimenta*, Casu 5.

Et animo contrahendi.

Secundum crimen.

Secundus casus est: Quando alter coniux adulterium committit cum alio; & vt possit cum eo contrahere, interficit suum coniugẽ, etsi adultero ignorante. Similiter si adulter interficiat maritum adulteræ in eum finẽ, etsi ipsa non consentiat. Patet Capitulo *Super hoc*, De eo qui duxit.

Tertium crimen.

Tertius casus est: Adulterium cum coniuge alterius scienter committere, & contrahere matrimonium cum eo ante mortẽ coniugis, vel dare fidem de contrahendo per verba quæ ex se ad sponsalia sufficiant. Ita habemus Capitulo *Significasti*. & Capit. *Ex literis*, De eo qui duxit. Quòd si non sit verè coniux, licet putetur esse, non incurritur hoc impedimentum. Similiter si detur fides, aut contrahatur matrimonium secundum sine adulterio interueniente: debet enim vtrumque adesse, idque ante mortem coniugis. Vnde si puella probabiliter ignoret Petrum esse coniugem alterius, quamuis adulterium cum eo committat, & contrahat cum eo, vel vltrò citroque dent fidẽ de contrahendo in futurum, nõ nascitur hoc impedimentum; nisi illa, postquam cognouerit Petrum habere vxorem, rursus cum eo adulterium committat. Ita Nauar. & alij Doctores ex capitulis citatis. Quòd si ipsa post cognitionem non cõmiserit amplius adulterium, tenebitur Petrus mortua vxore eam ducere, si ipsa velit; vt habetur Capitulo *Propositum*, De eo qui duxit in matrimonium. Et ratio est; quia ex parte puellæ fuerunt valida sponsalia, & sub spe futuri matrimonij bona fide concessit vsum corporis.

DVBIVM II.

Vtrùm Disparitas cultus sit impedimentum dirimens?

180 Impedimẽtum hoc est inter baptizatũ & nõ baptizatũ.

REspondeo, & Dico Primò: Disparitas cultus est impedimentum dirimens: nempe inter baptizatum & non baptizatum. Est communis sententia Theologorum & Canonistarum, qui id tanquã indubitatum tradunt. Sed difficultas est, quo iure id fiat.

Irritat, sed non Iure naturæ.

Dico Secundò: Matrimonium per hoc impedimentum non dirimitur Iure naturæ, neque diuino positiuo, neque Ecclesiastico scripto, sed Iure Ecclesiastico consuetudine recepto.

Non Iure naturæ: nam multa extant Sanctorum exempla, qui cum infidelibus contraxerunt. In lege veteri Genes. 41. v. 50. Ioseph accepit vxorẽ filiã Phutipharis sacerdotis idolorum. Moyses filiã Iethro Exod. 2. v. 22. & Æthiopissã Numer. 12. v. 1. Dauid filiam Regis Gessur 2. Reg. 3. v. 3. Esther nupsit Assuero, lib. Esth. c. 2. In nouo testamento, Monica S. Augustini mater habuit virum gentilem; & Clothildis nupsit Clodoueo Regi Francorum ethnico. Imò huiusmodi coniugia olim erant frequentissima; vt testatur D. Augustinus lib. *De fide & operibus*, cap. 19. Ratio est: quia talis coniunctio non est contra matrimonij finem: potest enim ex ea proles suscipi, & etiam aliquo modo in Religione enutriri.

181 Nec diuino.

Non etiam Iure diuino: quia tale nullum Ius extat, præsertim in lege noua: Etsi enim in lege veteri Deus prohibuerit Iudæis matrimonia cum infidelibus, vt patet Deuter. 7. & 3. Regum 11. Tamen hoc præceptum, quatenus irritabat matrimonium, erat iudiciale, non morale; ac proinde vna cum lege veteri abolitum. Quod patet, quia solùm prohibebat matrimona cum infidelibus habitantibus in terra Chanaam, quos Deus volebat omnino deleri; non autem cum gentibus remotioribus, vt Persis, Medis, Chaldæis, Ægyptijs, illis tantùm Ægyptijs exceptis, qui in terra Chanaan habitabant, de quibus Esdræ lib. 1. capite 9.

Dices: 1. ad Corinth. 7. v. 39. Apostolus ait, *Si dormierit vir eius, cui vult nubat, tantùm in Domino:* id est, cum Christiano; vt Theodoretus & Anselmus, in hunc locum.

Respondeo:

Respondeo: Hinc vt summum probari, matrimonium cum Infidelibus esse illicitum, non tamen esse irritum. Nam matrimonium cum hæretico non contrahitur *in Domino*, iuxta mentem Apostoli; & tamen irritum non est.

182 Nec Iure Ecclesiæ scripto.

Non Iure Ecclesiastico scripto est irritum: nam nullum tale Ius reperitur. Concilium quidem Chalcedonēse can. 13. prohibet matrimonia cum Iudæis & Paganis, non tamen illa facit irrita: nam similiter prohibet matrimonia cum hæreticis, quę tamen constat valida esse. Dices: Concilium Toletanum IV. can. 6. iubet Iudæos, qui Christianis iuncti sunt, aut conuerti, aut separari. Respondeo hoc Concilium non est generale, & solùm agit de incolis Hispaniæ, vti suprà diximus capite 5. num. 95.

183 Sed tantùm ex recepto vsu Ecclesiæ.

Ex dictis sequitur, solùm more & consuetudine Ecclesiæ, quæ vim legis habeat, hoc impedimentum esse introductum. Idque meritò: tum quia tale matrimonium non potest esse Sacramentum, quod requirit vt vterque sit baptizatus; est enim contractus duorum: tum quia in lege veteri matrimonia Iudæorum cum infidelibus eorum regionem incolentibus irrita erant: tum denique, quia periculum est coniugi & prolibus, ne ab infideli peruertantur.

184 Coniugiū fidelis cum hæretico illicitum, non irritum.

Dico Tertio: Disparitas cultus, quæ est inter fidelem & hæreticum, Iure naturę & Ecclesiastico est *impedimentum impediens*; id est, reddens matrimonium culpabile, non tamen *irritum*. Ratio est: Tum quia est periculum peruersionis; tum, quia in Religionis ista discrepantia vix pax domestica seruari potest. Vide Ambrosium lib. 1. *de Patriarcha Abraham* c. 9. vbi inter cætera sic ait; *Caue Christiane Gentili aut Iudæo filiam tuam tradere. Caue, inquam, gentilem, Iudæam, aut alienigenam, id est, hæreticam, & omnem alienam à fide tua, accersas tibi.* Vide etiam Tertullianum lib. 2. ad vxorem, vbi fusè prosequitur pericula talis matrimonij.

DVBIVM III.

Vtrùm metus vi incussus, & raptus sint impedimentum dirimens?

185 QVòd ad *vim* attinet, seu metum vi incussum, quomodo matrimonium irritet, suprà dictum est cap. 4. dub. 7. & seq.

Raptor est inhabilis ad contrahendum.

Solùm hìc addenda quædam ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 6. vbi decernit Primò, inter *raptorem & raptam*, quamdiu est in eius potestate, non posse matrimonium constare. Vnde quę rapta est, debet priùs à raptore separari, & in loco tuto constitui; alioqui eius consensus erit irritus, etiamsi omnino sponte præstetur.

Aduerte tamen hoc esse nouum, Iure antiquo minimè necessarium. Sufficiebat enim ipsam liberè consentire, quamuis adhuc in eius potestate esset. Quod notandum est pro illis locis, vbi Concilium non est receptum. Vide Nauarrum lib. 4. Consiliorum tit. 3. consilio 2.

Infamis.

Secundò: Decernit *raptorem* perpetuò esse infamem, & omnium dignitatum incapacem. Hoc quidam intelligunt, *nisi raptam duxerit*: si enim duxerit, non fore infamem vel incapacem. Sed Concilium insinuat contrarium.

Excommunicatus.

Tertiò: Decernit ipsum esse de facto excommunicatum.

Quartò: Omnes, qui illi consilium, vel fauorem, vel auxilium ea in re præbuerint, esse etiam excommunicatos, & infames. Excommunicatur auxiliantes.

Quintò: Raptorem teneri ad dotandam raptam arbitrio iudicis, siue eam duxerit, siue non. Sed ad hoc non obligatur, nisi post sententiam. Tenetur ad dotem.

DVBIVM IV.

Vtrùm ligamen seu vinculum alterius matrimonij dirimat matrimonium subsequens?

186 Si credas vxorem esse viuam, quę reuerà sit mortua; & tamen cum alia contrahas.

REspondeo: Vinculum alterius matrimonij seu ligamen Iure naturę dirimit omne aliud matrimonium. Patet ex dictis suprà cap. 4. dub. 7.

Petes Primò: Vtrùm matrimonium sit validum, si quis credens vxorem suam esse viuam, contrahat cum alia, cùm tamē illa reuerà sit mortua. Similiter si contrahat cum ea quam putat esse consanguineam, cùm tamen reuerà non sit: Nauarrus cap. 22. Enchiridij num. 43. & 56. respondet negatiuè. Similiter Dominicus Soto dist. 37. art. 3. & Siluester 3. matrimonium 8. num. 13. Ratio illorum est; eò quòd, cùm iste credat matrimonium non posse esse validum, fieri nequeat vt habeat voluntatem absolutam contrahendi. Nemo enim potest absolutè velle quod iudicat esse impossibile.

Sed dicendum est cum Couar. 2. parte, & multis alijs, validum esse tale matrimonium, si contrahens exprimat, vel saltem intendat contrahere quantum potest. Nam si quis contraheret cum hac conditione, *Contrabo tecum si possum*, etiamsi existimaret se non posse, firmum esset matrimonium, modò verè ex parte rei non subsit impedimentū: ergo & istud firmum erit; quia intendit contrahere quantum potest. Pari modo si quis putet se non posse donare, tamen de facto donet quantum in ipso est, donatio erit valida si poterat donare.

Petes Secundò: Vtrùm is qui adhibita diligentia per multos annos nihil intellexit de vita coniugis, possit contrahere cum alio?

187 Si post inquisitionē nihil intelligas de vita coniugis.

Respondeo: Certum est non posse: nisi ipse habeat moralem certitudinē de eius morte, qualis habetur per nuntium fide dignum; vel quando tanta sunt indicia, vt æquiualeant certo nuntio. De quibus iudicabit Iudex Ecclesiasticus. Patet Cap. *Dominus*, de Secundis nuptijs.

Dices: Capite *Perlatum*, Qui filij sint legitimi, Alexander III. laudat Episcopum Vintonienscm, qui mulierem quandam separauit à viro in extera regione posito, deditque ei licentiam nubendi alteri; eò quòd non posset continere, quamuis vir nondum putaretur mortuus. Et dicit Pontifex filios ex secundo marito esse legitimos.

Respondeo: Pontifex laudat Episcopum illum tanquam prouidum, quòd diligentiam adhibuerit vt vir rediret: non tamen laudat quòd promulgauerit diuortium; neque laudat vxorem quod secundò contraxerit. Nam hęc sunt contra Ius diuinum. Quòd autem filios dicit esse legitimos, causa est, quòd diuortium per Ecclesiam factum fuerit, etsi malè.

CAPVT XII.

De impedimento impotentiæ.

DVBIVM

DVBIVM I.

Vtrùm impotentia ad actum coniugalem sit impedimentum dirimens?

188 REspondeo: Impedimentum ad actum coniugalem est impedimentum dirimens. Ratio est; quia nemo potest se obligare ad id, quod nullo modo potest præstare. Vnde hoc impedimentũ est Iuris naturæ.

Quæ Impotentia dirimat.

Notandum Primò: Impotentiam, quæ est impedimentum dirimens, esse illam, per quam non possunt vti actu coniugij, siue ex parte viri, siue mulieris: vt si vir sit frigidus, si maleficio teneatur, si perfectè eunuchus, exsectus, attritus; si vxor sit angustior. Nec refert, vtrùm hoc impedimentũ sit cognitum, an ignoratum. Si enim tempore contractus subest, irritat contractum. Secùs est si contractui superueniat. Matrimonium enim validum, non potest, nisi morte dirimi, præsertim tentatâ copulâ. Ad Romanos 7. 1. ad Corinth. 7.

An etiam Impotẽtia temporalis dirimat, & quo casu?

Notandum Secundò: Hanc impotentiam, vt dirimat, debere esse perpetuam. Temporalis enim non dirimit: vt si adolescens expleto anno 14. ob naturæ imbecillitatem sit impotens huius actus, crescente tamen ætate sit futurus potens, matrimonium eius est validum. Si tamen ante completum decimum quartum ætatis annum contraxit cum tali defectu, est irritum, quamuis ille defectus temporalis sit. Sic enim Iura statuerunt, nempe vt matrimonium ante completum decimum quartum annum viri, & duodecimum feminę cõtractum, sit irritum, nisi malitia suppleat ætatem: vt patet Capitulo vltimo *de Desponsatione impuberum.* & Capitulo vnico in 6. eodem titulo, quæ malitia duo continet: scilicet sufficientem discretionem ad talem contractum, & potentiam copulæ coniugalis. Vnde quando hæc duo adsunt ante hoc tempus expletum, etiamsi adhuc quinque vel sex menses desint, matrimonium est validum: si absint, est inualidum; vt patet ex locis citatis.

Quando censeatur hoc impedimentum perpetuũ.

Vt autem dicatur impedimentum perpetuum, debet esse tale, vt ope humana tolli nequeat, vel saltem non sine peccato. Vnde si maleficio dumtaxat possit curari, censetur perpetuum. Similiter si non possit curari sine probabili mortis periculo, vel grauissimo cruciatu; vt patet Capitulo *Fraternitatis*, De frigidis & maleficiatis.

Quid in dubio, an sit Impotentia perpetua.

Notandum Tertiò: Quando dubium est, vtrũ impedimentũ sit perpetuum, concedi à Canonibus ordinariè triennium, ad bona fide experiendum; vt habetur Capitulo *Laudabilem*, De frigidis & maleficiatis. Si intra illud tempus non successerit, Ecclesia pronuntiare debet sententiam diuortij. Quòd si posteà deprehendatur impedimẽtum nõ fuisse verò perpetuum, reuocandi sunt ad prius matrimonium, etiamsi alia matrimonia iniuissent: vt patet Capitulo *Accepisti*, & Capitulo *Fraternitatis*, De frigidis & maleficiatis. Reliqua pertinent ad iudices & ad mediços, potiùs quàm ad confessarios. Vide plura apud Siluestrum, *Matrimonium* 8. num. 16.

DVBIVM II.

Vtrùm liceat tollere ligaturas, nodos, volumina capillorum, & alia signa maleficia, posita à maleficis, eo fine vt diabolus desinat nocere?

QVidam putant non licere. Fundamentum præcipuum est, quia hoc est implicitè paciscei cum Dæmone. Sed 189

Non licet ea tollere alio maleficio, nec petere à maleficio vt maleficio tollat.

Dico Primò: Etsi nullo modo concessum sit illa tollere alio maleficio seu incantamento; aut petere à maleficio, quamuis ad id parato, vt per maleficium ea tollat: tamen omnino licitum est ea tollere & destruere absque maleficio, vbi inuenta fuerint.

Prima & Secunda Pars est omnino certa, & communis Doctorum, excepto Angelo verbo *Superstitio* §. 13. & Petro Aureolo, quem ibidem citat. Hi enim, etsi concedant esse illicitum incantationes facere, *licitum* tamen putant vti alterius *incantatione* seu maleficio ad tollendum malum à nobis, vel ab alijs, modò ille paratus sit arte sua vti. Sed refutatur ab omnibus tamquam error. Vide Caietanum tomo 2. Opusculo 12. Siluestrũ verbo *Maleficium* qu. 8. & Castro lib. 1. De iusta hæreticorũ punitione c. 15. Ratio est: quia illa malefici operatio est intrinsecè mala, cũ sit vsus artis magicę, & tacita vel optinendũ expressa dæmonis inuocatio ad aliquem effectum, ac proinde nullo modo benè fieri potest. Ergo nec petere; nec consentire potes, vt fiat; iuxta illud ad Rom. 1. v. 32. *Qui talia agunt, digni sunt morte, non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Secùs est, cùm petitur iuramentum ab eo, qui putatur per falsos Deos iuraturus: aut mutuum ab eo, qui solet exigere vsuras: nam id, quod hîc petitur, malum non est, & benè fieri potest, si velit is à quo petitur.

190 Licet ea tollere sine Maleficio.

Tertia Pars est communis sententia omnium Doctorum, qui hanc quæstionem attingunt: inter quos Henricus à Gandauo Quodlibeto 5. qu. 33. Scotus in 4. dist. 34. vbi dicit, ridiculum esse, *quærere, an liceat tollere maleficium intentione curandi maleficiatum. Non enim*, inquit, *solùm licet, sed etiam est meritorium destruere opera Diaboli.* Idem docet Gabriel ijsdem pænè verbis in 2. dist. 8. quæst. 2. ar. 4. dub. 2. Caietanus tom. 2. Opusc. 12. *Duobus modis*, inquit, *contingit maleficium à maleficis solui. Primò, Per simplicem dissolutionem, seu destructionem maleficij prius facti; puta dissoluendo ligaturam capillorum cum annulo ligneo &c. & hoc absque dubio licitum est, nec est opus maleficij vt maleficus est, sed hominis scientis impedimentũ boni proximi sui: quia hic nulla euenit Dæmonum inuocatio, sed sola dissolutio signi, quo durante Diabolus statuerat malum alterius continuare. Secundò, Per inuocationem Dæmonum seu aliud maleficium: & hoc absque dubio peccatum est mortale.* Hæc ille. Idem docet Siluester verbo *Maleficium* quæst. 7. & 8. & cæteri Doctores, qui *Summas* scripserunt; vt Rosella, Angelica, & Fumus verbo *Maleficium*, nu. 2. Alphonsus à Castro lib. 1. de iusta hæreticorum punitione, cap. 15. Dominicus Soto dist. 34. quæst. vnica art. 3. *Potest*, inquit, *quisque conuenire maleficum, & rogare, imò & pecuniâ ab illo extorquere, vt illas ligaturas quas habet sepultas, aut suspensas, aut alicubi asseruatas, inde dimoueat: quia illud*

illud maleficum facere virtus est. Iosephus Angles in floribus quæst. 6. De maleficiatis. Nauar. cap. 11. nu. 29. Petrus Binsfeldius in titulum codicis *de Maleficis & Mathematicis*, qu. 5. & alij. Hi omnès docent hanc sententiam vt indubitatam. Incredibile autem est omnes decipi, præsertim cùm non agatur de positiuo aliquo dogmate, cuius râtio est sola Dei voluntas; sed de veritate naturali pertinente ad moralé philosophiá, vbi ingenij acumen valet. Nunquam vidimus erraſſe Doctores in quæstione ingenij sic consentientes.

Probatur ratione.

Probatur vnica ratione: Si esset illicitum amouere huiusmodi signa vt diabolus nocere desinat, id esset, quòd ille actus amouendi censeretur esse tacita quædam Dæmonis inuocatio: sed id verum non est: ergò non est illicitum amouere. Maior est euidens, & conceditur ab aduersarijs; nulla enim potest alia vel in specie causa fingi: sepono enim scandalum, quod vbique vitandum est.

Talis amotio non est inuocatio dæmonis?

Minor Probatur Primò: quia amotio illa signorum, neque ex natura rei est inuocatio dæmonis, vt per se patet: neque ex intentione amouentis; non enim intendit dæmonem inuocare, sed inuocationem per magum illo signo factam impedire: neque ex pacto aliquo antecedente; quia qui amouet signum, non est pactus cum dæmone, vt ad amotionem signi desinat nocere. Nec refert quòd fortassis magus cum dæmone sic pactus sit: quia qui amouet signum, non intendit ex pacto ipsius magi operari, aut dæmonem inducere, vt pactum cum mago initum seruet; sed solùm intendit pactum nocendi rescindere; quod licitè & meritoriè potest.

Secundò Probatur Minor à simili: Si quis cũ hoste esset pactus, vt dato certo signo, v.g. suspenso funiculo coccineo, accurrat, mænia conscendat, vel ignem vrbi injciat; & ego tale pactum scirẽ, possem illud signum tollere; nec vllo modo censerer consentire illorũ pactis, sed potiùs illa odisse & destruere: ergo similiter, si sciam inter magum & dæmonem esse pactum, vt dato certo signo, v.g. posito nodo capillorum sub limine, noceat; potero illum nodum tollere, ne noceat; neque censebor vllo modo in illud pactum consentire: cur enim hîc potius videar consentire pacto, quàm ibi?

Tertiò Probatur Minor: Si quis verbis alliceret dæmonem, vt mihi vel alteri noceat, possem omni ope impedire. Similiter si per scripturam vel characteres. Cur non etiam possim impedire, si quis alijs signis illum accersat? Quid enim interest siue verbis, siue scriptis, siue alijs quibusue signis dæmonem allicias ad nocendum? Possum igitur illa signa dimouere & destruere, vt dæmon desinat allici, & consequenter desinat nocere.

191
2. Obiectio ex Scriptura.

Sed contrà Objicitur Primò: Dominus in Euãgelio Matt. 17. v. 21. ait de certo genere dæmoniorum, *Hoc genus non ejcitur nisi per orationem & ieiunium*: ergo si hoc genus ingressum esset per maleficiũ, non liceret eius egressum procurare per signi ablationem.

Responsio.

Respondeo Primò: Si hoc argumentum aliquid concludit, etiam conuincit non licere exorcismis agere in hoc casu. Secundò: Quomodo potest nobis constare, an sit ex illo genere? fortasse est ex alio: ac proinde nihil vetat, quin possimus tentare per signorum amotionem. Tertiò: Dominus agit de dæmonum ejectione, qui homine possident, quos non legimus ejci per amotionem signorum; sicuti nec permittuntur ingredi operâ magorum, nisi fortè rarissimè, idque vel interueniente peccato eius qui possidetur, vel aliâ nobis occultâ & soli diuinæ prouidentiæ notâ causâ. Nos autem loquimur de nocumento, quod dæmon magicis signis illectus infert.

2. Obiectio ex facto S. Hilarionis.

Objicitur Secundò: Hieronymus in vita S. Hilarionis refert; cùm quædam puella, per incantationes à Dæmone obsessa, adducta esset ad S. Hilarionem, *Noluisse virum sanctum, antequam purgaret virginem vel adolescentem, signa iubere inquiri, ne aut solitis incantationibus recessisse Dæmon videretur, aut ipse sermoni eius accommodasse fidem*; ergo perquirere & tollere signa ad incantationem pertinet.

Responsio.

Respondeo Primò: Hieronymum non dicere, *Ne solitis incantationibus recederet*, sed *recessisse videretur*, scilicet vulgo spectanti; cui meritò id visum fuisset, si vir tantus ad hoc præsidium confugisset, maximè cùm Dæmon illud consilium suggessisset indicato signorum loco, & se illis ligatũ teneri, neque se posse egredi, illis non sublatis.

Secundò: Hieronymus disiunctiuè dicit, *Ne aut solitis incantationibus videretur recessisse, aut ipse sermoni Dæmonis accommodasse fidẽ*. Verebatur enim Hilarion, ne si signa queri iussisset, alterum saltem horum sequeretur. Adde, prorsus indiguum fuisse tanto viro, signa illa iubere inquiri, quasi absque illis non posset expelli, qui excellenti miraculorum dono præditus erat.

192
3. Obiectio quòd amouens signa, misceat se pacto magi cum dæmone.

Objicitur Tertiò: Qui signum tollit, vt cesset noxa, miscet se pacto, quod malefico cum Dæmone intercessit; quod est huiusmodi, vt signo posito Dæmon nocere incipiat, ablato desinat.

Responsio.

Respondeo Primò: Plerumque solùm est vnũ pactum, scilicet vt posito tali signo noceat. Quando enim Diabolus aliquo signo debet allici vt faciat aliquid extraordinariè, non est opus nouo pacto vt desinat facere, sed sufficit vt desinat allici, quod fit sublato signo. Hinc enim sequitur vt desinat operari, eò quòd vis prioris pacti, ex quo ad operandum est inductus, sit elisa. Secundò: Etiamsi fortè tale pactum esset inter magum & Dæmonem; is tamen qui signum tollit, id ignorat, & potest meritò existimare tale pactum non esse; sicque signum illud tanquam Dæmonis illecebram submouere. Tertiò: Quamuis sciret esse tale pactum, non tamen idcircò se huic pacto misceret, aut ei vllo modo consentiret: quia amotione signi non intendit Dæmonem inducere ad pactũ seruandum; neque vtitur amotione ligaturæ veluti signo alterius pacti; sed solùm intendit destruere signum prioris pacti, quo dæmon ad nocendum alliciebatur. Hęc enim multũ distinguuntur: aliud enim est, *Amouere signum ea mente, vt moneas Dæmonem, vt seruet pactum, & ex fide data desinat nocere*; aliud est *amouere, vt destruas Dæmonis quasi realem inuocationem, & pactum cum mago initũ*; vt per se patet. Quando enim aliquod signum ex natura sua non est ordinatum ad aliquid significandum, facilè per intentionem aliò referri potest; vt patet in adoratione Naaman Syri, 4. Regum cap. 5. qui adorante Rege in templo Remmon, simul flectebat genua ante idolũ, vt Regi sibi innitenti se aptaret: quæ actio etsi videbatur esse idololatria, tamen reuerà non erat; quia non intentione adorandi idoli, sed sustentandi domini fiebat.

fiebat. Multò apertiùs id cernitur in proposito: cùm enim amotio signorum facta, vt cesset dæmonis noxa, non sit inuocatio dæmonis ex natura rei, sed potiùs euersio prioris pacti; neque etiam ex intentione amouentis, vt quæ prorsus sit contraria; nullo modo censeri potest esse illicita.

193 4. Obiectio, quòd illicitum sit expectare effectum aliquem à dæmone.

Obijcitur Quartò: Qui signum tollit spe nocumenti cessaturi, hunc effectum non expectat à causa naturali, neque ab humana voluntate, neque per miraculum à voluntate Dei: ergo expectat à diabolo; ac proinde est opus superstitiosum: nam perinde est ac si diabolo dicat, *Pactus es amoto signo te cessaturum; ecce amouco signum, præsta quod promisisti.*

Responsio.

Respondeo: Effectus qui hîc expectatur, non est aliqua actio positiua dæmonis, sed cessatio seu priuatio actionis; quem effectum licet à dæmone expectare: multa enim quotidie facimus, vt diabolus aliquid non faciat, vel cesset facere, non solùm coactus diuina potestate, sed etiã quasi offensus & abhorrens; vt dum gestamus Agnos Dei, & Reliquias, dum vtimur aqua benedicta, dũ benedicimus domos & templa: cur non etiam possimus destruere signa magica, vt desinat nocere, tãquam non ampliùs ad nocendum allectus? Itaque non quouis modo illicitum est expectare effectum priuatiuũ à dæmone, sed expectare illum ex fide data & accepta, seu ex vi alicuius pacti cum dæmone initi; quod hîc non fit. Non enim expectatur ex vi pacti, sed ex euersione pacti seu inuocationis: est enim effectus priuatiuus, qui sufficienter ex hoc sequitur, quòd non ampliùs per signum prouocetur, seu quod prius pactũ destruatur. Vnde sine ratione assumitur, quòd ille qui sic expectat cessationem à diabolo, perinde faciat ac si dicat, *Præsta, quod promisisti:* quin potiùs perinde facit, ac si dicat, *Pactum tuum cum mago rescindo signa tua quæ instituisti ad nocendum destruo; non est ergo quod noceas amplius.*

5. Obiectio, quòd sit expectare beneficium à dæmone.

Obijcies Quintò: Diabolus nunquam cessat à nocumẽto corporali, nisi vt grauiùs noceat in anima: beneficia enim illius nocentiora sunt omnibus vulneribus; vt testatur D. Leo serm. 19. de Passione: ergo per cessationem nocumenti, quæ fit amoto signo, grauius damnum infert vel amouenti, vel maleficiato, vel vtrique.

Responsio.

Respondeo Negando Consequentiã: Etsi enim diabolus id fortè intendat, non tamẽ semper assequitur quod intendit, præsertim cùm in nostra sit potestate per Dei gratiam ne in anima noceat. Neque verum est, expectari cessationem tanquam beneficium eius, nisi quis dicat eum, qui amouet signum proditionis vrbis, expectare cessationem proditionis, tanquam beneficium proditorum.

194 6. Obiectio, quòd dæmon nõ sit alligatus signis.

Obijcitur Sextò: Diabolus non est alligatus signis; potest enim nocere sine signis, & desinere nocere etiam positis signis, & nõ desinere sublatis signis: ergo frustrà tolluntur signa, nisi intercedat pactum, vt illis sublatis desinat nocere.

Responsio.

Respondeo Primò, Negando Consequentiam; Tolluntur enim signa vt euertatur pactũ magicũ, & tacita dæmonis inuocatio. Quòd autem diabolus possit cõtinuare vel nõ continuare nocumentum, parum refert; modò constet semper vel ferè semper desinere nocumentum, sublato signo vel illecebra. Secundò: Sæpè diabolus non potest nocere corporaliter, nisi humana malitia ei cooperetur; ita enim ligata est eius potestas, vt nihil ferè solus possit in hominis corpus vel bona externa (vt patet ex historia Iob) nisi Deo specialiter permittente & laxante vinculum quo constringitur: quia tanta est eius malitia, vt nihil prætermitteret mali quod posset. Humana tamen potestas non sic est ligata (quia homo homini resistere potest) quẽ dum dæmoni cooperatur, plura Deus permittit dæmoni, quàm cùm solus est. Vnde Franciscus Victoria relectione de arte magica sub finẽ: *Mirum,* inquit, *est & mysteriũ, quòd cùm dæmones per se nocere non permittantur, tamen non adeò impediuntur nocere per homines, sicut per magos, Lamias, & alias maleficas;* quod etiam cæteri Doctores tradunt. Quare falsum est, *dæmonem posse ordinariè nocere sine signis magicis, sicut potest cum illis; vel posse continuare noxam sublatis signis, sicut potest positis signis.* Hinc fit, vt nõ frustrà tollantur: nam illi fortassis permissum non est sublato signo nocere. Neq; hinc sequitur, Deũ habere aliquod pactum cum dæmone: sicut si Rex non impediat hostem in ijs quæ facit cooperantibus subditis; non inde sequitur Regem habere pactum cum suo hoste.

Dæmon sæpe nocere non potest, nisi humana malitia cooperãte.

7 Obiectio, quòd patiens maleficiũ, vel etiam maleficus teneretur amouere signa,

Obijcitur Septimò: Si licet signa malefica amouere, vel ad eã rem malefici opẽ implorare: ergo, qui maleficium patitur, tenetur id procurare, si aliud remedium non occurrat.

Responsio.

Respondeo: Sæpè posse contingere, vt teneat signum maleficum amouere, si illud sciam, & commodè possim: maximè autem ad id tenetur maleficus, qui posuit: nec video quomodo de hoc dubitari possit. Neque refert, quòd Doctores hoc expresè non doceãt: satis est id ex eorum doctrina sequi. Sicut enim maleficus, qui diabolum inuocat verbis vel scriptis, vt noceat cuipiã, tenetur cessare ab ista inuocatione, non solũ quia superstitiosa, sed & quia noxia; ita quoque tenetur signa posita, quibus allicitur ad nocendũ, tollere, si aliter nocumentum impediri nequit. Et confirmatur: quia sicut is, qui posuit puluerem tormentarium certo loco, vbi damnum illaturus est, tenetur illum tollere si aliter damnum nequit auertere; ita qui signum posuit, ex quo nocumentum sequitur, illud amouere debet. Quid enim refert, quòd puluis vi naturali sit nociturus, signum vi morali, seu vi pacti; quando equè certò & efficaciter nocumentum sequitur? Sanè perinde se habet illud signum, ac si vis diabolica illi esset alligata: vnde tanquam res nocentissima est tollendum.

195 8 Obiectio, quòd hinc sequatur licitum esse maleficis sub quæstione radere pilos vel capillos,

Obijcitur Octauò: Si licet signa amouere: ergo rectè faciunt, qui maleficis ad quæstiones vocatis abradunt omnes pilos corporis, ne quo maleficij signo corpori adhærescente, reddantur insensibiles, & ita non possint cogi ad confessionem: atqui hoc est superstitiosum. Confirmatur ex Victoria relectione de Magia n. 16. vbi dicit, *Si ad expulsionem dæmonum radunt pilos, aut capillos, aut aliquid huiusmodi, est magia manifesta.*

Responsio.

Respondeo: Si illi id faciant, ne sub capillis aliquod tale signũ occultatum lateat, non sunt damnandi superstitionis. Vide Damhouderium. An satis decorè faciant, nõ disputo. Quod Franciscus Victoria ait, ad propositũ nõ facit: loquitur enim de expulsione dæmonum è corporibus hominum per gratiam gratis datam, qualem habent viri sancti. Non enim pili sunt signum maleficum, ibi positum à mago; ac proinde non sunt amouendi, vt pactum aliquod magicum cesset.

196 Obiectio quòd SS. Patres improbent amotionē signorum.

Obijcitur Nonò: 33.quæst.1.Capitulo 4. *Si per sortiarios*, Hincmarus Rhemensis enumerat remedia contra maleficium concubitus coniugalis, nec meminit huius remedij, nec alij Patres meminerunt: ergo &c.

Responsio.

Respondeo Primò: Non est necesse huius remedij mentionem facere; quia vulgò satis notum semper fuit: nec decuit eos nisi remedia Ecclesiastica & diuina proponere. Secundò: Si illicitum putabant hoc remedium, nō solùm debebant eius nullam facere mentionem, sed etiā expressè prohibere, cùm scirent esse vulgare; quod nobis argumento est eos non improbasse. Adde, eos loqui in casibus, in quibus humana remedia non suppetunt: plerumque enim ignorantur signa, & eorum loca, nisi à magis indicentur. Vnde nisi remedia Ecclesiastica & diuina prosint, censent impedimētum maleficij esse perpetuum, iubentque eos separari: quod tamen nunquā iudicarent, si maleficia cognita essent, & illis sublatis maleficium posset solui. Communis enim Doctorum sententia est, impedimentum non censeri perpetuum, quando ope humana sine nouo maleficio tolli potest.

Impedimētum maleficij quandoque censetur esse perpetuum.

197 Licite ponis signa, quibus positis, magica signa vim suam amittant.

Dico Secundò: Non solùm fas est tollere signa magica, sed etiam per se loquendo, ponere alia, quibus positis expirat vel destruitur pactū prius, & diabolus desinit nocere: vel certè priora signa vim suam amittunt. Colligitur ex ijsdem Doctoribus.

Probatur Primò: Quia licitum est aliquid facere, quo posito finitur prauum pactum, & diabolus desinit nocere: hoc enim non est signum noui pacti, sed euersio vel impedimentum antiqui. Nec refert vtrùm hoc proueniat ex eo quòd diabolus tali signo offendatur, an quòd ipsemet ita statuerit vt tali re interueniente pactum non constet, si non fiat modo deprecatorio, aut affectu aliquo beneuolentiæ. Exempla sint; si venefica te tangat, inficeris; si tamen illam mox repercutias, impeditur noxa: idque vel quia diabolus statuit tunc non nocere; vel quia signum non est tale, quale ipse requirit. Item cùm à saga iam quis est infectus, dicitur cessare nocumentum, si infectus det illi panem & salem, vel ab illa panem accipiat, fortasse propter Eucharistiæ mysterium. Nec refert quòd diabolus ipse fortè hoc statuerit; quia solùm statuit his positis non nocere, & vt pactum præcedens expiret: atqui licitum est aliquid facere quod per se indifferens est vt diaboli pactum expiret, & nocumentum cesset: hoc enim non est signum amicitiæ; quia etiam erga inimicum potest quis talibus signis vti absque vlla specie beneuolentiæ. Dices, Hic expectatur effectus à dæmone. Respondeo, Non expectatur vllus effectus positiuus, sed solùm cessatio à malo, qualis effectus expectari potest, modò non ex amicitia.

Secundò: Licitum est tollere signa vt desinat pactum, & nocumentum: ergo licitum est apponere alia signa ad eundem finem.

Tertiò: Licitum est petere verbo à diabolo, vt desinat nocere; modò id non petatur deprecando, aut ex amicitia aliqua, sed indignando: ergo idem licitum est petere signo. Secùs est si petas vt aliquid agat; hoc enim est beneuolentiæ.

Quartò: Si diabolus haberet tale pactum cum mago, vt posito tali signo noceat donec ponatur signum illud contrariū; & non esset aliud remedium vt desinat nocumentum, posset magus illud alterum signum adhibere: sicut enim posset diabolo dicere *Cessa*: ita potest idipsum signo aliquo exprimere.

198 Nō potest intercedere actio positiua ex mōnis, aut eius fauor postulari.

Hæc tamen omnia intelligenda sunt de pura cessatione; non autem de aliqua actione positiua, aut fauore obtinendo à diabolo. Vnde si putaretur nocumentum desinendum per actionem positiuam eiusdem vel alterius dæmonis, non liceret: similiter si res sit dubia. Non enim licitum est vti remedio superstitioso, aut de quo dubium est an contineat tacitam dæmonis inuocationem: hoc enim est se exponere manifesto periculo superstitionis; nisi fortè id fiat cum expressa contrariæ voluntatis protestatione. Pari modo fas non est à mago petere vt maleficium dissoluat, si dubitas an absque nouo maleficio id possit: quia id de quo dubium est an sine peccato fieri possit, sicut absolutè non est faciendum, ita nec absolutè ab alio petendum est, vt faciat. Secùs est quando constat sine peccato fieri posse; & causa iusta petendi subest; vt diximus lib. 2. de Iustitia & Iure cap. 42. dub. 10.

Neque dubium esse debet an magus possit destruere absque nouo maleficio.

CAPVT XIII.

De impedimento ex defectu Parochi, & testium.

DVBIVM I.

Vtrùm defectus Parochi, vel testium, sit impedimentum dirimens?

199 Ante Tridentinum solùm erat impediens.

Dico Primò: Ante Concilium Tridentinum absentia Parochi & testium non erat impedimentum dirimens; erat tamen impedimentum impediens. Prior Pars est certa. Nam ante Concilium Tridentinum matrimonia clandestina sine testibus contracta, fuerunt vera matrimonia; vt patet ex eodem Concilio sess. 24. cap. 1. *de Reformatione matrimonij*, vbi illud sub anathemate definitur. Altera Pars patet: Quia ille modus contrahendi erat prohibitus ab Ecclesia; vt patet ex toto titulo *de Clandestina desponsatione.*

Est iam dirimens.

Dico Secundò: Absentia Parochi & testium est impedimentum dirimens, ita vt si non adsit Parochus, vel aliquis Sacerdos ab eo vel ab Ordinario habens licentiam, contractus sit irritus. Similiter si non adsint saltem duo testes. Patet ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 1. vbi sic dicitur; *Qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: & huiusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat.* Circa quæ verba

200 Parochus debet esse Sacerdos,

Nota Primò: Non esse necesse vt Parochus sit Sacerdos; sufficit, vt sit verè Parochus, habens titulum & ius Parochi, etsi tantùm habeat primam tonsuram: quia Concilium generatim loquitur. Si tamen Parochus committat alteri, vt nomine ipsius adsit matrimonio, ille debet esse Sacerdos, vt colligitur ex verbis Concilij.

201

Nota Secundò: Debere esse proprium Parochum alterius partis; siue sponsi, siue sponsæ: & hoc satis

Debet esse proprius Parochus,

hoc satis est, vt declararunt Cardinales. Vnde si aliqui, ne à suo Parocho impediantur, dolosè cõferant se in aliam ciuitatem, animo reuertendi postquam contraxerint, non est matrimonium; vt rectè Nauarrus lib. 4. Consiliorum tit. 3. Consilio 2. Idem dicendum si bona fide contrahant alibi: vt v.g. quia id eis est commodius, eò quòd ibi tunc versentur. Si tamen propria Parochia procul abesset, & illi non essent breui reuersuri, puto illos posse vti Parocho loci, bona fide: non enim videtur consentaneum, vt teneantur diu expectare, aut procul ire. Licentia etiam peti à proprio per literas non debet; quia non est ipsius concedere licentiam extra suum locum; vt rectè Nauarrus lib. 4. tit. 1. Consilio 47.

Non debet sponte adstare.

Nota Tertiò: Non esse necessarium, vt Parochus sponte adsit, vel ob hunc finem; sed sufficit esse præsentem, & aduertere quid fiat. Idem dicendum de testibus. Ita habet declaratio Cardinalium.

202 Parochus sponsæ nõ potest assistere in parochia sponsi.

Nota Quartò: Quando sponsus & sponsa sunt diuersarum parochiarum, Parochum sponsæ non posse assistere in parochia sponsi, vt habet declaratio Cardinalium: quia non potest in alienum subditum in aliena diœcesi seu parochia exercere speciem iurisdictionis externæ. Valet tamen si fiat: est contra Nauarrum lib. 4. tit. 1. Consilio 1. quia est reuerà Parochus alterius partis.

Cõtractus hic inualidus non habet vim sponsaliũ.

Nota Quintò: Huiusmodi contractum sine Parocho vel testibus esse irritum, vt est contractus matrimonij. Dubium tamen est, vtrùm non habeat saltem vim sponsalium? Cardinales dicuntur declarasse habere vim sponsalium ex interpretatione Iuris, quod est probabile. Vide Candelabrum, de Sponsalibus num. 20. nam simili modo matrimonium impuberum, sponsalium vim habet. Contrarium tenet Nauarrus cap. 25. num. 44. quia Concilium ait: *Huiusmodi contractum esse irritum & nullum*; id est, non solùm in ratione matrimonij, sed etiam in ratione contractus in genere.

Vagabundi.

Nota Sextò: Vagabundos, qui nullam certam sedem habent, posse contrahere coram aliquo Parocho oppidi vel loci vbi fuerint: quia ille cẽsetur eorum Parochus, vti declarauit Eugenius IV. teste Caietano Verbo *Absolutio*.

Peregrini.

Peregrinos autẽ seu alienigenas in loco aliquo ad breue tempus habitantes, ita vt non censeantur vagabundi, debere adhibere Parochum in cuius parochia habitant: is enim censetur proprius eorum Parochus; quod etiam declarauit Congregatio Cardinalium.

Testes.

Nota Septimò: Loco testium sufficere patrem & matrem sponsi aut sponsæ, vel alios quosuis viros aut feminas, consanguineos aut extraneos. Quia Concilium loquitur generatim de testibus. Docet hoc Couarruuias de Sponsalibus parte 2. cap. 8. §. 12. nu. 8. Aduerte tamen, non sufficere si matrimonium contrahatur coram Parocho & vno tantùm teste: quia Concilium requirit vt minimum duos testes præter Parochum: adeoque matrimonium erit irritum.

DVBIVM II.

Quidnam requiratur, vt prædictum decretum Concilij vim habeat?

203

REspondeo: Requiri duo vt decretum illud vim habeat. Alterum est, vt sit promulgatũ in illa parochia, vbi contractus celebratur. Alterum, vt à promulgatione elapsi sint dies 30. Ita habetur cap. 1. sess. 24. Vnde

Infertur Primò: Si in parochia S. Petri promulgatum hoc decretum non esset, etiamsi in S. Michaëlis esset, non irritaret matrimonia, quæ in S. Petri celebrantur.

Differentia huius decreti ab alijs decretis Tridentini.

Infertur Secundò: Hoc decretum multis in locis esse promulgatum, vbi tamen Concilium Tridentinũ non est promulgatum. Nam multum differt huius decreti promulgatio à promulgatione aliorum. Alia enim non debẽt promulgari in singulis parochijs, sed sufficit vt in Ecclesia cathedrali promulgentur; neque opus est expectare 30. dies vt vim habeant; neque requiritur vt sæpiùs promulgentur, sicut Concilium iubet promulgari hoc decretum: quanquam absolutè non sit necessarium, vt sæpè promulgetur. Reliqua, quæ ad promulgationes pertinent, & ad pœnas eorum Sacerdotum, qui hoc decretum Concilij non seruant, vide in ipso Concilio sess. 26. cap. 1. quæ difficultatem non habent.

CAPVT XIV.

De impedimentis impedientibus, non dirimentibus.

DVBIVM I.

Quanam impedimenta reddant matrimonium illicitum, sic tamen vt non dirimant?

204 Quatuor genera Voti.

REspondeo: Varia esse matrimonij impedimenta, quæ illud illicitum reddunt, sic tamen vt non dirimant. Primò, Sunt quatuor genera votorum: scilicet, Votum simplex castitatis, Votum Religionis, Votum susciptendi sacros Ordines, & Votum non nubendi. Patet ex Cap. *Memini.* & Cap. *Consuluit.* & Cap. *Rursus.* tit. Qui clerici vel vouentes. Vide dicta suprà c. 9. De impedimento voti.

Sponsalia.

Secundò, Sponsalia cum vna persona contracta, reddunt matrimonium illicitum cum alia: sicuti promissio huius equi facta Petro, efficit, vt illicitè eundem promittam Paulo.

Interdictum.

Tertiò, Interdictum Ecclesiasticum: de quo diximus suprà cap. 2. de Interdicto n. 8. Aduerte, Prohiberi nuptias à 1. Dominica Aduentus vsque ad Epiphaniam inclusiuè: & à die Cinerum, ad octauam Paschæ. Ita Concilij Trid. sess. 24. c. 10. Sine solẽnitate tamen liceret his temporibus contrahere & consummare. Ita Nauar. c. 22. nu. 71. & Caiet. Verbo *Matrimonium*; quia Concil. Trid. solùm prohibet solemnitates illis temporibus, quæ continent benedictionem in Missa, & solemnem traductionem in domum. Addo, etiam alijs temporibus consummare ante benedictionem nõ esse peccatum: Quia Concilium Trident. solùm hortatur contrahentes, vt benedictionem suscipiant ante consummationem.

Tempus Sacrum.

Cognatio ex Catechismo.

Quartò, Cognatio quædam spiritualis orta ex Catechismo reddit matrimonium illicitum. Patet ex Cap. *Per Catechismum*, de Cognatione in 6. Huiusmodi cognationē docet Nauar. c. 22. n. 72. esse restrictam inter catechizantem & catechizatum, eiusque parentes; sicuti restricta est cognatio spiritualis ex Baptismo & Confirmatione.

Excommunicatio.

Quintò, Excommunicatio maior & minor: quia hæ impediunt susceptionem Sacramētorum, inter quæ est matrimonium.

Pœnitentia publica.

Sextò, Pœnitentia solemnis: par enim est vt qui eam fecit, totâ vitâ luctum præseferat. Patet Can. *Antiqui.* & Can. *De his verò*, 23. quæst. 2. Vide quæ diximus suprà quæst. 90. art. 4. num. 9. vbi 12. pœnas publicè pœnitentium retulimus.

207 Sex crimina. Incestus.

Denique adde sex crimina. Primum est, Incestus: videlicet cùm quis peccat cum consanguinea vxoris: & etiam secundùm Nauarrum cap. 22. numero 75. cùm quis peccat cum consanguinea propria: ita enim ait habere stilum curiæ Romanæ. Quod intellige, si peccet vxore viuente: nam si eâ mortuâ cognoscat cōsanguineam, siue suam, siue suæ vxoris, non facit iniuriam matrimonio, ob quam hoc impedimentum est institutum.

Vxoricidium.

Secundùm crimen est vxoricidium: si videlicet quis occidat suam vxorem, vt possit aliam ducere. Sin autem alia de causa occidat, non incurrit hoc impedimentum.

Petes: An liceat vxorem in adulterio deprehensam occidere? Respondeo: Non licere, sed esse homicidam, qui id facit sua propria auctoritate. Si autem tradatur viro, tanquam ministro legum, non incurrit impedimentum, nec crimen vllum. De qua re fusiùs egimus lib. 2. de Iust. & Iure cap. 9. dub. 5.

Presbytericidium.

Tertium est, Presbytericidium, Capitulo *Qui Presbyterum*, de Pœnitentijs & remissionibus.

Raptus sponsæ.

Quartum est, Raptus alienæ sponsæ: qui enim rapit alterius sponsam, cum nulla potest contrahere; vt habetur Cap. *Statutum*, 27. q. 2.

Baptismus.

Quintum est, Proprij filij de sacro fonte susceptio, vel baptizatio malitiosè facta à coniuge, ne teneatur cōiugi reddere debitum. De hac re quid sentiendum sit, vide quæ diximus suprà qu. 67. art. 8. num. 12.

Cōiugiū cum moniali.

Sextum est, Coniugium cum moniali scienter initum; vt patet Cap. *Si ergo*, 27. qu. 1.

DVBIVM II.

Vtrùm cum votis supradictis contrahere, sit peccatum mortale?

206

REspondeo Primò: Certum est, contrahere cum voto non nubendi, esse peccatum mortale. Vbi tamen talis contraxerit, ad nihil amplius tenetur, si nihil amplius vouit.

Dico Secundò: Etiam cum alijs votis contrahere animo consummandi matrimonij, est peccatum mortale, vt patet; quia est directè contra votum.

Petes: Quid si contraxerit cum animo ingrediendi Religionem ante consummationem? Caietanus Verbo *Matrimonium* tenet nō peccare. Idem tenet Angelus.

Peccat qui contrahit cum animo ingrediendi religionē.

Contrarium tenet Nauarrus cap. 22. num. 73. Siluester V. *Matrimonium* 7. qu. 5. Sotus dist. 38. quæst. 2. art. 2. Et hoc tenendum: quia est contra Canones; vt patet ex Cap. *Meminimus*. & Cap. *Consulimus*. & Cap. *Rursus*. tit. *Qui clerici, vel vouentes*. Ratio est: quia exponit se periculo consummandi, & patiendi repulsam à Religione. Deinde facit iniuriam coniugi, quæ non tam facilè inueniet maritum ob suspicionem copulæ. Si tamen nihil subsit incommodi, non videtur esse peccatum, præsertim si aliqua sit iusta causa contrahendi; vt v. g. si iuraſſet se ducturum Catharinam, & illa monita nollet dissoluere sponsalia.

DVBIVM III.

Quis possit in his impedimentis dispensare, vt licitè possit contrahi matrimonium?

207

REspondeo: Episcopus potest in omnibus dispensare, præterquam in sponsalibus cum alio contractis: nam hoc cederet in iniuriam tertij; & præterquam in voto castitatis, & Religionis, quæ reseruantur Pontifici. In cæteris impedimentis, vt in cognatione ex Catechismo, & in sex criminibus, vbi non est consuetudo dispensationem petendi, non est peccatum mortale sine dispensatione contrahere; vt docet Nauar. cap. 22. n. 85. Adde, ne veniale quidem esse, vbi est consuetudo: quia consuetudo habet vim abrogandi omnem legis obligationem.

FINIS.



INDEX

INDEX QVÆSTIONVM ARTICVLORVM ET DVBIORVM.

QVÆSTIO LX.
De Essentia Sacramenti.
In octo Articulos diuisa.

ART. 1. *Vtrùm Sacramentum sit in genere signi.* 2
ART. 2. *Vtrum omne signum rei sacræ sit Sacramentum.* ibid.
ART. 3. *Vtrùm Sacramentum sit signum vnius rei tantùm.* ibid.
ART. 4. *Vtrum omne Sacramentum sit res sensibilis.* ibid.
DVB. *Quæ sit integra Sacramenti ratio & definitio.* ibid.
ART. 5. *Vtrùm requirantur determinatæ res ad Sacramenta.* 6
ART. 6. *Vtrum in significatione Sacramentorum requirantur verba.* ibid.
DVB. *Vtrùm omnia Sacramenta conficiantur rebus & verbis.* ibid.
ART. 7. *Vtrùm requirantur determinata verba.* 7
DVB. 1. *Qualia verba in Sacramentis requirantur.* ibid.
DVB. 2. *Vtrùm res, & verba in Sacramentis se habeant instar materiæ & formæ.* 8
ART. 8. *Vtrùm liceat aliquid addere verbis sacramentalibus.* 9
DVB. 1. *Quot modis fiat mutatio in forma.* ib.
DVB. 2. *Quando intentio Ministri viciet Sacramentum.* 10

QVÆSTIO LXI.
De necessitate Sacramentorum.
In quatuor Articulos diuisa.

ART. 1. *Vtrùm Sacramenta sint necessaria ad humanam salutem.* 11
ART. 2. *Vtrùm ante peccatum fuerint homini Sacramenta necessaria.* ibid.
ART. 3. *Vtrùm post peccatum ante Christũ debuerint esse Sacramenta.* 12
ART. 4. *Vtrùm post Christum debuerint esse aliqua Sacramenta.* ibid.

QVÆSTIO LXII.
De principali effectu Sacramentorum, qui est gratia.
In sex Articulos diuisa.

ART. 1. *Vtrùm Sacramenta sint causa gratiæ.* ibid.
DVB. 1. *Vtrùm Sacramenta aliquando conferant primam gratiam iustificationis.* 13
DVB. 2. *Quando Sacramenta cõferant gratiam.* 14
ART. 2. *Vtrum gratia Sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum & donorum.* ib.
ART. 3. *Vtrum Sacramenta nouæ legis contineant gratiam.* 16
ART. 4. *Vtrum in Sacramentis sit aliqua virtus gratiæ causatiua.* ibid.
ART. 5. *Vtrum Sacramenta nouæ legis habeant virtutem ex Christi passione.* 18
ART. 6. *Vtrum Sacramenta veteris legis gratiam causarint.* ibid.

QVÆSTIO LXIII.
De effectu Sacramentorum qui est Character.
In sex Articulos diuisa.

ART. 1. & 6. *Vtrum Sacramenta imprimant Characterem, & quænam ex illis.* 18
ART. 2. *Vtrum Character sit spiritualis potestas.* 19
ART. 3. *Vtrum Character sacramentalis sit Character Christi.* ibid.
ART. 4. *Vtrum Character sit in potentijs animæ sicut in subiecto.* 20
ART. 5. *Vtrum Character insit animæ indelebiliter.* ibid.

QVÆSTIO LXIV.
De Ministro Sacramenti.
In decem Articulos diuisa.

ART. 1. *Vtrum solus Deus operetur interius ad effectum Sacramenti.* 21
ART. 2. *Vtrum Sacramenta solùm sint ex institutione diuinâ.* ibid.
ART. 3. *Vtrum Christus, vt homo, habuerit potestatem operandi interiorem effectum Sacramentorum.* 22
ART. 4. *Vtrum potuerit Christus suam potestatẽ ministris communicare.* ibid.
ART. 5. *Vtrum per malos ministros possint Sacramẽta conferri.* ibid.
ART. 6. *Vtrum mali administrantes Sacramenta peccent.* 23
DVB. 1. *Vtrum peccator administrans Sacramentum in extremâ necessitate peccet mortaliter.* 24
DVB. 2. *An liceat interdum à ministris peccatoribus Sacramentum suscipere, si noueris statum illorum.* ibid.
DVB. 3. *An liceat aliquando accipere Sacramenta à ministro præciso ab Ecclesia per excommunicationem, aut suspensionem.* 25
ART. 7. *Vtrum Angeli possint Sacramenta ministrare.* 26
ART. 8. *Vtrum intentio ministri sit necessaria ad perfectionem Sacramenti.* ibid.
DVB. 1. *Vtrum efficiatur Sacramentum, si in ministro sint intentiones aliquo modo contrariæ.* 27
DVB. 2. *Qualis intentio requiratur.* ibid.
ART. 9. *Vtrum fides ministri sit de necessitate Sacramenti.* 29

QVÆSTIO LXV.
De numero Sacramentorum.
In quatuor Articulos diuisa.

ART. 1. *Vtrum debeant esse septem Sacramenta Ecclesiæ.* 29
ART. 2. *Vtrum Sacramenta conuenienter ordinentur secundùm modum prædictum.* 31
ART. 3. *Vtrum Sacramentum Eucharistiæ sit potissimum.* ibid.
ART. 4. *Vtrum omnia Sacramenta sint ad salutem necessaria.* ibid.

De Sacramentis in specie.

DE BAPTISMO

QVAESTIO LXVI.

Quantum ad ea quæ ad ipsum Baptisma pertinent.

In duodecim Articulos diuisa.

ART. 1. *Vtrùm Baptismus sit ablutio.* 32
DVB. 1. *Quid sit Baptismus.* ibid.
DVB. 2. *Vtrũ ista ablutio consistat in actione, an in passione.* ibid.
ART. 2. *Vtrùm Baptismus sit institutus post Christi Passionem.* 33
DVB. 1. *Quando Baptismus sit institutus.* ibid.
DVB. 2. *Quando lex Baptismi cœperit obligare.* 34
ART. 3. *Vtrùm aqua sit propria materia Baptismi.* 35
ART. 4. *An debeat esse aqua simplex.* 36
ART. 5. *Vtrùm hæc sit forma, Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* ibid.
DVB. 1. *Vtrùm actio baptizandi sit necessario exprimenda.* ibid.
DVB. 2. *Vtrùm necesse sit exprimere personam quæ baptizatur.* 37
DVB. 3. *Si quis sic diceret, Ego te Paulum baptizo &c. & hic non esset Paulus, sed Petrus, vtrùm esset validus Baptismus.* ibid.
DVB. 4. *Vtrùm necesse sit dicere, in nomine, non in nominibus.* ibid.
DVB. 5. *Vtrùm præpositio in & coniunctio & sint de essentia formæ.* 38
DVB. 6. *Vtrùm valeat Baptismus in nomine Genitoris, Geniti, & procedentis ab vtroque.* ibid.
ART. 6. *Vtrùm in nomine Christi possit dari Baptismus.* ibid.
ART. 7. *Vtrùm immersio in aqua sit de necessitate Baptismi.* 39
DVB. 1. *Vtrùm necessarium sit, vt aqua immediatè tangat corpus.* ibid.
DVB. 2. *Quanta corporis pars abluenda est.* 40
ART. 8. *Vtrùm trina immersio sit necessaria ad substantiam Baptismi.* ibid.
DVB. 1. *Si infans moreretur ante tertiam mersionem, vtrum conferetur baptizatus.* ibid.
DVB. 2. *Vtrùm tota ablutio, seu immersio, præsertim quando sit per motum localem aquæ per corpus, vel corporis per aquam, sit de substantia Sacramenti.* ibid.
DVB. 3. *Vtrùm ad rationem Baptismi, quãdo sit per immersionem necessaria sit succedens emersio.* 41
ART. 9. *Vtrùm Baptismus possit iterari.* ibid.
DVB. 1. *Quas pœnas incurrant, qui rebaptizant, vel rebaptizantur.* ibid.
DVB. 2. *Vtrùm hæc pœna incurratur quando intervedit ignorantia.* 42
DVB 3. *Vtrùm qui coactè rebaptizat, vel rebaptizatur sit irregularis.* ibid.
DVB 4. *Quando licitum sit baptizare sub conditione.* 43
ART. 10. *Vtrùm ritus quo Ecclesia in baptizando vtitur, sit conueniens.* ibid.
ART. 11. *Vtrùm conuenienter describantur tria baptismata.* ibid.
DVB. 1. *Vtrùm infantes baptismo sanguinis, seu martyrio sanctificentur.* ibid.
DVB. 2. *Vtrùm baptismus sanguinis iustificet adultos, & quomodo.* 44
DVB. 3. *Quomodo martyrium confert gratiam.* 46
ART. 12. *Vtrùm Baptismus sanguinis sit potissimus inter alia baptismata.* ibid.

QVÆSTIO LXVII.

De Ministro Baptismi.

In octo Articulos diuisa.

ART. 1. *Vtrùm ad officium Diaconi pertineat baptizare.* ibid.
ART. 2. *Vtrùm ad officium Sacerdotis pertineat baptizare.* 47
ART. 3. *Vtrùm Laicus possit baptizare.* ibid.
ART. 4. *Vtrùm mulier possit baptizare.* ibid.
ART. 5. *Vtrùm non baptizatus possit baptizare.* 48
ART. 6. *Vtrùm plures possunt simul vnum baptizare.* ibid.
DVB. 1. *Vtrùm sit verus baptismus si duo sic simul baptizent: ego te baptizo si alius te non baptizat.* ibid.
DVB. 2. *An sit legitimus baptismus si vterque vtatur hâc formâ, nos te baptizamus.* 49
ART. 7. & 8. *Vtrùm requiratur aliquis qui à fonte leuet, qui teneatur ad eius institutionem.* ibid.

QVÆSTIO LXVIII.

De susciptentibus Baptismum.

In duodecim Articulos diuisa.

ART. 1. *Vtrùm omnes teneantur ad susceptionem Baptismi.* 50
ART. 2. *Vtrùm sine Baptismo possit aliquis saluari.* ibid.
ART. 3. *Vtrùm Baptismus sit differendus.* 51
DVB. *Vtrùm Ecclesia possit constituere tempus vltra quod Baptismus non possit differri, sicut potest determinare tempus Cõmunioni.* ibid.
ART. 4. *Vtrùm peccatores sint baptizandi.* ibid.
ART. 5. *Vtrùm peccatoribus baptizatis sint imponenda opera satisfactoria.* 52
ART. 6. *Vtrùm peccatores ad Baptismum accedentes teneantur peccata sua confiteri.* ibid.
ART. 7. *Vtrùm ex parte baptizati requiratur intentio suscipiendi Baptismi.* ibid.
ART. 8. *Vtrũ requiratur fides ex parte baptizati.* 53
ART. 9. *Vtrùm infantes sint baptizandi.* ibid.
DVB. 1. *Vtrùm Baptismus reipsâ susceptus sit infantibus omnino necessarius ad salutem.* 54
DVB 2. *Quando teneantur parentes suos liberos baptizare.* 56
ART. 10. *Vtrùm infantes Iudæorum vel aliorum Infidelium inuitis parentibus sint baptizandi.* ibid.
DVB. *Vtrùm censendus sit verus Baptismus qui infantibus Infidelium confertur inuitis eorum parentibus.* 58
ART. 11. *Vtrùm in maternis vteris possint baptizari.* ibid.
ART. 12. *Vtrum furiosi, & amentes debeant baptizari.* ibid.

QVÆ-

QVÆSTIO LXIX.
De effectibus Baptismi.
In Decem Articulos diuisa.
ART. 1. 2. 3. *Vtrùm per baptismum tollatur omnis culpa, & pœna.* 59
ART. 4. 6. *Vtrùm per baptismũ cõferantur tam adultis, quàm infantibus gratia & virtutes.* 60
ART. 8. *Vtrùm baptismus in omnibus æqualem effectũ habeat.* 61
ART. 9. *Vtrùm fictio animi baptismi effectum impediat.* 62
DVB. 1. *Vtrùm affectus peccati impediat gratiam baptismi.* ibid.
DVB. 2. *Quæ dispositio requiratur ad effectũ baptismi.* ibid.
ART. 10. *Vtrùm fictione recedente baptismus consequatur suum effectum.* 64
DVB. 1. *Vtrum recedente fictione baptismus totum effectum conferat, quẽ contulisset si fictio non interceßisset.* ibid.
DVB. 2. *Quis actus necessarius est ad tollendam fictionem (id est, indispositionem negatiuam, vel contrariam) vt baptismus effectum suum habeat.* 65
DVB. 3. *Vtrum solius baptismi sit proprium vt eius effectus redeat.* 66
QVÆSTIO LXX.
De Circumcisione.
ART. 4. *Vtrùm Circumcisio gratiam iustificantem contulerit.* 67
QVAESTIO LXXI.
De Cæremonijs Baptismi.
Vtrùm Cæremoniæ Baptismi sint recipiendæ, & quam vim habeant. 70
QVÆSTIO LXXII.
De Confirmatione.
In duodecim Articulos diuisa.
ART. 1. *Vtrùm Confirmatio sit sacramentum.* 72
DVB. *Quando hoc sacramentum sit institutum.* 73.
ART. 2. *Vtrùm Chrisma sit conueniens materia huius sacramenti.* ibid.
ART. 3. *Vtrùm sit de necessitate huius sacramenti, vt chrisma fuerit ab Episcopo consecratũ.* 75
DVB. 1. *Vtrùm hæc benedictio, seu consecratio Chrismatis sit de necessitate sacramenti.* ib.
DVB. 2. *An hæc benedictio necessariò fieri debeat ab Episcopo.* 76
ART. 4. *Vtrùm hæc sit conueniens forma confirmationis: Consigno te signo Crucis &c.* ib.
ART. 5. *Vtrùm sacramentum confirmationis imprimat characterem.* ibid.
ART. 6. *Vtrùm character confirmationis præsupponat characterem baptismi.* 77
ART. 7. *Vtrum per sacramentum Confirmationis conferatur gratia gratum faciens.* ibid.
DVB. 1. *Vtrum Confirmatio det maiorem gratiam, quàm baptismus.* ibid.
DVB. 2. *Quæ dispositio requiratur ad gratiam huius sacramenti.* ibid.
ART. 8. *Vtrum hoc sacramentum sit omnibus exhibendum.* 78
DVB. 1. *Vtrum hoc sacramentum sit conferendũ Infantibus ante vsũ rationis.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum confirmatio sit præcepti, an consilij tantùm.* ibid.
ART. 9. *Vtrum hoc Sacramentum sit conferendum in fronte.* 79
ART. 10. *Vtrum is qui confirmatur debeat teneri ab aliquo.* ibid.
ART. 11. *Vtrum solus Episcopus hoc sacramentum conferre possit.* 80
DVB. *Vtrum Summus Pontifex collationem Confirmationis possit Presbyteris delegare.* ibid.
ART. 12. *Vtrum ritus cuius sacramenti sit conueniens.* 81
QVAESTIO LXXIII.
De SS. Sacramento Eucharistiæ.
In Sex Articulos diuisa.
ART. 1. *Vtrum Eucharistia sit Sacramentum.* 81
DVB. *Cum quatuor concurrant ad Eucharistiam, scilicet, Verba consecrationis, Species panis & vini, Corpus Christi, & eius Sũptio: quidnam ex his propriè sit Sacramẽtum Eucharistiæ.* 82
ART. 2. *An hoc sacramentum sit vnum Sacramentum, an plura.* 84
ART. 3. *Vtrum Eucharistia sit de necessitate salutis.* ibid.
DVB. *Vtrum verè Eucharistia sit medium ad salutem necessarium in re, vel in voto, sicut baptismus omnibus est necessarius, & pœnitentia relapsis.* ibid.
ART. 4. *Vtrum conuenienter pluribus nominibus hoc sacramentum nominetur.* 85
ART. 5. *Vtrum institutio huius Sacramenti fuerit cõueniens.* ibid.
ART. 6. *Vtrum Agnus paschalis fuerit præcipua figura huius sacramenti.* 86
QVAESTIO LXXIV.
De materia Eucharistiæ quantum ad speciem.
In Octo Articulos diuisa.
ART. 1. *Vtrum materia huius sacramenti sit panis, & vinum.* 87
ART. 2. *Vtrum requiratur determinata quantitas panis, & vini.* ibid.
DVB. 1. *Vtrum quantumuis parua quantitas possit consecrari.* ibid.
DVB. 2. *Quæ præsentia materiæ requiratur, vt possit consecrari.* 88
DVB. 3. *Vtrum minister mente debeat determinare id, quod consecrandum est.* ibid.
ART. 3. *Vtrum requiratur vt sit panis triticeus,* ibid.
DVB. 1. *Vtrum panis ex secali, spelta, amylo, sit consecrabilis.* ibid.
ART. 4. *Vtrum debeat esse panis azymus.* 89
ART. 5. *Vtrum Vinum vitis sit propria materia huius sacramenti.* 91
ART. 6. *An aqua sit vino miscenda.* 92
ART. 7. *Vtrum permixtio aquæ sit de necessitate huius sacramenti.* ibid.
ART. 8. *Vtrum aqua debeat in magna quantitate apponi.* ibid.
DVB. *Vtrum si ante consecrationem aqua nõdum sit mutata in vinum, conuertatur in sanguinem, sicut vinum.* ibid.
QVAESTIO LXXV.
De Conuersione panis & vini, in Corpus & Sanguinem Christi.
In Octo Articulos diuisa.
ART. 1. *Vtrum in Eucharistia sit verè corpus Christi, an solùm sicut in signo.* 93

ART. 2. *Vtrum post consecrationem remaneat substantia panis, & vini in sacramento.* 103
DVB. 1. *Vtrum maneat existentia panis, vel etiam gradus aliquis substantialis.* 106
DVB. 2. *Vtrum si substantia panis non cõuerteretur in corpus Christi, sed maneret, posset ibidem poni corpus Christi per diuinam potentiam.* 107
ART. 3. *Vtrum substantia panis & vini per cõsecrationem annihiletur.* ibid.
ART. 4. *Vtrum panis possit conuerti in corpus Christi.* 108
DVB. 1. *Qua actione fiat hæc cõuersio, & quis sit formalis terminus huius actionis.* ibid.
DVB. 2. *Quomodo differat hæc actio à creatione, seu actione creatiua.* 110
DVB. 3. *Vtrum Deus rem quamuis possit cõuertere in aliud.* 111
ART. 5. *Vtrum remaneant accidentia panis, & vini post conuersionem.* 112
ART. 6. *Vtrum factâ consecratione remaneat in hoc sacramento forma substãtialis panis.* ibid.
ART. 7. *Vtrum illa conuersio fiat in instanti.* ibid.
ART. 8. *Vtrum hæc sit falsa,* Ex pane fit corpus Christi. ibid.

QVAESTIO LXXVI.

De modo quo Christus est in hoc Sacramento.
In Octo Articulos diuisa.

ART. 1. & 2. *Vtrum totus Christus sit in hoc sacramento sub vtrauis specie.* 113
DVB. 1. *Quid præcisè includit corpus quatenus est hic ex vi verborum.* ibid.
DVB. 2. *Vtrũ Verbũ diuinũ sit in Eucharistiâ per concomitantiam, an ex vi verborũ.* 114
ART. 3. *Vtrum totus Christus sit sub quâlibet parte specierum panis, & vini.* 115
ART. 4. *Vtrum quantitas dimensiua corporis Christi sit in hoc sacramento.* 116
DVB. 1. *Vtrum quantitas, & cetera accidentia sint in Eucharistia concomitanter.* 117
DVB. 2. *Quomodo intelligendum sit, quod ait D. Thomas quantitatem corporis Christi existere sub singulis partibus hostiæ, eò quòd sit ibi concomitanter.* 118
ART. 5. *Vtrum corpus Christi sit in hoc sacramento, sicut in loco.* ibid.
DVB. 1. *Vtrum saltẽ respectu spatij sit velut in loco? spatium enim manet immobile dũ transfertur corpus Christi, sicut locus manet immobilis dũ transfertur locatũ.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum sit hic circumscriptiuè, an definitiuè.* ibid.
ART. 6. *Vtrum Christi corpus sit mobiliter in hoc sacramento.* ibid.
DVB. 1. *A quo moueatur corpus Christi, dum mouentur species.* 119
DVB. 2. *Vtrũ mutatio facta in corpore Christi, quatenus est in Eucharistia, etiam fiat in illo, vt est in cœlo, vel contrà? Idem quæri potest de omni corpore existente in duobus locis.* ibid.
DVB. 3. *Vtrum corpus Christi vt est in Eucharistia possit à causis naturalibus immutari alia mutatione, quam motu locali.* 120
DVB. 4. *Quomodo corpus Christi desinat esse in Eucharistia.* ibid.
ART. 7. *Vtrum corpus Christi prout est in hoc sacramento, possit videri ab aliquo oculo saltem glorificato.* 121
DVB. 1. *An saltem intellectu possit conspici hoc corpus, & quomodo.* 122
DVB. 2. *Vtrum Christus possit, videre in sacramento oculo corporali ea quæ cirũstant hostiam; vel alias operationes sensuum, aut intellectus habere.* ibid.
ART. 8. *Vtrum quando in hoc sacramento miraculosè apparet caro, vel puer, sit ibi corpus Christi.* ibid.

QVAESTIO LXXVII.

De remanentibus accidentibus in Sacramento.
In Octo Articulos diuisa.

ART. 1. *Vtrum accidentia remaneant sine subiecto in hoc Sacramento.* 123
DVB. 1. *Quomodo possit fieri, vt accidens sit sine subiecto, cum accidentis esse sit inesse, & accidens omne debeat indiuiduari à subiecto.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum vt accidens per se existat, debeat illi addi aliquis modus positiuus, qui sit veluti subsistentia per se.* ibid.
ART. 2. *Vtrum quantitas panis, & vini sit aliorum accidentium subiectum.* 124
ART. 3. *Vtrum species possint aliquid extrinsecum immutare.* 125
ART. 4. *Vtrum species possint corrumpi.* ibid.
ART. 5. & 6. *Vtrum ex speciebus sacramentalibus possit aliquid generari, vel nutriri.* ibid.
ART. 7. *Vtrum species sacramentales frangãtur.* 126
ART. 8. *Vtrum aliquis liquor vino consecrato possit admisceri.* ibid.

QVAESTIO LXXVIII.

De forma Sacramenti Eucharistiæ.
In Sex Articulos diuisa.

ART. 1. *Vtrum hæc sit forma huius sacramenti,* Hoc est corpus meum. Hic est calix sanguinis mei. 127
DVB. 1. *Vtrum his verbis fiat consecratio ab Ecclesia.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum Dominus eisdem verbis consecrauerit, quibus nos.* 128
ART. 2. *Vtrum hæc sit conueniens forma consecrationis panis,* Hoc est corpus meum. 129
ART. 3. *Vtrum hæc sit conueniens forma calicis,* Hic est calix sanguinis mei &c. 130
ART. 4. *Vtrum prædictis verbis insit aliqua vis creata effectiua consecrationis.* 131
ART. 5. *Vtrum prædictæ locutiones sunt veræ.* ibid.
DVB. 1. *Vtrum hæc verba,* Hoc est corpus meum, *dicantur à Sacerdote tantummodò historicè, seu narrando: an etiam affirmando.* ibid.
DVB. 2. *Vtrùm hæc oratio,* Hoc est corpus meum, *operetur quatenus est vera? an alio modo, scilicet quatenus est neutra, id est, neque vera, neque falsa.* ibid.

QVAESTIO LXXIX.

De Effectibus Sacramenti Eucharistiæ.
DVB. 1. *An hoc sacramentum aliquando cõferat primam gratiam? & consequenter an aliquando deleat culpam peccati mortalis.* 132
DVB. 2. *Vtrũ eo momẽto, quo confertur gratia habitualis in Eucharistia, necesse sit habere actualem deu otionem, & non peccare venialiter.* ibid.

DVB. 3.

Dvb. 3. *Quando hoc sacramentum conferat hanc gratiam.* 133
Dvb. 4. *Vtrum Eucharistia post manducationem nihil amplius conferat gratiæ habitualis.* ibid.
Dvb. 5. *De alijs effectibus Eucharistiæ* 134

Qvæstio LXXX.
De sumptione huius Sacramenti.
In Duodecim Articulos diuisa.

Art. 4. *Vtrum peccator sumens corpus Christi sacramentaliter, peccet.* 135.
Dvb. 1. *Vtrum peccator, qui sibi conscius mortalis peccati, debeat illud confiteri ante communionem, præsertim si omnino existimet se contritum.* 136
Dvb. 2. *quando liceat communicare, vel celebrare absq; præuia confessione ei, qui sibi conscius est peccati mortiferi.* ibid.
Art. 5. *Vtrum accedere ad hoc sacramentum cum conscientia peccati mortalis sit grauissimũ omnium peccatorum.* 138
Art. 6. *Vtrum Sacerdos debeat denegare Eucharistiã peccatori petenti.* ibid.
Art. 7. *Vtrum nocturna pollutio impediat à communione.* 139
Art. 8. *Vtrum cibus, vel potus præsumptus impediat communionem.* ibid.
Dvb. *Quænam sumpta aduersus malignam auram: Quæ oris ablutio: Quæ ciborum prægustatio impediant Sacræ Eucharistiæ sumptionem.* 140
Art. 9. *Vtrum non habentibus vsum rationis sit dandum hoc sacramentum.* 141
Art. 10. *Vtrum liceat quotidie hoc Sacramentum susçipere.* ibid.
Art. 11. *Vtrum omnino liceat à communione abstinere.* ibid.
Dvb. 1. *Quinam obligentur hoc præcepto communionis.* 142
Dvb. 2. *Quando obliget hoc præceptum communionis.* ibid.
Art. 12. *Vtrum liceat corpus Christi sumere sine sanguine.* 143
Dvb. 1. *Vtrum Communio sub vtrâque specie iure diuino sit Laicis præcepta.* 144
Dvb. 2. *Vtrum saltem Sacerdotes teneantur iure diuino sub vtraque specie hoc Sacramentum consecrare & sumere.* 146

Qvaestio LXXXI.
De modo quo Christus vsus est hoc Sacramento.
In Quatuor Articulos diuisa.

Art. 1. *Vtrum Christus sumpserit corpus suum, & sanguinem.* 147
Art. 2. *Vtrum Christus dederit Iudæ corpus suũ.* ibid.
Art. 3. *Vtrum Christus sumpserit & dederit Discipulis suis corpus impassibile.* 148
Art. 4. *Vtrum si hoc Sacramentum fuisset seruatum, vel consecratum in triduo mortis, Christus ibi fuisset mortuus.* ibid.

Qvæstio LXXXII.
De Ministro huius Sacramenti.
Hic tribus Articulis tractata.

Art. 1. *Vtrum consecrare hoc Sacramentum sit proprium Sacerdotis.* 148
Art. 2. *Vtrum plures Sacerdotes possint eandem hostiam consecrare.* 149
Art. 3. *Vtrum dispensatio huius Sacramenti pertineat ad solum Sacerdotem.* ibid.
Dvb. *Vtrùm requiratur iurisdictio ad Eucharistiæ dispensationem.* 150

Qvaestio LXXXIII.
De ritu huius Sacramenti.
In Sex Articulos diuisa.

Art. 1. *Vtrùm Christus in hoc Sacramento immoletur.* 151
Dvb. 1. *Vtrum omne opus bonum quo Deum honoramus, sit proprie dictum sacrificiũ.* ib.
Dvb. 2. *Quid sit sacrificium proprie dictum.* 152
Dvb. 3. *Quotuplex sit sacrificium.* 153
Dvb. 4. *Vtrum liceat hoc tempore offerre agnum, vel quid simile in sacrificium.* 154
Dvb. 5. *Vtrum Eucharistia in Ecclesia vere, & propriè offeratur in sacrificium.* ibid.
Dvb. 6. *In quibus actionibus consistat hoc sacrificium.* 158
Qua ratione consecratio ad essentiam huius sacrificij pertineat. 159
Quæritur, quid sentiendum de quatuor subiectis propositionibus. 161
Dvb. 7. *Quibus modis hoc sacrificium suum fructum conferat.* 162
Dvb. 8. *Quem fructum conferat.* 163
Dvb. 9. *Quibus conferat sacrificium suos fructus.* 165
De ijs pro quibus hoc sacrificium offertur. 166
Dvb. 10. *Vtrum hoc sacrificium habeat effectum aliquo modo infinitum.* 168
Art. 2. &c. *De requisitis ad sacrificium Missæ.* 170
De Sacerdote. ibid.
De Ministrante. ibid.
De Materia. 171
De Tempore. ibid.
De Loco. 172
De Vestibus & Vasis sacris. 173
De Precibus, & Cæremonijs. ibid.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Qvæstio LXXXIV.
De Pœnitentia vt est Sacramentum.
In decem Articulos diuisa.

Art. 1. *Vtrum Pœnitentia sit Sacramentum.* 174
Dvb. 1. *Vtrùm in hoc Sacramẽto sint distinguenda illa tria, quæ in alijs pleriſque reperiuntur, scilicet* Sacramentum tantũ, res tantum; & res & Sacramentum simul. 176
Dvb. 2. *Vtrùm verũ sit quod habet D. Thomas,* Primum esse causam secundi, & secundum tertij. ibid.
Art. 2. *Vtrùm peccata sint propria materia huius Sacramenti.* 177
Dvb. *Cur in hoc Sacramento non sit aliqua materia externa corporalis; vt aqua, oleũ, panis, sicut in alijs Sacramentis.* ibid.
Art. 3. *Vtrùm hæc sit forma huius Sacramenti,* Ego te absoluo. ibid.
Dvb. 1. *Quẽ sensum habeat hæc forma.* 178
Dvb. 2. *Vtrum verbis absolutionis posśit addi aliqua conditio.* 179
Art. 4. *Vtrum impositio manuum Sacerdotis sit necessaria.* ibid.
Art. 5. *Vtrum hoc Sacramentum sit necessarium ad salutem.* ibid.
Art. 6. & 7. *Vtrum pœnitentia sit secunda tabula post naufra-*

naufragium? & vtrum hoc Sacramentum fuerit conuenienter in lege noua institutum. 180
Dvb. 1. *Vbi & quando hoc Sacramentum sit institutum.* ibid.
Dvb. 2. *Vtrùm ratio naturalis dictet sine vlla reuelatione, dolorem peccati esse necessarium, & huius doloris esse aliqua edenda signa.* ibid.
Art. 8. & 9. *Vtrùm homo debeat vsque ad finẽ vitæ pœnitere, idque continuò.* 181
Art. 10. *Vtrùm Sacramentum Pœnitentiæ debeat iterari.* ibid.

Qvæstio LXXXV.
De Pœnitentia, vt est virtus.
In Sex Articulos diuisa.
Art. 1. *Vtrùm Pœnitentia sit virtus.* 181
Art. 2. *Vtrum Pœnitentia sit virtus specialis.* 183
Art. 3. *Vtrùm virtus pœnitentiæ sit species iustitiæ.* 184
Art. 4. *Vtrùm Pœnitentia sit in voluntate, an in appetitu sensitiuo.* 185
Dvb. 1. *Vtrùm in parte sensitiua non sit etiã aliquis habitus pœnitentiæ.* 186
Dvb. 2. *An pœnitentia sit solùm in peccatoribus.* ibid.
Art. 5. *Vtrùm principium pœnitentiæ sit ex timore.* ibid.
Art. 6. *Vtrùm pœnitentia sit prima virtutum.* 187

Qvæstio LXXXVI.
De effectu Pœnitentiæ quoad peccatorum mortalium remissionem.
In Sex Articulos diuisa.
Art. 1. *Vtrùm omnia peccata mortifera per pœnitentiam remoueri possint.* 188
Dvb. *Vtrùm omnes homines possint agere pœnitentiam de suis peccatis.* 189
Art. 2. *Vtrùm sine Pœnitentia peccatum mortiferum possit remitti.* ibid.
Dvb. 1. *An saltem per potentiam Dei absolutam, qua prater legem ordinatam potest operari, possit peccatum mortiferum sine pœnitentia remitti.* 190
Dvb. 2. *Vtrùm illa pœnitentia, quæ est necessaria ad remissionem peccati mortiferi, requirat expressam & formalẽ detestationem peccati; ita vt sine hac peccatum non condonetur.* ibid.
Art. 3. *Vtrùm per pœnitentiam possit vnum peccatũ sine altero remitti.* 191
Dvb. *Vtrùm homo possit pœnitere de vno peccato, sic tamen vt non pœniteat de alijs a se commissis.* ibid.
Art. 4. *Vtrùm remissa culpa per pœnitentiam, maneat reatus pœnæ.* 192
Art. 5. *Vtrùm remissa culpa mortali, tollantur omnes reliquiæ peccati.* 193
Art. 6. *Vtrùm remissio culpæ sit effectus pœnitentiæ.* ibid.

Qvaestio LXXXVII.
De remissione venialium peccatorum.
In quatuor Articulos diuisa.
Art. 1. *Vtrùm peccatum veniale sine pœnitentia remitti possit.* 194
Dvb. *Quomodo remittatur culpa venialis, in inquacunque quis ex hac vita discedit.* 195
Art. 2. *Vtrùm ad remissionem peccati venialis requiratur gratiæ infusio.* 196
Dvb. *Vtrùm quoties gratia homini infunditur, toties etiam peccata venialia remittantur.* ibid.
Art. 3. *Vtrùm peccata venialia remittantur per aspersionem aquæ benedictæ, & similia.* 197
Dvb. *Qua vi hac deleant culpas veniales.* ibid.
Art. 4. *Vtrùm peccatum veniale possit remitti sine mortali.* 198

Qvæstio LXXXVIII.
De reditu peccatorum per pœnitentiam dimissorum.
In quatuor Articulos diuisa.
Art. 1. *Vtrùm peccata remissa redeant per sequens peccatum.* 199
Dvb. *An saltem per potentiam absolutã Dei, fieri possit, vt peccata remissa integrè redeant.* 201
Art. 2. *Vtrùm peccata dimissa redeant per ingratitudinem, quæ peculiari modo est in quatuor generibus peccatorum.* ibid.
Dvb. *Vtrum maius peccatum sit quod committitur contra innocentiam, an quod contra beneficium remissionis peccatorũ.* ib.

Qvæstio LXXXIX.
De recuperatione virtutum per pœnitentiam.
Dvb. *circa quinque primos articulos. Vtrum per pœnitentiam restituatur homini tota gratia pristina, & omnia merita quæ habuit priùs.* 202
Art. 6. *Vtrùm opera mortua per pœnitentiam viuificentur.* 204

Qvaestio XC.
De partibus pœnitentiæ in generali.
Dvb. *circa tres primos articulos. Quot, & quæ sint partes pœnitentiæ.* 205
Art. 4. *Vtrùm pœnitentia conuenienter diuidatur in pœnitentiam ante baptismum, & in pœnitentiam post baptismum.* 206

IN ADDITIONES D. THOMÆ.

Qvæstio I.
De Contritione, *Quæ est prima pars Sacramenti Pœnitentiæ.*
Quid sit Contritio.
Dvb. 1. *Vtrùm contritio essentialiter sit detestatio, an dolor.* 207
Dvb. 2. *Vtrùm ad contritionem requiratur propositum non peccandi imposterum, & quale.* 208
Dvb 3. *Vtrùm contritio includat etiã propositum confitendi, & satisfactionem ex arbitrio Sacerdotis.* ibid.
Dvb. 4. *Quomodo differat contritio propriè dicta ab attritione.* 209
Dvb. 5. *Vtrùm omnes hæ attritiones sufficiant, saltem cum Sacramento, ad iustificationem.* ibid.
Dvb. 6. *Vtrùm attritio in Sacramento pœnitentiæ debeat esse existimata contritio à pœnitente.* 210

Qvæstio II.
De obiecto Contritionis.
Dvb. 1. *Vtrum ante institutum Sacramentum Pœnitentiæ fuerit necessaria distincta contritio peccatorum mortiferorum.* 211
Dvb. 2 *Vtrùm post institutum Sacramentũ pœnitentiæ sit necessaria particularis cõtritio.* ibid.

Dvb. 3.

Dvb. 3. *Vtrum de peccatis obliuionis sit necessaria aliqua contritio.* 212

Qvaestio III.

De Quantitate Contritionis.

Dvb. 1. *Vtrum contritio debeat esse summus dolor appretiatiuè.* 212

Dvb. 2. *Vtrum de maiori peccato sit magis dolendum appretiatiuè.* 213

Dvb. 3. *Vtrum etiam debeat esse dolor summus intensiuè in contritione.* ibid.

Dvb. 4. *Vtrum contritio saltem requirat aliquam certam perfectionem intensiuam, vel continuationè vt sit vera contritio.* 214

Qvaestio IV.

De Tempore Contritionis.

Dvb. 1. *Vtrum sit aliquod præceptum diuinum obligans ad contritionem.* 215

Dvb. 2. *Quando hoc præceptum obliget.* 216

Dvb. 3. *Vtrum peccator teneatur in Paschate conteri, sicut tenetur confiteri.* 217

Qvaestio V.

De effectu Contritionis.

Dvb. *Vtrum contritio possit delere peccata & iustificare hominem sine reali perceptione Sacramenti.* 218

Qvaestio VI.

De Confessione & eius necessitate:

Quæ est secunda pars Sacramenti Pœnitentiæ.

Dvb. 1. *circa* Art. 1. *&* 2. *Vtrum confessio omnium peccatorum mortiferorum, sit iure diuino necessaria ad salutem.* 220

Dvb. 2. *Vtrum peccata venialia sint necessariò confitenda.* 225

Dvb. 3. *Quo loco confessio sit præcepta in S. Scriptura.* ibid.

Art. 3. *Vtrum omnes ad confessionẽ teneantur.* 226

Art. 4. *Vtrum quis teneatur confiteri peccatum quod non habet.* ibid.

Art. 5. *Vtrum peccator teneatur statim cõfiteri.* ibid.

Dvb. 1. *Quando præceptum confessionis obliget iure diuino.* ibid.

Dvb. 2. *Vtrum Ecclesia potuerit tempus cõfessionis determinare? & quo iure.* 227

Dvb. 3. *Quodnam sit illud tempus, quo iure Ecclesiastico tenemur confiteri.* ibid.

Dvb. 4. *An is qui neque antea toto anno, neque in quadragesima est confessus, teneatur post tempus Paschale statim confiteri: an verò possit expectare alteram quadragesimam.* ibid.

Dvb. 5. *Vtrum qui probabiliter putat se tẽpore debito non habiturum confessorem, teneatur tempus præuenire.* 220

Dvb. 6 *Vtrum pueri obligentur hoc præcepto annuæ confessionis.* ibid.

Dvb. 7. *Vtrum is, qui solùm habet venialia, teneatur singulis annis confiteri.* ibid.

Dvb. 8. *Vtrum Ecclesia possit præcipere venialium confessionem.* 229

Art. 6. *Vtrum possit cum aliquo dispensari ne confiteatur.* ibid.

Qvaestio VII.

De Ministro Confessionis.

Circa Articulum 1. *&* 2.

Dvb. 1. *Vtrum Minister confessionis sit solus sacerdos.* 230

Dvb. 2. *Vtrum in Sacerdote cui sit confessio, sit necessaria iurisdictio.* 231

Dvb. 3. *Vtrum Sacerdos hanc iurisdictionem habeat ex sua ordinatione, an ab Ecclesia.* ibid.

Dvb. 4. *Vtrum fideles priuati, sua auctoritate possint se subijcere cuiuis sacerdoti, vt ab eo absoluantur.* 232

Dvb. 5. *Vtrum, vt quis possit habere plenam iurisdictionem ad absoluendum à peccatis, requiratur approbatio Ordinarij.* ibid.

Dvb. 6. *Vtrum quiuis Sacerdos habeat plenam potestatem in venialia? & vnde.* 233

Dvb. 7. *Vtrum omnes Sacerdotes habeant plenam potestatẽ in peccata mortifera, alias ritè confessa.* 234

Dvb. 8. *Vtrum quiuis Sacerdos possit absoluere quemuis fidelem in articulo mortis.* ibid.

Dvb. 9. *An eandem potestatem habeant omnes Sacerdotes in periculo mortis: vt dum prælium, periculosa tempestas, partus periculosus.* ibid.

Art. 4. *Vtrum necesse sit confiteri proprio Sacerdoti.* ibid.

Art. 5. *Vtrum quis ex priuilegio superioris possit alteri confiteri.* ibid.

Dvb. 1. *Vtrum ratihabitio proprij Sacerdotis sufficiat vt subditus possit alteri confiteri.* 235

Dvb. 2. *An Parochus seu proprius Sacerdos teneatur semper audire suum subditum, quando ille vult confiteri.* ibid.

Dvb. 3. *Vtrum ob ignorantiam, malitiam, reuelationem confessionis proprij Sacerdotis, liceat subditis confiteri alteri sine eius facultate.* ibid.

Dvb. 4. *Quinam possint dare potestatem alteri confitendi.* 236

Dvb. 5. *Vtrum summus Pontifex possit Religiosis dare potestatem & iurisdictionẽ audiendi confessiones quorumuis secularium, sine licentia Ordinariorum vel Parochorũ, sic vt pœnitentes non teneantur eadem peccata Parocho confiteri.* ibid.

Dvb. 6. *Vtrum expediat Ecclesiæ & saluti animarum, vt Pontifex concedat Religiosis hanc potestatem & iurisdictionem audiendi confessiones quorumuis secularium, sine licentia Ordinariorũ vel Parochorum.* 237

Dvb. 7. *An is qui habet potestatem eligendi confessorem, possit eligere quemuis.* 240

Dvb. 8. *Quanta requiratur scientia in Confessario.* ibid.

Dvb. 9. *Vtrum Confessarius teneatur monere pœnitentem, quando videt illum versari in ignorantia iuris vel facti? v. g. si aduertat & sciat illum contraxisse matrimoniũ in gradu prohibito, sed bona fide. Itẽ, retinere bona fide alienum.* ibid.

Dvb. 10. *Ad quid tenetur Sacerdos, quando ex ignorantia vel negligentia commisit aliquem errorem in audienda confessione.* 241

Dvb. 11. *Quid faciet Confessor, quando pœnitens est contrariæ opinionis. v. g. Pœnitens putat contractum aliquem esse licitum, Confessarius verò illicitum.* ibid.

Qvæstio

QVÆSTIO IX.
De Qualitate Confessionis.

ART. 1. *Vtrum confessio possit esse informis.* 241
DVB. 1. *Quibus casibus sit confessio informis.* 242
DVB. 2. *Quibus casibus confessio est inualida ita vt sit repetenda.* 243
ART. 2. *Vtrùm Confessio debeat esse integra.* 244
DVB. 1. *Vtrum aliquando fieri possit confessio non integra, & quibus casibus.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum possit absolui ager, qui Confessarium vocauit, & ante eius aduentum vox ei intercipitur? Item: An is, qui non valens confiteri in genere vel specie, solùm dedit in extremis signa contritionis tundendo pectus, eleuando oculos in cælum, &c.* 245
DVB. 3. *Vtrum teneamur confiteri peccata in præcedenti confessione, per obliuionem, vel ignorantiam inculpatam omissa.* 246
DVB. 4. *Vtrum liceat aliquando confiteri nō integrè ratione casus reseruati.* 248
DVB. 5. *Vtrum, si quis confessus ei, qui habet potestatem absoluendi à reseruatis, fuerit oblitus confiteri reseruata, maneat reseruatio.* 249
DVB. 6. *Vtrùm solæ circumstantiæ mutantes speciem sint confitendæ: an etiā aggranantes.* 250
DVB. 7. *Quænam circumstantiæ dicantur mutare speciem.* 251
ART. 3. *Vtrum quis per alium vel per scriptum possit confiteri.* ibid.
DVB. 1. *Vtrùm Confessio facta Sacerdoti præsenti per scripturam vel interpretem, sit Sacramentalis, ita vt accedente absolutione Sacerdotis, sit verum Sacramentum.* ibid.
DVB. 2. *Vtrùm obligemur confiteri per scripturam interpretem, aut nutus quando aliter non possumus.* 252
ART. 4. *De Conditionibus Confessionis.* ibid.
DVB. *Vtrùm omne mendacium in confessione sit peccatum mortiferum.* ibid.

QVÆSTIO XI.
De Sigillo Confessionis.

ART. 1. *Vtrùm in quolibet casu Sacerdos teneatur celare, quæ sub sigillo confessionis accepit.* 253
DVB. 1. *Quo iure teneamur in omni casu hoc secretum seruare.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum Sacerdos extra confessionē possit interdum vti scientia ex confessione parta, saltem ad gubernationem.* 254
ART. 2. *Quænam cadant sub sigillum confessionis.* ibid.
DVB. *An ea peccata quæ quis cōfitetur sine proposito emendationis, cadant sub sigillum confessionis.* 255
ART. 3. *Vtrùm solus Sacerdos obligetur sigillo Confessionis.* ibid.
ART. 4. *Vtrùm ex consensu pœnitentis possit Sacerdos aperire quæ audiuit in confessione.* ibid.
ART. 5. *Vtrùm, quando Confessarius alia via nouit peccatum, siue ante siue post confessionem, possit illud reuelare.* 256

QVÆSTIO XII.
De Satisfactione, *Quæ est tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ.* & primò, de eius essentia. ibid.

QVÆSTIO XIII.
De Satisfactionis Possibilitate.

ART. 1. *Vtrùm possit homo Deo satisfacere.* 257
DVB. 1. *Vtrùm homo possit condignè satisfacere pro culpa mortifera, & pœna æterna.* ibid.
DVB. 2. *Vtrùm saltem ex congruo, possimus satisfacere pro culpa letali.* 258
DVB. 3. *Vtrum pro culpa veniali possimus condignè satisfacere.* ibid.
DVB. 4. *Vtrum possimus condignè satisfacere pro reatu pœnæ temporalis ex peccato remanente.* 259
ART. 2. *Vtrum alius pro alio possit satisfacere.* 261
DVB. 1. *Vtrum satisfactio vnius valeat alteri ex condigno.* ibid.
DVB. 2. *Vtrùm satisfactio, quam alius pro alio suscipit, sit Sacramentalis.* 262

QVÆSTIO XIV.
De Qualitate satisfactionis.

ART. 1. *Vtrum homo possit de vno peccato satisfacere sine alio.* 262
DVB. *Vtrum expleta satisfactio Sacramentalis in statu mortifero valeat: & si non valeat, vtrum saltem remittatur per pœnitentiam, & charitatem superuenientem.* 263

QVÆSTIO XV.
De his per quæ fit satisfactio.

ART. 1. *Vtrum satisfactio debeat fieri per opera pœnalia.* 263
DVB. 1. *Vtrum satisfactio debeat fieri per opus aliàs indebitum.* 264
DVB. 2. *Vtrum pœnitentiæ sint arbitrariæ.* ibid.
DVB. 3. *An alius Sacerdos possit mutare pœnitentiam ab alio iniunctam.* 265
ART. 2. *Vtrùm flagella præsentis vitæ sint satisfactoria.* ibid.
DVB. *An solùm ratione actûs interioris patientiæ sint ista flagella satisfactoria, an per seipsa.* ibid.
ART. 3. *An conuenienter enumerentur opera satisfactoria.* 266

QVÆSTIO XVI. 17. 18. 19. 20.
De Potestate Clauium.

De Excommunicatione.
Circa Quæstionem 21. 22. 23. & 24.

CAP. 1. *Quid sit excommunicatio, quotuplex & quomodo differat ab alijs pœnis Ecclesiasticis.* 267
DVB. 1. *Quid sit excommunicatio.* ibid.
DVB. 2. *Quotuplex est excommunicatio.* ib.
CAP. 2. *De effectibus excommunicationis.* 268
DVB. 1. *Qui sint effectus excommunicationis Maioris, id est, sententiæ excommunicationis, siue actiuè siue passiuè considerentur: siue quatenus fertur, vel quatenus aliquē contingit.* ibid.
DVB. 2. *Qui sint effectus excommunicationis Minoris.* 269

CAP. 3.

Cap. 3. De potestate excommunicandi. 269
Dvb. 1. Vtrum in Ecclesia sit potestas excommunicandi. ibid.
Dvb. 2. In quibus sit haec potestas. 270
Dvb. 3. Vtrum aliquis seipsum possit excommunicare. ibid.
Dvb. 4. Vtrum excommunicatus possit excommunicare. ibid.
Dvb. 5. Vtrum consuetudo possit excõmunicare. ib.
Dvb. 6. Quinam non possint excommunicare. 271
Dvb. 7. Vtrum quis possit alterum excommunicare extra locum suæ iurisdictionis. ibid.
Cap. 4. De causa excommunicationis. ibid.
Dvb. 1. Quale peccatum debet esse ob quod possit quispiam excommunicari. 272
Dvb. 2. An excommunicatio lata contra innocentem secundùm allegata & probata, sit valida. ib.
Cap. 5. Quænam requirantur vt excommunicatio sit valida, & vt incurratur. ibid.
Dvb. 1. Vtrum etiam requiratur aliqua monitio præcedens, &c. ibid.
Dvb. 2. Vtrum, vt quis incurrat excommunicationem, requiratur etiam cognitio excommunicationis. 273
Dvb. 3. Vtrum incurratur excommunicatio si alter appellet. 274
Cap. 6. De vitandis excommunicatis. ibid.
Dvb. 1. Quo Iure sint vitandi. ibid.
Dvb. 2. Quinã de excommunicatis sint vitandi. ib.
Dvb. 3. In quibus hi excommunicati, scilicet excommunicati denuntiati, & notorij percussores Clericorum, sint vitandi. ibid.
Dvb. 4. Quibus casibus prædicti excommunicati non sint vitandi. 275
Dvb. 5. Vtrum ipsi excommunicati semper teneantur vitare alios. ibid.
Dvb. 6. Quale peccatum sit versari cum excommunicato; vel excommunicatum versari cum alijs. ibid.
Dvb. 7. Qualem excommunicationem incurrit participans. 276
Cap. 7. De absolutione ab excommunicatione. ibid.
Dvb. 1. Quis possit absoluere ab excommunicatione minore. ibid.
Dvb. 2. Quis possit à maiore absoluere. ibid.
Dvb. 3. Quando Superior possit absoluere ab excommunicatione reseruata Superiori. 277
Dvb. 4. Quænam est forma absoluendi ab excommunicatione. ibid.
Dvb. 5. Vtrum absolutio non satisfacta parte sit irrita? v.g. Si sis excommunicatus ob furtum, vel ob non solutas decimas, an absolutio data ante restitutionem, vel solutionem, sit valida. 278

De Suspensione.

Cap. 1. De natura Suspensionis. ibid.
Dvb. 1. Quid sit Suspensio, & quotuplex. ibid.
Dvb. 2. Quinam possint suspendere. ibid.
Dvb. 3. Quæ culpa requiratur ad suspensionẽ. ib.
Cap. 2. De variis modis suspensionis. 279
Cap. 3. Quibus modis suspensio ipsa suspendatur, seu impediatur, ita vt effectum non habeat. 280
Cap. 4. De absolutione à suspensione. ibid.
Dvb. 1. Quomodo tollatur suspensio. ibid.
Dvb. 2. Quis possit absoluere à suspensione. ibid.

De Interdicto.

Cap. 1. Quid sit Interdictum, & quotuplex. 281
Dvb. 1. Quid sit interdictum, & quomodo diuidatur. ibid.
Dvb. 2. Quale peccatum requiratur vt possit fieri interdictum. 282
Cap. 2. De effectibus interdicti, qui, & quot sint. ibid.
Cap. 3. De potestate interdicti, eiusque obligatione. 283
Dvb. 1. Qui possint interdicere, & qui interdici. ib.
Dvb. 2. Vtrum is, qui sententiam interdicti protulit, teneatur illud seruare. ibid.
Dvb. 3. Vtrum omne interdictum sit seruandum. ibid.
Dvb. 4. Quale peccatum sit violare interdictum. ib.
Cap. 4. De pœnis violantium interdictum. 284
Dvb. 1. Quas pœnas incurrant Clerici violantes interdictum ibid.
Dvb. 2. Vtrum Clericus non seruans in interdicto moderationem Capituli Alma, incurrat irregularitatem. ibid.
Cap. 5. De absolutione & suspensione interdicti. ibid.
Dvb. 1. A quo tollatur interdictum absolutè latum, & quomodo. ibid.
Dvb. 2. Quomodo suspendatur interdictum. ibid.

De Irregularitate.

Cap. 1. De Irregularitate in genere. 285
Dvb. 1. Quid sit irregularitas. ibid.
Dvb. 2. Vtrum contrahatur irregularitas si crimen vel causa, vnde oritur, sit occulta, vel paucis cognita. ibid.
Dvb. 3. Vtrum ad irregularitatem, quæ in pœnam delicti est constituta, sufficiat culpa venialis. 286
Dvb. 4. Qui sint effectus sententiæ irregularitatis, latæ à Iure vel ab homine. ibid.
Cap. 2. De irregularitate proueniente ex defectu lenitatis, seu ex hominis occisione vel mutilatione iusta &c. 287
Dvb. 1. Vtrum occidens inuasorem, si poterat fugæ euadere, fiat irregularis. ibid.
Dvb. 2. Vtrum is qui in aliquo casu tenetur defendere proximum aut rempub. incurrat irregularitatem, si occiderit. ibid.
Dvb. 3. Vtrum fiat irregularis, qui pro necessaria bonorum defensione alterum occidit. ibid.
Dvb. 4. Vtrum sit irregularis, qui parantem insidias occidit, præueniendo inuasionem. 288
Dvb. 5. Quinam efficiantur irregulares ex occisione iudiciaria. ibid.
Dvb. 6. Quis possit dispensare in hac irregularitate. 289
Cap. 3. De irregularitate ex homicidio voluntario proprie dicto. ibid.
Dvb. 1. Quando multi concurrunt ad vnius occisionem, quinam efficiantur irregulares. ibid.
Dvb. 2. Vtrum mandans homicidium semper fiat irregularis. 290
Dvb 3. Vtrum consentiens sit irregularis. ibid.
Dvb. 4. Vtrum non impediens homicidium sit irregularis. 291
Cap. 4. De irregularitate quæ prouenit ex homicidio vel mutilatione casuali. ibid.
Dvb. 1. Quinam contrahant irregularitatem, ex homicidio vel mutilatione, quam casu inferunt. ibid.
Dvb. 2. Quis possit dispensare in homicidio voluntario, vel casuali. ibid.

CAP. 5. De irregularitate ex delicto notorio & infamia. 291
DVB. 1. Quinã ratione delicti fiãt irregulares. 292
DVB. 2. Quis posſit in hac irregularitate dispensare. ibid.
CAP. 6. De irregularitate ex delicto circa Sacramenta. 293
DVB. 1. Vtrum repetens Sacramentum quod imprimit characterem, sit irregularis. ibid.
DVB. 2. Quinam ex indebita receptione, vel vsu ordinum fiant irregulares. ibid.
DVB. 3. Vtrum ex indebita ordinatione fiat quis irregularis. ibid.
DVB. 4. Vtrum, quando quis suscipiendo Ordinem presbyteratus, ante legitimam ætatem, vel extra statuta tempora, incurrit suspensionem, fiat irregularis, si celebret cum Episcopo. 294
CAP. 7. De irregularitate ex defectu corporis. ibid.
DVB. 1. Quis defectus corporis faciat irregularẽ. ib.
DVB. 2. Quis dispenset in hac irregularitate. ibid.
CAP. 8. De irregularitate ex bigamia. 295
DVB. 1. Quis dicatur Bigamus, seu Digamus. ibid.
DVB 2. Quotuplex sit Bigamia. ibid.
DVB. 3. Quomodo auferatur hæc irregularitas. ib.
CAP. 9. De irregularitate illegitimorum. 296
DVB. 1. Quis dicatur illegitimus. ibid.
DVB. 2. Vtrum censeatur illegitimus, cuius parentes ante conceptionem castitatem vouerant. ibid.
DVB. 3. Vtrũ illegitimus teneatur credere matri asserenti ipsum esse illegitimum. ibid.
DVB. 4. Quomodo tollatur hoc impedimentũ. ibid.

De Indulgentijs.

Circa quæstionem 25. 26. & 27.

CAP. 1. De potestate conferendi Indulgentias. 297
DVB. 1. Vtrum in Ecclesia sit potestas conferendi Indulgentias. ibid.
DVB. 2. Vtrum in Ecclesia sit aliquis thesaurus satisfactionum, ex meritis & satisfactionibus Christi & Sanctorum, cuius dispensatio in concedendis Indulgentijs interueniat. 299
DVB. 3. Quinam in Ecclesia habeant potestatem conferendi Indulgentias. 300
DVB. 4. Vtrum is qui iure potestatem non habet Indulgentias conferendi, posſit hanc consuetudine obtinere. 301
CAP. 2. Quid sint Indulgentiæ. ibid.
DVB. 1. Vtrum concessio Indulgentiarum formaliter sit absolutio à pœnis debitis; an solutio pro ijsdem ex thesauro Ecclesiæ. ibid.
DVB. 2. Vtrũ Pontifex posſit viuis dare Indulgentiam per solam solutionem ex thesauro Ecclesiæ sine iuridica absolutione. 302
CAP. 3. De effectu Indulgentiarum. ibid.
DVB. 1. Vtrum Indulgentiæ solum valeant, ad remissionem pœnitentiæ iniunctæ, an etiam ad remissionẽ eius quæ erat iniungenda: & consequenter, an valeant ad remissionem pœnæ purgatorij, quæ pœnæ iniungendæ respondet. ibid.
DVB. 2. Vtrum pœnitens per Indulgentias liberetur ab implenda pœnitẽtia, quam confessarius imposuit. 303
DVB. 3. Vtrum Indulgentiæ tantum valeant, quantum sonant. 304
DVB 4. Quomodo intelligẽdæ sint ille Indulgentiarum formæ, quibus conceduntur centum aut mille anni, aut decem millium annorũ Indulgentiæ ib.
DVB. 5 Vtrũ sit aliquod discrimen inter Indulgentiam plenam plenioremplenissimam. ibid.
DVB. 6. Vtrum sit discrimen inter Indulgentias plenariam & Iubilæum. ibid.
CAP. 4. De causa Indulgentiarum. ibid.
DVB. 1. Vtrum requiratur iusta causa, vt Indulgentia constet. ibid.
DVB. 2. Vtrum quæuis causa pia censeatur iusta ad quantumuis magnam Indulgentiam. ibid.
DVB. 3. Vnde spectanda sit magnitudo causæ, ob quam dantur Indulgentiæ. 305
CAP. 5. De Indulgentijs defunctorum. 306
DVB. 1. Vtrum Indulgentiæ prosint defunctis. ib.
DVB. 2. Quomodo Indulgentiæ defunctis concedantur. ibid.
DVB. 3. Vtrum Indulgentiæ defunctis per modum suffragij concessæ, valeant illis ex condigno, certaque lege; an tantùm ex congruo, nempe si Deus acceptauerit. ibid.
CAP. 6. De Indulgentijs viuorum. 307
DVB. 1. Vtrum hoc opus debeat fieri in statu gratiæ. ibid.
DVB. 2. Vtrum Indulgentiæ reuiuiscant, id est, vtrũ is, qui eas percepit in statu peccati mortiferi, fructum consequatur, quando resurgit. ibid.
DVB. 3. Vtrum culpa venialis impediat fructum Indulgentiarum. 308
DVB. 4. Vtrũ præter statũ gratiæ in suscipiente, requiratur præterea sollicitudo & diligentia satisfaciendi pro peccatis per condignam pœnitentiã, petendo eã iniungi à Confessario, vel sponte assumendo. ibid.
DVB. 5. Vtrum requiratur confessio re ipsa, an in voto tantùm. ibid.
DVB. 6. Vtrũ necesse sit totum opus præscriptũ explere: an saltem, qui partem operis explet, non etiam partem indulgentiæ consequatur. 309
DVB. 7. Vtrum alius pro alio posſit facere opus Indulgentiæ consequendæ præscriptum. ibid.
DVB. 8. Vtrum necesse sit eum in statu gratiæ esse, qui pro alio Indulgentiam quærit seu obtinet cõcedente id formula. ibid.
DVB. 9. Vtrum eadem Indulgentia posſit sæpiùs obtineri. ibid.
DVB. 10. Quomodo intelligenda sint quædã priuilegia, quæ in Iubilæis conceduntur de facultate eligendi Confessorẽ, qui posſit absoluere à reseruatis & censuris, dispensare in votis. &c. ibid.

De Purgatorio.

CAP. 1. De loco Purgatorij. 310
DVB. 1. An post hanc vitam sit aliquis purgatorius animarum locus. ibid.
DVB. 2. Vbi sit purgatorium. 311
CAP. 2. De pœna purgatorij. 312
DVB. 1. Quas pœnas patiantur animæ in purgatorio. ibid.
DVB. 2. Vtrũ pœna purgatorij sit grauissima. 313
DVB. 3. Vtrum animæ in purgatorio à dæmonibus torqueantur. 314
DVB. 4. Quamdiu durent pœnæ purgatorij. ibid.
CAP. 3. De conditione animarũ purgandarum. ibid.
DVB. 1. Vtrum posſint ibi mereri vel demereri. ib.
DVB. 2. Vtrũ animæ sint certæ de sua salute. 315
DVB. 3. Quando & quomodo animæ iudicẽtur. ib.
DVB. 4. Vtrum animæ posſint egredi è suis receptaculis. 316
CAP. 4. De Suffragijs pro defunctis. ibid.
DVB. 1. Vtrum Ecclesiæ suffragia prosint defunctis. 317
DVB. 2. Vtrũ omnibus defũctis suffragia prosint. ib.
DVB. 3. Vtrũ Sancti in cœlis orẽt pro defunctis. 318

De Sa-

De Sacramento extremę vnctionis.

CAP. 1. *De essentialibus eius Sacramenti.* 318
DVB. 1. *Vtrum extrema vnctio sit verum nouæ legis Sacramentum.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum extrema vnctio sit vnum Sacramentum.* 320
DVB. 3. *Vtrum hoc Sacramentum fuerit à Christo institutum.* ibid.
DVB. 4. *Vtrum materia huius Sacramenti sit oleũ ab Episcopo consecratum.* ibid.
DVB. 5. *Vtrum hæc benedictio sit necessaria ad essentiam huius Sacramenti.* 321
DVB. 6. *Vtrum hæc forma sit conueniẽs: Per istam sanctam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, &c.* ibid.
DVB. 7. *Vtrum sit necessarium vt hæc forma sit deprecatoria, præsertim cùm nulla aliorum Sacramentorum talis sit.* ibid.
CAP. 2. *De effectu huius Sacramenti.* 322
DVB. 1. *An hoc Sacramentũ semper conferat sanitatẽ corporis, quando id expedit saluti animæ.* ib.
DVB. 2. *Quæ sint illæ reliquiæ peccatorum quas hoc Sacramentum dicitur abstergere.* ibid.
CAP. 3. *De Ministro huius Sacramenti.* 323
DVB. 1. *Quis sit Minister huius Sacramenti.* ibid.
DVB. 2. *An liceat cuiuis Sacerdoti hoc Sacramentum administrare.* ibid.
CAP. 4. *De susciepientibus hoc Sacramentum.* ibid.
DVB. 1. *Quibus hoc Sacramentũ conferri debeat.* ib.
DVB. 2. *Quæ partes corporis sint vngendæ in hoc Sacramento.* 324
DVB. 3. *Cùm adhibentur septem vnctiones, in qua tandem detur gratia.* 325
DVB. 4. *Vtrum extrema vnctio posit iterari.* ibid.

De Sacramento Ordinis.

A quæst. 34. vsque ad quæst. 40. inclusiuè.

CAP. 1. *De essentialibus huius Sacramenti.* 326
DVB. 1. *Vtrum in Ecclesia debeat esse Ordo* ibid.
DVB. 2. *Vtrũ conuenienter Ordo definiatur à Magistro in 4. Sententiarum.* ibid.
DVB. 3. *Vtrum Ordo seu potius ordinatio, sit Sacramentum.* ibid.
DVB. 4. *Vtrum forma huius Sacramenti conuenienter exprimatur.* 327
DVB. 5. *Vtrũ hoc Sacramentũ habeat materiã.* ib.
DVB. 6. *Vtrum impositio manuum Episcopi sit necessaria ad essentiam Ordinis Sacerdotalis.* ibid.
DVB 7. *Vtrum contactus materiæ sit necessarius ad essentiam huius Sacramenti.* 329
CAP. 2. *De effectu huius Sacramenti.* ibid.
DVB 1. *Vtrum in Sacramento Ordinis conferatur gratia & character: & an character Ordinis supponat characterem baptismi.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum character Ordinis supponat characterem Confirmationis.* 330
DVB. 3. *Vtrum character vnius ordinis supponat characterem alterius.* ibid.
CAP. 3. *De distinctione Ordinum.* ibid.
DVB. 1. *Quot sint ordines.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum ordines debeant distingui per sacros & non sacros.* 331
DVB 3. *Vtrum actus ordinis conuenienter assignẽtur, siue, quæ sint singulorũ ordinum officia.* 332
CAP. 4. *An singuli ordines sint Sacramenta gratiam conferentia.* 333
DVB 1. *Vtrum ordinatio Episcopi sit Sacramentum conferens gratiam.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum Episcopus Iure diuino sit maior, seu superior Presbytero.* ibid.
DVB. 3. *Vtrum Diaconatus & Subdiaconatus sint Sacramentum.* 334
DVB. 4. *Vtrum Minores ordines sint Sacramenta.* 335
CAP. 5. *De susciepientibus & conferentibus hoc Sacramentum.* 336
DVB. 1. *Quales debeãt esse qui hoc Sacramentum suscipiunt.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum solus Episcopus Sacramentum ordinis conferat.* ibid.
CAP. 6. *De impedimentis ordinum.* 337
DVB 1. *Vtrum sexus femineus ordinis susceptionẽ impediat.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum pueri, & carentes vsu rationis, sint ordinum capaces.* ibid.

De Sacramento Matrimonij.

CAP. 1. *De matrimonio secundùm se considerato, quatenus est officium naturæ.* 338
DVB. 1. *Quid sit matrimonium.* ibid.
DVB 2. *An matrimonium sit Iuris naturæ: eiusque vsus sit licitus.* ibid.
DVB. 3. *Vtrum matrimonium sit præceptum.* 339
DVB. 4. *Vtrum Polygamia qua plures vxores successiuè habentur, sit permissa.* 340
DVB 5. *Vtrum Polygamia plurium virorum sit permissa.* ibid.
DVB. 6. *Vtrum Polygamia plurium vxorum sit permissa.* 341
DVB. 7. *Vtrum ante Christum concessa fuerit plurium vxorum Polygamia.* 342
CAP. 2. *De matrimonio generatim considerato, vt est Sacramentum.* 343
DVB. 1. *Vtrum matrimonium inter fideles tempore legis Euangelicæ sit Sacramentum gratiam conferens.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum matrimonium ante Christi aduentum, vel etiam modò, inter infideles contractum sit Sacramentum.* 346
DVB. 3. *Vtrum matrimonia infidelium fiant Sacramenta quando baptizantur.* ibid.
DVB. 4. *Vtrum matrimonium fidelis cum infideli cessante lege Ecclesiastica qua irritatur, sit Sacramentum.* 347
DVB. 5. *Vtrum matrimonium, quod non est complexu coniugali consummatum, sit Sacramentum.* ibid.
DVB. 6. *Vtrum matrimonium sine benedictione sacerdotali contractum, sit Sacramentum.* 348
DVB. 7. *Vtrum matrimonium contractũ per Procuratores, sit Sacramentum.* 350
DVB. 8. *Qualis est ista gratia quæ per Sacramentũ matrimonij confertur.* ibid.
CAP. 3. *De Sponsalibus.* ibid.
DVB. 1. *Quid sint sponsalia.* ibid.
DVB. 2. *Quanam requirantur ad sponsalia.* ibid.
DVB. 3. *Vtrũ sponsalia contracta per Procuratores sint valida? item, an clandestina sponsalia, quæ nullo teste fiunt, sint valida.* 351
DVB. 4. *Quomodo contractus sponsalium obliget? & an Ecclesia posit cogere eum, qui sponsalia contraxit, vt promissum impleat.* 352
DVB. 5. *Quibus modis sponsalia dissoluantur.* ibid.
DVB. 6. *Vtrum sponsalia sine Iudicis auctoritate posint dissolui.* 353
DVB. 7. *Quomodo sponsalia transeant in matrimonium.* 354

CAP. 4. De consensu necessario ad matrimoniũ. 354
DVB. 1. Qualis consensus sit necessarius ad matrimonium. ibid.
DVB. 2. Vtrum nullo modo sine consensu possit fieri matrimonium. 355
DVB. 3. Vtrum in matrimonio duo illi consensus debeant simul concurrere. ibid.
DVB. 4. Quod sit obiectum consensus necessarij ad cõtractum matrimonij, in quod oporteat consentire. ibid.
DVB. 5. Vtrum conditio posita in contractu vitiet consensum. 356
DVB. 6. Vtrũ iste consensus per verba de præsenti, cum conditione de futuro faciat matrimonium simul ac ponitur conditio: an verò requiratur novus consensus expressus de præsenti. 357
DVB. 7. Vtrum consensus metu extortus sufficiat ad matrimonium. 358
DVB. 8. Vtrum matrimoniũ graui metu contractũ, sit irritum Iure diuino naturali, an solùm Ecclesiastico. ibid.
DVB. 9. Vtrum matrimonium, quod diximus esse irritũ, eò quòd sit metu graui contractum, accedente copula cum affectu maritali, confirmetur. 359
DVB. 10. Vtrum requiratur consensus parentum vt matrimonium validè contrahatur. 360
CAP. 5. De bonis matrimonij & speciatim de insolubilitate ratione Sacramenti. ibid.
DVB. 1. Vtrum matrimonium consummatum in veteri lege fuerit solubile per libellũ repudij. ibid.
DVB. 2. Vtrum Gentibus fuerit tunc temporis permissum repudium. 361
DVB. 3. Vtrum adhuc apud Iudæos & gentiles repudium sit permissum. ibid.
DVB. 4. Vtrum in noua lege matrimonium infidelium possit dissolui, si alter conuertatur ad fidem, altero nolente conuerti. 362
DVB. 5. Quando hoc matrimonium soluatur. ibid.
DVB. 6. Vtrum matrimonium fidelium nondum consummatum, aliquando solui possit. 363
DVB. 7. Quo iure matrimonium ratum soluatur per professionem. ibid.
DVB. 8. Vtrum matrimoniũ ratum possit in aliquo alio casu solui per Ecclesiæ dispensationem. ibid.
DVB. 9. Quantũ temporis concessum est coniugibus post contractũ vt possint ingredi religionẽ. 364
DVB. 10. Vtrum matrimonium fidelium consummatum possit aliquo modo solui quoad vinculum, sic, vt vtrique liceat aliud inire. ibid.
DVB. 11. Vtrum possit aliquando fieri diuortium quoad torũ & cohabitationẽ, inter cõiuges. 365
DVB. 12. Vtrum coniux innocens teneatur dimittere coniugem fornicantem. 366
DVB. 13. Vtrum facto diuortio, possit innocens sibi reconciliare dimissum. ibid.
DVB. 14. Vtrum facto diuortio si innocens fornicetur, teneatur coniugem dimissum sibi reconciliare. ibid.
DVB. 15. Quibus casibus fiat illicitum diuortium in causa fornicationis. ibid.
DVB. 16. Quando studio maioris perfectionis fit diuortium, quidnam secundùm Iura obseruari debeat. ibid.
CAP. 6. De fide & prole. ibid.
DVB. 1. Vtrum coniuges teneantur sibi mutuò debitum reddere. 367
DVB. 2. Quanam sint causæ iustæ negandi debitum. ibid.
DVB. 3. Vtrum coniux occultè fornicatus possit petere debitum coniugale. 368
DVB. 4. Vtrum maritus possit petere & reddere, dum dubitat de matrimonij veritate. ibid.
DVB. 5. An coniux, qui continentiam vouit, possit petere & reddere. 369
DVB. 6. Vtrũ coniuges teneantur simul cohabitare, & se mutuò adiuuare in familia administranda. 370
DVB. 7. Vtrum vxor teneatur sequi virum. ibid.
DVB. 8. Vtrum ea quæ vxor lucratur, sint in potestate viri, an vxoris. ibid.
DVB. 9. Vtrum maritus possit vxorẽ verberare. ib.
DVB. 10. De prole. ibid.
CAP. 7. De impedimentis matrimonij. ibid.
DVB. 1. Quotuplicia sint matrimonij impedimenta. ibid.
DVB. 2. Quomodo Ecclesia potuerit impedimenta matrimonij statuere, cum sit Sacramentũ, in quo nihil ipsa mutare possit. 371
DVB. 3. Vtrum potestas ciuilis possit matrimonio impedimentum dirimens constituere. ibid.
DVB. 4. Quis possit in matrimonij impedimẽtis dispensare. ibid.
DVB. 5. Quid faciendum est, si matrimonium cum impedimento contractum est. ibid.
CAP. 8. De errore personæ, & conditionis seruilis. 372
DVB. 1. Vtrum error personæ matrimonium dirimat. ibid.
DVB. 2. Vtrum error conditionis seruilis dirimat coniugium. ibid.
DVB. 3. Vtrum serui possint contrahere inuitis dominis. 373
CAP. 9. De impedimento voti & ordinis sacri. ibid.
DVB. 1. An votum dirimat matrimonium. ibid.
DVB. 2. Vtrũ votũ solemne castitatis hanc vim dirimendi matrimonij habeat Iure diuino, an dumtaxat Ecclesiastico. 374
DVB. 3. Vtrum ordo sacer sit impedimentum dirimens. ibid.
DVB. 4. Vtrum ordo sacer dirimat matrimonium ratione sui, an solùm ratione voti solemnis adiuncti. 375
DVB. 5. Vtrum hoc impedimentum sit Iuris diuini, an Ecclesiastici. ibid.
CAP. 10. De impedimento cognationis, affinitatis, & iustitiæ publicæ honestatis. ibid.
DVB. 1. Quid sit consanguinitas, & quomodo suis gradibus distinguatur. ibid.
DVB. 2. Quinam gradus iure naturæ dirimant matrimonium. 376
DVB. 3. Quinam gradus consanguinitatis absolutè dirimant matrimonium, siue Iure naturæ, siue Ecclesiastico. 377
DVB. 4. Quid sit affinitas. 378
DVB. 5. Quoto gradu dirimat affinitas matrimonium. ibid.
DVB. 6. Quinam gradus affinitatis Iure naturæ efficiant matrimonium irritum. ibid.
DVB. 7. Vtrum cognatio spiritalis quæ nascitur ex Baptismo vel Confirmatione, sit impedimentum dirimens, & inter quos. 379
DVB. 8. Quandonam à Patrinis contrahatur hæc affinitas. ibid.
DVB. 9. Vtrum cognatio legalis sit impedimentum dirimens, & quousque. 380
DVB. 10. Vtrum impedimentum iustitiæ publicæ honestatis matrimoniũ dirimat. ibid.

CAP.

CAP. 11. *De impedimento criminis, disparitatis cultus, violentiæ & ligaminis.* 381
DVB. 1. *Vtrum sit aliquod crimen quod irritet matrimonium.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum disparitas cultus sit impedimentum dirimens.* ibid.
DVB. 3. *Vtrũ metus ei incussus & raptus sint impedimentum dirimens.* 382
DVB. 4. *Vtrum ligamen seu vinculum alterius matrimonij dirimat matrimoniũ subsequens.* ibid.
CAP. 12. *De impedimento impotentiæ.* ibid.
DVB. 1. *Vtrum impotentia ad actum coniugalem sit impedimentum dirimens.* 383
DVB. 2. *Vtrum liceat tollere ligaturas, nodos, volumina capillorũ & alia signa maleficæ posita à maleficis eo fine vt diabolus desinat nocere.* ibid.
CAP. 13. *De impedimento ex defectu Parochi & testium.* 386
DVB. 1. *Vtrum defectus parochi vel testiũ sit impedimentum dirimens.* ibid.
DVB. 2. *Quidnam requiratur, vt prædictum decretum Concilij vim habeat.* 387
CAP. 14. *De impedimentis impedientibus non dirimentibus.* ibid.
DVB. 1. *Quænam impedimenta, reddant matrimonium illicitum, sic tamen vt non dirimant.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum cum votis supradictis contrahere sit peccatum mortale.* 388
DVB. 3. *Quis possit in his impedimentis dispensare, vt licitè possit contrahi matrimonium.* ibid.

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM
De Sacramentis & Censuris.

Prior numerus paginam; posterior, marginalem paginæ numerum denotat. Vbi numerus marginalis solùm apponitur, ad proximè designatam paginam refertur.

Ablutio.

Ablutio pedum cur Eucharistiæ præmissa. pag. 4. num. 14.
Ablutio Baptismi. Vide Baptismus §. 1.

Absolutio

Absolutio Sacramentalis facienda est auctoritatiuè, non deprecatoriè. 177. 18
Sacerdos verè absoluit, etsi Christus etiam dicatur absoluere. 20
Peccata à quibus absoluimur, habent rationem vinculi. n. 21.
Vtiliter ab eodem peccato sæpiùs absoluimur. 179. 22
Ad absolutionem non est necessaria nec expediens manus impositio. 24
Vide Pœnitentia vt est Sacramentum. §. 4. Eius forma.
Laicus tentans absoluere non fit irregularis. 230. 5
Absolutio sine approbatione nulla est. 233. 16
Absoluere potest quiuis Sacerdos cuiusuis venialia. 233. 19. *idque Iure diuino* 20
Item mortalia semel confessa. 234. 21
Absoluere potest in articulo mortis quiuis Sacerdos quemuis fidelem. 234. 22
Item in periculo mortis. 24
Absoluendus æger qui Confessarium vocauit, & ante eius aduentum vox ei intercipitur. 245. 16
Item qui signa dat. ibid.
Vide Auctarium ad 1. 2. V. Absolutio, Casum 1.

Absolutio à reseruatis.

Absoluere non potest Superior à solis reseruatis, remisso pœnitente pro cæteris ad inferiorem. 248. 28
Contrarium tamen non est improbabile. ibid.
Absoluere nequit inferior confitentem reseruata neque à reseruatis, neque à non reseruatis. 248. 29
Absolutio valida est cùm pœnitens bona fide casum reseruatum confitetur in hunciurisdictionem non habenti, habenti tamẽ in aliqua mortalia pœnitentis. 249. 30
In necessitate, si Superiorem adire nequis, potes à reseruatis absolui. 32
Absoluere possunt Iure communi Episcopi à reseruatis Pontifici. 31
Vide Confessionis integritas. Reseruatio Casuũ.
Item vide Auctarium ad 1. 2. V. Absolutio *à Casu* 2. *vsque ad* 8.
Absolutio ab excommunicatione. Vide Excommunicatio. §. 5.
Absolutio ab Interdicto. Vide Interdictum. §. 4.
Absolutio à suspensione. Vide Suspensio. §. 3.

Accidens.

Potest esse extra subiectum. 123. 1
Non indiuiduatur à subiecto. 2
Vt accidens per se subsistat non requiritur aliquis modus positiuus, sed sufficit vt subtracto subiecto, diuinitus conseruetur. 124. 4
Dupliciter accidens seruari potest extra subiectum. 5
Vide Eucharistia. §. 8.

Acolythus.

Officium eius primarium & secundarium. 332. 30
Acolythus quasi pedissequus præcedens dominum: vel quasi Minimè liber. ibid.
Dicitur etiam Ceroferarius. ibid.
Caluinus ineptè hoc traducit. ibid.
Instrumenta ordinationis eius. ibid.

Adoptio. Adoptare.

Quid sit Adoptare, & quorum. 386. 175
Quomodo Adoptio dirimat matrimonium ob cognationem. 176
Adoptio non semper est impedimentum perpetuum. 177
Inter duos adoptiuos non est impedimentum: neque inter adoptiuum & illegitimam adoptantis. ibid.

Adulterium.

Adulter occultus potest petere debitum, sed non per vim extorquere. 368. 119
Coniux innocens absolutè non tenetur dimittere fornicantem. 366. 110

Coniux innocens facto diuortio non tenetur ad reconciliationem. ibid. 111. *Ne quidem si ipse posteà etiam adulterium committat.* ibid. 112
Adulter interficiens suam coniugem vt possit cum adultera contrahere, contrahit impedimentum dirimens. 381. 178. Vide Matrimonium. §. 13.

Aduocatus.

Aduocatus accusatori patrocinans in causa sanguinis, fit irregularis: secùs si patrocinetur reo. 289. 17

Affinitas.

Quid sit affinitas. 378.165. Vide Matrimon. §. 12.

Agnus.

Agni Paschalis immolatio, & ipse etiam Agnus Paschalis est figura Eucharistiæ. 155.14
Non poterat sumi nisi à legaliter mundis. 135. 14
Non licet tam imolare agnum in sacrificium. 154. 11

Altare.

Altare requiritur ad sacrificium. 151.5
Altare sit lapideum consecratum. 173.86
Quomodo pereat eius consecratio. ibid.
Altare sternatur duabus mappis. ibid.88
Non debent ei inesse reliquiæ. ibid.

Angelus.

Angelus potest per diuinam dispensationem administrare Sacramenta. 26.17
Angelus à Deo seruari potest in loco discontinuis. 101.25
Angelus naturaliter cognoscit Christi corpus in Eucharistia. 122. 49. *Eam honorat.* 97.13
Angeli animas ad purgatorium deducunt. 316. 32
Non tamen eas ibi torquent. 314. 23
Angeli deferunt animas sanctas in cœlum. ibid.
Quomodo in Angelis sit virtus Pœnitentiæ. 186.23

Apostoli.

Apostoli fuerunt baptizati ante mortem Christi. 32.5
An & quomodo baptizarint Apostoli in nomine Christi. 39.24

Apparitio.

Dupliciter Christus in Eucharistia apparet. 122.52
Vide Eucharistia. §. 12.
Apparitio animarum Purgatorij. 314.22
Quidam apparuit S. Bernardo, qui se quatuor lacertis dixit traditum esse torquendum. ibid.23
Apparitio animæ Traiani Imperatoris, Falconillæ, & cuiusdam idololatræ dicentium se ex inferno liberatas. 318.38

Appellatio.

Appellans legitimè ante excommunicationem latam, & dein tamen excommunicatus, inualidè excommunicatur. 274.33
Post latam sententiam appellas frustrà. ibid.
Post declarationem te excommunicationē incurrisse, item validè appellas. ibid.

Approbatio.

Approbatione non eget qui habet officium curatū. 232.14
Cæteri omnes eâ egent. ibid.n.15
Sine ea inualida est absolutio. 233.16
Tacita approbatio sufficit. ibid.
Non requiritur approbatio ad confessiones regularium. ib.
Approbatur Regularis ipso iure si Ordinarius sine causa recuset approbare. 233. 16
Approbatus semel, vbique censetur approbatus. ib.n.17
Approbationem an possit Episcopus reuocare. ibid. n.18

Attritio.

Attritionis & Contritionis differentia. 209.12
Attritionis species ex parte rationis dolendi. ibid. n.11
Quanam ex his speciebus sufficiant ad iustificationem cum Sacramento. ibid.n.13
Quæ attritio non sufficiat cum Sacramento. 210.16
Attritio insufficiens ad gratiam, potest esse sufficiens ad substantiam Sacramenti. ibid. n.17
Attritio putata non sufficit ad substantiā Sacramenti. 20
Attritio in Sacramento Pœnitentiæ non debet esse existimata contritio. ibid. n.21
Attritio, putata contritio sufficit cum martyrio ad iustificationem. 45.47
Attritio cum baptismo magis sufficit ad iustificationem, quàm cum martyrio. ibid.
Vide Contritio. Dolor.

Baptismvs.

§. 1. Et ea quæ in ipso fit ablutio.

Varia Baptismi nomina, & vnde. 32.1
Baptismi definitio. ibid. n.2
Baptismus constat forma intrinseca. ibid.
Cur baptismus dicatur sigillum. 4.13
Baptismus mimicus quando sit validus. 27.20
Baptismus institutus est ante passionem probabiliùs quando post ieiunium Christus cœpit habere discipulos. 33.4 & 34.6
Ablutio baptismi consistit in contactu aquæ ad corpus instar passionis. 33.3
Non est necesse vt ablutio fiat successiuè. ibid.
An immersio in aqua sit de necessitate baptismi. 39.26
Necesse est aqua immediatè corpus tangat. ibid. n.27
Quanam corporis partes abluendæ sint, & quanā debeant tangi ad substantiam baptismi. 40. 28
Trina immersio non est necessaria: qui eam tamen omitteret contra Ecclesiæ suæ consuetudinem, peccaret. ibid. n.29. *Eius significatio.* ibid. n.30
Vnica immersio per quem in Ecclesiam inducta, & eius congruentia. ibid.
Si infans moreretur ante tertiam mersionem, vtrùm censeretur baptizatus. ibid.n.31
Vtrùm tota ablutio, præsertim quando fit per motum localem, sit de substantia Sacramenti. ibid. n.32
Ad rationem baptismi quando fit per immersionem non est necessaria succedens emersio. 41.33
Validè baptizabitur puer, etsi proiiciatur in puteum. ibid.

§. 2. Eius necessitas, & obligatio.

De fide est baptismum esse necessarium. 50.1
Baptismus necessarius est omnibus ad salutem in re vel in voto. ibid.n.2
Adultus potest saluari per contritionem, vel amorem Dei includentem votum baptismi. ibid.
Votum baptismi debet esse expressum vel implicitum. ib.
Obligatio baptismi cuique incipit quando Euangelica prædicatio ei innotuit, vel innotescere more humano potuit. 34.8
Nemo seipsum potest baptizare. 37.18
Omnes adulti tenentur præcepto diuino statim ac commodè possunt baptizari. 51.3
An aliqui & qui adulti baptismum distulerint. ibid.
Ecclesia potest catechumenos indirectè, non directè obligare ad susceptionem baptismi. ibid. n.6
Cur baptismus metu susceptus valeat, non autem matrimonium. 53.12
Peccatores impœnitentes non sunt baptizandi. 51.7
Baptizatis licet magna fecerint peccata, non est imponenda pœnitentia. 52.8
Peccatores ad baptismum accedentes non debent confiteri. ibid.n.9
Infantes licitè & salubriter baptizantur. 53.14
Baptismus reipsa susceptus est medium absolutè infantibus necessarium. 54.17
Infantes voto parentum non possunt saluari. 55.19

§. 3. Infantes

§. 3. Infantes baptizandi.
Parentes multis titulis tenentur baptizare suos liberos in necessitate. 56. 23. *Extra periculum iure diuino non tenentur, sed possunt differre baptismum vsque ad ætatem adultam.* ibid.
Infantes infidelium non licet baptizare inuitis parentibus. 56. 24. *Nisi infans sit in periculo.* 57. 25. *Vel si alter parentum consentiat.* ibid. n. 27. *Item si auus consentiat inuita matre.* ibid. *Item si parentes sint mancipia Christianorum.* ibid. n. 28
Si infantem nequeas ab inuito parente separare, ne baptizes extra casum necessitatis. 58. 28
Quid faciendum cum ijs qui furtim vel plagio ex terris infidelium ablati sunt. ibid.
Puer capax rationis potest baptizari inuitis parentibus. ibid. n. 29.
Pueri infidelium si baptizentur inuitis parentibus, validè baptizantur. ibid. n. 30
Infantes in vtero materno non possunt baptizari, nisi aliquo instrumento aquâ possint aspergi. ibid. n. 31
Mater non est scindenda vt infans baptizetur. ib. n. 32
An & quando amentes & furiosi sint baptizandi. ibid. n. 33.

§. 4. Eius materia
Errores hæreticorum circa materiam baptismi. 35. 10
Vera materia est aqua sensibilis & vsualis. ibid. n. 11
Congruentiæ inter effectus aquæ & baptismi. ibid.
Quomodo baptismus Christi sit in Spiritu sancto & igne. ibid. n. 12
An in arena quandoque possit baptizari. 36. 12
Duæ regulæ circa materiam baptismi. ibid. 13
De baptismo sanguinis, Vide Martyrium.

§. 5. Eius forma.
Errores hæreticorum circa formam baptismi. 36. 15
Forma necessaria & legitima, est hæc: Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus S. n. 16
Quale peccatum esset omittere, ego, *in forma baptismi.* ibid.
Actio baptizandi necessariò exprimenda est. ibid. n. 17
Actus verò baptizandi variè potest exprimi. 37. 17
Innocentij IV. opinio refutatur. ibid.
Necesse est exprimatur persona quæ baptizatur. ib. 18
Hæc variis modis exprimi potest. ibid.
An hic baptismus valeat; Ego te Paulum baptizo, *& hic non sit Paulus, sed Petrus.* ibid. n. 19
An sit necesse dicere In nomine, *vel*, In nominibus. ibid. n. 20.
In nomine quid significet. ibid.
Verum præpositio (in) *& coniunctio* (&) *sint de essentia formæ.* 38. 21
Forma vitiabitur si per harum omissiones significetur error Sabellianorum. idid.
An hæc forma valeat, In nomine genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque. *ibid.*
Valet hæc forma, In nomine Patris, & Iesu Christi, & Paracliti. *ibid.*
An hæc valeat, In nomine ingeniti, & imaginis, & doni. *ibid.*
Baptismus, In nomine Christi *collatus non est validus.* 38. 23
Non sufficit implicita Trinitatis inuocatio. 39. 23
An & quomodo Apostoli baptizarint in nomine Christi. ibid. n. 24

§. 6. Eius effectus.
Baptismus tollit omnia peccata. 59. 1
Est imitatio mortis & resurrectionis Christi. ibid.
Verè delet omne peccatum. ibid. n. 2
Tollit etiam omnem reatum pœnæ. ibid. n. 3
Non tamen tollit pœnalitates vitæ præsentis. 60. 4
Confert gratiam & virtutes. ibid. n. 5
Differentia inter Baptismum & reliqua Sacramenta quoad remissionem omnis pœnæ. 60. 3
Confert paruulis æqualem gratiam: & adultis æqualiter dispositis æqualem. 61. 7. *Inæqualiter dispositis inæqualem.* ibid. n. 8
Vide Sacramentũ. §. 8. Dispositio ad Sacramenta.

§. 7. Eius iteratio.
De fide est non posse iterari. 41. 35
Rebaptizans & rebaptizatus Iure ciuili plectuntur morte. ibid. n. 36
Iure Ecclesiastico sunt irregulares. ibid.
Quæ ignorantia ab hac irregularitate excuset. 42. 38
Sub conditione rebaptizans non sit irregularis. ib. n. 37
Quid si metus accedat. ibid. n. 40
Baptismus de quo non est probabilis causa dubitandi, non potest iterari. 43. 41
Baptizati ab obstetricibus non debent sub conditione rebaptizari. ibid.
An vnus testis sufficienter probet baptismum. ibid.
Quando est probabilis ratio dubitandi de Sacramento, debet sub conditione repeti. ibid.

§. 8. Intentio ex parte Baptizati.
Positiuè dissentiens inualidè baptizatur. 52. 10
Imò se habens negatiuè. ibid.
Requiritur consensus positiuus. Sufficit tamen habitualis. ib. n. 11
Cur hic consensus requiratur in adultis, & non in infantibus. 53. 11
Quænam intentio conditionata sufficiat. ibid. n. 12

§. 9. Minister Baptismi.
Quam intentionem habere debeat baptizans, Vide Intentio.
Baptizare non pertinet ad Diaconum ratione officij, sed tantum ex commissione Sacerdotis 46. 1. *Is solenniter baptizans sine commissione, fit irregularis* 47. 1
Solemnis baptismus non potest committi Subdiacono nisi à solo Papa. ibid. n. 2
Sacerdos ex officio est minister Baptismi. ibid. n. 3. *Eget tamen ad hoc iurisdictione.* ibid.
Laicus in necessitate potest baptizare. ib. n. 4.
Imò & mulier. n. 5
Ordo inter eos qui baptizare possunt. ibid.
In necessitate infidelis potest baptizare. 48. 6
Laicus vel femina baptizans extra necessitatem, peccat mortaliter. ibid.
In priuata domo quando liceat baptizare. ibid.
Duo nunquam valide baptizant vt causæ partiales. ibid. n. 7
Possunt id facere vt causæ totales. ibid. n. 8.
Vtrum sit verus baptismus, si duo sic simul baptizent, Ego te baptizo, si alius te non baptizat. *ib. n. 9*
An sit legitimus baptismus si vterque vtatur hac forma, Nos te baptizamus. 49. 10
Vide Patrinus.

Beati.
Animæ beatæ è corporibus ab Angelis ad cælos deferuntur. 316. 32
Animæ beatæ è cælis possunt egredi. ibid. 33
Probabilius est nunquam aliquam è cælo egressam. ib.
Beatis non prosunt suffragia viuentium. 317. 38
Quo sensu dicatur offerri sacrificium pro beatis. ibid.
Beati in cælis orant pro defunctis. 318. 39
Beatis cum Christo regnantibus aliquo modo prodest sacrificium Missæ. 166. 48
In Beatis est virtus pœnitentiæ. 186. 22

Beneficium Ecclesiasticum.

Qui habet beneficium curatum non eget approbatione ad confessiones. 232.14
Beneficij collatio facta excõmunicato est irrita 268.6
Commutatio beneficij inter excommunicatos facta est irrita. ibid.
Suspensus à beneficio priuatur eius fructibus, non quotidianis distributionibus 279.9. *Non tamen priuatur ipso facto.* ibid.
Beneficij collatio facta irregulari, est irrita. 286.7

Bigamia Bigamus.

Quis bigamus. 295. 57
Explicatur Apostolus de Vnius vxoris viro. ibid.
Ratio ob quam bigamia inducat irregularitatem. ibid.
Bigamia triplex, Vera, Interpretatiua & similitudinaria. n. 58. & seq.
Vide Irregularitas ex Bigamia.

Calix.

Calicis attactus in consecratione Sacerdotis cautè adhibendus. 329.15
Vide Auctariũ V. Ordines Sacri Casum 3. & 4.
Quid significet Hic est calix noui testamenti. 99.17
Quomodo calix *propriè sit & dicatur testamentum.* ibid. 18.
Quomodo Christus præceperit dari Calicem. 145. 41
Calix & Patena Missæ ex qua materia esse debeat, quæ eius consecratio, reparatio &c. 173. 88

Cæremoniæ.

Quid sit Cæremonia. 70. 1
Cæremoniæ quinque modis diuiduntur. ibid.
Ecclesia potest Cæremonias instituere. ibid. 3.
Cæremoniæ defenduntur cõtra hæreticos. ib. 2. & 71.6
Vtilitas Cæremoniarum. ibid. 3
Cæremoniæ etsi non sanctificent, valent tamen ad effectus spirituales. 71.7
In statu innocentiæ fuissent certæ cæremoniæ. 12.3
Quæ cæremoniæ in Missa adhibendæ. 173.89
Mutatio cæremoniæ quale peccatum. 90

Character.

Sacramenta quædam imprimunt Characterem. 18.1
Negant id hæretici. ibid.
Character est quædam potentia actiua vel passiua. 19.3
Effectus Characteris. n.3
Character est in prima specie qualitatis. ibid.
Quomodo Character sacramentalis sit character Christi. n.4
Quomodo Character Ordinis nos assimilet Christo. ib.
Character est in ipsa animæ essentia. 20.5
Character inest animæ indelebiliter. 20.7
Quomodo sit dispositio ad gratiam. ibid.
Probabilius manet post hanc vitam. 8
Character non habet immediatũ influxum in animam eius cui confertur Sacramentum. 21.1
Vide Confirmationis effectus.
Character Ordinis præsupponit Characterem Baptismi. 329. 17
Non tamen essentialiter Characterem Confirmationis. 330.19
Character vnius Ordinis non præsupponit Characterẽ alterius. 20
Character Episcopi differt à Charactere Sacerdotis. 333. 32

Charitas.

Charitas sufficit ad peccati, cuius memor non es, remissionem. 191.16
Vide Contritio. Dilectio.

Chrisma.

Christus post cœnam vltimam docuit Apostolos conficere Chrisma. 73.8
Chrisma conficitur ex oleo & balsamo. 74.10
Potest fieri ex vero quolibet balsamo. 75.12
Necesse est vt Chrisma ab Episcopo benedicatur. 13
Consecratio Chrismatis est de essentia Confirmationis. 14
Non est tamen certis verbis vel figuris alligata. ibid.
Simplex Sacerdos non potest Chrisma conficere potestate ordinaria. 76. 15
Imo probabilius ne quidem id potest ex commissione Pontificis. 16

Christus.

Christus instituit omnia Sacramenta nouæ legis immediatè per se. 21.2
Instituit ea quà homo potestate excellentiæ. ibid.
Christus qua Deus habet potestatem auctoritatis: quà homo habet potestatem excellentis ministerij respectu interioris effectus. 22.4
Christus potestatem auctoritatis non potest alicui communicare: potest verò potestatem excellentis ministerij. 5
Christus in Eucharistia est signum sui ipsius, & quomodo. 101. 23
Totus Christus in Eucharistia est sub vtraque specie. 113.1
Christus naturaliter in Eucharistia non potest vti sensibus. 122.50
Potest hìc naturaliter intelligere absque conuersione ad phantasmata. ibid.
Diuinitus hic potest audire & videre Sacerdotem. 51
Christus in vltima cœna sumpsit suum Corpus & Sanguinem. 147.1
Idem etiam dedit Iudæ n. 2. *Corpus quidem erat passibile, sed impassibili modo sumpsit & dedit aliis.* 148.3
Christus quomodo sit Sacerdos secundùm ordinẽ Melchisedech. 154. 13
Christus in cœna, non in cruce fecit testamentum. 155.15
Christus in sacrificio Missæ tribus titulis est primarius offerens. 168. 56
Vide Eucharistia.

Chorepiscopus.

Quales hi olim fuerint. 331.25

Circumcisio.

Circumcisio ex opere operato non iustificauit infantes vel adultos. Vti nec alia Sacramenta veteris legis. 69.5.& 7
Refutantur rationes partis affirmantis. 67.1
Parentum vel circumcidentiũ fides externo signo applicata paruulos iustificauit. 69.5
Circumcisio non conferebat adultis gratiam vltra meritum propriæ fidei & deuotionis. 6

Circumstantia.

Circumstantiæ graniter aggrauantes peccatum intra eandem speciem, sunt confitendæ. 250.36
Exempla huius casus. ibid.
Non grauiter aggrauantes possunt taceri. 251.38
Quæ circumstantia mutent speciem, ostenditur in singulis, 39

Clauis Ecclesiæ.

Quid sit, & qui eius actus. 266

Clericus.

Clericatus non est Ordo. 331.22
Clericus chirurgicam exercendo peccat, sed non fit irregularis. 291.34

Clericus vtens Ordine quem non habet, quando fiat irregularis. 293. 42
Clericus violans Interdictū, peccat mortifere. 283.13
Clericus tenetur excludere Interdictos. 15
Clericus violans Interdictum exercitio Ordinis sacri, fit irregularis. 284.16
Secùs est si violet Interdictum exercitio Ordinum Minorum. ibid.
Quatuor aliæ pœnæ Clerici violantis Interdictum. 17
Vide Interdictum.
Clericus occidens mulierem, quia sine ignominia fugere non poterat, fit irregularis. 287.9
Soli Clerici incurrunt similitudinariā bigamiā. 295.59

Communio Sanctorum.

Qualis, & in quo sit communio Sanctorum in Ecclesia. 262. 27
Communio fidelium triplex. 267.2
In Ecclesia est thesaurus constans meritis & satisfactionibus Christi, ac Sanctorum 299.7 *hic thesaurus nunquam potest deficere.* 9
Ecclesia habet potestatem hunc thesaurum dispensandi. 10
Per satisfactiones Sanctorum verè redimuntur nostræ pœnæ. 300. 11. *Non ideo tamen sunt proprie nostri redemptores.* ibid.
An aliquid fructus ex quouis sacrificio Missæ perueniat ad singula membra Ecclesiæ. 166.46

Concilium.

Generale Concilium habet potestatem concedendi plenariam Indulgentiam. 300.12
Habet etiam potestatē excommunicationis in omnes personas Ecclesiæ totius, præterquam in Papam. 270. 13.

Concupiscentia.

Concupiscentia improprie dicitur peccatum. 59. 2

Confessarius.

§. 1. Eius Iurisdictio.

Minister Pœnitentiæ est solus Sacerdos. 230. 2
Confessio facta laico an vtilis: & quare commendetur. 3
Confessarius debet habere iurisdictionem. 231. 6
Sacerdos non habet omnem iurisdictionem ex sua ordinatione, sed tantùm virtualem & incompletam. 8
Habens titulum coloratum validè absoluit. 243. 9
Fideles non possunt se subijcere cuiuis Sacerdoti. 232.12
Ob quas causas liceat subditis confiteri alteri, quàm proprio Parocho sine eius facultate. 235. 31
Quinam possint eligere Confessarium. 240.48
Vide Iurisdictio.

§. 2. Eius Scientia.

Quænam requiratur scientia vt quis possit dignè fungi officio Confessarij. 240. 50
Crassè ignorantem Confessarius debet instruere. 52
Item dubium, vel rogantem, & inculpabiliter ignorantē si spes sit profectus. ibid.
Inculpatè peccantem ne moneat, si metuat graue incommodum. 241. 53
Quid faciet Confessarius si malè monuit, vel non monuit circa restitutionem. 54
Quid faciet si non valide absoluerit &c. 55
Quid faciet quando pœnitens est contrariæ opinionis. 57

§. 3. Pœnitentiæ iniunctio.

Confessarius plerumque pro satisfactione non imponat opera alias debita ex præcepto vel voto. 264. 4
Confessarius pro mortalibus tenetur iniungere pœnitentiam. 265.7
Non tamen pro venialibus, saltem sub mortali. ibid.
Non potest Confessarius in foro pœnitentiæ dare indulgentias. 300.15
Vide Pœnitentia Sacramentalis §. 6.

§. 4. Confessarij ad sigillum obligatio.

Sigillum nullo casu violari potest. 253. 1
Sacerdos ad sigillum seruandum tenetur omni Iure, naturali, religionis, ecclesiastico, diuino. 2
Confessor potiùs eligat occidi, quàm reuelare confessionem. 253. 4
Alterius confessionem in sua aperire non potest. 234. 4
Neque potest pœnitentem monere post absolutionem. ibid.
Sigillum non obligat si pœnitens consentiat vt dicas tertio. 255. 14
Licentia reuelandi sit expressa, libera, ob iustam causam. 256. 15
Si ante confessionem, vel post aliunde nouerit, non tenetur silere. 16
Haustâ ex confessione scientiâ secundùm communem sententiam potest vti Sacerdos. 254. 5
Sed non posse, conformius est rationi. ibid.
Subinde tamen vti eâ scientiâ tenetur Superior. 7
Cuius crimen solùm noscis ex confessione, ei etiam occultè Eucharistiam ne deneges. 139. 14
Sigillo confessionis plures obligantur v. g. malignè auscultans: fortuitò audiens: interpres: is cui confessarius nefariè aperuit: suppositittius Cōfessarius. 153. 11. & seq.
Non tamen consiliarius vel doctor. 12. *Nec laicus, cui vt laico confiteris.* 13
Materia sigilli est omne peccatum. 254. 8
Item quidquid indirectè ducere potest in notitiam peccati. ibid.
Peccata quæ quis confitetur sine proposito emendationis cadunt sub sigillum, si pœnitens verè intendat absolui: nō cadunt, si contrà. 255. 10

Confessio.

§. 5. Eius præceptum diuinum.

Quid & quotuplex confessio. 220. 1
Hæreticorum circa eam errores. 2
Confessio omnium peccatorum Iure diuino est necessaria relapsis. 3
Probatur ex Scripturis. 4. *Ex Figuris.* 22. 8. *Ex Conciliis.* 9. *Ex Patribus.* 223. 10. *Ex Ratione.* 224. 11
Confessionis vtilitas. ibid.
Nectarius non sustulit confessionem priuatam, sed publicam. 12
Venialia tamen non sunt necessariò confitenda. 225. 14
Confessio præcipitur Ioannis 20. 15
Omnes baptizati tenentur confiteri. 226. 16
Omnia & sola mortalia sunt confitenda. 17
Qui in mortali est, non tenetur prima opportunitate confiteri. 18
Confessio facienda est Iure diuino in articulo mortis. 19
Ius diuinum probabilius non obligat ne nimis diu differatur. 20
Per accidens sæpiùs obligamur confiteri. 21
Confessio facta scripto, vel per interpretem præsenti sacerdoti, accedente absolutione sacerdotis, est verum Sacramentum. 251. 43
Facienda actu aliquo externo, nō tamē necessariò voce. ib.
Nemo per interpretem tenetur confiteri vi præcepti confessionis. 252. 44
Mutus tenetur scripto confiteri. 45
Confessionis conditiones sedecim. 46

§. 6. Eius præceptum Ecclesiasticum.

Obligatur Ecclesia Iure diuino ad aliquam determinationem faciendæ confessionis. 227. 23

Has

Hæc tamen determinatio est Iuris humani. n. 24
Quouis tempore anni potest satisfieri, præcepto annuæ confessionis. 25
Qui spatio vnius anni non fuit confessus, tenetur statim post confiteri. 228.26
Peccat continuò, ni fecerit. ibid.
Ritè confessus potest mortale oblitum differre in alterum annum. 27
Qui post non est habiturus copiam Confessarij, debet prævenire. 28
Pueri mortiferè peccantes obligantur hoc præcepto. 29. *Secùs est de communione.* ibid.
Impuberes non confessi, non incurrunt excommunicationem. 30
Qui tantùm habet venialia, nō tenetur hoc præcepto per se. 31. *Teneri posset ratione scandali.* ibid.
Indirectè potest præcipere Ecclesia confessionem venialiū. 229. 34. *Hactenus eam non præcipit.* 35
Potest dispensari ne vnquam confitearis. 36
Dispensari potest in tempore confessionis annuæ. 37
Etiam Papa tenetur hoc præcepto. 38

§. 7. Confessio Communioni præmittenda.

Confessio necessariò Eucharistiæ præmittenda si sis in peccato mortali. 136. 6. *idque ex Iure diuino positiuo, nō tantùm ex Ecclesiastico.* ibid.
Confessio in septem casibus necessitatis non est necessariò communioni vel celebrationi præmittenda. 137. 8
Confessio non est præmittenda communioni si desit confessor. 9
Censetur deesse confessor si is linguam tuam ignoret. ibid.
Si timeas ab eo infamiam vel aliud malum. ibid. *Alia tamen mortalia illi confitenda, de quibus nihil times.* ibid. *non tamen venialia.* ibid.
Si inferior te non posit à reseruatis absoluere, & superior absit, censetur deesse confessor. ibid.
Eo tamen casu si habeas mortalia non reseruata, verius est te teneri ea cum reseruatis inferiori confiteri. ib.
Confessio non est peccatori communicaturo omittenda quia abest ordinarius Confessor. ibid.
Sacerdos qui vrgente necessitate celebrauit absque confessione, statim post tenetur confiteri. 10. *idque non ex Iure diuino, sed humano.* 138. 10
Laicus in simili casu non tenetur statim post confiteri. 11

§. 8. Confessio Indulgentijs præmittenda.

Confessio an necessaria ad promerendas Indulgentias. 308. 48
Quid si tunc careas peccato mortifero? 50
Quid si ob multitudinem confitentium tunc non possis accedere? 309. 51

§. 9. Confessio informis.

Quidam negant dari confessionem informem. 241. 1
Verius est eam dari. 242. 2. *forma tamen hic non est falsa.* 3
Confessio est informis si dolor sit merè humanus. 4
Item si propositum emendationis non sit absolutum, sed solùm velleitas. 5
Verius tamen est hoc casu confessionem non esse formē, sed irritam. ibid. *neque tunc sufficere bonam fidē, qua seputet ritè dispositum.* ibid *neque etiam sufficere legitimū dolorem sequi post absolutionem.* ibid. *neque te confiteri tuam hanc indispositionem.* ibid.
Item confessio est informis si bona fide putes te adhibuisse debitam diligentiam in examine, quam tamen non adhibuisti. 243. 6. *modus hic improbatur.* ibid.
Item si omittas confiteri mortale, ignorans ex crasse ignorantia esse mortale. 7. *Sed & hic modus improbatur.* ibid.
Item si excommunicatus petas absolui à peccatis, culpabiliter nesciens esse sacrilegium absolui à peccatis, antequam ab excommunicatione absoluaris. 8. *Hic modus etiam improbatur.*

§. 10. Confessio inualida & repetenda.

Ex parte Confessarij sit inualida confessio quinque casibus. 243. 9
Ex parte pœnitentis sit inualida, si sponte non integrè facta. Si absque dolore vel proposito emēdationis. Si nullā velit admittere pœnitentiam. 244. 10
Apud eundem Confessorem præcedentium memorem etiam in confuso, repete solum omissa. ibid. *Apud immemorem, vel alium, omnia repete.* ibid.

§. 11. Confessio sit integra.

De fide est eam debere esse integram. 244. 11
Explica numerum vt potes. 12
Examen sit iuxta conditionem pœnitentis. ibid.
Sit integra, etsi cum tua & complicis apud solum confessorem infamia. 245. 14
Peccata in præcedente confessione per oblitionem vel inculpatam ignorantiam omissa, postea confitenda dum occurrent. 246. 21
Integra confessio facienda non est carnificina conscientiarum. 247. 22
Reseruatio non excusat ab integritate. 248. 28
Vide Reseruatio.
Circumstantiæ intra eandē speciem enormiter aggrauantes necessariò confitendæ. 250. 36. *Non enormiter aggrauantes possunt taceri.* 38
Circumstantiæ speciem mutantes necessariò confitendæ. 251. 39
Vide Circumstantiæ.

§. 12. Excusantia ab integritate.

Amissio loquelæ dicto aliquo peccato. 224. 13
Periculum mortis instans. ibid.
Si tibi, vel alteri damnum vel infamiam metuis. 14. & 137. 9.
Coniectura quam faciet Confessor de complice. 245. 15
Imò sub venali teneris adire aliū qui complicem non nouit. ibid.
Absolue ægrum te vocantem, cui tamen ante aduentum vox præcluditur. n. 16. & 20
Etiam absolue qui in extremis impotens confiteri, dat solum generalia signa contritionis. ibid. & 20
Si nulla signa dederit, ne absoluas. ibid.
Vide Auctarium ad 1. 2. V. Absolutio *Casum* 1.

CONFIRMATIO.

§. 1. Eius institutio.

Confirmatio est verum Sacramentum. 72. 2
Impositio manuum in Confirmatione non fuit oblatio baptizati. 3
Nec fuit tantùm adhibita ad conferenda dona visibilia Spiritus sancti. ibid. *Nec etiam pro breui tempore instituta.* ibid. *Cur nunc non habeantur in Confirmatione iidem effectus visibiles, qui olim?* ibid.
Confirmatio facit perfectè & plenè Christianum. 5
Transfert in statum virilem. 73. 6
Vide Eius effectus.
Instituta est in vltima cœna. 7
Potestas tamen conferendi data est post resurrectionem. ibid.
Christus nulli contulit hoc Sacramentum. ibid.

§. 2. Eius materia & forma.

Materia remota Confirmationis est Chrisma. 73. 8
Illud semper Apostoli in hoc Sacramento adhibuerunt. 9
Impositio manuū & vnctio pro eodem sumuntur. 74. 9

Chrisma

Chrisma conficitur ex oleo & balsamo. 10
Mixtio balsami est de essentia huius Sacramenti. 11
Vnctio frontis in modum crucis est materia proxima huius Sacramenti. 79. 33
Si hæc fiat extra frontem, non valet. ibid.
Item non valet si fiat absque signo crucis. 34
Debet fieri immediatè manu Confirmantis. ibid.
Vide Chrisma.
Forma Confirmationis est, Consigno te signo Crucis &c. 76. 17
Constat hæc magis ex Traditione, quam Scripturâ. ib.
Explicantur singula eius partes. ibid.
§. 3. Eius effectus & dispositio.
Character Confirmationis distinguitur realiter à Charactere Baptismi. 76. 18
Supponit Characterem Baptismi. 77. 19
Vide Character.
Probabile est olim aliquos accepisse effectus Confirmationis absque Sacramento Confirmationis. 77. 20
Per hoc Sacramentũ datur gratia gratum faciens. 21
Confert maiorem gratiam quàm Baptismus. 22
In iusto nulla requiritur dispositio præter gratiam habitualem. 23
In peccatore memore requiritur contritio vel attritio. 24
In immemore sufficit virtualis attritio 78. 24
Non requiritur ieiunium vel confessio. 27
§. 4. Eius subiectum.
Omnibus hoc Sacramentum est exhibendum. 78. 25
Varia fuit Ecclesiæ consuetudo in Confirmatione conferenda. 26
Cur modo differatur vsque ad vsum rationis. ibid.
An & quando expediat hoc Sacramentum non differri in infantibus, & moribundis. 27
Dandum amentibus. 28. *Etsi aliquando vsi fuerint ratione.* ibid.
§. 5. Eius obligatio.
Omissio huius Sacramenti per se non est peccatũ mortiferum. 78. 29
Nec ad hoc Sacramentum vllum est præceptum. ibid.
An & quæ sit necessitas huius Sacramenti suscipiendi. 79. 30
Omissio huius Sacramenti vnde & quibus titulis possit esse peccatum. 31
Ex decentia debet præmitti Eucharistiæ & ceteris Sacramentis. 32. *Non autem ex obligatione.* ibid.
§. 6. Eius Minister.
Solus Episcopus est ordinarius minister Confirmationis. 80. 36
Simplex Sacerdos potest ex commissione Papæ Confirmare. 76. 16. & 80. 37
Simplex sacerdes sine commissione Confirmans, nil efficit. 38
Papa etsi non esset Episcopus, posset confirmare, & alteri committere. 81. 41
Vide Patrinus.
Consanguinitas.
Quid sit: Quid sit hæc linea. Quid gradus &c. 375
Vide Matrimonium. §. 11.
CONTRITIO.
§. 1. Eius essentia.
Contritionis definitio. 207. 2
Ad Contritionem requiritur propositum non peccandi, & quale. 208. 5
Aliquando sufficit propositum virtuale. 7
Includit etiam, vt pertinet ad nouam legem, propositum confitendi & satisfaciendi. 9
Contritionis diuisio. 209. 10
Differentia inter Attritionem & Contritionem. 18
Quæ sit imperfecta contritio. 195 6
§. 2. Eius obiectum.
Tribus modis de peccatis possumus conteri. 211. 1
Nunquam fuit necesse de singulis peccatis singulos dolores excitare. 2
Olim non fuit necesse omnia peccata commemorare. 3
Nec etiam iam est necessaria particularis contritio de singulis peccatis; est tamen suadenda. 212. 6
De peccatis oblitis an & qualis requiratur contritio. 7
§. 3. Eius Quantitas.
Contritio debet esse summus dolor appretiatiuè. 2
Non tamen tenetur pœnitens facere comparationem cum alijs malis. 3
Quid faciendum si talis comparatio occurrat. 213 4
De maiori peccato appretiatiuè magis est dolendum. 6
Contrarium facere, est peccatum veniale. 7
Appretiatiuè magis dolendum est de tuo veniali, quàm de alterius magno. 8
Ad contritionem non requiritur summus dolor intensiuè. 10
Vnde dolor dicatur Appretiatiuè summus. 214. 14
Non est necessarium vt dolor sit magis intensus de peccato, quàm de alio malo. 13
Quantanis intensio vel mora Contritioni sufficit. 15
§. 4. Eius obligatio.
Datur præceptum de Contritione. 215. 1. *Idque naturale.* 2
Non obligat statim sub mortali 216. 3. *Nec diebus festis.* 5. *Nec quoties occurrit memoria.* 6. *Obligat aliquando per se.* 217. 7. *Aliquando ratione alterius.* 8. *An tunc omissio contritionis sit distinctum peccatum.* 9
Non tenetur in Paschate conteri. 11
Contritio delet peccata. 218. 3
Si habes casum reseruatum, & est necessariò celebrandum, conterere, si non vales adire Superiorem. 249. 32.
§. 5. Eius effectus.
Contritio non delet formaliter culpam mortalẽ. 257. 9
Neque delet vt æquivalens satisfactio. 258. 10
Contritio non condignè satisfacit pro pœna æterna. 11
De congruo satisfacimus pro culpa letali: & quid hoc sit. 12
Contritio est maius bonum Dei, quàm culpa venialis sit eius iniuria. 258. 14
Vide Dilectio Dei.
Contumacia.
Contumacia alia requiritur ad excommunicationẽ ab homine, quàm à Iure. 272
Conuersio vnius rei in aliam.
Creatura non potest conuerti in substantiam diuinam. 111. 57.
Quæuis res creata videtur in aliam posse conuerti. 58
Quibus modis res corporales cõuerti possint in res corporales. 112. 58
Spiritus conuerti potest in corpus, & contrà. ibid.
In conuersione Eucharistica remanent accidentia sensibilia & insensibilia panis. 59. *Non tamen modi substantiales.* ib. *Conuersio fit in instanti.* 60
Creare, Creatio.
Creatio est prima collatio ipsius esse. 110. 54
Differt à transubstantiatione & conseruatione. ibid.
Non habet terminum à quo positiuum, sed solum negatiuum. 111. 54
Actio qua Christus ponitur in Eucharistia, non differt vt intrinseca à creatione. ibid. *Non ideo tamen debet dici*

dici quotidie Christi Corpus creari vel produci. 55
Si Christi Corpus non esset alibi, posset dici per hanc actionem creari. ibid.

Crimen.

An aliquod crimen irritet matrimonium. 381. 178. *& quanam.* ibid.
Vide Matrimonium. §.13.

Dæmon.

NOn potest administrare Sacramenta, ne quidem per dispensationem Dei. 26. 17
Neque consecrare Eucharistiam, vt tamen volunt hæretici. 148.1
Dæmones naturaliter cognoscunt Christum esse in Eucharistia. 122. 49
Dæmones interdũ torquent animas purgatorij. 314.23
An quis dæmoni cooperetur soluens maleficia. 384.192 & seqq.

Damnati.

Illis non prosunt suffragia viuorum. 317. 38. *nec suffragia Missæ.* 166.47
Animæ damnatæ deducuntur in infernum à dæmonibus. 316.32
Vide Infernus.

Debitum matrimoniale.

Coniuges pari iure tenentur sibi reddere debitum. 367. 115.
Excusantia a redditione debiti, eamque prohibentia. Vide Matrimonium. §.6.

Diaconus. Subdiaconus.

Diaconatus est Ordo sacer. 331.26
Officia Diaconi. 332.28
Malè statuunt hæretici officium Diaconi in solo ministerio mensæ. ibid.
Diaconatus est Sacramentum. 334. 37.
Diaconus cantans Euangelium in mortali, non peccat mortaliter. 239.& 336.45
Diaconi non sunt capaces vt Confirmationem conferant ex commissione Papæ. 81.39
Diacono committi potest dispensatio Eucharistiæ impedito Sacerdote. 149.7. *Interdum eam dispensare potest Diaconus absque commissione.* 150. 8
Officium Subdiaconi. 29
Subdiaconatus est Ordo sacer. 331.26. *Est etiam Sacramentum.* 335.38
Olim Subdiaconatus non fuit Ordo sacer. ibid.
Subdiaconus suspensus non fit irregularis suscipiendo Diaconatum. 279.7

Diaconissa.

Quæ olim Diaconissæ. 337.46
Ordinatio Diaconissæ non potest repeti. 336. 41

Dilectio Dei.

Dilectio vera Dei in eo non est qui peccati sui memor, de eo non dolet. 191. 15
Dilectio Dei sufficit ad peccati, cuius memor non es, remissionem. 16
Anima iusti statim à morte per dilectionem Dei impetrat peccati venialis, si quod habet, remissionem. 195.7
Dolere de peccato vt est offensa Dei, est actus dilectionis. 183. 11.
Perfecta pœnitentia nequit esse sine dilectione. 183.8
Vide Contritio.

Diœcesis.

Delinquens extra diœcesim non incurrit excõmunicationem illi delicto positam in sua diœcesi. 271.20
Item delinquens in loco exempto. ibid.
Commisso crimine exiens in aliam diœcesim, potest à suo Episcopo excommunicari. 21
Non potest si sit extraneus, nisi antequam egrederetur, fuisset citatus ab Episcopo. ibid.
Potest excommunicari extra diœcesim positus, cuius crimẽ in diœcesi completur. 22

Dispensatio.

Deus olim dispensauit in matrimonio consummato. 361. 90.
Christus dispensauit in matrimonio infidelium, nolente altero ad fidem conuerti. 362. 93
Ecclesia dispensat in matrimonio rato; non consummato. 363.99
Papa potest dispensare in voto solẽni Religionis. 374.150
Dispensat Papa in omnibus matrimonij impedimentis Iure humano introductis. 371.133
Papa non potest dispensare in linea recta, sed transuersa. 378. 164
Pontifices sæpè dispensarunt in primo gradu affinitatis lineæ transuersæ. 379.171
Papa non potest dispensare ne vnquam consitearis. 229. 36. *Potest tamen dispensare in tempore confessionis.* 38
Episcopus non potest dispensare in impedimentis dirimentibus. 371.133
Potest tamen si quatuor conditiones concurrant. ib. *Potest etiam dispensare in impedimento orto ex baptismo in extrema necessitate collato.* 379. 173
Vide Auctarium. V. Matrimonium. *Casum* 8. & 9.
In quibus impedimentis matrimonium impedientibus possit Episcopus dispensare. 388.207
Episcopus potest dispensare vt extra locum sacrum Missa fiat. 172.78. *Item vt in loco polluto.* 173. 85. *Item vt hora sacrificij consueta præueniatur & extendatur.* 172. 74. & 75.
Dispensatio in irregularitate. Vide Irregularitas §. 8.

Diuortium.

Diuortium quoad torum & cohabitationem licet pluribus de causis. 365.108
Ad diuortium par est ius coniugum. ibid.
Innocens coniux partem fornicantem non tenetur dimittere. 366.110
Nisi fortè per accidens. ibid.
Post diuortium potest innocens sibi reconciliare dimissum. 111
Sed non tenetur. ibid.
Quid si facto diuortio innocens fornicetur. 112
Diuortium quandò illicitum etiam posita fornicatione. 366. 113.
Diuortium factum studio maioris perfectionis. 114
Vide Matrimonium §.5.

Dolor Dolere.

Ratio naturalis dictat de præterito peccato esse dolendum. 180. 29
Non solis naturæ viribus possumus dolere de peccatis. 181. 30.
De peccato ritè cõfesso nõ teneris amplius dolere. 181.31
Est tamen consulendum. 32
Non teneris dolere de præteritis quando memoriæ occurrunt. ibid.
Non potes dolere de vno peccato vt est offensa Dei, nisi etiam doleas de alijs quæ memoriæ occurrunt. 191. 19
Dolor merè humanus reddit confessionẽ informẽ. 242.4
Vide Attritio. Contritio. Pœnitentia. Peccati remissio.

Episcopus.

EPiscopatus & Sacerdotij vnus est Ordo. 331.24. *hinc Episcopus & Presbyter interdum pro eodem sumuntur.* ibid.

Episcopi ordinatio est Sacramentum conferens gratiam. 333. 32. *Et imprimens Characterem à sacerdotali diuersum.* ibid.
Nequit ordinari Episcopus qui non est Presbyter. 33
Neque in Episcopatu eminenter continetur Presbyteratus. ibid.
Episcopus est Presbytero maior potestate Ordinis. 34
Item Iurisdictione. 334. 35
Iurisdictio illi debetur Iure diuino, sed humano traditur. 36
Episcopi officia. 332. 27
Potest excommunicare suos subditos. 270. 13
Non tamen extra suam diœcesim positus. 171. 19
Vide Diœcesis.
Solus Episcopus est ordinarius Minister Confirmationis. 80. 36.
Solus Episcopus Sacramentum Ordinis confert ex officio. 336. 46.
Etiamsi sit hæreticus vel præcisus. 337. 46
Non est abrogandus mos quo recens ordinati cũ Episcopo consecrant. 149. 4
Episcopus conficiens Chrisma, consecrans altaria &c. in statu peccati mortalis, non peccat mortaliter. 23. 9
Peccaret verò mortaliter si ordinariè tales functiones vellet obire in mortali. 24. 9
Episcopus quas Indulgentias possit concedere. 300. 13
Quas possit concedere Archiepiscopus & Primas. 11
Episcopus Iure communi absoluere potest à reseruatis Papæ. 249. 31
Item potest absoluere ab omni excommunicatione Papæ reseruata orta ex delicto occulto. 277. 49
Et ab Interdicto, quod latum est à Iure. 284. 20
Et à suspensione, quæ lata à Iure. 281. 16
Episcopus suspensus à Pontificalibus non sit irregularis si canat Missam cum pedo & mitra. 279. 7
In quibus dispẽsare possit Episcopus. Vide Dispensatio.

EVCHARISTIA.

§. 1. Eius nomen & institutio.

Varia eius nomina. 85. 19.
Quo sensu possit vocari panis. 105. 36
Instituta est in vltima cœna. 85. 20
Variæ eius figuræ. 21
Christus in Eucharistia est signum sui ipsius, & quomodo. 101. 23
Præstat ceteris omnibus Sacramentis. 31. 9
Sancti Patres varijs eam modis laudant. 97. 13

§. 2. Eius essentia & vnitas.

Eucharistia non consistit in sumptione, sed in re permanente. 82. 3
Nec verba consecrationis, nec materia consecranda est Sacramentum Eucharistiæ. 6
Verba consecrationis obliquè pertinent ad essentiam Eucharistiæ. 83. 6
Eucharistia propriè est compositum ex Corpore Christi & speciebus. 7
Sacramentum sic componitur ex speciebus & Corpore Christi, vt homo est ipsum compositum ex anima & corpore. 8
Corpus Christi in Eucharistia se habet ad species, vt forma ad materiam. 9
Eucharistia est vnum specie Sacramentum. 84. 10
Quomodo sub vna specie habeamus integram refectionem spiritualem. 11
Duplex differentia inter Eucharistiam & reliqua Sacramenta. 127. 1

§. 3. Eius Materia

Panis.

Proxima materia sunt sensibiles species panis & vini verborum sacramentalium formulâ consecratæ. 83. 7
Materia remota & transiens est panis & vinum. 83. 6 & 87. 1.
Tres eius congruentiæ. ibid.
Panis sit triticeus. 88. 9
Hordeaceus non est materia. ibid.
Nec massa cruda, aut elixa. 10
Nec panis ex leguminibus, pisis, castaneis, amylo. ibid.
Probabile est panem ex secali seu siligine esse consecrabilem. ibid.
Idem est de spelta. 89. 10
Panis lacte vel aqua rosacea coctus, non videtur consecrabilis. ibid.
Caue adhibere materiam dubiam. ibid.
Tam panis fermentatus, quam azymus est materia. 89. 11.
Græcorum error & fundamenta refutantur. 12

§. 4. Vinum & aqua.

Pro consecratione calicis debet esse vinum de vite. 91. 24
Non liquores ex leguminibus, nec acetum. ibid.
Vinum acidum est consecrabile. ibid.
Similiter mustum: sed ob fœces ne adhibe. ibid.
Vinum intra vas non est consecrabile. ibid.
An vinum gelatum & degelatum sit consecrabile, est dubium. ibid.
Aqua vino est permiscenda. 92. 25
Permixtio aquæ non est de necessitate huius Sacramenti. 26
Cur aquæ omissio sit graue peccatum. ibid.
Papa in ea potest dispensare. ibid.
Aqua modicissima adhibenda est. 27
Aqua probabiliter mutatur immediatè in sanguinem. 28
Quomodo species vini vinum gignant. 125. 8
Liquores tantùm speciebus, non Sanguini misceri possunt. 126. 15
Si liquor vincatur à speciebus, non vertetur in Sanguinem Christi. ibid.
Si Sanguini misceatur vinum, non desinet ibi esse Sanguis Christi, etsi mixto fiat per totum. 127. 16
Vnde nec desinet Sanguis in vna gutta consecrata immissa in vas non consecratum. 17

§. 5. Vtriusque Quantitas & præsentia.

Quantauis magna quantitas potest consecrari, modò sit sufficienter præsens. 127. 2
Quantumuis etiam parua, modò in toto sit. ibid.
Si à toto sit separata, potest consecrari, modò sub ea posit conseruari substantia, & sit sensibilis. 4
Si autem sit insensibilis, consecrari non potest. ibid.
Si particula consecrata fiat insensibilis, non desinet Corpus Christi. ibid.
Materia debet sic esse præsens vt sensu percipi, & manu designari possit. 88. 5. *Non tamen vt manu attingi queat.* 6
Panis si sit post murum, non potest consecrari. ibid.
Totum mare non est consecrabile: nisi forsan Dei virtute fieret præsens. ibid.
Si pixis sit clausa, panis potest consecrari. 6
Id quod à tergo est, non potest consecrari. ibid.
Materia consecranda à Sacerdote est determinanda. 7
Non possunt solæ partes proportionales consecrari, nec determinatio alteri permittenda est. ibid.

§. 6. Forma Consecrationis.

Hæc est forma huius Sacramenti, Hoc est Corpus meum. Hic est Calix Sanguinis mei. 127. 1. & 129. 9.
Quomodo hæc oratio, Hoc est Corpus meum, *sit Sacramentum.* 99. 16

Consecratio non fit precibus (vt volunt Græci) sed solis verbis suprà positis. 127.2
Christus consecrauit ijsdem verbis, quibus nos. 128.5
An Christus debuerit dicere imperatiuè, Hoc fiat Corpus meum. 98.15
An to Hoc *in forma Consecrationis significet panem.* ibid.
Quid propriè designet to Hoc. ibid.
Verbum Est *nunquam accipitur pro significat.* 99.17
To Enim *non est de essentia, nec omissio eius mortalis.* 129.9.
Vox est *non necessariò addenda: omissio tamen peccaminosa.* ibid.
Si loco Hoc *dicatur* hic, *nihil conficitur.* ibid.
Accipite & manducate, *non spectant ad formam.* ib.
Forma *Calicis, hæc est:* Hic est calix Sanguinis mei &c. *eadem explicatur.* 130.11
Prædictæ locutiones sunt veræ. 131.14
Formæ dicuntur non tantùm recitatiuè, sed etiam affirmatiuè, 15
Formæ operantur vt significatiuæ. 17. *Et vt veræ practicè.* 132.18

§. 7. Transsubstantiatio.

Error hæreticorum manere panẽ in Eucharistia. 103.30
Error Ruperti substantiam panis assumi hypostaticè à Verbo. ibid. & n. 38
Error Durandi manere materiam panis. 104 30.& 39
De fide est totam substantiam panis verti in Corpus Christi. 31
Falsa est hæc propositio, hic panis est Corpus meũ. ib.
Dogma Transsubstantiationis non est à Concilio Lateranensi inuentum. 105.34
Quo sensu Eucharistia vocetur panis. 36
Quo sensu possit dici materia panis in ea remanere. 37
Existentiam panis in Eucharistia remanere repugnat fidei & Philosophiæ. 106.40
Idem dic de entitate contra Caietanum. 41
Posset diuinitus Corpus Christi simul esse cum pane in Eucharistia. 107.42
Sed alium tunc accidentia panis ad Corpus Christi, quam nunc, haberent Ordinem. ibid.
Transsubstantiatio quid sit, & quid includat. 43
In transsubstantiatione panis non annihilatur. 44
Transsubstantiatio sit per solam actionem substantialem conuersiuam. 108.48
Implicat Christum per solam actionem adductiuam esse in Eucharistia. 109.49. & seqq.
Vide Replicatio & Reproductio.
Hæc reproductio qua Christus ponitur in Eucharistia differt connotato à creatione. 110.55
Si Christus non existeret in forma naturali, per consecrationem non reproduceretur. 111.56
Hæc propositio vera est, Ex pane fit Corpus Christi. 112.61.
Hæ impropriæ. De pane fit Corpus Christi. Panis fit Caro Christi. Panis post consecrationem est Corpus Christi.

§. 8. Accidentia in Eucharistia.

De fide est accidentia in Eucharistia esse sine subiecto. 123.1. & 112.59.
Accidentia non individuantur à subiecto. 2
Vt accidens per se existat, non requiritur aliquis modus positiuus, sed sufficit vt subtracto subiecto diuinitus id conseruetur. 124.4
Dupliciter accidens seruari potest extra subiectum. 5
Quantitas panis & vini probabiliùs non est subiectum accidentium. 6
Accidentia panis eum ordinem habent ad Corpus Christi quem anteà habebant ad substantiam panis, excepta informatione. 105.35
Accidentia in Eucharistia eodẽ modo agunt, ac si essent in subiecto. 125.8. *Et sic corrumpuntur.* 9
Ex speciebus sacramentalibus potest aliquid generari, & ijs nutriri. 11
Explicatur quomodo ex speciebus aliquid generetur. 126.13.
Quomodo species vini vinum gignant &c. Vide suprà §. 5.

§. 9. Quid in Eucharistia contineatur.

Hæreses quorundam Græcorum & Latinorum circa præsentiam Corporis Christi in Eucharistia. 93.1
Christus verè & realiter & substantialiter est in Eucharistia. 94.2
Probatur ex Scripturis, quas hæretici malè interpretantur. ibid. *Ineptè ad tropum hic refugiunt.* 95.7
Quid sit hic esse vi verborum, vel concomitanter. 113.2
Potest Deus hic seorsim ponere Corpus sine Sanguine. 3
Ea quæ directè, & quæ per concomitantiam ponuntur in Eucharistia, ponuntur alia & alia actione. ibid.
Corpus hic non est sola materia, nec sola materia cum forma corporeitatis. 4
Sed includit formas partiales partiũ heterogeneæ. 114.6
Christus est sub qualibet parte specierum, & etiam sub singulis punctis & terminis indiuisibilibus. 115.10
Corpus Christi verè est in hoc spatio in quo sunt species. 118.28.
Non tamen circumscriptiuè nec definitiuè. 29
Verbum diuinum & SS. Trinitas sunt hic per concomitantiam. 114.8
Quantitas quoque, si ea sit re distincta à re quanta. 117.22.
Omnia etiã accidentia corporea absoluta à loco. 118.23
Inter quæ sunt dotes gloriosæ. ibid.
Denique accidentia Animæ Christi perpetua. 24

§ 10. Quantitas dimensiua Corporis Christi in Eucharistia.

Corpus Christi non habet hic actualem extensionem. 116.15. *Quid propriè sit Quantitas.* ibid.
Christus est hic cum tota magnitudine sui Corporis, sed modo indiuisibili. 16
Est cum tota sua mole in puncto. 17
Non tamen per condensationem vel penetrationem, sed alio modo sublimi. ibid.
De ratione quantitatis non est vt actu sit extensa. 117.19
Partes Corporis Christi inuicem non penetrant, sed habent distantiam inter se. ibid.
Probabile est quantitatem panis non esse subiectum accidentium. 124.6
An quantitas hic possit corrumpi. 225.9
An Sanguis Christi sit hic per modum continui an discreti. 114.7

§. 11. Mutationes Corporis Christi in Eucharistia.

Corpus Christi mouetur motis speciebus. 118.30
Translatione admittit intrinsecum vbi nouum. 119.31
Mouetur ab eo qui mouet species. 32
Extra species potest moueri à Deo, vel à sua anima. 33
Corpus Christi tantùm motu locali immutari potest à causis naturalibus. 120.38
Nec vna pars agere in alteram, imò nec Corpus Christi in corpora circumstantia. 39
Non desinit per motum localem quo ascendat in cœlum. 120.40
Nec desinit per solam factam mutationem in speciebus. 121.41

Dum

Dum definit, amittit modum existendi indiuisibiliter, nō tantùm præsentiam ad hoc spatium. 42
Desinit per subtractionem influxus diuini. ibid.
Quandonam desinat esse Corpus Christi sub speciebus. 125. 10.
Christus propriè hic non frangitur. quo sensu dicatur hic videri, tangi. &c. 126. 14
Corpus Christi ne quidem supernaturaliter potest videri oculo corporeo. 121. 44. *Nec seipsum sic videt.* 46
Christus hic videtur à Beatis supernaturaliter. 122. 47
Naturaliter hic cognoscitur ab Angelis & dæmonibus. 49
Si Corpus Christi seruatum vel consecratum fuisset in triduo mortis, Christus ibi fuisset moriturus. 148. 4

§. 12. Apparitiones Christi in Eucharistia.

Duplex modus quo Christus in Eucharistia apparet. 122. 52. *Christus aliquando in se videtur.* ibid.
Quando mutātur species sacramentales, ordinariè nō est ibi caro Christi naturalis in specie naturali. 123. 54
An sic mutata species posit sumi. 55
Si non sumatur, an debeat fieri noua consecratio. ibid.
Sanguis emanans ex hostia, non est sanguis Christi in propria specie. ibid.

§. 13. Necessitas Eucharistiæ.

Eucharistia in re non est necessarium medium ad salutē. 84. 14. *Nec etiam in voto.* 15
Est tamen ad salutem valdè vtilis, & quasi necessaria. 85
Quando & quomodo paruuli manducēt Corpus Domini, habeantque eius votum. 18

§. 14. Eucharistiæ sumendæ præceptum & obligatio.

Infantibus & perpetuò amentibus non est danda Eucharistia. 141. 24
Pueri seriùs capaces sunt communionis, quàm confessionis. 228. 29
Danda est omnibus implicitè petentibus qui eam aliquādo desiderarunt. 141. 25
Quauis hora diei sumi potest. 27
Quotidie licet communicare. Sufficit tamen vt seculares communicent octauo die. 26
Iure diuino tenemur aliquando communicare. 142. 28
Hoc præcepto non obligantur infantes, sed tantùm adulti. 30. *Obligat in articulo mortis.* 32
Imò tenemur aliquoties Iure diuino in vita sumere. 143. 33. *Paschalis cōmunio est iuris Ecclesiastici.* 34
Illi satisfit sacrilegâ communione. ibid.
Tempus Paschale an præuertendum. ibid.
Probabilius est, quòd qui in Paschate non communicauit, pòst teneatur. ibid.

§. 15. Eucharistiæ sumptio sub vna specie.

Communio Laicis sub vtraque specie non est præcepta. 144. 36. *Quæ communio Laica, quæ Peregrina.* 37
Sub vna specie Clericis dabatur in pœnam. ibid.
Domi asseruabatur sub vna specie. ibid.
Manichæi semper à Calice abstinebant. ibid.
Idem etiam aliquando faciebant Græci. ibid.
Ecclesia potuit præcipere communionem sub vna tantùm specie. 145. 40
Quomodo Dominus præceperit dari Calicem. 41
Sumentes sub vna tantum specie æquè multum gratiæ accipiunt. 146. 45
Sacerdotes Iure Ecclesiastico tenentur Eucharistiā consecrare sub vtraque specie, & sumere. 46
Ad vtrumque etiam tenentur Iure diuino: & probabilius in eo Pontifex non potest dispensare. 147. 46

§. 16. Sumptio Eucharistiæ, & ad eam dispositio.

Veneratio Eucharistiæ exhibenda. 97. 13
Varij modi manducandi Christum. 135. 1
Peccator tenetur Eucharistiæ sumendæ præmittere confessionem. 138. 2. & 138. 6
Idque Iure diuino positiuo. 7
Septem casus quibus licet peccatori absque præuia confessione communicare. 8
Tres casus quibus censearis non habere copiam Confessarij. 137. 9
Peccator celebrans non præmissa confessione, tenetur primâ opportunitate confiteri: non autem Laicus qui sic communicauit. 138. 11
Peccatori publico publicè neganda est Eucharistia. 138. 13. *Peccatori publico occultè pœnitenti, occultè ea dari potest.* ibid.
Peccatori occulto publicè ea danda. Non tamen priuatim: nisi ex confessione sola crimen scias. 139. 14
Pollutus an peccet communicando. 15. & 16
Eucharistia non nisi à ieiunio sumenda. 18
Excipe infirmos & supplicio afficiendos. 140. 19
Sacerdos subinde potest celebrare non ieiunus. 19
Casus quibus liceat ei nō ieiuno Eucharistiā sumere. 20
Quæ sumpta aduersus malignam auram: quæ oris ablutio: quæ ciborum prægustatio impediant communionem. 21 & sequent.

§. 17. Consecrans & administrans Eucharistiā.

Soli Sacerdotes possunt consecrare Eucharistiam. 148. 1
Triplicem Sacerdos habere potest intentionem, & quæ sit necessaria. 26. 18
Debet mente determinare id quod consecrandū est. 88. 7
Si mediā hostiæ partem designet, eam solā consecrat. ib.
Si confusè alteram intendat consecrare, neutram consecrat. ib. *Si ex decem tantùm quinque intendat consecrare, easque non designet, nullas consecrat.* ibid.
Si solùm intendat consecrare partes proportionales, nihil agit. ibid.
Similiter si determinationem alteri permittat. ibid.
Si ad iuxta positas hostias postea nullatenus reflectat, eas non consecrat. 28. 23
In Ministro ad consecrandum nō est necessaria fides &c. 149. 3. *Plures eamdem hostiam possunt consecrare.* 4
Dispensatio huius Sacramenti conuenit soli Sacerdoti. 149. 6. *In necessitate committi potest Diacono.* 7
Qui & tunc id potest facere absque commissione. 150. 8
Similiter & Laicus in extrema necessitate. ibid.
Requiritur iurisdictio ad Eucharistiæ dispensationem. 9
Sine eâ peccas mortaliter. Et si Religiosus es, excommunicaris. 10. *Excipe casum quo deest copia Parochi.* 13
Hāc potest quinis Parochus delegare cuiuis Sacerdoti. ib.
Ipso die Resurrectionis possunt Mendicantes in suis templis eam administrare. 12
Parochus semper tenetur eam subdito rationabiliter petenti administrare. 14. *Sacerdos æger, & Laicus in periculo mortis eam sibi ipsis possunt porrigere.* 15
Sacerdos in mortali eā administrans, peccat mortaliter. Non tamen eam attingens aut deferens in suppliciatione. 16

§. 18. Effectus Eucharistiæ.

Varij effectus Eucharistiæ. 97. 13. & 132. 1
Per se non dat primam gratiam. 2
Ad eius effectum non requiritur actualis deuotio. 133. 5
Veniale commissum in ipsa susceptione non impedit gratiæ infusionem. 6
Quandonam confertur gratia in hoc Sacramento. 9
Crescente deuotione crescit gratia si species durent. 10
Si durantibus speciebus tollatur obex, conferetur gratia. 134. 11.
Tribus casibus Eucharistia remittit mortale. 12
Per se remittit veniale. 13
Pœnam temporalem remittit solùm concomitanter. 14

Præseruat à futuris peccatis, & tentationibus. 15
Dat spiritualem delectationem. 16
Glorificabit corpora nostra in resurrectione. 17

EXCOMMVNICATIO.

§. 1. Quid sit. Eius pœnæ. Et causæ.

Excõmunicatio & anathema quomodo differant. 267.2
Eius definitio. 3. *Et triplex diuisio.* 4
Excommunicationis Maioris pœnæ duodecim. 268.5
Excommunicationis Minoris pœnæ duæ. 269.11
Excõmunicatus exercẽs actũ Ordinis sacri, sit irregularis. 268.5. *Non tamẽ si metu cõpulsus celebret.* 276.42
Excommunicatus minori excommunicatione conferens alteri Sacramentum, peccat venialiter. 269.11
Excommunicatus ab vno Episcopo censetur vbique excommunicatus. 270.13
Solùm ferri potest ob mortiferũ, cui adiuncta contumacia. 272. 23. *Contumacia non eadem sufficit ad excommunicationem ab homine, quæ à Iure.* 25
Excommunicationi præmittenda monitio. 272.28
Qualis, & quotuplex ea esse debeat. 273.28. & 29
Non potest infligi ob peccatũ præteritum. 30. *Neque etiã si nescias isti facto annexã esse excommunicationẽ.* 31
Non excusat ignorantia crassa. Excusat leuis seu sit Iuris, seu facti. 32
Excommunicantur Religiosi administrantes extremam Vnctionem sine venia Parochi. 323. 19
Similiter & Eucharistiam. 150.10

§. 2. Excommunicandi Potestas.

De fide est in Ecclesia esse potestatem excommunicandi. 269.12.
Esse hæc penes Papam: Concilium Generale: Prouinciale: Episcopum: & Prælatos Ecclesiasticos. 270.13
Parochi olim potuerunt excõmunicare, sed non modò. 14
Nec Laicus potest, nec mulier. ibid
Nec teipsum, nec parem potes excommunicare. 15
Nec teipsum pari aut inferiori subijcere, vt ab eo excommuniceris. ibid.
Toleratus validè & licitè alium excommunicat. 16
Excommunicare potest consuetudo. 271.17
Excommunicare non potest Episcopus subditos suos extra suam diœcesim positus. 19. *Nisi ab ijs sit expulsus.*
Leuiter ob furtum &c. excommunicans, peccat. 272.25

§. 3. Excommunicari nequeunt.

Excommunicari non possunt infideles, Catechumenus, Papa, Communitas, mortuus. 271.18
Ob veniale excommunicari nequis. 272. 23
Sed ob solum mortiferum cui adiuncta contumacia. ib.
Iusta causa, vel impotentia parendi excusat. 24
Excusat ignorantia leuis seu Iuris seu facti. 273.32
Appellans aliquando nequit, aliquando potest excommunicari. 274.33
Excommunicatio innocentis lata secundùm allegata & probata, inualida est: ob scandalum tamen seruanda. 272.26. *Si is in publico celebrat, nõ fit irregularis.* ib.

§. 4 Excommunicati vitandi.

Excommunicati vitandi sunt Iure humano. 274.34
Et quare. ibid.
Vitandi tantùm excommunicati denuntiati, & Clericorum notorij percussores. 274.35
In quibus vitandi sint. 36.
In quibus non vitandi sint. 275.37
Excommunicatus etiam occultus tenetur vitare alios, exceptis duobus casibus. 39
Excommunicato cõmunicare, quale peccatũ sit. 275.40
Metu mortis licitè agis cum excommunicato. 276.42
Excommunicato participans plerumque Minorem, tribus casibus Maiorẽ excommunicationẽ incurrit. 276.43

§. 5. Absolutio ab Excommunicatione.

Absolutio ab excommunicatione quotuplex. 276.44
Excommunicatio lata sub conditione, hac positâ, tollitur per se. ibid.
Absoluere ab excommunicatione minore non potest, nisi qui habet iurisdictionem in mortalia. 45
A maiore excommunicatione lata ab homine in particulari contra alium, is tollat qui ligauit. 46
Si à Iure vel generaliter lata ab homine, absoluit qui potest à mortiferis absoluere. 277.47
Absolutio ab excommunicatione vi extorta non valet. 277.51.
Valet non satisfacta parte. 278.54
In articulo mortis quiuis Sacerdos à quauis excommunicatione potest absoluere. 277.48. *Idem potest quiuis Clericus.* ibid. *Inferior absoluat à censuris reseruatis Superiori, si is adiri nequeat.* 277.50
Vide Auctarium, V. Absolutio, Casum 7. 8. & 9.

Exorcista. Exorcismus.

Officium eius est expellere dæmones. 330.22. & 332.31
Eius ordinatio non est Sacramentum. 335.40
Videtur hic Ordo institutus postquam cessauit donum miraculorum, quo dæmones expellebantur. 336.40
Exorcismus præmittitur baptismo. 71.6
Exsufflatione significatur expulsio dæmonis, & afflatus Spiritus sancti. ibid.

EXTREMA VNCTIO.

§. 1. Quid sit, eiusque institutio.

Est verum legis nouæ Sacramentum. 318.1
A Christo institutum. 320.8
Tota extrema Vnctio simul est vnum Sacramentum. 6
Vngendi Iure diuino quinque sensuum sedes. 324.23
Vnctio pedũ, renũ, & vmbilici nõ est necessaria. 325.25

§. 2. Eius materia.

Est oleum oliuæ ab Episcopo benedictum. 320.9
Ad essentiam huius materiæ benedictio est necessaria. 321.10. *Et quidem ordinariè per Episcopum.* ibid.
Vel ex commissione Papæ per Sacerdotem. ibid.

§. 3 Eius Forma.

Quæ forma sit conueniens. 321.12. *Quæ essentialis.* 13
Sit deprecatoria. 321.14
Sufficit tempore necessitatis generalis vna forma ad omnes sensus, & vna vnius organi unctio. 325.24

§. 4 Eius Effectus.

Interdum confert sanitatem corporis. ibid.
Sed nunquam nisi id expediat saluti animæ. 16
Abstergit reliquias peccatorum. 322.15
Per has intellige peccata etiam mortifera in quæ quis incidit post sumpta alia Sacramenta. ibid.
Item intellige torporem, mœrorẽ, & anxietatẽ. 323.17

§. 5. Eius Minister.

Solus est Sacerdos. 323.18. *Laicus ne quidẽ in necessitate.* ib. *Sacerdos nulli licitè administrat nisi subdito.* 19
Excipe casum extremæ necessitatis. ibid.
Religiosus extra hunc casum administrans, excommunicatur. ibid.
Alius Sacerdos, etsi peccet, non excommunicatur. ibid.

§. 6. Eius Subiectum.

Extrema Vnctio nõ potest dari sanis, sed ægris. 323 20
Potest dari vulneratis. ibid.
Non supplicio afficiendis. 324.20
Si detur sano, nihil fit. 21. *Neque si leuiter ægro.* ibid.
Graniter, nõ tamen periculosè ægro datur validè, sed illicitè. ib. *Non est expectandus mortis articulus.* ib.
Infectum peste statim vnge. Similiter eũ qui hausit venenũ. ib. *Si dubites an æger obierit, da sub conditione.* ib.
Pueris & perpetuò amentibus ne detur. 22
Secus est de amentibus per interualla. ibid.
Non detur notorio peccatori, nisi signa contritionis ostenderit. ibid.

Danda

Danda est extrema Vnctio pueris postquam semel communicarint: vel, si id nondum fecerint, tamen ob rationis vsum facere debuissent. 324.22
Vbinam vngendus qui aliquo sensu caret. 325.26
Suscipi bis potest in eodem morbo, si status morbi varietur. 323.28. *Phtisicus semel inunctus, post aliquot menses ne iterum inungatur.* ibid.

Femina.

Femina potest baptizare in necessitate. 47.5
Cedat tũc præsẽti viro, nisi sit obstetrix & peritior. ib
Inuersio huius ordinis est solùm veniale. ibid.
Extra necessitatem baptizans, peccat mortaliter. 48.6
Non potest alium excommunicare. Fortè tamen id posset ei à Papa committi. 270.14
Non potest conferre extremam vnctionem. 323.18
Femina est omnino incapax Ordinum, præsertim Sacrorum. 337.47. *Potest tamen esse Diaconissa & Presbytera. Quod earum munus.* ibid.
Potest sibi ipsi in necessitate porrigere communionem. 150.15. *Fecit id Regina Scotiæ.* ibid.
Potest suscipere de sacro fonte. 49.12
Et de Confirmatione. 79.35
Potest esse testis in matrimonio. 387.202

Fictio.

Quis dicatur Fictus, *& quotuplex.* 62.9. *Fictè accedens ad baptismum, non accipit remissionem originalis.* ib.
Fictione recedente Baptismus confert omnem suum effectum, quem ab initio cõtulisset, si fictio non adfuisset. 64.15. & seq. *Vide* Reuiuiscentia.
Datur ficta seu informis confessio. Vide Confessio, §.9.

Gratia.

Omnia Sacramenta nouæ legis conferunt gratiã ex opere operato. 12.2. *Vide* Sacramentũ, §.7.
Quæ gratia per Baptismum conferatur, Vide Baptismus §.6.
Quæ gratia per Eucharistiam, vide Eucharistia, §.18.
Quæ per Confirmationem, vide Confirmatio, §.3.
Quæ per Pœnitentiam seu Confessionem, vide Peccati remissio.
Quæ per extremã Vnctionẽ, vide extrema Vnctio, §.4.
Quæ per Ordinationem, vide Ordo, §.4.
Quàm coniugatis sit necessaria gratia. 345.28
Gratia quæ per Sacramentum matrimonij confertur, est quadruplex. 350.41. *Gratitudo, vide* Ingratitudo.

Hæreses circa Sacramenta.

§.1. In genere.

Caluiniana Sacramenti definitio. 2.9
Errores in definitione Caluini. 3.10
Caluinus in Sacramẽtis requirit verba cõcionatoria. 7.21
Lutherana definitio Sacramenti reiicitur. 3.11
Lutherus ait Sacramenta non conferre gratiam ex opere operato. 12.1
Hæretici negant vlla Sacramẽta conferre gratiam. 12.1
Et imprimere characterem. 18.1
Negant ministrum Sacramenti nos Deo recõciliare. 21.1
Eorum discrepantia in assignando numero Sacramentorum. 29.1

§.2. Circa Baptismum: Confirmationem: & Eucharistiam.

Anabaptistæ, Petro-Brusiani & Henriciani negant infantes licitè baptizari. 53.14
Satisfit eorum argumentis. 54.16
Hæretici negant per baptismum culpam remitti. 59.10
Negant cæremonias posse ab Ecclesia institui. 70.2
Sæpe tamen Caluinus eas præcipit. ibid.
Negant Confirmationem esse Sacramentum. 72.1
Eorum errores circa præsentiam Corporis Christi in Eucharistia. 93.1
Negant post consecrationem fieri transsubstantiationem panis in Corpus Christi. 103.30
Dicunt hominem eò aptiorẽ esse percipiendæ Eucharistiæ, quò pluribus peccatis est inquinatus. 135.1
Volunt Iure diuino communionem Laicis sub vtraque specie esse præceptam. 144.35
Dicunt omne opus bonum esse verum Sacrificiũ. 151.3
Dicunt omnes homines & diabolũ posse cõsecrare. 148.1

§.3. Circa Pœnitentiam.

Dicunt pœnitentiam non esse Sacramentum. 174.1
Error Nouatianorum circa pœnitentiam. 181.33
Hæretici volunt nomen Pœnitentiæ significare nudam resipiscentiam. ibid.1
Volunt quædam peccata esse irremissibilia. 188.2
Volunt solam fidem sufficere absque pœnitentia ad peccati remissionem. 189.8
Negant Deum vllas pœnas in vindictam præteritorum peccatorum exigere. 192.20
Volunt duas solùm esse Pœnitentiæ partes, scilicet Contritionem & Fidem. 205.2
Confessionem, vt sit in Ecclesia, omnino reiiciunt. 220.2
Eorum argumenta dissoluuntur. 221.6. & 224.12
Docent Papam aut Episcopum non plus posse remittere peccata, quàm mulierem aut puerum. 230.1
Negant iustum posse condignè satisfacere pro reatu pœnæ temporalis ex peccato remanente. 259.15
Soluuntur eorum obiectiones. 260.18

§.4. Circa extremam Vnctionem: Ordinem: & Matrimonium.

Negant extremam Vnctionem esse Sacramentum. 318.1
Rigidi Lutherani negant Ordinem esse Sacramentum: admittunt Caluinistæ. 326.1
Quinam hæretici matrimonium impugnarint. 338.3
Lutherus docet esse necessarium & præceptum. 339.8
Caluinus ait ab omnibus ineundum, quibus non est reuelatum quòd habeant donum continentiæ. ibid.
Lutherus & Anabaptistæ volunt Polygamiam Iure diuino esse permissam. 341.15
Nostri hæretici negant esse Sacramentum. 343.24
VViclef negat matrimonium esse Sacramentum ante copulam. 347.34
Lutherus docet matrimonium fidelium consummatum variis de causis posse solui quo ad vinculũ. 364.103
Hæretici nostri putant omnes gradus Consanguinitatis Leuitici 18. prohibitos Iure naturæ. 376.160

Homicidium.

Homicidium voluntariũ & casuale, quid sit. 289.22
An sit homicida qui baptizando infantem occidit proiectione in puteum. 41.34
Vide V. Irregularitas ex homicidio, §.2. *vbi multa de homicidio dicuntur.*
Deus fecit hominem dominum vitæ suæ spiritualis, non corporalis. 57.26
Homicidio violatur locus sacer. 172.79
Occidere per assassinum addit nouam malitiam homicidio. 251.40. *Habetq; adiunctam excommunicationem.* ibid. *Occidere per famulum non addit nouam malitiam.* ibid.

Illegitimus.

Quis dicatur illegitimus, 296.62
Illegitimus non est cuius parentes ante conceptionem castitatem vouerant. 63
Nõ tenetur quis credere matri dicẽti ipsum esse illegitimum. 64. *Vide* Irregularitas, §.7.

Incestus.

Incestus cum matre, nouerca, auia, nepte, filia est eiusdem speciei, habet tamen diuersam grauitatem intra eandem speciem. 251.41

Incestus cum consanguinea vxoris vel cum propria consanguinea, viuente vxore, adfert impedimentum impediēs. 388.205.

INDVLGENTIÆ.

§. 1. Quid sint: & qui eas conferant.

Quid sint Indulgentiæ. 297.1
Est in Ecclesia potestas conferendi Indulgentias. 2.
Negant id hæretici. ibid.
Indulgentiarum vsus vetustissimus. 299.6
Est in Ecclesia thesaurus satisfactionū pro Indulgentijs. 7
Constat ex satisfactionibus Christi & Sanctorum. 8
Nunquam hic thesaurus potest deficere. 9
Papa & Concilium Generale habent potestatē conferendi Indulgentias Plenarias. 300.12
Episcoporum potestas est hīc restricta ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi. 13
Religiosi exempti lucrantur Indulgentias ab Episcopis concessas. ibid. *Similiter alterius diœcesis subditi cum venia proprij Parochi.* ibid.
An consuetudo posit hanc potestatem conferre. 301.16

§. 2. Earum valor.

Indulgentiæ datæ de pœnitentijs iniunctis quò vsque extendantur. 302.22
Datæ absolutè extenduntur etiam ad iniungendas pœnitentias. 303.23
Indulgentia plenaria liberat à tota pœnitentia. 25
Quid faciat Indulgentia certi temporis. ibid.
Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant. 304.28
Quomodo intelligendæ formulæ Indulgentiarum 1000. *annorū*, &c. 29. *Plena, Plenior, Plenissima idē sūt.* 30
Itē Iubilæum, sed hoc habet annexa quædā priuilegia. 31

§. 3. Earum causa ob quam.

Vt Indulgentia constet, requiritur causa iusta. 32
Etiam pro maximis Indulgentijs requiritur causa proportionata. 33
Causæ magnitudo colligitur ex fine Pontificis, & opere præscripto. 305.35
Papa non est hīc facilè diiudicandus. 36
Temerariè quidam reijciunt vel paruipendunt Indulgentias granorum benedictorum &c. 37

§. 4 Indulgentiæ Defunctorum.

An hæ prosint Defunctis. 306.38
Dantur Defunctis per modum Suffragij. 39
Quid sit sic dari eas. 40
Indulgentiæ valent mortuis ex cōdigno & certa lege. 41
Indulgentia mortuorum est solutio & oblatio pretij vt à Deo absoluantur. 301.19

§. 5. Indulgentiæ Viuorum.

Indulgētia viuorū est absolutio & simul solutio. 301.17
Opus ad Indulgentias merendas iniunctum nō debet totū fieri in gratia. 307.43. *Sufficit vt vltimū sic fiat.* ib.
Indulgentiæ non reuiuiscunt. 45
Indulgentiarum fructū quando impediat veniale, quando non. 308.46
Ad illas promerendas præter statum gratiæ, non requiritur sollicitudo & diligentia satisfaciendi pro peccatis per condignam pœnitentiam. 47
Requiritur tamen vt totū opus iniunctū expleas. 309.51
Et quidem ipse per te vt plurimùm. 52
Indulgentias à te promeritas inualidè alteri applicas. ib.
Eas pro altero obtinens, vbi formula patitur, non est necesse sit in gratia, sed is cui obtinentur. 53
Eadem Indulgentia potest sæpius obtineri. 309.54
Quomodo intelligendæ priuilegia quæ conceduntur tempore Iubilæi. 309.53

Infantes.

Est de fide infantes licitè & salubriter baptizari. 53.14
Baptismus reipsà susceptus est mediū absolutè infantibus necessarium ad salutē. 54.19. *De Baptismo infantiū vide V. Baptismus.* Eius necessitas & obligatio.
Deus ex parte sua non reliquit infantes sine sufficienti remedio. 56. *Iudicia Dei qui tam multos infantes sinit perire, iusta, sed inscrutabilia.* ibid.
Infantibus moribundis expedit conferre Confirmationis Sacramentum. 78.27
Infantibus & pueris ne detur extrema Vnctio. 324.22
Infantes sanctificantur martyrio. 43.43
Infantes post Baptismum morientes erunt infimi in gloria. 46.51. in fine. & 65.18
Infantes sunt capaces sacrorum Ordinum. 337.48
Non obligantur ad sumptionem Eucharistiæ. 142.30

Infernus.

Caluinus negat infernum esse sub terra, sed ait esse vbique. 311.11
Infernum esse sub terra, de fide est. 312.13
Quatuor loca animarum post hanc vitam. 12
Quomodo ignis agat in spiritum. 313.19
Animæ impiorum deducuntur in infernum à dæmonibus. 316.32. *Animæ ex inferno egredi non possunt citra specialem Dei dispositionem.* 35
Verosimilius est neminem ex inferno ad vitam reuocatū. 317.35. *Nec animam Traiani.* 318.38
Damnatis non prosunt Suffragia viuorum. 38
Nec sacrificium Missæ. 166.47

Ingratitudo.

Peccata remissa quodammodo redeunt ratione ingratitudinis. 200.5
Ingratitudo est circumstantia omnis peccati. ibid.
Ingratitudo peculiariter est in quatuor generibus peccatorū. 201.10. *Videtur maior ingratitudo peccare post remissionem peccatorum, quam post innocentiam.* 11
Scotus putat ingratitudinem quæ est in relapsu, esse confitendam. 12. *Ingratitudo quæ est speciale peccatum, est necessariò cōfitenda.* ib. *Ingratitudo quæ est solùm circumstantia peccati, nō est necessariò confitenda.* ib.

Intentio Ministri Sacramentorum.

Triplicem ministet habere potest intentionem: & quæ sit necessaria. 26.18
Minister intendens facere quod Christus instituit, non tamen quod facit Ecclesia, conficit Sacramentū. 27.21
Si velit conferre Sacramentum sine effectu Sacramenti, conficiet Sacramentum: non tamen contrà. ib.
Si duo baptizati intendant contrahere matrimonium, nullo tamen modo facere velint Sacramentum, non erit Sacramentum. ibid.
Intentio conditionata quæ efficax, quæ non. 22
Non sufficit intentio interpretatiua ad Sacramentum cōficiendum. 28.22. *Nec etiam habitualis.* ibid.
Sufficit autem actualis & virtualis. Excipe casum quo nullatenus posteà Sacerdos ad hostias, initio Sacri propè se positas, reflectat. 23
Vide Sacramentum §. 10. & Eucharistia §. 17.

§. 1. INTERDICTVM.

Quid sit? & quomodo ab alijs Censuris differat. 281.1
Diuisio in Locale & Personale. 2
Interdictum vt posit ferri quale peccatū requirat. 282.4
Quâ formâ ferendum sit. 5
Qui sententiam Interdicti tulit, tenetur etiam ipsum seruare, nisi dispenset tantisper. 283.11
Interdictum omne seruandum ab eo qui interdictus est: ab alijs verò nonnisi Interdictum denuntiatum. 12

§. 2. Interdicti effectus.

Tres sunt effectus Interdicti. 282.6
Bonifacij VIII. constitutio de celebranda quotidie Missa in loco interdicto. 7
Circa hanc constitutionem notabilia. ibid.
Pœnæ Clericorum violantium interdictum. 284.16

§. 3. In-

§. 3. Interdicti obligatio.
Peccat mortaliter Clericus violans interdictum. 283. 13
Item Laicus. 14
Non tamen si locus sit tantùm interdictus. Excipe tres casus. ibid.
Interdictos tenetur excludere Clericus. 13
Non tenetur eos vitare Laicus. ibid.
§. 4. Interdicti absolutio, suspensio.
A quibus, & quomodo tollatur interdictum. 284. 20
Quomodo suspendatur locale. 21. Et personale. ibid.
Quomodo interdictum suspendi possit, & quæ inter huius, & excommunicationis suspensionem diuersitas. ibid.
IRREGVLARITAS.
§. 1. Quid sit: & quomodo incurratur.
Quid sit, & quomodo ab excommunicatione &c. differat. 285. 1. Quando quis censendus irregularis. 2
Irregularitas contrahitur crimine occulto, vel paucis noto. 286. 4
An & quando qui sic contraxit irregularitatem, teneatur se prodere. 5
Veniale non sufficit ad irregularitatem infligendam in pœnam delicti. 6
Irregularitas quando incurratur occisione, mutilatione iustâ &c. 287. 8
An & quando filius hæretici fiat irregularis. 292. 38
Collatio beneficij Ecclesiastici facta irregulari, est irrita. 286. 7.
§. 2. Irregularitas ex homicidio.
Homicidium voluntarium, & casuale quid sit. 289. 22
Omnes qui ad voluntariũ cõcurrunt, fiunt irregulares. 23
Homicidam comitantes, probabiliter non fiunt irregulares. 290. 23
Si multi vulnerent, sed tu prior, non tamen letaliter, non es irregularis. 24
Omnes de quibus dubitatur, fiunt irregulares. 25
Homicidium mandans fit irregularis si id sequatur. 26
Si ratum habeat iam admissum, non fit irregularis. ibid.
Homicidium ex tuo cõsilio secutũ facit te irregularẽ. 27
Etiam dum est dubium an ex tuo consilio secutum. ibid.
Secùs si tuum consilium licitum. 28. Occidere volenti suadens mutilationem, non fit irregularis. 29
Homicidiũ nõ impediens vbi tenetur ex iustitia, fit irregularis. 291. 30. Vbi tantùm tenetur impedire ex charitate, non fit irregularis. 31
Homicidium casuale non inducit irregularitatem, nisi interueniat grauis negligentia. 32. & seq.
In dubio homicidij incurritur irregularitas. 285. 3
Occidens inuasorem, si non poterat nisi cum suo periculo fugere, nõ fit irregularis. 287. 9. Si Clericus poterat fugere, sed tantũ cũ sua ignominia, fit irregularis. ib. Contrarium in Laico probabile est. ibid.
Occidens, cum ad id tenetur ob bonum proximi, aut Reipub. non fit irregularis. 287. 10
Occidens pro defensione necessariâ bonorum suorum, non incurrit irregularitatem. 12
Occidens parantem certas insidias, non incurrit irregularitatem. 288. 13
Occidens in bello iniusto fit irregularis. ibid.
Item in bello iusto, nisi sit defensio sui vel patriæ. 14
Occidens per iudicium quando fiat irregularis. 15
Aduocatus patrocinans accusatori in causa sanguinis, fit irregularis. Secùs si patrocinetur reo. 289. 17
Non fit irregularis qui impetrat à Iudice vt reus mitiore breuioreque morte afficiatur. 20
Neque vendens mortis instrumenta. ibid.
Irregulares sunt testes, Notarius, ministri iustitiæ dum quis occiditur. 289. 18. & seqq.
§. 3. Irregularitas ex delicto notorio, & infamia.
Non oritur ob vllũ delictum occultũ præter tria. 292. 37
Oritur ob publicum, quando huic annexa est à Iure infamia. ibid.
Si non est annexa infamia, non oritur irregularitas. 39
§. 4. Irregularitas ex delicto circa Sacramenta.
Bis suscipiens absolutè aut conferens baptismum, fit irregularis. 293. 41
Probabile tamen est conferentem non fieri irregularẽ. ib.
Bis Confirmatus, Ordinatus &c. non fit irregularis. ibid.
Clericus vtens Ordine quem non habet, quando fiat irregularis. 42
Laicus baptizans solemniter &c. non fit irregularis. 43
Ligatus censurâ si exerceat actũ Ordinis, fit irregularis. 293. 44. Item excõmunicatus suscipiens Ordines. 45
Secùs si in suspensione quis eos suscipiat. 46
Ordinatus ab Episcopo ligato censurâ, fit irregularis. 57
Ordinatus ab alieno non fit irregularis. 48
Ordinatus ante legitimã ætatem aut extra statuta tempora, nõ fit irregularis, sed suspenditur ab executione Ordinum. 49
Qui duos Ordines sacros simul suscepit, suspensus est à posteriori. 294. 50
Per saltum ordinatus si ministret in Ordine sic suscepto absque dispensatione, fit irregularis. 51
Ordinatus ante legitimã ætatẽ vel extra statuta tempora nõ fit irregularis propter celebrationẽ cũ Episcopo. 52
§. 5. Irregularitas ex defectu corporis.
Si hic defectus talis sit, vt nequeas decorè sacrũ ministeriũ obire, es irregularis. 294. 53. Itẽ si epilepticus. ib. Item si culpabiliter tibi membrum abscideris. 54
Non tamen si alteri digitum, pollicem, aures abscideris, licet inde alter fiat irregularis. 55
§. 6. Irregularitas ex Bigamia.
Ratio ob quàm bigamia inducat irregularitatem. 295. 57
Ad Veram bigamiam requiritur consummatio per coniunctionem cum affectu maritali factam. 58
Interpretatiua bigamia est si ducas viduam, vel ab alio corruptam, & cum ea consummas. ibid.
Item si cognoscas vxorem tuam post quam illa adulterium perpetrauit. ibid.
Similitudinaria bigamia est, si clericus Ordinis sacri contrahat cũ vidua, & affectu maritali consummet. 59
Itẽ si mortua priore vxore initieris sacris, & posteà rursus cum alia contrahas. ib. Hæc similitudinaria bigamia à solis clericis incurritur. ibid.
§. 7. Irregularitas Illegitimorum.
Natus ex matrimonio non verè vel saltem opinione legitimo, est irregularis. 296. 62
Natus ex matrimonio clandestino, vel cui desint proclamationes, si subsit impedimentum dirimens, est irregularis. ibid. Expositiũ non censentur irregulares. ibid.
Neque nati ex parentibus qui ante conceptionem vouerunt castitatem. 63. Si credas matri asserenti te illegitimũ, sis irregularis: secùs si non credas. 64
§. 8. Dispensatio in Irregularitate.
Quis dispenset in Irregularitate orta ex defectu lenitatis. 289.
In Irregularitate homicidij voluntarij solus Papa dispensat. 292. 35
In Irregularitate ex homicidio casuali occulto, vel nondũ ad Iudicem deducto, etiam dispensat Episcopus. 36
Si sit publicum, non potest Episcopus nisi ad Ordines minores, & beneficium simplex. ibid.
Quis dispenset in irregularitate ex delicto notorio & infamia. 40
In irregularitate orta ex notabili corporis deformitate, solus Papa dispensat. 294. 56
Idem fit si pars membri ablata est notoriè. ibid.
Dispensat Episcopus si tibi secretò membrũ abscideris. ib.

Irregularitas orta ex bigamia non auferitur Baptismo. 295. 60.
Papa absolutè in omni bigamia potest dispẽsare. 296.61
Episcopus in Vera & Interpretatiua *bigamia ad Minores tantùm ordines dispensat.* ibid.
Ad omnes Ordines potest Episcopus dispensare in Similitudinaria. ibid.
Irregularitas illegitimorũ tollitur per ingressum & professionem Religionis approbatæ. 296.65
Tollitur quoad Ordines sacros & beneficium simplex ab Episcopo. 66
Debet tamen hoc impedimentum esse occultum vt possit Episcopus dispensare ad omnes Ordines. 297

Iudex.

Iudex chartularius habet potestatem iudicandi, non tamen habet subditos. 231.9
Pœnæ Iudicis errantis in excõmunicandis participantibus cum excommunicato ob omissas monitiones. 273.29
Iudex ad mortem vel mutilationem condemnans, fit irregularis. 288.15
Similiter ministri iustitiæ. 289.20

Iudicare. Iudicium.

Quãdo & quomodo iudicẽtur animæ morientiũ. 315.29
Probabile est eas iudicari à Christo vt homine. 316.30

Iurisdictio.

Quid iurisdictio, & qui eius actus. 231. 6. *Sine ea inualidâ est confessio.* ibid.
Iurisdictio tantum virtualis & incompleta datur ex vi ordinationis. 231. 8. *Hæc non exit in actum nisi ei applicetur materia.* 9
Quo sensu dicatur Ecclesia conferre iurisdictionẽ. 232.11
Iurisdictionem complet seu subditos assignat iure diuino solus Papa. 12
Vt habeatur plena Iurisdictio absoluendi à peccatis, opus est approbatione Ordinarij. 15. *Vide* Approbatio.

Laicus.

Laicus in necessitate potest baptizare. 47. 4. *Extra eam baptizans, peccat mortaliter.* 6. *Præsente Clerico Laicus ne baptizet.* 5
Laico nõ est iure diuino præcepta communio sub vtraque specie. 144. 36
Laica vel peregrina communio, quæ. 37
Potest sibi ipsi in necessitate porrigere Communionem. 150.15. *Non peccat mortaliter si Eucharistiam contingat aut deferat ad infirmum ipse existens in mortali.* 16
Laico nec sacramentaliter nec necessariò cõsiteris. 230.3 *Fit tamen id aliquando viliter.* 4
Laicus tentans absoluere non fit irregularis. 5
Laicus cui vt Laico consiteris, non tenetur ad sigillum. 253. 13.
Non potest excommunicare. Fortè id ei posset à Papa cõmitti. 270.14
Non potest alium absoluere ab excommunicatione, ne quidem in articulo mortis. 277. 48
Laicus personaliter interdictus peccat mortaliter violando interdictum. 283.14
Nõ tamẽ peccat mortaliter si locus solùm interdictus. ib. *Excipe tres casus.* ibid.
Non tenetur vitare interdictos. 15
Laicus occidens inuasorem quem sine ignominia effugere non potest, non fit irregularis. 287.9
In necessitate non potest conferre extremam vnctionem. 323.18.

Lector.

Officium Lectoris. 330.22.& 332.31. *Hic Ordo verosimiliter non est Sacramentum.* 335.40

Lex.

Lex Euangelica cuique sufficienter prædicata obligat ad baptismum. 34. 8
Lex supernaturalis solùm seruanda est saluâ naturæ lege. 57.26
Quæ leges Ecclesiæ in mortis periculo obligent. 360.84
Lex repudij. 361.88
Lex ciuilis non potest matrimonio impedimentum dirimens constituere. 371. 132

Maleficium.

Non licet maleficium tollere maleficio, nec petere vt maleficus sic tollat. 383.189
Licet maleficia tollere sine maleficio. 190. *Neque amouens miscet se pacto magi cum dæmone.* 384.192
Neque hoc est expectare beneficium à dæmone. 385.193
Impedimentũ maleficij quandoque est perpetuũ. 386.196
Licitè ponis signa, quibus signa magica vim suam amittunt. 197. *Non tamẽ interueniat fauor dæmonis.* 198
De magia vide plura lib. 2. de Iustit. & Iure cap. 44. in quique primis dubitationibus. *Item vide* Auctarium ad 1. 2. Verbo Magia.

Manna.

Manna non fuit institutum ad sanctificationem. 4. 14
Mannæ & Eucharistiæ insignis comparatio. 86. 23
Patres Eucharistiam cum Manna comparant. 96.13

Martyr. Martyrium.

Martyres olim dabant litteras cõdonatorias pœnitentibus publicè, in relaxationem pœnitentiæ explendæ. 298.4
Martyrium dicitur baptismus sanguinis. 43.42
Martyrium non est Sacramentum. ibid.
Infantes sanctificantur martyrio. 43
Adulto aliquando confert martyrium primam gratiam. 44. 44.
Quomodo Martyrium sit actus imperatus charitatis. 45
Ad martyrium raptus peccator & nondum baptizatus, tenetur sub mortali adhibere operam vt baptizetur aquâ. 46. *Peccator etiam baptizatus in tali casu tenetur conteri.* ibid.
Martyrium nõ est virtualis dilectio Dei super omnia, nec virtualis contritio. 45.46
Attritio putata contritio sufficit cum martyrio ad iustificationem. 47
Magis sufficit attritio cum Baptismo, quàm cum martyrio ad iustificationem. ibid.
Voluntas martyrij cum externa perpessione non sufficit in immemore peccatore sine virtuali pœnitentia. 48
Voluntati tali ferè semper coniuncta est virtualis pœnitentia. ibid.
Sola voluntas moriendi pro Christo sufficit in iusto ad martyrium. 46.49. *Etiam in dormiente. Sufficit etiam sola voluntas habitualis.* ibid.
Confertur effectus martyrij in vltimo instanti vitæ, vel paulò ante separationem animæ. ibid.
Præstantia Baptismi sanguinis præ alijs baptismatibus. 51

Matrimonium.

§. 1. Secundùm se consideratum.

Origo nominis Matrimonij. 338. 1. *Definitio eius.* 2
Matrimonium est Iuris naturæ 4. *Eius vsus est licitus, & sæpè meritorius.* 339.5. *Quid si fiat ob delectationem, vel ad vitandam fornicationem, vel pollutionem.* 7
Matrimonium non est præceptum lege positiua. 8 ibid. *Neque lege naturæ.*
Ne quidem in principio mundi fuit præceptum lege positiua. 9. *Nec esset præceptum licet iam mundus exhauriretur.* 340. 11
Quid vinculum, quidque vsus matrimonij. 347. 34

§. 2. Vt est Sacramentum.

Matrimoniũ inter fideles verũ Sacramentũ est. 343.24
Probatur contra nostros hæreticos ex Scriptura. 343.25 *Idem probatur ex Concilijs & Decretis Pontificum.* 344.26. *Itẽ ex Patribus.* 345. 27. *Itẽ ex Ratione.* ib.

Non fuit Sacramentum ante Christum, nec modò est inter infideles. 346. 30. 31
Matrimonium infidelium per Baptismum non fit Sacramentum. 347. 32. *Neque est Sacramentum matrimonium fidelis cum infideli.* 33
Matrimonium est Sacramentum absq; copula. 34. Esse duos in carne vna *fit per matrimonium etiam ante copulam.* 348. 36. *Quo casu & quomodo copula pertineat ad substantiam matrimonij.* ibid.
Contractum etiam sine benedictione Sacerdotis inter Christianos, est verum Sacramentum. 348. 37. *Quid operata sit benedictio in cõiugio Adæ & Euæ.* 346. 31 *Et quomodo post lapsum Adæ sit institutum in remedium concupiscentiæ.* ibid.
Matrimonium per Procuratores contractum, est Sacramentum. 350. 40.
Ministri huius Sacramenti non sunt alij, quàm ipsi contrahentes. 347. 37.
Materia hic *sunt corpora contrahentium.* Forma, *verba quibus contrahunt.* 349. 38
Quomodo matrimonium efficiat, quod significat. 345. 29
Quomodo pro matrimonio posit dare pretium. ibid.
Sacramentum hoc potest pendere ex conditione futura. 357. 73.

§. 3. Consensus in Matrimonium.

Consensus hic sit liber & exterius expressus. 354. 62
Sine consensu nequit fieri matrimonium per homines: potest per Deum. 355. 63
Consensus vtriusque non debent simul existere. 64
Consensus hic fertur in mutuam obligationem, non copulam. 65
Debet consensus esse liber à metu iniustè incusso. 358. 70
Matrimonium metu contractum non est irritum defectu libertatis. 358. 77
Nec est irritũ Iure naturæ ob iniuriam, sed irritandum. 359. 78.
Est tamen irritum Iure Ecclesiastico, & Ciuili. 79
Matrimonium inualidum ob iniustum metum non confirmatur copulâ, si malè putet consensum priorem fuisse validum. 359. 83. *Neque etiam si copula metu coacta.* 360. 83
Quid faciet metu mortis coactus contrahere & consummare? 84
Consensus parentũ non est necessarius vt valida sint matrimonia, sed vt licitè & honestè contrahantur. 360. 85. *& seqq. Vide* Auctarium *ad 1. 2. V.* Matrimonium. *Casum 19. & 20.*

§. 4. Conditio vitians consensum in Matrimonium.

Variæ conditiones. 356. 57
Conditio necessaria nec vitiat, nec suspendit consensum. 68
Impossibilis vitiat nisi ioco sit addita. 69
Conditio contra substantiam, vel bona matrimonij, vitiat. 70. *Non tamen si hæc sit de præsenti.* ibid.
Quid operetur turpis conditio. 71. *Quid honesta* 357. 71
Consensus per verba de præsenti cum conditione de futuro, posita conditione, non requirit nouum consensum expressum de præsenti. 357. 73
Sacramentum potest pendere ex conditione futura. ibid.
Contrahens cum consanguinea sub conditione, Si Papa dispensauerit, *an validè.* 358. 75

§. 5. Matrimonij solutio seu diuortium.

Matrimonium consummatum fuit in veteri lege solubile per libellum repudij. 361. 88
Olim Iudæis cæpit permitti repudium cùm Deus præcepit Abrahæ repudium Agar. 90. *Tunc etiam apud Gentes permissum repudium.* ibid. *Causa repudij.* 91. *Nunc Iudæis & Gentibus est id illicitum.* 92
Duo requisita vt matrimonium sit omnino insolubile. 363. 99.
Matrimonium infidelium potest solui quo ad vinculum, si altero ad fidem conuerso, alter conuerti nolit. 362. 93
In Hispanis tales coguntur ad separationem. 95. *Cuinam in tali diuortio assignandæ proles.* ibid. *Tale matrimonium soluitur per nouum matrimonium, vel professionem: non per Ordines sacros.* 96. & seqq.
Matrimonium fidelium ratum soluitur professione in Religione approbata. 363. 98. *Probatur exemplis Sanctorum.* ibid. *Ratio congruentiæ.* ibid. *Sed Iure tantùm Ecclesiastico.* 363. 100.
Potest idem solui iustis alijs de causis. 101
Ante consummatũ matrimoniũ semper licet parti ingredi Religionẽ, 364. 102. *Quid si per vim cõsummetur.* ib.
Matrimonium fidelium consummatum nullo casu soluitur quo ad vinculum. 103
Solui potest quo ad torum & cohabitationem; idque variis modis, & variis de causis. 365. 103
In hoc diuortio par est vtriusque coniugis potestas. ibid.
Coniux innocens absolutè non tenetur dimittere fornicantem. 366. 110. *Neq; facto diuortio, tenetur ad reconciliationẽ.* 111. *Potest tamen admittere nõ emendatũ.* ib.
Innocens facto diuortio fornicans, non tenetur coniugem ante dimissum, admittere. 112
Diuortium non potest fieri ob fornicationem in sex casibus. 113
In diuortio facto ob maiorem perfectionem, quædam obseruari debent secundùm Iura. 114

§. 6. Debitum Matrimoniale.

Coniuges pari iure tenentur sibi mutuo reddere debitum. 367. 115
Excusat à redditione, periculum grauis morbi & abortus. 116. *Item menstrua quæ statis periodis recurrunt.* 117
Non excusat fluxus perpetuus sanguinis in vxore, neque seminis in viro. ibid. *Neque sanctitas loci.* 116. *Vti neque solemnitas festi. Sed veniale est tunc petere.* ib.
Paupertas etiam non excusat. 368. 118
Coniux occultè fornicatus potest petere debitum, sed nõ per vim extorquere. 119
Debitum reddituri peti nequit ab eo, qui quasi certus de inualiditate matrimonij. 368. 120. *Quid si scrupulum habeat?* ibid.
Quid si bona fide contraxeris, & postea dubites. ibid.
Si contraxisti cum dubio, redde, non pete. 121
Pars quæ sine consensu partis vouit continentiam, tenetur reddere, non potest petere. 369. 123
Si pari consensu vouerint, neuter potest petere: vterque tamen potest reddere si alteruter petat, quamuis illicitè. 123
Quid agendum circa debitũ si vouerit castitatem ante matrimonium? 124
Quid si vouerit ingressum Religionis? ibid.
Quid si contrahat cum eo quem scit habere votum? ib.

§. 7. Matrimonij bona.

Tria sunt Matrimonij bona. Et quid ea operentur. 360. 87.
Coniuges tenentur cohabitare, se mutuo iuuare &c. 370. 125. *etiam dote non solutâ.* ibid.
Vxor tenetur sequi virũ, exceptis aliquot casibus. 126
An ad virum, an ad vxorem spectent quæ vxor lucratur. 127
Maritus possitne vxorem verberare? 128
Proles est matrimonij fructus. 129

Impedimenta Matrimonium dirimentia.
§. 8. Quis ea possit inducere & soluere.
Quotuplicia sint matrimonij impedimenta. 370.130
Dirimẽtia *potest Ecclesia statuere ratione materiæ & formæ.* 371.131
Non potest id Christianorum princeps: potest tamen nõ Christianorum princeps. 132
Dispensat Papa in impedimentis omnibus Iure humano introductis. 133
In quibusdam dispensat Episcopus. ibid.
Si matrimonium cum impedimento contractũ fuerit, quid agendum si deinde innotescat. 372. 134. *De hac re vide* Auctarium *ad* 1. 2. *V.* Matrimoniũ *Casum.* 3.
§. 9. Impedimentum I. & II.
Error personæ & Conditio seruilis.
Duplex hic est error, sitque quadrupliciter. 372.135
Error personæ irritat matrimonium, ibid. *Non tamen error qualitatis, vel fortunæ.* 136
Si liber *cum* serua *contrahat, est irritum matrimonium.* 372.137
Si liber contracto matrimonio sciat esse seruam, quid aget. 138
Quid si dubitans, exigat aut reddat debitum. ibid.
Serui possunt inuitis dominis contrahere matrimonium. 373. 139.
Seruus contrahens cum libera, quibus casibus fiat liber. ibid. *Quid si his casibus serui conditionem ignoret liber dum contrahit.* ibid.
Seruum coniugatum dominus ne vendat in alienam prouinciam. 140
§. 10. Impedimentum III. & IV.
Votum & Ordo.
Vôtum *quotuplex hic sit.* 373.142
Simplex non irritat matrimonium. 143
Solemne irritat. 144
Idque ex Iure Ecclesiastico. 374.149
Voti contimentiæ solemnitas quid, & vnde sit. ib.
Non dirimit solemne votum ex eo matrimonium, quod sit traditio sui. 374. 150
Votum simplex scholasticorum Societatis IESV dirimit matrimonium. 151
Vide Auctarium *ad* 1. 2. *V.* Matrimonium *Casum* 5. & *V.* Professio religiosa inualida, *Casum.* 1. & 4.
Dirimit Ordo *matrimonium.* 374. 152. *idque meritissimo.* 175
Ordini annexa fuit continentia ab initio Ecclesiæ. 375 154.
Ordo per se irritat matrimonium, nec tantùm ratione voti annexi. 155
Hoc impedimentum est Iuris tantùm Ecclesiastici. 156
§. 11. Impedimentum. V.
Consanguinitas.
Quid consanguinitas. 375. 158
Quid linea. ibid. *Ad eas dignoscendas tres regulæ.* ib.
Gradus vetiti Leuitici 18. *non irritant matrimonium Iure naturæ.* 376.161
Consanguinitas in primo & secundo gradu lineæ rectæ irritat Iure naturæ. 162. *Forte etiam in tertio & quarto gradu.* 377. 162
Hinc Henoch rediens in fine mundi non poterit contrahere. ibid.
Primus gradus lineæ trãsuersæ irritat Iure naturæ. 163
Omnes gradus consanguinitatis vsque ad quartum inclusiuè absolutè dirimunt matrimonium. 377.164
§. 12. Impedimẽtum. VI.
Affinitas Carnalis, Spiritualis, & Legalis.
Quid sit Affinitas. 378.165
Regula ad cognoscẽdos gradus affinitatis. 166
Affinitas iam non parit affinitatem. ibid.
Affinitas ex coniugio dirimit vsque ad quartum gradum. 167. *ex fornicatione tantum ad secundũ.* ibid.
Nascitur impedimentum ad cõtrahendum etsi nesciat esse consanguineam. 378.169
Quis gradus affinitatis Iure naturæ irritet matrimonium. 170
Vide Auctarium *ad* 1. 2. *V.* Matrimonium, *Casum.* 6. 7. 8. & 9.
Cognatio spiritualis *inter quos dirimat matrimoniũ.* 379.172. *Est restricta per Tridentinum.* ibid.
Oritur hæc ex Baptismo solemni, ib. *Etiam ex minus celebri in necessitate collato.* 173
Quandonam hæc à patrinis contrahatur. 174
Etiam contrahitur per procuratores. ibid.
Cognatio legalis *seu Adoptio dirimit matrimoniũ in linea recta vsque ad 4. gradum: Probabiliter tamen solùm ad* 2. 330. 176. *Inter quos dirimat in linea transuersa.* ibid.
Impedimentum hoc in quibusdam est perpetuum, in quibusdam temporale. 177
Non est impedimentum inter adoptatum & filiam illegitimam adoptantis, ibid. *Neque inter duos adoptiuos.* ibid.
§. 13. Impedimentum VII. VIII. & IX.
Iustitia publicæ honestatis. Crimen. Disparitas cultûs.
Vnde nascatur impedimentum Iustitiæ publicæ honestatis. 380.178
Extenditur tantùm ad primum gradum. ibid.
Quid si sponsalia sint irrita, nascitúrne hoc impedimentum? ibid.
Quid si sint conditionata? ibid.
Nascitur iam ex matrimonio clandestino. ibid.
Item ex matrimonio præsumpto. ibid.
Crimina *quædam irritant matrimonium.* 381. 179
Si vxor conspiret in mariti necem vt possit tecum contrahere. ibid.
Si alter coniux interficiat coniugem, vt cum adultero contrahat. ibid.
Si adulterer datâ fide quòd post mortem coniugis tecũ contraham. ibid.
Vide Auctarium *ad* 1. 2. *V.* Matrimonium, *Casũ.* 10
Disparitas cultus *inter baptizatum & non baptizatũ dirimit matrimonium.* 381. 180
Sed non Iure naturæ, nec diuino. 18
Nec Iure Ecclesiæ scripto. 382.182
Sed ex recepto vsu Ecclesiæ. 183
Coniunginm inter fidelem & hæreticum non est irritum, sed illicitum. 184
Vide Auctarium *ad* 1. 2. *V.* Hæreticorum cum Catholicis cõuersatio. *Casum* 23. 24. 25. & 26.
§. 14. Impedimentum X. XI. & XII.
Vis seu Raptus. Ligamen. Impotentia.
Raptor est inhabilis ad contrahendum. 382. 185. *Item est infamis. Excommunicatus cum auxiliantibus. Tenetur ad dotem.* ibid.
Ligamen *seu vinculum alterius matrimonij dirimit omne matrimonium subsequens.* 382. 186
Quid si credas vxorem tuam esse vitã, & sit mortua, & tu aliam ducas? ibid.
Quid si post inquisitionem nihil intelligas de vita? 187
Impotẽtia *Iure naturæ dirimit matrimoniũ.* 383. 188

Qualis

Qualis ea esse debeat vt dirimat matrimoniũ. 383. 188
Adolescens contrahens ante 14. annum ætatis suæ, si sit impotens est irritum matrimonium, etsi postea fiat potens. ibid.
Quandonam censeatur hoc impedimentum perpetuũ. ib.
In dubio, conceditur experimentum triennij. ibid.
Vide Auctarium. *Verbo* Matrimonium. *Casum.* 11
An liceat impotentiam tollere si sit à maleficio, & quando. 383. 189
Impedimentum maleficij aliquando est perpetuum. 386. 196. *Vide* Maleficium.

§. 15. Impedimentum XIII.

Defectus Parochi & testium.

Ille defectus ante Tridentinum erat impediens. 386. 199
Iam est dirimens. ibid.
Parochus sit Sacerdos. 200
Debet esse proprius Parochus. 201. *Sufficit qualiscunque eius præsentia cum aduertentia quid fiat.* ibid.
Parochus sponsa non assistat in parochia sponsi. 387. 202
An contractus cum hoc Impedimento habeat vim sponsalium. ibid.
Quis sit Parochus hoc casu vagabundorum, peregrinorum. ibid.
Numerus & qualitas testium. ibid.
Duæ conditiones vt hoc impedimentum liget. 203
Vide Auctarium. *Verbo* Matrimonium, *Casum* 12. 13 14. 15. 16. 17. & 18.

§. 16. Impedimentum impediens tantùm.

Quatuor genera voti sunt impediens impedimentum. 387. 204.
Item sponsalia cũ aliâ. Interdictũ. Tempus sacrũ &c. ib.
Item sex crimina: Vxoricidium, Presbytericidium &c. 388. 205.
Quomodo peccet qui contrahit habens votum aliquod ex impedientibus. 206
Quis possit in his impedimentis dispensare. 207

Melchisedech.

Sacrificium Melchisedech fuit figura sacrificij Eucharistiæ. 154. 13
Christus est Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. ibid.
Vide Indicẽ de Incarnatione. *Verbo* Melchisedech.

Membrum.

Membrum, quid. 294. 55. *Qui sibi per culpam membrum abscindit, est irregularis.* 54. *Non est irregularis, cui inuito membrum absciditur.* ibid.
Si tibi partem digiti ex indignatione abscindis, es irregularis. 55. *Idem dic si id facias ex culpa notoria alterius.* ibid.
Si alteri digitum, vel pollicem, vel auriculas abscindis, nos es irregularis. ibid.
Solus Papa dispensat in hac irregularitate. 56
Dispensat Episcopus si membrum tibi occultũ abscideris. ibid.

Mendacium.

Mentiri in confessione, siue negare leue peccatum, est leue. Negare mortale, est item mortale. 252. 48

Menstrua, & Menstruata.

Duplex genus menstruorum. 367. 117
Prius non impedit quò minùs possint coniuges petere & reddere debitum. ibid.
Menstruata petens debitum, peccat venialiter. ibid.
Non tamen peccat reddendo. ibid.
Maritus à menstruata petens, peccat venialiter. ibid.
In Leutico iubetur interfici menstruata, & qui ad eã accesserit. ibid. *Lex hac iam cessat: & solùm manet naturalis obligatio.* 168. 117

Mereri meritum.

Nemo potest alteri immediate iustitiam, & gloriam mereri, sed tantùm auxilium præueniens. 61. 7
Per pœnitentiam merita omnia reuiuiscunt. 203. 4
Et gratia omnis redditur. 204. 10
Satisfactio Sacramentalis expleta in mortali reuiuiscit per gratiam superuenientẽ. 263. 3. *Non vero sponte assumpta,* ibid.
Meritum: & merita Christi, &c. Vide Indicem de Incarnatione, *Verbo* Meritum.

Missa.

Missam execrantur nostri hæretici. 154. 13. *Astruitur variis figuris.* ibid. & seqq. *Probatur ex veteri Testamento per oblationẽ* Minchæ. 156. 17. *Itẽ quinque rationibus,* 157. 20. *Solnuntur obiectiones hæreticorum,* 21
Missa complectitur sex partes. 158. 25. *In quibus ex his consistat essentia sacrificij.* ibid. *Consistit in consecratione, & quomodo.* 159. 31
Refutantur quatuor propositiones quæ perperã assignãt essentiam Missæ. 161. *Vide* Sacrificium §. 2. 3. & seqq.
Pro vna Missa tantùm licet petere vnum stipendium. 196. 59.
An Epilepticus possit celebrare. Vide Auctarium *V.* Missa. *Casum* 7.
An liceat sub Missa fabulari, confiteri, colligere eleëmosynas, Vide ibid. *Casum* 1. 2. & 3.

Monitio.

Monitio excommunicationi necessario præmittenda. 272. 28. *Et quidem ex natura rei.* 273. 30
Sit comminatoria excommunicationis. 272. 28
Si excommunicatio lata sit alure, vel generatim ab homine, sufficit monitio quam præceptum Superioris vel lex secum defert. 273. 29
Monitio trina requiritur si excommunicatio speciatim contra aliquos feratur. ibid.
Per vnam monitionem valida est excommunicatio: sed non quando excommunicantur participantes cũ excommunicato. ibid.

Mutilatio.

Hæc sola comprehenditur sub occisione vbi agitur de irregularitate. 287. 8

Oleum.

Oleum olivæ benedictum est materia extrema vnctionis. 320. 9
Oleum commune addi potest benedicto. 321. 11
Vide Chrisma.

Opera mortua.

Opera in statu peccati mortalis facta, non reuiuiscunt ad meritum. 204. 15
Neque etiam reuiuiscunt ad satisfactionem. 16
Sunt tamen vtilia ad alios fines. 17
Dignitas operis maximè spectatur ex dignitate operantis. ibid.

Ordo.

§. 1. Quid sit. Quot sint eorum officia.

Varij sunt Ordines in Ecclesia. 326. 1
Ordinis definitio. 2. Ordinis duplex acceptio. ibid.
Ordines sunt septem. 330. 21. *Quo sensu admitti possint octo ordines.* 331. 24. *Tonsura non est ordo.* 331. 22
Ordinum singulorum functiones. 330. 22. & 332. 27
Quot Ordines sacri, & vnde dicti. 331. 26

§. 2. Vt est Sacramentum.

Ordo est proprium legis nouæ Sacramentum. 326 3
An Christus ordinarit per impositionem manuum. 327. 3
Ordinatio Episcopi est Sacramentum. 333. 32

Ordinari nequit Episcopus qui non est Presbyter. 33
Ordinatio Diaconi & Subdiaconi est Sacramētū. 334.37
Minores Ordines probabiliter affirmabis aut negabis esse Sacramentum. 335.39

§. 3. Eius materia & forma.

Materia Ordinis qua sit. 327.9
Impositio manuum est de essentia materiæ Sacramenti Sacerdotij. 328.11
Tutius & probabilius est contactum materiæ esse necessarium ad essentiam Sacramenti. 329.15
Vide Auctarium *ad* 1. 2. *V.* Ordines sacri, *Casum* 3. & 4.
Cur forma Ordinis exprimatur verbo imperandi. 327.7
Cur in hac forma non explicetur effectus Sacramenti. 8
Hæc verba, Accipe Spiritum sanctum &c. *sunt pars essentialis formæ.* 329.12

§. 4. Eius Effectus.

In Sacramento Ordinis confertur gratia iustificans. 326. 3. & seqq.
Diuersos effectus habent porrectio calicis, & impositio manuum. 328.13
In Ordine confertur Character. 329.17. & seqq.
Gratia propria ordinationi Episcopi. 333.32
Gratia propria ordinationi Diaconi & Subdiaconi. 334.37.
Probabile est per Minores Ordines conferri gratiam. 335.39.

§. 5. Conferens Ordines.

Solus Episcopus confert omnes Ordines ex officio. 336.46
Etsi sit præcisus & hæreticus. ibid.
Sacerdos conferre potest Ordines Minores, etiam subdiaconatum ex commmissione Papæ. 332.27 & 337.46
Abbas ex Iure potest conferre Minores, & subdiaconatum ex priuilegio Papæ. ibid.
Archidiaconus porrigens materiam, non censetur conferre Ordines. ibid.
Promouens indignos, peccat. 336.44

§. 6. Suscipiens Ordines.

Ordinari nequit qui non est baptizatus: nec Deus hic supplet defectum. 329.17 & 18
Suscipiens non sit conscius peccati mortalis. 336.42
Sciat quæ ad eum Ordinem spectant, quem suscipit. 43
Femina incapax est Ordinationis. 337.47
Pueri & carentes vsu rationis sunt capaces Ordinationū. 48
Ante vsum rationis ordinatus non tenetur voto castitatis. ibid. *Vti neque is qui iniusto metu ordinatus est.* ibid.
Quæ ætas ad singulos Ordines sit requisita. 49

§. 7. Pœnæ ex indebita Ordinatione.

Quando & quis ex indebita ordinatione fiat irregularis. 293.57. & seqq.
Suspensus est qui ante ætatē, vel extra statuta tempora est ordinatus. 294.49
Item qui duos ordines simul suscipit. 50
Item qui per saltum ordinatus est. 51
Suscipiens Presbyteratum ante ætatem, & simul celebrans cum Episcopo, suspenditur: non autem fit irregularis. 52
Idem verum est etsi Episcopus addat excommunicationem ibid.
Matri dicenti, te illegitimum, si credas & ordineris, peccas mortifere: & suspēderis ab vsu Ordinis. 296.64
Secùs si credas. ibid.
Ordo quomodo irritet matrimonium. 374.152
Ordinatus fictо titulo patrimonij. Vide Auctarium V. Ordines Sacri. *Casum.* 6.
Ordinatus à nō suo Ordinario. Vide ibid. *Casum.* 1. & 3
Si ordinetur energumenus, fit irregularis. Vide ibid. *Casum* 7.
Illegitimus accipiens tonsuram sine dispensatione, an peccet. Vide Auctarium. *V.* Illegitimus. *Casum* 4.

Ostiarius.

Ostiarij Ordo & officium 330. 21. & 22. *Item* 332.31
Verosimiliter non est Sacramentum 335.40. *Non tamen potest iterari.* 41

Panis.

Panis non est à Verbo hypostaticè assumptus. 103. 30. & 105. 38.
Materia panis in Eucharistia remanere non potest. 104. 30. & 106. 39.
An & quomodo Eucharistia possit dici panis. 105. 36
Non manet etiā in Eucharistia existentia panis. 106. 40
Si substantia panis non conuerteretur in Corpus Christi, sed maneret, posset ibi dem poni diuinitus Corpus Christi. 107. 42
Panis in conuersione Eucharistica non annihilatur. 44

Papa.

Papa potest viuis concedere re Indulgentias per modum solutionis meræ. 202.20
Papa potestatem habet concedendi Indulgentias plenarias. 300.12
Papa quomodo Indulgentias possit mereri. 301.19
Papa potest se subijcere Confessario cui vult. 232.13
Papa potest vbique omnium audire confessiones per se, vel per statutos à se. 236.36
Expedit Ecclesiæ hanc potestatem à Papa concedi Religiosis. 237.40
Papa potestatem habet vniuersalem excommunicandi. 270.13.
Non potest dispensare ne vnquam confitearis. 229.36. *Potest tamen dispensare in tempore confessionis.* 37
Papa in voto solemni Religionis an possit dispensare. 374.150.
Papa non dispensat in linea recta consanguinitatis, sed in transuersa, excepto primo gradu. 378.164
Papa dispensat in matrimonio rato, non consummato. 363.99.
Item in omnibus matrimonij impedimentis Iure humano introductis. 371.133
Vide Dispensatio. *Et* Irregularitas. §.8.

Parochus.

Parochus semper tenetur audire subditum dum is vult rationabiliter confiteri. 235.29
Parochus ne neget petenti subdito facultatem alteri confitendi. 30
Parochi seu proprij Sacerdotis ignorantia facit vt alium liceat adire. 31
Non verò alij defectus, 236.32
Licebit tamen si petieris veniam, & negata sit. 33
Item si Confessor est complex peccati carnalis. 34
Cur Parochis etiam inuitis, à Papa potestas concedatur Regularibus audiendi parochianorum confessiones. 239.44.
Parochus potest subdito facere potestatem promerendi Indulgentias alteri Episcopi. 300.33
Si Parochus matrimonio non assistat, est irritum. 386.199.
Parochus assistens matrimonio sit Sacerdos. 387.201
Vide plura. ibid. *&* in Auctario, *V.* Matrimonium, *a Casu* 12. *vsque ad* 17.

Patrinus.

In Baptismo & Confirmatione.

Cur Patrinus seu susceptor adhibeatur in Baptismo. 47.11.

Quod

Quod eius munus. ibid.
Arcentur munere Susceptoris, Infideles: Nec hi contrahèrent cognationem spiritualem. ibid.
Arcentur etiam Monachi & Abbates: non Religiosi Mendicantes. Omnes tamen hi contraherent cognationem spiritualem. ibid.
Arcentur Parentes ne propriam prolem suscipiant. Hi tamen possunt petere & reddere debitum. ibid.
Arcentur plures quàm duo. ibid.
An baptizandus offerri possit Ministro hæretico, & quæ instructio sufficiat, Vide Auctarium, *V.* Baptismus, *Casum* 1. & 3.
Cõfirmandus *debet habere Patrinum* 79.35. *Est hæc antiqua cæremonia.* ibid.
An & quando teneatur erudire Confirmandũ. 80.35
Patrinus debet esse confirmatus. ibid.
Patrinus in baptismo & Confirmatione contrahit impedimentum dirimens inter se & baptizatam ac confirmatam, eiusque patrem & matrem: non autem inter alios. 379.172

Peccator. Peccatum.

Quatuor gradus grauitatis peccatorum. 138.12
Grauitas peccati contra Eucharistiam. ibid.
Quis censeatur peccator publicus. 13
Quæ malitiæ sint in quouis peccato. 183.11
Peccatum habet rationem vinculi. 178.21

Peccati remissio Pœna, Reuiuiscentia.

Nulla in hac vita peccata sunt irremissibilia. 188.1
Soluuntur obiectiones hæreticorum. 2. & seqq.
Omnes viatores possunt agere pœnitentiã. 189.6
Ad peccati remissionem non sufficit fides, sed requiritur pœnitentia. 8
Diuinitus tamen remitti potest sine omni pœnitentia. 190.12.
Conscio peccati mortalis necessaria est formalis pœnitentia ad remissionem. 14
In non conscio sufficit virtualis. 191.16
De potentia ordinaria vnum mortale sine alio non remittitur. Potest tamen remitti per potentiam absolutam. 17
An ad remissionem mortalium, singula sint rememoranda. 196.8
Peccato remisso sæpè in iustificatis manet obligatio pœnæ. 192.20
Etiam manent quædam reliquiæ. 193.24
Peccata remissa numquã reuiuiscunt. 199.2. & 201.9
Quodammodo tamen reuiuiscunt ratione ingratitudinis 200.5. & 201.10.
Possent etiam reuiuiscere, si tantùm conditionatè remitterentur. 201.9
Pœnitenti merita reuiuiscunt. 203.4
Opera mortua, non reuiuiscunt ad meritum, 204.15. *Nec ad satisfactionem.* 16

Peccati venialis remissio.

Non quouis opere meritorio remittitur veniale. 194.2
Requiritur quædam pœnitentia: nec etiam in iusto sufficit quæuis attritio. 4
Sed contritio imperfecta. 195.5
Conuenientia & disconuenientia peccati mortalis & venialis, adeoque doloris quo vtrumque deletur. 6
Deletur veniale in defunctis per formalem pœnitentiã ex perfecta dilectione manantem. 195.7
Remissio venialis vt modo fit, postulat infusionem gratiæ, non tamen necessario. 196.10
Omnia venialia remittuntur per Sacramenta positâ aliquâ de ijs displicentiâ. 192.12
Non omnia venialia remittuntur ei, cui datur gratia sine Sacramento. 197.14
Peccati venialis octo remedia. 15
Hæc tamen non operantur ex opere operato. 16
Veniale non potest remitti sine mortali secundùm ordinationem præsentem: potest tamen de potentia absoluta. 199.19

Pœnitentia vt est virtus.

§. 1. Eius actus & habitus.

Pœnitentia quid significet. 181.1
Pœnitentia est virtus, eiusque varia descriptio. 182. 2. & 3.
Pœnitentiæ habitus per se fertur in bonum. 5. & 6
Duos præcipuè actus complectitur. n.4. & 183.9
Pœnitentia frustrà non est, etsi facta nequeant fieri infecta. 182.7
Pœnitentiæ vtilitas. 183.7
Pœnitere & dolere quomodo differant. 8
Perfecta pœnitentia nequit esse sine charitate. Imperfecta ad eam disponit. ibid.
Quomodo pœnitentia sit virtus peculiaris. 183.9
Est actus Charitatis. 11
Est species Iustitiæ commutatiuæ. 184.12. & 16
Et sic non videtur distingui à Religione. 185.17
Quomodo Pœnitentia sit, & non sit virtus ab alijs distincta. 184.15
Et an sit prior habitibus & actibus aliarum virtutum. 187.29

Eius subiectum & Principium.

Ad veram pœnitentiam non est necessarius dolor partis sensitiuæ. 185.19
Pœnitentia vt virtus, est in voluntate irascibili & cõcupiscibili. 186.19
Est etiam in parte sensitiua aliquis habitus pœnitentiæ. 20
Est in Christo, Deipara, & Angelis virtus pœnitentiæ. 23
Primum pœnitentiæ principium est gratia Dei. 24
Qualiter timor seruilis sit primum principium pœnitentiæ. 187.25
Ordo motuum & actuum pœnitentiæ. 26
Qualiter Pœnitentia procedat à charitate vt proximo principio. 27
Motus ad veram pœnitentiam necessarij. 28

Eius Partes.

Partes Pœnitentiæ iuxta Lutherum. 205.2. *Iuxta Caluinum.* 206.3
Tres sunt partes Pœnitentiæ. 206.4
Diuisio Pœnitentiæ ante & post baptismum. 7
Pœnitentia publica solemnis sex habebat conditiones. ibid. 8.
Publicè pœnitentium duodecim sunt pœnæ. 207.9.
Effectus pœnitentiæ, Vide Peccati remissio.

§. 2. Pœnitentia vt est Sacramentum.

Nouatiani negant in Ecclesia Sacramentum seu remedium lapsis post baptismum. 174.1
Caluinistæ negant aliud Pœnitentiæ Sacramentũ, quàm Baptismum memoriâ repetitum. ibid.
De fide est Pœnitentiam esse Sacramentum. ibid. 2. *& quidem à baptismo distinctum.* 175.7
Vocatur baptismus Lacrymarum, & secunda post naufragium tabula. 176.7
Vocatur etiam Manus impositio. 179.25
Institutum est hoc Sacramentem post resurrectionẽ. 180. 28. *Est iterabile.* 181.33.

§. 3. Eius Materia.

Materia ex qua, circa quam, & in qua, *huius Sacramenti.* 177.13

Cur

Actus pœnitentiæ vocantur à Conciliis quasi materia. 175. 6
Cur hoc in Sacramento nõ sit aliqua materia externa corporalis, sicut in aliis Sacramentis. 177. 14
Actus pœnitentiæ fuit semper necessarius ad salutem: iam assumptus est in materiam huius Sacramentiæ 180. 28.

§. 4. Eius forma.

Hæc est sufficiens forma: Ego te absoluo à peccatis tuis. 177.16
Ad substantiam formæ sufficiunt hæc duo verba: Absoluo te. ibid.
Item sufficiunt verba æquiualentia. 17
Item, Absoluat te Christus. 18
Forma hæc non debet esse deprecatoria, sed ex auctoritate. ibid.
Inuocatio SS. Trinitatis non est de essentia huius formæ. 178.19
Neque dicendum est, Absoluo te auctoritate Papæ. ibid.
Male additur, A confessis & contritis. ibid.
Varij varium huius formæ sensum exponunt. 20
Forma absolutionis non potest addi conditio de futuro. 179. 23
Sed de præsenti vel præterito. ibid.
Vide Absolutio.

§. 5. Eius necessitas & præceptum.

Lapsis post baptismum in mortale, est hoc Sacramentũ necessarium saltem in voto. 180.26
Quando & quale votum sufficiat. ibid.
Pœnitentia est secunda tabula post naufragium. 27
Homo non debet vsque ad finem actu conteri de peccatis. 181.31
Consulitur tamen vt quis sæpè doleat de peccatis, nisi quid obstet. 32
Debet fieri compensatio iniuriæ Deo per peccatum irrogatæ. 184.12
Vtile est, sed non necesse, excitare expressam voluntatem compensandi & vindicandi iniuriam Dei. 185. 18.

§. 6. Pœnitentia Sacramentalis.

Satisfactio non est pars essentialis pœnitentiæ. 75.11
Pœnitentiæ in confessione sunt arbitrariæ. 264. 5
Idque ab initio Ecclesiæ. 6
Pro mortiferis peccatis pœnitentia necessariò iniungenda. 265. 7
Non tamen pro venialibus. ibid.
Qualis iniungenda in articulo mortis. ibid.
Pœnitentia Confessionis est præ cæteris satisfactoria. 8
Pœnitentiam ab inferiore impositam Superior potest mutare. 265. 9
Item inferior ex iusta causa, sed auditâ priùs confessione, ibid.
Pœnitentia medicinalis non leuiter omittenda est ob Indulgentias. 303. 27
Pœnitentia Sacramentalis expleta in mortali reuiuiscit per gratiam superuenientem 263. 3. *Non verò sponte assumpta.* ibid.
Satisfactio pœnitentis per alium impleta, eum non liberat. 262.28
Satisfactio in mortali expleta satisfacit præcepto Confessoris. 263. 2
Opera aliàs præcepto vel voto debita iniungi possunt à Confessario. 264. 4. *Duplicem tunc habent obligationem.* ibid. *Vide* Satisfactio.
Recusans acceptare rationabilem pœnitentiam, aut ante absolutionem carens animo eam implendi, non potest absolui. 242.10

Polygamia.

Triplex est Polygamia. 340.12
Licita est illa qua vir vnus plures habet vxores successiuè. ibid.
Polygamia plurium virorum simul numquam permissa. 14
Polygamia plurium vxorum simul, est contra ius naturæ secundarium. 341.15
Est etiam contra ius diuinum scriptum. 341.16
Nec illa permitti potest vlla lege humana. 342. 18
Polygamia olim Patriarchis permissa à Deo. 342 20
Nec solis Iudæis, sed etiam gentilibus post diluuium dispensatio concessa. 342.21
Reuocata est per Christum. 343.23

Pollutio.

Pollutus an & quando peccet communicando. 139.15
Quid noctu polluto agendum vt sequenti die communicet? 16
Nocturna pollutio quando sub mortali cauenda. 17
Pollutio, & cogitatio turpis cum periculo pollutionis in Ecclesia, addit nouam malitiam. 251.40

Presbyter. Presbytera.

Nomen Presbyteri & Episcopi *aliquando pro eodem sumitur* 331.24. *Officium Presbyteri.* 332.27
Presbyteratus non continetur in Episcopatu, sicut Diaconatus continetur in Presbyteratu. 333. 33
Presbyter Iure diuino minor est Episcopo potestate Ordinis. 34. *Et Iurisdictione.* 35
Presbyter est dimidiatus Episcopus. 334. 34
Presbytericidium est impedimentum impediens. 388.205
Vide Sacerdos Sacrificium §. 4. & 5.
Presbytera vocatur vxor Presbyteri ducta ante sacrum ordinem. 337. 47
Item vidua senior. ibid.

PVRGATORIVM.

§. 1. An & vbi sit.

Dari post hanc vitam Purgatorium, ostenditur contra hæreticos. 310. 31. & seqq.
Patrum de hac re testimonia. 311. 8
Obiectiones hæreticorum soluuntur. 10
Caluinus negat omnem locum subterraneum animarum 11. *Eius infernus.* ibid.
Quatuor loca subterranea animarum post hanc vitam, 312. 12.
Purgatorij locus est sub terra. 16
Creaturæ sub terra & in inferno Deũ laudantes, vel genu flectentes, sunt animæ purgatorij ibid.
Animæ subinde alibi quam sub terra purgantur. 314. 22

§. 2. Purgatorij pœna.

Est ibi pœna sensus & damni. 312.17
Est pœna ignis corporei. 18
Quomodo is agat in spiritum. 313.19
Pœna damni ibi est grauissima appretiatiuè. 20
Non tamen acerbitate. ibid.
Pœna ignis est acerbissima. 21
Nõ tamẽ pœnâ ignis omnes animæ ibi cruciantur. 313. 22
Fortè torquentur à dæmonibus. 314 23
Pœna ibi non extenditur vltra diem iudicij: probabile tamen extendi in annorum centurias. 24
Pœnæ purgatorij subsunt iurisdictioni Ecclesiæ. 302.3

§. 3. Purgandarum animarum conditio.

Assiduè Deum laudant. 314.25
Nec merentur, nec demerentur. 26
Animæ istæ sunt certæ de salute. 316. 28
Quando & quomodo iudicentur. 29
Credibile est ab ijs in instanti mortis Christum videri. 316. 31.

Item

Item purgandas deduci ab Angelis. 32
E purgatorio animæ subinde egrediuntur, non è cœlo. 33. & seqq. Illæ tamen confirmatæ sunt in gratia. 34

§. 4 Suffragia pro defunctis.

Tria genera Suffragiorum. 317.36
Restitutio rei iniquæ non est quartum genus suffragiorum pro defunctis. ibid.
Suffragia defunctis prodesse, est de fide. 37. Sed solis defunctis in Charitate. 38
Sancti in cælis orant pro defunctis. 318.39
Per Sacrificium Missæ immediatè remittitur illis reatus pœnæ 165 42 & 66. 49. idque per modum impetrationis & ex opere operato. 50

Raptor.

Raptor est inhabilis ad contrahendum. 382. 185
Item est infamis. Excommunicatus cum auxiliantibus. Tenetur ad dotem. ibid.
Raptor alienæ sponsæ contrahit impedimentum dirimens, vt cum nulla possit contrahere. 388.205

Ratihabitio.

Non sufficit ratihabitio futura proprij sacerdotis vt subditus possit alteri confiteri. Sufficit præsens signo expressa. 235.27. & 28

Reliquiæ.

Reliquiæ non sunt necessariæ ad consecrationem Altaris 173. 86
Quidnomine Reliquiarum intelligatur, aliaque plura, Vide in Indice de Incarnatione V. Reliquiæ.

Replicatio & Reproductio.

Non implicat idem corpus esse in diuersis locis. 101. 25
Quomodo per Deum vna res esse possit in diuersis locis discontinuis. ibid. Probatur id similibus & exemplis. ibid. & seqq.
Quomodo possit Deus vnam rem ponere in diuersis locis. 111. 27.
Idem potest sibi esse dextrum & sinistrum, mouere & quiescere. 103.28
Replicatus non potest naturaliter se penetrare. 29
Idem homo potest hic viuere, & alibi mori. ibid.
Accidentia in corpore replicato non necessariò replicantur ibid.
Actiones ponitur Corpus Christi in Eucharistia, est productiua. 109.49
Implicat eum ibi poni per actionem adductiuam. 50. 51 & 52.
Reproductio quomodo distinguatur à creatione. 110. 54
Motus celis Corporis Christi in Eucharistia, non fit in illo; est in cœlo. 119.34
Motus terationis, vel termini earum, ex natura rei non replentur. 35
Actus tales non necessariò replicantur replicato subiecto. 1237.

Repudium.

Lex repudij. 361. 88
Repudio olim soluebat matrimonium consummatum. 3688.
Repudium Gentilibus iuxta ac Iudæis fuerit licitum. 3690.
Iam non licet. 92. Vide Matrimonij solutio §. 5.
Causæ nullæ. 91.

Reseruatio casuum.

Peccata adam reseruari posse, est de fide. 248.25
Reseruatis vitandis. ibid.
Pure venialia nequeunt reseruari. 26
Nulla mihi culpa reseruatur Papæ. 27. Reseruantur aliquæ ac culpæ Episcopis. ibid.
Reseruatio manet si confessus es habenti iurisdictionem in reseruata, sed tamen resc. 423
249. 33. Sed id merè ex tacito consensu es dicere. 250. 34. rorum.
Reseruatio tollitur si vi Iubilæi confessus es.
Item si Superiori reseruata confessus es, licet confessio ejus inualida. ibid.
Casus reseruatus vel censura reseruata non impedit fructum Sacramenti, dum pœnitens bona fide & debita dispositione confitetur. 243.8. in fine.
Vide Absolutio à reseruatis.

Restitutio.

Restitutio non est quartum genus suffragij pro defunctis. 317. 36.

Reuiuiscentia.

Reuiuiscit Baptismus. 64.15
Remittit omnem culpam & pœnam temporalem debitam peccatis ante eius susceptionem commissis. 17
Non tamen remittit venialia cui actu afficeris. 65.17
In reuiuiscentia baptismi datur ea gratia, quæ daretur infantibus. 18
Contritio, per quam baptismus reuiuiscit, non auget eius effectum. ibid.
Baptismus, si in ipsa susceptione mortale commissum sit, non reuiuiscit nisi per contritionem, vel attritionem cū Sacramento. 19
In reuiuiscentia baptismus & pœnitentia simul conferunt gratiam. 66. 20
Si in susceptione baptismi sit tantùm commissum veniale, nec post aliud mortale, sufficit attritio ad reuiuiscentiam. 21
Reuiuiscentia conuenit Sacramentis imprimentibus characterem: Item matrimonio: Extremæ vnctioni: Pœnitentiæ & Eucharistiæ probabiliter. 22
Per Pœnitentiam merita omnia reuiuiscunt. 203 4. & gratia omnis redditur. 204.10
Opera mortua non reuiuiscunt ad satisfactionem. 205.16
Sunt tamen vtilia ad alios fines. 17
Satisfactio Sacramentalis expleta in mortali reuiuiscit per gratiam superuenientem. 263.3. Non verò sponte assumpta. ibid.
Non reuiuiscunt Indulgentiæ. 307.45

Sacerdotium. Sacerdos.

Ordinatio Sacerdotij est verum nouæ legis Sacramentum. 326.3
De essentia huius Sacramenti est impositio manuum. 328 11. Item hæc verba, Accipe Spiritum sanctū. 12
Integra Sacerdotij potestas constat duabus potestatibus cōsecrandi & absoluendi. 13. & 14
Officia Sacerdotis propria 332.27
Sacerdos est dimidiatus Episcopus. 334.34
Sacerdos sacrificat vt sustinens personam Christi. 168. 55. & 56. & vt persona publica. 165.44. Eius sanctitas iuuat ad fructum sacrificij. 165.39
Sacerdos vnicus in æternum est Christus. 157. 22
Vide Sacrificium §. 2. & §. 7.
An & quando Sacerdos possit celebrare non ieiunus. 140. 19.
Casus quibus licet Sacerdoti non ieiuno Eucharistiam sumere. 20
Sacerdos iure diuino & Ecclesiastico debet sumere vtramque speciem. 146 48
Sacerdos ex commissione Papæ potest conferre minores ordines, etiam Subdiaconatum. 332.27. & 337. 46. 80. 38
Potest etiam Confirmationem conferre. 76.15
Non tamen ex eadem potest chrisma consecrare.
Sacerdos religiosus non peccat duplici peccato contra votū Castitatis. 251. 59

Sacerdos

Sacerdos est index necessarius, non voluntarius seu tua voluntate constitutus. 220. 5. Vide Confessarius.

SACRAMENTVM.

§. 1. Sacramenti significatio.

Quid apud prophanos & Ecclesiasticos ferè significet. 1. 2. Stricte sumptum quid significet. 2. 3
Sacramentum potius est in genere signi, quàm causa. 4
Non omne signum rei sacræ est Sacramentum. 6
Sacramentum (maximè nouæ legis) est signum multarum rerum. 7
Omne Sacramentum est res sensibilis. 8
Ineptè hæretici ea vocant sigilla. 9. &c.
Discrimen Sacramentorum nouæ & veteris legis. 3. 13
Sacramenti ratio nouis & veteribus analoga & vnuoca est. 5. 16
Sacramentum an & quomodo sit aliquid reale. 5. 16
Non est ens rationis. ibid.
Sacramentum cur dicatur signum practicum. 5. 15
Singula Sacramenta propriam habent excellentiam. 31. 10.
Sacramentum potest pendere ex conditione futura. 357. 73.

§. 2. Institutio Sacramenti.

Omnia Sacramenta nouæ legis immediatè à Christo sunt instituta. 21. 2
Instituit ea Christus quà homo potestate excellentia. ibid.
Potuit eam potestatem hominibus communicare; sed non decuit. 22. 5
Ecclesia non potest instituere Sacramenta. 5. 15
Sancti potuerunt Indulgentias mereri, non tamen Sacramenta.

§. 3. Essentia Sacramenti.

Sacramenti in genere descriptio. 4. 13
Debet esse sensibile. ibid. Sui vsu sanctificare. 14. Sanctitatem significare. 15
Definitio Sacramenti veteris & nouæ legis. 5. 16
Quænam ad essentiam Sacramenti requirantur. 6. 19

§. 4. Materia & Forma.

Cur tam in veteri quàm in nouæ lege decuerit in Sacramentis res determinatas esse. 6. 17
Consentaneum etiam est vt rebus sensibilibus iungantur res tamquam formæ. 18
Omnia rebus & verbis conficiuntur. 19
Sacramenta requirunt determinata verba. 7. 20
Caluinus malè requirit verbum concionatorium. 21
In Sacramentis nouæ legis tantùm requiruntur verba inuocatoria. ibid.
Augustinus agnoscit verbum Rituale seu inuocatorium 8. 22.
Res & verba habent se instar materiæ & formæ. 23
Forma Sacramentorum alia externa, alia interna. ib.
Sacramentum omne, excepta Eucharistia, intrinsecè includit rem & verba. 24
Nihil licet addere, vel adimere verbis Sacramentorum. 9. 25
Quot modis fiat mutatio in formis, & quæ sit valida & licita. 26
Mutatio formæ vel materiæ si fiat de industria vel crassa ignorantia, & tanta sit vt irritum vel ambiguum reddat Sacramentum, est mortalis. 10. 29
Si verò illa mutatio fiat ex parua negligentia, est tantùm venialis. ibid.
Si mutatio non irritet Sacramentum nec reddat ambiguum, non est mortalis, etsi fiat ex crassa ignorantia, modo non adsit contemptus. 11. 29

§. 5. Numerus Sacramentorum.

Discrepantia hæreticorum circa numerum Sacramentorum. 29. 1
Septem sunt Sacramenta nouæ legis. 30. 2
Duplex ratio conuenientiæ huius numeri. 5
Satisfit argumentis hæreticorum. 6
Inter omnia dignissimum est Eucharistia. 31. 9
Singula propriam habent excellentiam. 10

§. 6. Sacramentorum necessitas.

Sacramenta sunt valdè vtilia ad hominum salutē. 11. 1
In statu innocentiæ Sacramenta non fuerunt homini necessaria, nec in eo vlla fuissent gratiam conferentia. 3
In statu tamen innocentiæ fuissent certæ cæremoniæ. 12. 3.
Post peccatum sunt necessaria. 12. 4
Post Christum debebant esse aliqua Sacramenta distincta à Sacramentis veteris legis. ibid.
Quænam Sacramenta sint necessaria ad salutem. 31. 11

§. 7. Efficientia Sacramentorum.

Sacramenta nouæ legis non sunt causa primaria gratiæ, nec efficiens, nec meriteria. 12. 2
Omnia tamen conferunt gratiam ex opere operato, & per se ibid. Quid sit conferre gratiam ex oper operato. bid.
Aliqua Sacramenta conferunt in adultis primam gratiam. 14. 5. Per accidens aliquando conferunt omnia primam gratiam. 6
Gratia confertur in primo instanti completionis Sacramenti. 8
Sacramenta non producunt habitus gratiarum distinctos à gratia habituali & virtutibus. 9
Quid addat gratia Sacramentalis supra habitus gratiæ, & virtutum. 1. 10
Quando & quomodo dentur specialia auxilia per Sacramenta. 11
Sacramenta nouæ legis continent gratiam tamuam signa & causa gratiæ. 16. 12. Dicuntur vasa gratia. bid.
Sacramenta physicè non producunt gratiam per intentiam obedientialem. 14
Nec ijs inest vis intrinseca effectrix gratiæ. 13
Causant gratiam moraliter per merita Christi: physicè per virtutem diuinam assistentem. 17. 15. Ree tamen dicuntur verè & propriè gratiam causar ib.
Deus dicitur nos saluare per Sacramenta. ibid
Sacramenta nouæ legis habent virtutem ex passione Christi. 8. 17

Vide Gratia.

§. 8. Dispositio ad Sacramenta.

Sacramenta eò maiorem conferunt gratiam eopere operato, quo melior est dispositio suscipientis 61. 8
Quæ censeatur melior dispositio. 62. 8
Peccatum veniale non impedit effectum Sacramenti. 10
An quando finis susceptionis baptismi est venia, aliquando non accipias gratiam? ibid.
Eadem requiritur dispositio ad Characterem quæ ad Sacramentum. id. 11
Vt peccator adultus per Sacramenta recipiat gratiam iustificantem, requiritur fides, spes, & pœnitentia. Hæc tamen non requiritur in adulto qui non peccauit mortaliter. 63. 12
Attritio supernaturalis sufficit cum Sacramento ad iustificationem. Dolor autem humanus, etsi ex fide, non sufficit. 13
Nō requiritur vt putes te esse contritū. 64. 13 Attritio sufficit ad remissionē omnium venialium qd culpā & pœnam. 14.). Mi-

§. 9. Miniſter Sacramentorum.
Miniſter per modum inſtrumenti operatur effectum Sacramenti. 21.1
Miniſter nos verè Deo reco̅ciliat,& peccata remittit. ib.
Non autem eius Character. ibid.
Miniſter malæ vitæ validè confert Sacramenta. 22.6
Conueniens eſt vt Miniſter Sacramenti ſit ſanctus. 23.8
Adminiſtrans in mortali peccat mortaliter. 9. & 336. 45.
Sacerdotes veteris teſtamenti non peccabant mortaliter ſacrificantes in peccato mortali. 24.10
Peccator adminiſtrans Baptiſmum in extrema neceſsitate ſine ſolennitate, non peccat mortaliter. 11
Imò probabile eſt ne venialiter quidem peccare. ibid.
Adminiſtrantes cætera Sacramenta, & etiam baptizantes ſolemniter, licet in neceſsitate, peccant mortaliter. 12
Contrahentes matrimonium in mortali, peccant mortaliter, quatenus ſunt ſuſcipientes Sacramentum. ibid.
Sæpè licet à peccatore ſuſcipere Sacramentum, & etiam petere inducendo non paratum. 13
Non licet autem, ſi ab alio petere poſsis, ſiue ſit tuus Parochus, ſiue non. 25. 14
Nemo poteſt à nominatim excommunicatis non toleratis accipere vlla Sacramenta, præter baptiſmum & pœnitentiam in extrema neceſsitate. 25.15
A excõmunicato tolerato ſi ſit tuus Parochus potes Sacramenta petere, non tantùm in graui neceſsitate, ſed ob magnam etiam vtilitatem ſpiritualem. 16
Non ſit tuus Parochus, niſi in extrema neceſsitate non potes petere, licet actu Sacramenta adminiſtret. ibid.
Per diuinam diſpenſationem Angeli poſſunt Sacramenta adminiſtrare, non tamen diaboli. 26.17
Anima ſeparata non poteſt adminiſtrare Sacramenta. ib.
Mores Miniſtri non eſt de neceſsitate Sacramenti. 29.24

§. 10. Intentio Miniſtri.
Qualis debeat eſſe intentio Miniſtri neceſsaria ad Sacramentum. 10. 27
Si Miniſter aliud intẽdat ſignificare verbis formæ, quam Eccleſia ſignificet, nihil efficiet. ibid.
Si ad veram formã addat aliquid falſi, nihil efficiet. 28
Si ad veram formam addat aliquid non neceſſarium, efficiet Sacramentum. ibid.
De Intentio Miniſtri Sacramentorum.

Sacramentalia.
Sacramentalia cur non ſint Sacramenta. 5.15.& 71.10
Non valeant ad iuſtificandum, valent tamen ad ſpirituales effectus. 71.7
Tollunt peccata venialia. 197. 15
Mediante motu pœnitentiæ. 198. 17
Sacramentalia non improbabiliter habent vim ex opere operato. 71. 10. Probabilior tamen eſt pars negans. 198. 17.

Sacrificium.

§. 1. Sacrificium in genere.
Sacrificium quid ſit ſecundùm noſtros hæreticos. 151.3
Non opus bonum non eſt Sacrificium propriè dictum. 4
Nomen latè ſumitur pro omni opere bono. 5
Sacrificium requiritur Sacerdos & altare. ibid.
Sacrificium eſt præſtantiſsimus Dei cultus externus. ibid.
Teſtimonium diuini principatus, & noſtræ ſeruitutis. 7. Non omnis externa oblatio ad honorem Dei [illegible], eſt propriè Sacrificium. 6
Verificare in linguis ſacris ſignificat occidere. ib.
De Deo Sacrificij, eiuſque explicatio. 7
De diuiſio Sacrificij: ratione materiæ: formæ: & finis. 153. 8
De Immaturæ cuilibet fuit licitum ſacrificare. 7
Non licet iam offerre agnum vel quid ſimile, in ſacrificium. 154. 11
Vnicum eſt in Eccleſia ſacrificium. ibid.
Et alterius inſtituendi poteſtatem Chriſtus ſuſtulit. 12

§. 2. Sacrificium Miſſæ.
Euchariſtia non ſolùm eſt Sacramentum, ſed etiam Sacrificium. 151.2
In Euchariſtiæ conſecratione Chriſtus duobus modis immolatur. ibid. 1.& 158. 24
Euchariſtia offertur vt verum & propriè dictum Sacrificium. 154. 13
Variæ figuræ Euchariſtiæ vt eſt Sacrificium. ibid. & ſeqq.
Teſtimonia veteris teſtamenti pro Euchariſtiæ ſacrificio. 156.17. Item teſtimonia noui teſtamenti. 18
Item quinque rationes. 157. 20
Soluuntur argumenta hæreticorum. 21

§. 3. Eius Eſſentia.
In quibus actionibus Miſſæ conſiſtat hoc Sacrificium. 158. 25.
Oblatio panis & vini circa Offertorium, non eſt de ratione ſacrificij. 26. Nec oblatio verbalis poſt conſecrationem. 27. Nec fractio vel mixtio. ibid. Nec diſtributio facta populo, nec ipſa ſumptio. 159. 29
Sed conſecratio, vel ſola vel maximè pertinet ad rationem huius ſacrificij. 30
Per conſecrationem cõſtituitur Corpus & Sanguis Chriſti ſeorſim ex vi verborum tanquam partes hoſtiæ mactatæ. 160. 32
Differentia inter ſacrificium Euchariſtiæ, & reliqua ſacrificia. 160.31
Differt ratio Sacrificij & Sacramenti. 32
Sumptio Sacerdotis etiam pertinet ad rationem ſacrificij. 33
Ad eſſentialem rationem ſacrificij, prout eſt de iure naturæ, requiritur mutatio. 161
Formalis ratio cuiuſcumque ſacrificij non eſt relatio ad Deum. ibid.
Formalis ratio Sacrificij Miſſæ non eſt præſentatio hoſtiæ facta Deo in recognitionem ſummi dominij. 162
Nec per verba Offerimus eſſentialiter ſit ſacrificium. ibid.

§. 4. Quibus modis, & quos fructus Sacrificium hoc conferat.
Sacrificium Miſſæ confert ſuum effectum per modum meriti. 162. 34
Item per modum ſatisfactionis. 35
Item per modum impetrationis. 36
Item ex opere operato. 163. 37
Quid ſit conferre ex opere operato. ibid.
Per modum impetrationis confert hoc ſacrificium auxiliũ præueniens, ſufficiens, & efficax. 38
Hi fructus dantur, etſi Sacerdos ſit in malo ſtatu. ibid.
Sacerdotis tamen ſanctitas iuuat ad hunc effectũ impetrandum. 39
Differentia inter modum quo ſacrificium confert fructum per modum impetrationis, & eum quo ex opere operato. 164. 39.
Ex opere operato confert remiſsionem pœnæ temporalis & auxilium gratiæ præueniens. 40
Non confert immediatè primam gratiam. 41. Nec eius augmentum. 165.42. Ratio ob quã Sacramenta quædam primam gratiam conferant, & non ſacrificium. 165.41
Non remittit immediatè culpam venialem, ſed reatum pœnæ. 42

§. 5. Quibus conferat Sacrificium suos fructus.

Confert suum fructum Sacerdoti, vt est persona publica. 165. 44. Hunc fructum alteri potest applicare. ib.
Eidem confert fructum vt est persona priuata. ibid.
Hunc alteri applicare non potest. 166. 44
Ministrantibus, assistentibus & procurantibus Sacrificium, suus etiam est fructus. 45
Singulis Ecclesiæ membris non prodest ex opere operato, nec per modum impetrationis. 46. Datur tamen aliquid commune quod ad omnes aliquo modo pertingit. ibid. in fine.

Pro quibus possit offerri.

Prodest beatis & in Purgatorio existentibus, non autem damnatis. 47. & seqq.
Idque ex opere operato & per modum impetrationis. 167. 50
Prodest fidelibus viuis pro quibus offertur. 167.51
Quomodo prosit Catechumenis. ibid. Quomodo hæreticis, schismaticis & excommunicatis. 52. Quomodo liceat pro illis sacrificium offerre. ibid. Validè offertur, sed illicitè pro excommunicato denuntiato. 268. 5
Potest offerri pro Infidelibus. 167. 53
Tantum prodest ex opere operato illis, quibus Sacerdos applicat. 54. Nec potest per Superiorem ipso inuito fructus hic alteri applicari. ibid.
Sacerdos nulli tenetur hunc fructum applicare, ne quidem Ecclesiæ. 168. 54. quem si nulli applicet, censetur sibi applicare. ibid.

§. 6. Dignitas huius Sacrificij.

Secundùm se est infinitæ dignitatis. 168. 55
Christus hîc est principalis offerens: idque ex tribus titulis. 56. Concurrit actu ad omnia sacrificia. 169. 56
Hoc Sacrificium nullum effectum infinitum impetrat. 57
Oblatum pro multis, non tantum prodest singulis, quantum vni. 58. Hinc pro vno sacrificio, ne accipias duo stipendia. 59
Inæqualiter dispositis confert suum effectū non inæqualiter, sed iuxta applicationem Sacerdotis. 60
Oblatum pro multis simul offerentibus, tantum prodest singulis, quantum vni soli. 170. 61. Et sic eius fructus est extensiuè infinitus. ibid.
Sacrificiū Missæ omnia sacrificia eminenter continet. 62

§. 7. De requisitis ad Sacrificium Missæ.

Ex parte Sacerdotis.

Sacerdos debet esse in gratia. 170. 63
Sit liber à censuris, nisi scandalum vel infamia oriretur ex omissione Sacri. ibid.
Debet esse ieiunus. Potest tamen non ieiunus inchoatum sacrificium perficere. 64
Quid aget si in Altari deficiat. 65

Ex parte Ministri.

Vnus Minister sufficit. Femina tamen ministrare non potest. 170. 66
An, & quando liceat celebrare sine Ministro. 171. 67

Ex parte Materiæ.

Quid fieri debeat si aqua vino mixta non fuerit. 68
Quid fiet, si, calice sumpto sentiat tantùm fuisse aquā. 69
Quid faciendum si venenum, vel aliqua bestia in calicem ceciderit? 70

Ex parte Temporis.

Sacerdos aliquando tenetur ex præcepto celebrare. 171. 71
Licet quouis die celebrare, excepto Veneris sancto. 72
Vno die nemo potest secundò celebrare. Nisi sit grauis necessitas. 73
Non quouis tempore licet celebrare. 172. 74
Celebrare non lecto mane, non est mortale. 76

Ex parte Loci.

Locus debet esse sacer. Episcopus tamen ex causa potest dispensare. 72. 77
Quibus de causis liceat extra loca sacra celebrare. 78
Quibus rebus locus sacer violetur. 79
Violatio debet esse publica. 173. 85
Celebrans in loco violato quomodo peccet. ibid.
Altare lapideum debet esse consecratum. 86
Eius consecratio quomodo pereat. ibid.
Reliquiæ non sunt necessariæ ad rationem consecrationis. ibid.

Ex parte Vestium & Vasorum sacrorum. Precum & Cæremoniarum.

Sacerdos non potest celebrare sine vestibus, nisi in vno extremo casu. 173. 87
Potest sine stola vel manipulo ob grauem necessitatē. ib.
Omnes hæ vestes debent esse benedictæ: & benedictio quomodo pereat. ibid.
Altare debet sterni saltem duabus mappis. 88.
Preces & cæremoniæ sint ex Missali Romano. 89
Quale peccatum mutare aliquid in cæremonijs. 90
Vide Auctarium. V. Horæ Canonicæ. Casum. 2. 3. & 4.

Sanguis.

Baptismus Sanguinis. Vide Martyrium.
Aqua mutatur immediatè in Sanguinē Christi. 92. 2
Deus potest in Calice ponere Sanguinem sine corpore. 113. 3
Manichæi semper abstinebant à sumptione Sanguinis Christi. 144. 3
Sanguis emanans ex hostia, non est Sanguis Christi propria specie. 123. 5
Sanguis Testamenti veteris apud Moysem erat figura Eucharistiæ. 155. 1
Liquores tantùm speciebus, non sanguini misceri possunt. 126.
Si liquor vincatur à speciebus, non vertetur in Sanguinem Christi. ibi
Si Sanguini misceatur vinum, non desinet ibi esse Sanguis Christi, etsi mixtio fiat per totum. 127.
Neque etiam desinet Sanguis in vna gutta consecrata immissa in vas non consecratum.
Iniurioſa Sanguinis effusio violat locum sacrum. 1
80. Non tamē fusus sanguis ex pugna puerorū.
Perpetuus fluxus sanguinis non excusat vxorem a reditione debiti. 367. 117. excusat fluxus mestruus. ib

Satisfactio. Satisfacere.

Satisfactionis duplex acceptio, pro culpa scilicet, pœna. 256
Satisfaciendum pœnâ temporali post remissam culpam mortalem.
Quid satisfactio, & quotuplex. 25
Satisfacere possumus condignè pro veniali. 258
Possumus satisfacere pro reatu pœnæ temporalis exacto remanente. 25
Negant id nostri hæretici. ib
Iustus etiam condignè.
Neque hinc nostra satisfactio Christo iniurioſa. 260
Satisfacere potest alius pro alio. 261
Non tamen de condigno, sed de congruo.
Satisfactio quam alius pro alio suscipit, non est Sacramentalis. 262
Satisfactio pœnitentis per alium impleta, non eum i rat.
Satisfacis quouis opere pœnali pro quouis peccato. 2
Satisfactio in mortali expleta non satisfacit debit
næ. 263. 2. Satisfacit præcepto Confessoris. i

Satisf

Satisfactio per opera pœnal
Fit etiam satisp atiendo, m 263. 1
& eam impetrando. ne condonationem,
Satisfactoria sunt opera eti 2
voto. ex præcepto, vel
Satisfactoria per se sunt flage 264. 3
Dei prouidentia. ex particulari
Sed immissa communi prouide 265. 11
ptentur. nisi ad id acce-
Satisfactoriorum operum tria ge 266. 12
Vide Pœnitentia, §. 6. 13

Sepultura.

Sepultura excommunicati nomina
soris Clerici, violat locum sacrum torij percus-
rum excommunicatorum non vio 2. Ceteroquin
Item sepultura Iudæi, pagani, Turcæ, ibid.
baptizati eum violat. is nondum

Sigillum. 83
De sigillo confessionis, Vide Confessari

§. 1. Sponsali

Vnde dicta, & quid sint.
Quæ ætas requiratur ad ineunda sponsalia 0. 42
hic nō supplet ætatē, vt malitia in matrim dentia
Requiritur præterea liber consensus cōtrahē 1. 44
sus signis, & habilitas personarum. pres-
Sponsalia contracta per Procuratorē, sunt vali 45
si dominus reuocet consensum, & ille nesc quid
Quid si sciat ? d.
Sponsalia clandestina sunt valida. 1.
Sponsalium contractus obligat sub mortali ad
tionem. 352. 47. Non obligat ad pœnam. ib.
arrhas perdēdas si tradideris: cōtrà, si nō tradi
Ecclesia potest cogere vt sponsalia impleantur.
Sponsalia transeunt in matrimonium per verba
sti, copulam, conatum ad copulam, oscula &
& per traductionem in domum. 354. 57. & 1
Non tamen per traditionem annuli.
Sponsalia facta metu graui, irrita sunt, nisi sint iur
55. 81.

§. 2. Sponsalium dissolutio.

Tollitur vtriusque consensu. 352.
egressu Religionis. 50. Nec est expectanda professio. ib.
Tollitur per votum simplex castitatis. ib. Vide Au
tatem V. Sponsalia. Casum 6.
Tollitur si superueniat fornicatio alterius partis.
2. 41. Item si affinitas. ibid.
Efferit sponsalibus fornicatio sponsa, possunt ea
ibid.
Vlceruter longè abierit. ibid.
Vers cum alio matrimonium ineat. 353. 52
Data ante pubertatem, soluuntur, si impletâ puber-
vers reclamet. 53
Talis mutatio superueniat. 54
Sponsalia solui possint sine Iudicis auctoritate,
non. 55
Sponsalia non soluuntur per secunda. 53. Nisi ac-
consummatio affectu maritali cum secunda.
Quid si vsuram corporis impetrauit à secundâ 56
matrium sponsalium ignarâ? ibid.
Matrium. V. Sponsalia. Casum 1. & 3.

Suspensio, Suspendere, Suspensus.

Ecclesiastica definitio. 278. 1. Eius diuisio. 2
Possint suspendere 3
Suspendit nisi ob mortale. Homo potest ob venia-
scripto, & expressâ causâ. ibid. Excipe Supe-
regularem. ibid.

Suspensus generatim. 4
Suspensus generatim ab Ordine. 6. Si hic concionetur, non
sit irregularis. ib. Neque si obeat Minores Ordines. ib.
Suspensus à certo Ordine. 7. Suspensus ab exercitio ordi-
nis inferioris, censetur etiam suspensus ab exercitio Or-
dinis superioris. 7. Non contrà. ibid.
Suspensus à collatione Ordinum. 8. Et à collatione cer-
ti Ordinis. ibid.
Suspensus à Iurisdictione, & ab officio generatim. 8
Suspensus à beneficio. 9. Prohibentur hic fructus, non
quotidianæ distributiones. ibid.
Suspensus ab administratione temporali & spirituali.
280. 10.
Suspensus à collatione Sacramentorum. ibid.
Suspensus ab ingressu Ecclesiæ. ibid.
Suspenditur qui ante ætatem & extra statuta tempora
Ordines suscipit. 294. 49. Item qui duos simul Ordi-
nes suscipit, 50. Item qui per saltum ordinatur. 51

§. 2. Suspensio Suspensionis.

Quid sit suspensionem ipsam seu censuram aliquam sus-
pendi. 280. 11
Appellatio præcedens sententiam suspensionis, hanc ipsam
suspendit. ibid. Non tamen semper. ibid.
Appellatio subsequens subinde suspendit subinde non. 12
Auctoritas Iudicis suspendit censuram suspensionis. 13. In-
terim appellare potes. ibid.

§. 3. Absolutio à Suspensione.

Quædam suspensiones desinunt per se. 280. 14
Nemo præter Papam absoluat suspensum à Iure ad certū
tempus. 15
Suspensum à Iure simpliciter, absoluat Episcopus. 281. 16
Excipe Casum. ibid.
Suspensum ab homine, absoluat ipse suspendens, vel succes-
sor, vel superior. 17. Forma absoluendi à suspensio-
ne. ibid.

Stipendium.

Pro vna Missa tantùm licet petere vnū stipendiū. 169. 59

Suffragium pro defunctis.

De fide est suffragia viuorum defunctis prodesse 317. 37.
Non tamen damnatis, nec beatis: sed solis defunctis in
charitate. 38
Sancti in cælis orant pro defunctis. 318. 39
Purgatorium §. 4.

Testamentum.

Testamentum dupliciter accipitur. 99. 18
Vis Testamenti veteris, erat figura sanguinis testa-
menti noui. 155. 15
Vis in cœna, non in cruce fecit testamentum. ibid.
Missa est Testamentum & Sacramentum & Sacri-
ficium. 158. 23

SS. Trinitas.

Sanctitas est per concomitantiam in Eucharistia.

Transsubstantiatio.

Transubstantiatio. Vide Eucharistia, §. 7. Repli-
catio. Conuersio vnius rei in aliam.

Verbum diuinum.

Verbum diuinum tantùm per concomitantiam
in Eucharistia. 114. 8

Voluntas benè viuendi.

Oritur voluntas à variis virtutibus. 184. 14

Vnctio.

Vide Ca. Confirmatio. Extrema Vnctio. Ole

Vnio.

Vnio m per charitatem speciatim tr 84. 14
char

Votum

Votum.

VOtum aliud solemne: aliud simplex. 373. 142
Votum simplex non irritat matrimonium. 143. Irritat tamen id in Societate IESV. 374. 151. Irritat sponsalia. 352. 50
Votum solemne irritat matrimoniũ. 373. 144. Non tamen iure diuino, sed Ecclesiastico. 374. 148. & seq.
Papa potest dispensare in voto annexo Ordinibus sacris, & in voto Religionis. 150. Non tamen vt Religiosus tunc maneat Religiosus. ibid.
Coniux qui vouit continentiam absque consensu coniugis, reddat debitum non petat. 369. 123. Coniuges hoc votum irritare possunt. ibid.
Qui vouit cum consensu coniugis, reddat, non petat. ibid.
Imò ne reddat, si alter iuri petendi renuntiarit. ibid.
Si vterque vouit communi consensu, neuter petat aut reddat. ibid.
Qui vouit continentiam ante matrimonium, peccat cõtrahendo, & posteà debitum petendo. 124. Non tamen tenetur ante consummationẽ ingredi Religionẽ. ibid.
Qui vouit ingressum Religionis, potest reddere & petere debitum. ibid.
Si contrahis cum eo quem scis votum continentiæ habere, tu non petes, sed reddes: ille reddet, sed non petet. ib.
Votum simplex castitatis, Religionis, suscipiendi sacros Ordines, & non nubendi, impediunt matrimonium, etsi nõ dirimant. 387. 204
Quale peccatum sit cum aliquo horum votorum contrahere. 388. 206
Vide Dispensatio.

FINIS.

Collegij Soc. IESV Paderborna

ERRATA Typographica notabiliora sic corrige.

Pag. 33. col. 2. lin. 4. *à fine.* re significata, *lege*, res significata.
Pag. 72. c. 2. l. 32. Elibertium, *lege*, Elibertinum.
Pag. 94. c. 1. l. 16. signos, *lege*, signo.
Pag. 140. c. 1. l. 41. absolutæ necessitas. *lege*, absolutè necessarium.
Pag. 157. c. 1. l. 4. calamitent. *lege*, clamitent.
Pag. 232. c. 1. l. 3. *à fine*, vitandam confessionem. *lege*, confusionem.
Pag. 245. c. 2. l. 6. *à fine.* Respondeo secundò. *lege*, Respondent.
Pag. 247 c. 2. l. 16. *à fine.* falsum est, *lege*, esse.
Pag. 267. ἀνάθημα *lege*, ἀνάδεμα.
Pag. 275. c. 1. l. 19. potest permitti. *lege*, omitti.
Pag. 278. c. 2. l. 21. qui. *lege*, quæ.
Pag. 280. c. 1. l. 4. quæ administrantur, *lege*, quâ.
Pag. 284. c. 2. *in tit. dub.* 2. suspendatur Interdum. *lege*, Interdictum.
Pag. 290. c. 2. *in tit. dub* 3. Vtrum Consensus, *lege*, cõsentiens. *ibid. paulò post. l.* 3. Sine suo, *lege*, tuo.
Pag. 300. c. 1. l. 17. Peccatum nostrorum. *lege*, peccatorum.
Pag. 378. c. 1. *in margine.* Dispensat in linea recta, non transuersa. *lege*, non in linea recta, sed transuersa.

LAVDETVR
SANCTISSIMVM
SACRAMENTVM.